The Catholic
Theological Union
WITHDRAWN
Chicago, Ill.

THEOLOGIA BIBLICA.

TOMUS I.

VETUS TESTAMENTUM.

THEOLOGIA BIBLICA

SIVE

SCIENTIA HISTORIAE ET RELIGIONIS UTRIUSQUE TESTAMENTI CATHOLICA.

SCRIPSIT IN USUM SCHOLARUM

P. MICHAEL HETZENAUER O. C.

PROFESSOR EXEGESIS IN UNIVERSITATE PONTIFICII SEMINARII ROMANI AD S. APOLLINAREM.

TOMUS I:

VETUS TESTAMENTUM.

IMAGINIBUS 100 ET TABULIS 3 GEOGRAPHICIS ILLUSTRATA.

CUM APPROBATIONE REVMI. MAGISTRI S. P. AP. ET GENERALIS ORDINIS.

BIBLIOTHECA CONVENTUS WESTBURIENSIS F. F. MINORUM.
WITHDRAWN
STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.
220.01
H591t
v.1
S. S. CORDIS JESU
PRO STUDIO THEOL.
EX LIBRIS PROVINCIAE
S. LUDOVICI AMERICAE.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMVIII.
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE, S. LUDOVICI AMERICAE.

Theologia biblica Vet. Test. a R. P. Michaele Hetzenauer O. C. concinnata est opus prorsus eximium. Praestat enim singulari dicendi ac exponendi perspicuitate, allatorum auctorum tam catholicorum quam acatholicorum celebri multitudine, summa iudicii subtilitate et veritatum revelatarum Antiqui Foederis vere nova et optime ordinata commentatione earumque simul percipiendi rara profunditate.

Oeniponte, 25 Martii 1908.

P. **Gottfried Noggler** O. C.,
approb. Lect. Theol. dogm.

P. **Franciscus Ser. Tischler** O. C.,
approb. Lect. S. Script.

Praesentium virtute libenter permittimus ut „Theologia Biblica Veteris Testamenti" a R. P. Michaele Hetzenauer, Ordinis nostri Alumno ac Professore Exegesis in Universitate Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem, concinnata et a duobus Ordinis Theologis revisa et probata, servatis alias servandis, publici iuris fieri possit.

Romae ad S. Laurentii Brundusini, die 29 Martii 1908.

Fr. Bernardus ab Andermatt,
Min. Generalis Cap.

IMPRIMATUR.

Fr. Albertus Lepidi O. P.,
S. P. Ap. Magister.

✠ **Iosephus Ceppetelli,**
Patr. Constantinopol., Vicesgerens.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

2007

LEGENTI SALUTEM.

Sanctitas Sua Pius Papa X die 27 Martii 1906 in brevi *Quoniam in re biblica* (n. xi) praeter alia mandavit ut in seminariis, quae iure academicos theologiae gradus conferendi gaudent, etiam theologiae biblicae plus temporis studiique tribueretur. Hac de causa materias istas ad theologiam biblicam Veteris Testamenti pertinentes typis descripsi quas tempore impressionis *Bibliae Sacrae Vulgatae Editionis* a me critice adornatae (Oeniponte 1906) collegeram.

Opus componens tota mente in id incumbebam ut non simpliciter referrem quae Sacrae Litterae de historia ac religione Veteris Testamenti tradunt, sed ut potius investigarem qualis sententia inter varias opiniones ab interpretibus antiquioribus ac recentioribus, catholicis et acatholicis de his rebus propositas secundum principia philosophica atque hermeneutica probabilior tenenda esset. Quo consilio celebriores quaestiones nunc agitatas omnes disserui. Plurimas minoris momenti seponere debui, ne opus nimis grande et usui scholastico minus conveniens evaderet: de illis in alio opere maiore disputaturus sum, quod quattuor vel quinque tomos complectetur.

De ratione tractationis in hoc libro observata sequentia notentur. Ante omnia iuxta mandatum Summi Pontificis Pii X communi doctrinae ac traditioni Ecclesiae fidelis adhaerebam; simul tamen in rem meam convertebam quaecumque recentiorum sollertia peperit. Me opera recentissima atque celeberrima tam catholicorum quam acatholicorum in manibus habere elenchus operum adhibitorum demonstrat; me istis operibus reapse usum esse tractatus singuli docebunt. Deinde ipse ea observans quae in altero libello meo (*Abschreiben oder Benutzen?* Oeniponte 1902) comprobaveram, sensum biblicum iuxta principia philosophica atque hermeneutica diligenter quaesivi inventumque cum sententiis aliorum doctorum comparavi necnon argumenta et rationes meas cum argumentis et rationibus illorum ponderando contuli, atque haec omnia breviter annotavi ut lectores operis mei de sententiis necnon argumentis et rationibus aliorum quoque certiores fierent. Nullum

auctorem exscripsi; si sententias vel voces cuiusdam consulto transumpsi, semper inter virgulas („“) eas posui. Denique ad sacrum textum quod attinet, Latinum iuxta meam editionem Vulgatae, Graecum ex opere Swete (The Old Testament in Greek, Cambridge 1896/1905), Hebraicum iuxta editionem Kittel (Biblia Hebraica, Lipsiae 1905/1906) citavi. Punctationem partim ego consulto omisi partim prelum typographicum non clare expressit, quod in aliorum quoque operibus conspicitur.

Typographus celeberrimus opus imaginibus 100 ac tabulis 3 geographicis a Riess-Rückert delineatis illustravit quae professoribus et studiosis sine dubio acceptissimae erunt.

Partem priorem seu historicam, iam mense Iulio 1907 a Rmo Ministro Generali Ordinis et a Rmo Magistro Sacri Palatii approbatam, mense Octobri eiusdem anni divulgare volebam; sed ob rationes practicas nunc cum parte altera seu didactica eam publici iuris facio. Haec pars altera viris dogmaticis utilissima esse potest. Qui enim in operibus theologiae systematicae simulque in commentariis recentiorum interpretum, etiam conservantium, versatus est, experientia edoctus scit multos locos biblicos in antiquioribus saltem operibus dogmaticis non scientifico modo exponi: exemplum famosum pag. 418 sq descriptum est. Propterea recentioribus dogmaticis, etiam conservantibus, gratum fore censeo, si in hoc opere celebriores locos biblicos critice, philologice, exegetice discussos atque recentissimas obiectiones examinatas invenerint.

Modernistae, de quibus mox loquar, hoc opus meum sine ullo dubio vituperabunt, quia systema a me observatum systemati eorum prorsus oppositum est. Vituperationes autem eorum aequo animo perferam; nam ab iis qui *patrem familias* tam irreverenti et indigno modo tractarunt, *domestici eius* adhuc peiora exspectare debent: iacula vero quae praevidentur minus feriunt (*S. Gregorius M.*, Hom. 35 in Evang.). Pro recensionibus aliorum virorum doctorum gratissimus ero easque in maiore meo opere examinabo et bona consilia lubens acceptabo. Vale!

Romae, die festo S. Ioseph, 19 Martii 1908.

P. **Michael Hetzenauer** O. C.

INDEX GENERALIS.

Pag.

Legenti Salutem v
Index figurarum textum illustrantium xi
Opera ab auctore adhibita xiii
Relatio operis ad doctrinas Modernistarum . . . xxi

Prologus.

§ 1. Definitio 1
§ 2. Divisio 2
§ 3. De obiecto et fontibus 3
§ 4. De fine et utilitate 5
§ 5. De relatione ad alias disciplinas 6
§ 6. De lemmatibus seu sumptionibus 7
§ 7. Historia brevis disciplinae 17

PARS PRIOR.

SCIENTIA HISTORIAE VETERIS TESTAMENTI.

Sectio prior.

AB ADAM USQUE AD ABRAHAM . . . 21

Periodus I.

Ab Adam usque ad Noe.

§ 8. De Adam et Eva 23
§ 9. De Cain, Abel et Seth 27
§ 10. De Cainitis et Sethitis 29
§ 11. De filiis Dei et filiabus hominum 33

Periodus II.

A Noe usque ad Abraham.

§ 12. De diluvio universali 37
§ 13. De benedictione et maledictione Noe 49
§ 14. De tabula gentium 52
§ 15. De dispersione gentium 56
§ 16. De proavis Abrahae 60

Sectio altera.

Pag.

AB ABRAHAM USQUE AD CHRISTUM . . 61

Periodus I.

Ab Abraham usque ad Moysen.

§ 17. De Abraham 61
§ 18. De Isaaco 74
§ 19. De Iacobo 78
§ 20. De posteris Iacobi 86

Periodus II.

A Moyse usque ad Iosue.

§ 21. De vita Moysis privata 92
§ 22. De exitu Israelis ex Aegypto 95
§ 23. De commoratione Israelis in deserto 109
§ 24. De factis in campestribus Moab 123
§ 25. De opere Moysis litterario 129

Periodus III.

Ab Iosue usque ad divisionem regni.

§ 26. De tempore Iosue 137
§ 27. De tempore Iudicum 151
§ 28. De tempore regum 172
I. De rege Saule 172
II. De rege David 188
III. De rege Salomone 214

Periodus IV.

A divisione regni usque ad exsilium Babylonicum.

§ 29. De regno Israel 227
§ 30. De captivitate Assyria 251
§ 31. De regno Iuda 261
I. Regnum Iuda exsistente regno Israel 261
II. Regnum Iuda deleto regno Israel 268
III. De chronologia regnorum Israel et Iuda 290

Periodus V.

Ab exsilio Babylonico usque ad Christum.

§ 32. De tempore exsilii Babylonici 293
§ 33. De reditu Iudaeorum 322
§ 34. De historia Israel usque ad Christum 343

PARS ALTERA.

Pag.
SCIENTIA RELIGIONIS VETERIS TESTAMENTI 369

Sectio prior.

DE VERITATIBUS THEORETICIS . . . 372

Caput I.

De veritatibus ad Dei naturam spectantibus.

Articulus I.

De nominibus divinis.

§ 35. De singulis Dei nominibus 372
§ 36. De nomine Dei generatim 384

Articulus II.

De essentia divina.

§ 37. Deus est esse ipsum, esse totum 388

Articulus III.

De attributis divinis.

§ 38. De attributis essendi 390
§ 39. De attributis operandi 430
I. De intellectu divino 432
II. De voluntate divina 443

Articulus IV.

De personis divinis.

§ 40. Pluralitas personarum in Vet. Test. adumbratur 465

Articulus V.

De cognoscibilitate Dei.

§ 41. Deus unus naturaliter cognosci potest 483
§ 42. De possibilitate atheismi, dualismi, polytheismi 486

Caput II.

De veritatibus ad Dei opera spectantibus.

Articulus I.

De creatione mundi.

§ 43. De creatione universitatis rerum 488
§ 44. De hominibus 524
§ 45. De angelis 560

Articulus II.

De redemptione mundi.

§ 46. Promissiones Redemptoris venturi 574
§ 47. Consequentiae ex promissionibus deducendae 608

Articulus III.

De consummatione mundi.

Pag.
§ 48. De consummatione singulorum hominum 611
§ 49. De consummatione totius mundi 627

Sectio altera.

DE VERITATIBUS PRACTICIS . . . 633

§ 50. De textu decalogi 634
§ 51. De origine decalogi. 638
§ 52. De haeresibus Iudaeorum 640

APPENDIX.

Brevis descriptio terrae sanctae.

I. De terra sancta in genere 641
II. De civitate sancta in specie 644

Index locorum Sacrae Scripturae explicatorum 647
Index personarum et rerum magis notabilium 649

INDEX FIGURARUM TEXTUM ILLUSTRANTIUM.

Fig.		Pag.
1.	Tabula ex bibliotheca Assurbanipalis	4
2.	Duo dii ad arborem sedentes	5
3.	Tabernacula mobilia hodierna	30
4.	Arca Noe iuxta Calmet	38
5.	Noe columbam recipit	40
6.	Primitivae litterae Babyloniorum	54
7.	Inscriptio regis Sargon	55
8.	Later coctus ex Arach	56
9.	Ziggurat palatii Sargon in Khorsabad	57
10.	El Mukaijar (Ur Chaldaeorum)	62
11.	Quercus Abrahae iuxta Hebron	65
12.	Mare mortuum	71
13.	Sepulcrum Rachelis	77
14.	Loculus corporis medicati ligneus	78
15.	Aegyptii uvas vindemiant	80
16.	Aegyptii uvas calcant	80
17. 18.	Aegyptii uvas exprimunt	81
19.	Rex praefectum recipit	82
20.	Agri cultura Aegyptia	82
21.	Triticum Aegyptium	83
22.	Asini triturantes	83
23.	Pompa funebris Aegyptiorum	84
24.	Vas pro interioribus cadaveris recipiendis	85
25.	Loculus corporis medicati lapideus	85
26.	Semitae angarias praestant	90
27.	Cyperus papyrus	93
28.	Monasterium S. Catharinae ad Sinai	96
29.	Locusta migrans	101
30.	Aegyptus inundationis tempore	104
31.	Apis Aegyptius	117
32.	Mons Nebo	128
33.	Locus antiquae Iericho	140
34.	Nabulus inter Garizim et Ebal	147
35.	Sepulcrum Ioseph	150
36.	Fontes Iordanis	152
37.	Mons Tabor	155
38.	Ager Booz	162
39.	Molae trusatiles	166
40.	Dagon	168
41.	Leo rugiens in Susa repraesentatus	180
42.	Rex cum monocerote pugnat	181
43.	Mons Engaddi	185
44.	Cedri Libani	189
45.	Vallis Cedron et Mons olivarum	197
46.	En-Nebi Dâûd (sepulcrum David)	202
47.	Murus ad quem Iudaei lamentantur	219
48.	Lacus et fontes Salomonis	222
49.	Locus antiquae Bethel	228
50.	Mons Carmeli	229
51.	Monumentum Mesae ex Dibon	233
52.	Fons Elisei iuxta antiquam Iericho	235
53.	Legati Iehu regi Salmanassar II tributum offerunt	236
54.	Ioppe seu Iâfâ hodierna	238
55.	Phul-Theglathphalasar in essedo	249
56.	Sargon cum duce	251
57.	Pentateuchus Samaritanus	252
58.	Asarhaddon cum Thirhaka et Ba'lu	256
59.	Drachma	258
60.	Vallis Hinnom cum horto regum	269
61.	Sennacherib	270
62.	Sagittarii Susis repraesentati	282
63.	Heros Babylonius cum leone	288
64.	Dii in humeris portati	290
65.	Antrum Ieremiae	294
66.	Marduk-Bel cum dracone pugnans	310
67.	Sepulcrum Cyri	316
68.	Sepulcrum Darii	324
69.	Reliquiae palatii Xerxis	329
70.	Statuae colossicae palatii Xerxis	332
71.	Daricus	338
72.	Tetrachmum Alexandri M.	343
73.	Alexandria hodierna	345
74.	Obeliscus Heliopolitanus	351
75.	Siclus argenteus Simonis	362
76.	Castellum Turcicum cum turre David vel Herodis	366
77.	Assur	404
78.	Ra	404
79.	Isis	404
80.	Horos	404
81.	Osiris	404
82.	Sobk	405
83.	Hathor	405
84.	Amon	405
85.	Anubis	405
86.	Zeus	405
87.	Poseidon	405
88.	Hades	405
89.	Athene	406
90.	Ianus	406
91.	Ormuzd	406

Fig.		Pag.	Fig.		Pag.
92.	Pyramides in Gise	407	97.	Papyrus Nash	637
93.	Arbor vitae et animalia alata	556	98.	Ierusalem ante captivitatem Babyloniam	642
94.	Colossicus taurus alatus	561	99.	Ierusalem post captivitatem Babyloniam	643
95.	Cherub iuxta Ezechielem	564	100.	Situs templi Salomonici	645
96.	Cherubim supra arcam foederis . . .	565			

INDEX TABULARUM GEOGRAPHICARUM.

I. Assyria, Babylonia cum regionibus proximis circa urbes Ninive et Babylon
II. Arabia Petraea et Chanaan tempore reditus Israelitarum ex Aegypto . . } in fine.
III. Palaestina tempore Iudicum et Regum . . . . . .

OPERA AB AUCTORE ADHIBITA.

Praeter illa opera, quae Biblicam Historiam, Theologiam, Geographiam et Chronologiam, Archaeologiam necnon Aegyptiologiam et Assyriologiam ex professo pertractant atque pag. 18 sq enumerantur, praesertim sequentibus usus sum quorum pleraque in bibliotheca ad usum meum instituta prostant. Operibus ab acatholicis divulgatis stellula praefixa est; etiam catholici liberales notantur. Alia opera, quae nonnumquam adhibui, locis suis notabuntur.

EDITIONES CRITICAE BIBLIORUM.

*Biblia Hebraica, edidit *Ginsburg*, London 1906.

*Biblia Hebraica, edidit *Kittel*, Lipsiae 1905/1906.

*The Old Testament in Greek, edited by *Swete*, Cambridge 1896/1905.

Biblia Sacra Vulgatae Editionis. Ex ipsis exemplaribus Vaticanis inter se atque cum indice errorum corrigendorum collatis critice edidit *P. Michael Hetzenauer O. C.*, Oeniponte 1906.

Bibliorum Sacrorum Latinae versiones antiquae, edidit *Sabatier*, Parisiis 1751.

Variae Lectiones Veteris Testamenti (Hebraici). Opera ac studio *De-Rossi*, Parmae 1784/1798. Opus celeberrimum quod Kittel saepe citat.

Variae Lectiones Vulgatae Latinae, digessit *Vercellone*, Romae 1860/1864.

OPERA PHILOLOGICA.

* *Gesenius-Kautzsch*, Hebräische Grammatik, Leipzig 1902.

* *Kautzsch*, Grammatik des Biblisch-Aramäischen, Leipzig 1884.

* *Krüger-Pökel*, Griechische Sprachlehre, Leipzig 1875/1894.

* *Kühner*, Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache, Hannover 1890/1898.

* *Zumpt*, Lateinische Grammatik, Berlin 1874.

Alias grammaticas in *Epitome Exegeticae Biblicae* 39 sq enumeravi.

* *Fürst*, Hebräisches und Chaldäisches Handwörterbuch über das Alte Testament, Leipzig 1876.

* *Gesenius-Roediger*, Thesaurus philologicus criticus linguae Hebraeae et Chaldaeae Veteris Testamenti, Lipsiae 1835/1858.

* *Gesenius-Buhl*, Hebräisches und Aramäisches Handwörterbuch über das Alte Testament, Leipzig 1905.

* *Siegfried-Stade*, Hebräisches Wörterbuch zum Alten Testament, Leipzig 1893.

* *Benseler-Kaegi*, Griechisch-Deutsches Schulwörterbuch, Leipzig 1900.

* *Biel*, Novus thesaurus philologicus sive Lexicon in LXX et alios interpretes et scriptores apocryphos Veteris Testamenti, Hagae Comitum 1779/1780.

* *Menge*, Griechisch-Deutsches Schulwörterbuch mit besonderer Berücksichtigung der Etymologie, Berlin 1903.

* *Passow*, Handwörterbuch der Griechischen Sprache, Leipzig 1841/1857.

* *Georges*, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, Leipzig 1879/1880.

Alia lexica in *Epitome Exegeticae Biblicae* 34 enumeravi.

OPERA INTRODUCTORIA.

**Bleek-Wellhausen,* Einleitung in das Alte Testament, Berlin 1893.
Cornely, Historica et critica introductio in U. T. Libros Sacros, Parisiis 1897.
** Cornill,* Einleitung in die kanonischen Bücher des Alten Testaments, Tübingen 1905.
**Driver-Rothstein,* Einleitung in die Literatur des Alten Testaments, Berlin 1896.
Fell, Lehrbuch der Allgemeinen Einleitung in das Alte Testament, Paderborn 1906.
Gigot, Special Introduction to the Study of the Old Testament, New-York 1903/1906.
Kaulen, Einleitung in die Heilige Schrift Alten und Neuen Testaments, Freiburg i. Br. 1898.
**König,* Einleitung in das Alte Testament, Bonn 1893.
Martinetti, Manuale Introductionis in S. Scripturam, Romae 1907.
Seisenberger, Einführung in die Heilige Schrift, Regensburg 1904.
** Strack,* Einleitung in das Alte Testament, München 1906.
**Weber-Deinzer,* Kurzgefaßte Einleitung in die heiligen Schriften Alten und Neuen Testaments, München 1897.
**Wildeboer-Risch,* Die Literatur des Alten Testaments, Göttingen 1905.

OPERA EXEGETICA.

Hetzenauer, Commentarius in librum Genesis, Graz 1908. Citatur „Comment."
Hoberg, Die Genesis, Freiburg i. Br. 1899.
— Die Psalmen der Vulgata, Freiburg i. Br. 1906.
** Kautzsch,* Die Heilige Schrift des Alten Testaments, Freiburg i. Br. 1896.
Minocchi (liberalis), Storia dei Salmi, Firenze 1904.
— I Salmi, Roma 1905.
— Le Profezie d' Isaia, Bologna 1907.
— La Genesi, Firenze 1907/1908.
** Reuß,* Das Alte Testament, Braunschweig 1892/1894.
Thalhofer-Schmalzl, Erklärung der Psalmen, Regensburg 1904.
Wolter, Psallite sapienter, Freiburg i. Br. 1904/1907.

Cursus Scripturae Sacrae.

Hummelauer in Genesim, Parisiis 1895.
— in Exodum et Leviticum, Parisiis 1897.
— in Numeros, Parisiis 1899.
— in Deuteronomium, Parisiis 1901.
— in Iosue, Parisiis 1903.
— in Iudicum et Ruth, Parisiis 1888.
— in libros Samuelis, Parisiis 1886.
— in librum I Paralipomenon, Parisiis 1905.
Knabenbauer in librum Iob, Parisiis 1886.
Gietmann in Ecclesiasten et Canticum, Parisiis 1890.
Knabenbauer in Ecclesiasticum, Parisiis 1902.
— in Isaiam, Parisiis 1887.
— in Ieremiam, Parisiis 1889.
— in Ezechielem, Parisiis 1890.
— in Danielem, Lamentationes, Baruch, Parisiis 1891.
— in Prophetas minores, Parisiis 1886.
— in duos libros Machabaeorum, Parisiis 1907.

Handkommentar zum Alten Testament, herausgegeben von Nowack.

* *Gunkel,* Genesis, Göttingen 1901.
* *Baentsch,* Exodus-Leviticus-Numeri, Göttingen 1900/1903.
* *Steuernagel,* Deuteronomium und Iosua, Göttingen 1900.
* *Nowack,* Richter-Ruth-Samuel, Göttingen 1900/1902.
* *Kittel,* Könige, Göttingen 1900.
* — Chronik, Göttingen 1902.
* *Siegfried,* Esra, Nehemia, Esther, Göttingen 1901.
* *Budde,* Hiob, Göttingen 1896.
* *Baethgen,* Psalmen, Göttingen 1897.
* *Frankenberg,* Sprüche, Göttingen 1898.
* *Siegfried,* Prediger und Hoheslied, Göttingen 1898.
* *Duhm,* Jesaia, Göttingen 1892.
* *Giesebrecht,* Jeremia, Göttingen 1894.
* *Kraetzschmar,* Ezechiel, Göttingen 1900.
* *Behrmann,* Daniel, Göttingen 1894.
* *Nowack,* Kleine Propheten, Göttingen 1897.

Kurzer Hand-Kommentar zum Alten Testament, herausgegeben von Marti.

* *Holzinger,* Genesis, Tübingen 1898.
* — Exodus, Tübingen 1900.
* *Bertholet,* Leviticus, Tübingen 1901.
* *Holzinger,* Numeri, Tübingen 1903.
* *Bertholet,* Deuteronomium, Tübingen 1899.
* *Holzinger,* Josua, Tübingen 1901.
* *Budde,* Richter, Tübingen 1897.
* *Bertholet,* Ruth, Tübingen 1898.
* *Budde,* Bücher Samuel, Tübingen 1902.
* *Benzinger,* Bücher der Könige, Tübingen 1899.
* — Chronik, Tübingen 1901.
* *Bertholet,* Esra und Nehemia, Tübingen 1902.
* *Wildeboer,* Esther, Tübingen 1898.
* *Duhm,* Hiob, Tübingen 1897.
* — Psalmen, Tübingen 1899.
* *Wildeboer,* Sprüche, Tübingen 1897.
* *Budde,* Das Hohelied, Tübingen 1898.
* — Klagelieder, Tübingen 1898.
* *Wildeboer,* Prediger, Tübingen 1898.
* *Marti,* Jesaja, Tübingen 1900.
* *Duhm,* Jeremia, Tübingen 1901.
* *Bertholet,* Hesekiel, Tübingen 1897.
* *Marti,* Daniel, Tübingen 1901.
* — Dodekapropheton, Tübingen 1904.

Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum Alten Testament.

* *Dillmann,* Genesis, Leipzig 1892.
* *Dillmann-Ryssel,* Exodus und Leviticus, Leipzig 1897.
* *Dillmann,* Numeri, Deuteronomium und Josua, Leipzig 1886.

* *Bertheau,* Richter und Ruth, Leipzig 1883.
* *Thenius-Löhr,* Bücher Samuels, Leipzig 1898.
* *Thenius,* Könige, Leipzig 1873.
* *Bertheau-Ryssel,* Esra, Nechemia, Ester, Leipzig 1887.
* *Bertheau,* Chronik, Leipzig 1873.
* *Dillmann,* Hiob, Leipzig 1891.
* *Bertheau-Nowack,* Sprüche, Leipzig 1883.
* *Hitzig-Nowack,* Prediger, Leipzig 1883.
* *Hitzig,* Das Hohe Lied, Leipzig 1855.
* *Thenius,* Klaglieder, Leipzig 1855.
* *Dillmann-Kittel,* Jesaja, Leipzig 1898.
* *Hitzig,* Jeremia, Leipzig 1866.
* *Smend,* Ezechiel, Leipzig 1880.
* *Hitzig,* Daniel, Leipzig 1850.
* *Steiner,* Kleine Propheten, Leipzig 1881.

Kurzgefasster Kommentar zu den heiligen Schriften Alten und Neuen Testamentes sowie zu den Apokryphen, herausgegeben von Strack-Zöckler.

* *Strack,* Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, München 1894. — Die Genesis [2], München 1905.
* *Oettli,* Deuteronomium, Josua und Richter, München 1893.
* *Klostermann,* Die Bücher Samuelis und der Könige, Nördlingen 1887.
* *Oettli,* Chronik, Esra, Nehemia, Ruth und Esther, Nördlingen 1889.
* *Zöckler,* Die Apokryphen des Alten Testaments nebst einem Anhang über die Pseudepigraphenliteratur, München 1891.
* *Keßler,* Psalmen, München 1899.
* *Strack,* Sprüche, München 1899.
* *Volck,* Hiob und Prediger, Nördlingen 1889.
* *Oettli,* Hohelied und Klagelieder, Nördlingen 1889.
* *Orelli,* Jesaja und Jeremia, München 1891.
* — Ezechiel, München 1896.
* *Meinhold,* Daniel, Nördlingen 1889.
* *Orelli,* Kleine Propheten, München 1896.

Kurzgefasster wissenschaftlicher Kommentar zu den heiligen Schriften des Alten Testaments, herausgegeben von Schäfer.

Schlögl, Bücher Samuels, Wien 1904.
Seisenberger, Esdras, Nehemias, Esther, Wien 1901.
Schneedorfer, Jeremias, Klagelieder, Baruch, Wien 1903.
Schmalzl, Ezechiel, Wien 1901.
Riessler, Daniel, Wien 1902.

OPERA ARGUMENTI VARII.

Bonaccorsi (liberalis), Questioni bibliche, Bologna 1904.
Biblische Studien, herausg. von Bardenhewer, Freiburg i. B. 1895 sqq.
Biblische Zeitschrift, herausg. von Göttsberger und Sickenberger, Freiburg i. B. 1903 sqq.
* *Brockhaus'* Kleines Konversations-Lexikon, Leipzig 1906.

*Budde, Das Alte Testament und die Ausgrabungen, Gießen 1903.
*Corluy, Spicilegium dogmatico-biblicum, Gandavi 1884.
Das Zwanzigste Jahrhundert, München 1906 (modernista).
**Delitzsch*, Babel und Bibel I—III, Leipzig-Stuttgart 1903/1905.
Döller, Bibel und Babel oder Babel und Bibel? Paderborn 1903.
— Studien zum 3. und 4. Buche der Könige, Wien 1904.
**Dorner*, Grundriß der Encyklopädie der Theologie, Berlin 1901.
Ecker, Porta Sion. Lexikon zum lateinischen Psalter, Trier 1903.
Egger, Enchiridion theologiae dogmaticae generalis, Brixinae 1904.
— Enchiridion theologiae dogmaticae specialis, Brixinae 1902.
Engelkemper (liberalis), Die Paradiesesflüsse, Münster i. W. 1901.
Engert (liberalissimus), Die Weltschöpfung, München 1907.
Feldmann, Der Knecht Gottes in Isaias Kap. 40—55, Freiburg i. Br. 1907.
**Feuchtwang*, Zur Aufklärung über Babel und Bibel, Wien 1903.
Gatt, Sion in Jerusalem, Brixen 1900.
Gnandt, Der Mosaische Schöpfungsbericht, Graz 1906.
**Goldschmied*, Der Kampf um Babel-Bibel im Lichte des Judentums, Frankfurt a. M. 1903.
Grimme, Das Gesetz Chammurabis und Moses, Köln 1903.
— Unbewiesenes. Bemerkungen eines Philologen zu F. Delitzsch, Babel und Bibel I—II, Münster i. W. 1903.
Grimmich, Lehrbuch der theoretischen Philosophie, Freiburg i. Br. 1893.
Gutberlet, Lehrbuch der Philosophie, Münster 1897/1906.
**Haeckel*, Die Welträtsel, Bonn 1899.
Hagemann, Elemente der Philosophie, Freiburg i. Br. 1897/1902.
Hasert, Antworten der Natur, Graz 1903.
**Hatch and Redpath*, A concordance to the Septuagint and the other Greek Versions of the Old Testament, Oxford 1897.
Heinrich, Dogmatische Theologie, Mainz 1873 sqq.
**Heinrici*, Theologische Encyklopädie, Freiburg i. Br. 1893.
Herders Konversations-Lexikon, Freiburg i. Br. 1902/1907.
Hetzenauer, Wesen und Prinzipien der Bibelkritik auf katholischer Grundlage, Innsbruck 1900. Citatur simpliciter „Bibelkritik".
— Epitome Exegeticae Biblicae Catholicae, Oeniponte 1903. Citatur simpliciter „Exegetica".
Holzhey (liberalis), Schöpfung, Bibel und Inspiration, Stuttgart 1902.
Hurter, Theologiae dogmaticae compendium, Oeniponte 1900.
**Jeremias*, Hölle und Paradies bei den Babyloniern, Leipzig 1903.
*— Im Kampfe um Babel und Bibel, Leipzig 1903.
Kaulen, Der Biblische Schöpfungsbericht, Freiburg i. Br. 1902.
Kihn, Encyklopädie und Methodologie der Theologie, Freiburg i. Br. 1892.
Knoll-Noggler, Institutiones theologiae dogmaticae specialis, Oeniponte 1893/1896.
**Köberle*, Babylonische Kultur und Biblische Religion, München 1903.
Krieg, Encyklopädie der theologischen Wissenschaften nebst Methodenlehre, Freiburg i. Br. 1899.
Lagrange (liberalis), La méthode historique, Paris 1904.
**Landau*, Die Phönizier, Leipzig 1903.

Lapide, Commentaria in Sacram Scripturam, Neapoli 1854 sqq.
**Lehmann,* Babyloniens Kulturmission einst und jetzt, Leipzig 1903.
Loisy (liberalissimus), Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse, Paris 1901.
**Mach,* Das Religions- und Weltproblem, Dresden 1904.
**Mandelkern,* Veteris Testamenti Concordantiae Hebraicae atque Chaldaicae, Lipsiae 1896.
**Müller,* Die alten Ägypter als Krieger und Eroberer in Asien, Leipzig 1903.
Nagl, Die nachdavidische Königsgeschichte Israels ethnographisch und geographisch beleuchtet, Wien 1905.
Nikel, Genesis und Keilschriftforschung, Freiburg i. Br 1903.
— Allgemeine Kulturgeschichte, Paderborn 1907.
Ottiger, Theologia fundamentalis, Friburgi Brisgoviae 1897.
Pesch, De inspiratione Sacrae Scripturae, Friburgi Brisgoviae 1906.
— Tractatus dogmatici, Friburgi Brisgoviae 1898/1906.
Peters (liberalis), Beiträge zur Text- und Literaturkritik sowie zur Erklärung der Bücher Samuel, Freiburg i. Br. 1899.
— Die älteste Abschrift der zehn Gebote, der Papyrus Nash, Freiburg i. Br. 1905.
— Ecclesiasticus Hebraice, Friburgi Brisgoviae 1905.
— Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung oder die Grenzen der Bibelkritik, Paderborn 1905.
— Papst Pius X und das Bibelstudium, Paderborn 1906.
— Bibel und Naturwissenschaft, Paderborn 1906.
— Glauben und Wissen im ersten biblischen Schöpfungsbericht, Paderborn 1907.
Pohle, Lehrbuch der Dogmatik, Paderborn 1905.
Pütz-Cremans, Grundriß der Geographie und Geschichte der alten Zeit, Leipzig 1905.
Reusch, Bibel und Natur, Freiburg i. Br. 1862.
Rückert, Die Lage des Berges Sion, Freiburg i. Br. 1898.
Schanz, Apologie des Christentums, Freiburg i. Br. 1903/1906.
Scheeben, Handbuch der katholischen Dogmatik, Freiburg i. Br. 1873 sqq.
Schell (liberalis), Katholische Dogmatik, Paderborn 1889/1893.
**Schneider,* Die zehn Gebote des Moses in moderner Beleuchtung, Frankfurt a. M. 1903.
Seisenberger, Der biblische Schöpfungsbericht, Freising 1882.
**Sellin,* Der Ertrag der Ausgrabungen im Orient, Leipzig 1905.
Simar, Lehrbuch der Dogmatik, Freiburg i. Br. 1899.
Specht, Lehrbuch der Dogmatik, Regensburg 1907.
Stöckl, Grundzüge der Philosophie, Mainz 1892.
Stummer, Manuale theologiae fundamentalis, Oeniponte 1907.
Tabarelli, De Deo uno, Romae 1906.
**The King's Printers'* aids to the student of the Holy Bible, London (sine anno). Commendatur a modernistis.
Trissl, Das biblische Sechstagewerk, Regensburg 1892.
**Urquhart-Spliedt,* Die Bücher der Bibel, Stuttgart 1904/1906.
Wahrmund (liberalissimus), Katholische Weltanschauung und freie Wissenschaft, München 1908.

Weber, Christliche Apologetik, Freiburg i. Br. 1907.
Wilmers, De religione revelata, Ratisbonae 1897.
**Winckler*, Abraham als Babylonier, Joseph als Ägypter, Leipzig 1903.
*— Die Gesetze Hammurabis, Leipzig 1903.
*— Himmels- und Weltenbild der Babylonier, Leipzig 1903.
Zapletal (liberalis), Der Schöpfungsbericht der Genesis, Freiburg (Schweiz) 1902.
— Alttestamentliches, Freiburg (Schweiz) 1903.
**Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft*, herausg. von Stade, Gießen 1881 sqq.
**Zimmern*, Biblische und babylonische Urgeschichte, Leipzig 1903.

RELATIO OPERIS AD DOCTRINAS MODERNISTARUM.

Pars prior huius operis iam typis descripta erat, quando Litterae Encyclicae *Pascendi dominici gregis* de modernistarum doctrinis, die 8 Septembris 1907 a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X firmatae, in lucem prodierunt. Omnia et singula folia impressa immutata retinere potui, quia principia in hoc opere observata principiis modernistarum prorsus opposita sunt.

1. Per totum hoc opus ferrea cum consequentia haec principia observantur: a) omnes Libri sacri a Trid. (Sess. IV) enumerati divinitus inspirati sunt (pag. 8). — b) Scriptores inspirati ea omnia eaque sola quae Deus iussit et recte mente conceperunt et fideliter conscribere voluerunt et apte infallibili veritate expresserunt (*Leo XIII,* Providentissimus 61; videas pag. 9). — c) Si igitur scriptores inspirati proprio nomine loquuntur, si suas inspiratorum sententias proferunt vel aliorum sententias approbant aut reprobant, asserta eorum non solum in ideis religiosis sed etiam in rebus profanis necessario vera sunt, quia scriptores inspirati infallibili veritate ea tantum expresserunt quae Deus iussit, Deus autem per sacros auctores elocutus *nihil admodum a veritate alienum* ponere potuit (*Leo XIII*, Provid. 61; videas pag. 9 sq). Hoc sensu declarato Sacrae Litterae *ab omni omnino errore sunt immunes* (*Leo XIII,* Provid. 61; videas pag. 10). Pius X die 4 Iulii 1907 decreto *Lamentabili* propositionem 11 „Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, *ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat*" ceu reprobatam ac proscriptam ab omnibus haberi mandavit (cf. pag. 503). — d) Utrum scriptores inspirati proprio nomine loquantur necne, utrum suas inspiratorum sententias proferant vel aliorum sententias approbent aut reprobent an sententias aliorum simpliciter referant ex usu loquendi et contextu eruendum est (cf. pag. 11 sq). — e) Opera acatholicorum cum cautione adhibenda sunt: semper inquirendum est utrum ob falsa sua supposita, praesertim ob Hegelianismum seu *systema evolutionis* (pag. 430) an propter certa principia hermeneutica (cf. Exegeticam 31 sqq) aliquid asserant; semper rationes ab

eis allatae singulatim examinandae sunt; semper attendendum est utrum assertiones suas probent necne, quia saepe asserunt quin asserta sua probent (cf. Commentarium meum in Genesim ubi multa exempla invenies). Demum semper memoria retinendum est „Deum *non privato doctorum iudicio* permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse... legitimum divinae Scripturae sensum *extra Ecclesiam neutiquam reperiri neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint*“ (*Leo XIII,* Litt. dd. 30 Oct. 1902 quibus commissionem biblicam instituit; cf. pag. 16 sq).

Engert (Weltschöpfung 5) verissime asseverat centrum quaestionis (der Kernpunkt der Frage) hoc esse: „*Potestne Deus errores in Biblia admittere?*“ Leo XIII (Provid. 61) respondet: „Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, *ab omni omnino errore esse immunes*“ (cf. pag. 9 sq) et hanc fidem Ecclesiae a Leone XIII inculcatam (cf. pag. 13 sq) Pius X motu proprio *Praestantia Scripturae Sacrae* dd. 18 Novembris 1907 confirmavit. „Auctoritate Nostra Apostolica, inquit, iteramus confirmamusque tum Decretum illud Congregationis Sacrae Supremae tum Litteras eas Nostras Encyclicas, addita *excommunicationis* poena adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus: si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur ut *quamlibet e propositionibus,* opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatis tueatur, censurâ ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicae Sedis* irrogatâ, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis“ (cf. pag. XXI).

Minocchi (La vita religiosa, Firenze 1908, 116 sq) scribit: „Per tal modo, un' edizione veramente accurata del testo officiale clementino non poteva che essere desideratissima dagli studiosi. Anzi, in questioni di così alta importanza come il genuino autentico testo della Bibbia nella Chiesa cattolica, il possedere un' edizione il più possibilmente accurata e precisa non può che fare gran piacere ad ogni sincero cattolico, ed eccitarlo a testimoniare la sua gratitudine per colui che con pazienza e coraggio e costanza veramente ammirabili si è accinto al gravissimo lavoro e l' ha condotto felicemente a termine. E questa lode è dovuta al chiarissimo ed erudito cappuccino P. Michele Hetzenauer. . . . Chi conosce i lavori biblici del P. Hetzenauer, pertinenti al dominio della critica storica, sa bene che *noi siamo agli antipodi con le opinioni del dotto cappuccino;* e agli antipodi, se il buon Padre non vorrà mutar d' avviso, noi sempre resteremo. Ma *la nostra reciproca diversità di vedute in fatto di critica storica della Bibbia,* eziandio su questioni molto gravi e importanti, non ci impedisce di rendergli un ben giusto e meritato tributo di omaggio, per l' immane e giovevole sforzo di lavoro compiuto in questa mole di volume col quale il celebre cappuccino ha coronato le fatiche rinnovate per anni. . . . Questo volume potrà anzi servire di esemplare fondamentale ai critici, per procedere ulteriormente dal testo clementino a quello più perfetto che l' età nostra può e, speriamo, saprà dare alla Chiesa cattolica.“ — His sententiis caput spirituale modernistarum Italorum criticam meam textualem valde laudat, e contrario criticam meam historicam manifeste reprobat quam, si sibi constaret,

agnoscere deberet. Nam componens editionem textus Sixtini ac Clementini ferrea cum consequentia principia observabam quae naturaliter tantum certa sunt, utpote a me ex accuratissima comparatione exemplarium originalium editionum officialium collecta; in laboribus autem meis criticam historicam spectantibus ferrea cum consequentia principia supernaturaliter certa observo, utpote quae in catholica inspirationis notione continentur, unanimi consensu Patrum et Doctorum Ecclesiae probantur necnon decretis Summorum Pontificum Leonis XIII atque Pii X confirmantur (cf. pag. XXI sq). Si Minocchi principia ecclesiastica ubique tam fideliter sequeretur quam in optima sua explicatione vaticinii Isaiae (7, 14; cf. pag. 586), omnino concordes essemus.

Quam confusas de inspiratione notiones nonnulli interpretes „moderni" habeant, quidam *Austriacus* in ephemeride modernistarum Germanorum „Das zwanzigste Jahrhundert" (München 1908, 58 sqq) assertionibus suis ostendit. Quemadmodum pag. 355 diximus, de morte Antiochi tres relationes exstant: in 1 Mach 6, 1—16; 2 Mach 1, 10ᵇ—17; 9, 1—29. Prima et tertia relatio iuxta textum originalem facile conciliari possunt (cf. pag. 355 sq); at secunda relatio duabus istis reapse contraria est (pag. 355). Quid ille Austriacus inde concludit? Secunda relatio, ait, inspirata est uti ceterae partes Scripturae, contradicit vero primae ac tertiae relationi: ergo una ex relationibus falsa esse debet, ideoque Scriptura inspirata in rebus historicis errores continet. Respondemus: Distingue, Austriace! Secunda relatio mortis Antiochi, uti prima et tertia relatio ac ceterae partes Scripturae certo inspirata est, quatenus omnes loci genuini Deo movente et illustrante conscriptae sunt. Utrum autem diversae partes inspiratae veritatem obiectivam tradant necne e contextu eruendum est. Si scriptor inspiratus suas sententias profert vel aliorum sententias approbat, obiective verae esse debent; si aliorum sententias reprobat, obiective falsae sint oportet (pag. 11 sq). Atqui scriptor inspiratus diserte notat (2 Mach 1, 10ᵇ) secundam relationem mortis Antiochi ab Iudaeis Ierosolymitanis ad Iudaeos in Aegypto habitantes transmissam esse, quin eam approbet; immo implicite eam reprobat, quatenus ipse proprio nomine loquens (2 Mach 9, 1—29) contrarium narrat. Ergo Scriptura inspirata reapse errorem quidem continet, sed errorem aliorum quem hagiographus non approbat. Tales errores in Sacra Scriptura inveniri etiam conservantes interpretes profitentur (cf. 11). Videas pag. 357 quoque.

Modernistarum principia omnino opposita sunt, nimirum: *α)* „Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem" (Propositio 9 decreto *Lamentabili* reprobata). Non omnes modernistae inspirationem supernaturalem Scripturae negant; nonnulli tamen eam revera repudiant. Videas Engert (Die Weltschöpfung, München 1907), Wahrmund (Katholische Weltanschauung und freie Wissenschaft, München 1908), „Das zwanzigste Jahrhundert" (München 1905/1908), et habes illustrationem propositionis damnatae. — *β)* Qui inspirationem supernaturalem adhuc admittunt, infallibilem veritatem Scripturae inspiratae ad ideas religiosas restringunt. Conferas sequentia. — *γ)* In rebus pro-

fanis omnes modernistae Scripturam inspiratam errores continere dictitant. Revolvas opuscula ab Engert, Holzhey, Koch, Lagrange, Lenormant, Loisy, Minocchi, Peters, Zapletal conscripta et pag. 502 citata. — *δ)* Ut sententias suas plausibiles reddant, asserunt scriptores inspiratos res quasdam docere noluisse, quamquam recentissimi interpretes protestantes recte opponunt hagiographos iuxta usum loquendi atque contextum istas res docere voluisse. Exponunt igitur Scripturam saepius contra notissima principia hermeneutica. Exempla famosa pag. 503 et 560 notavi. — *ε)* Opera acatholicorum non tantum adhibent sed etiam sine cautione exscribunt. Ex indice operum adhibitorum perspicies me celebriora opera exegetica acatholicorum omnia in manibus habere. *In istis operibus omnes sententias modernistarum inveni.* Cum hac inventione optime congruit id quod modernista, cuius nomen taceo, mihi dixit: „Interpretes catholici sententias protestantium simpliciter transumere et discipulis scholarum catholicarum tradere debent."

Ne quis putet me exaggerando ista scripsisse, cito testem in hac re fidelissimum, videlicet ephemeridem officialem Germanicae-evangelicae societatis (des Deutsch-evang. Bundes) *Die Wartburg* (München 1908, 88) ubi sequentia asseruntur: „*Modernismus est caro de carne et os de osse protestantismi.* De hoc non amplius multa verba necessaria sunt. Hoc iam cohaerentia personarum demonstratur. Nam duces modernismi ipsi dicunt se optimum suum a protestantibus investigatoribus temporis praesentis habere. Non aliter potuerunt: quod hi de origine Bibliae Vet. et Novi Test. investigatione et contentione per decennia invenerunt, hoc illis fortius evasit eosque virtute veritatis devicit.... Propterea etiam longe (weithin) iudicium protestantium investigatorum de historia Ecclesiae adoptare debuerunt. Et ante omnia *spiritus Kanti,* qui acerrimam contradictionem adversariorum excitat, *contra spiritum Thomae ab Aquino est.* Naturaliter modernistae has protestantium cognitiones iterum proprio modo retractarunt et aliquod adiumentum (Förderung) etiam reddiderunt. Sed in hoc videt odium hostium eorum recte: *spiritus Lutheri, spiritus Kanti, spiritus Schleiermacheri et Fichte* una cum spiritu multorum adhuc viventium evangelicorum theologorum *pugnat in castris modernistarum contra antiquam Ecclesiam,* contra quam isti viventes iam pugnaverant.... *Modernismus pertinet ad protestantismum.... Qui modernista est, nequit esse contra protestantismum.*" — Hinc

clarescit quare modernistae opera protestantium summis laudibus celebrent, sententias eorum in scholis catholicis tradere velint, immo confusionem catholicismi et protestantismi attentent: „Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem“ (Propositio 65 damnata decreto *Lamentabili*). Hinc etiam clarescit quare protestantes velint, ut modernistae in Ecclesia catholica remaneant. *L' Osservatore Romano* (22 settembre 1907) ex *Peuple Français* haec refert: „Io so, per parte mia, che uno dei loro principali capi, il disgraziato abate L..., è stato sovente incoraggiato e sostenuto dai protestanti e dagli ebrei. Il famoso protestante P. S. ha detto più volte di avergli procurato delle risorse, dicendogli: ‚Sopra tutto non uscite mai dalla Chiesa cattolica, giacchè rimanendo dentro, voi renderete assai maggiori servigî che non potreste farlo al di fuori‘ etc.“ Sed protestans ille oblitus est potestatis Ecclesiae catholicae qua Alfred Loisy per decretum Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis die 7 Martii 1908 *nominatim* ac *personaliter* excommunicatus atque *vitandus* declaratus est.

In scriptis modernistarum saepe phrases *critica, critici, critici illustres* recurrunt. Si ultimum fontem quaesieris, opera protestantium invenies. — Engert et Minocchi candide fatentur se opera acatholicorum sequi eaque in scriptis suis citant; alii non tam sincere loquuntur, sed ipsi quoque ab operibus acatholicorum dependent, uti comparatio operum manifestat. — Minocchi in praefatione ad suum commentarium in Genesim (Firenze 1908) narrat quare et quomodo *a divinis suspensus* sit. Inter alia pag. IV refert: „nella discussione medesima io non facevo in sostanza che riprendere e svolgere le idee sostenute nella *Revue biblique internationale,* organo della *Pontificia Commissione Biblica,* ben undici anni fa nel 1897, dal Padre Lagrange, domenicano, insigne iniziatore e maestro di cattolica verità sinceramente armonizzata con la scienza moderna. Se un dotto, pensavo, come l' istitutore della *Scuola Biblica* domenicana di Santo Stefano a Gerusalemme, anc' oggi fiorente, approvata da SS. Pio X, e giustamente celebre e ammirata in tutto il mondo cattolico, aveva dimostrato il simbolismo ideale dei tre primi capitoli della Genesi in perfetta armonia coi principî della fede cattolica, ben mi potevo dunque permettere io di seguirne liberamente le orme“. Quod de approbatione scholae biblicae Patris Lagrange *„capitis spiritualis scholae modernae“* (Theologisch-praktische Quartalschrift, Linz 1908, 25) dicit, cum grano salis accipiendum est. Ex Syllabo, Encyclica, Motu proprio Pii X elucet Summum Pontificem spiritum „modernum“ istius scholae non approbasse. Ultima vero responsa Commissionis biblicae necnon provisiones hierarchiae quemlibet docere possunt quid magisterium ecclesiasticum de quibusdam sententiis in *Revue biblique internationale* propugnatis sentiat. Ceterum hae sententiae quoque ex operibus acatholicorum haustae et pro auribus catholicis aliquatenus mutatae sunt ita tamen ut cum catholica inspirationis notione conciliari nequeant. Conferas quae pag. 502 sqq scripta sunt.

Auctores excommunicati libelli contumeliosi: „Il programma dei modernisti. Risposta all' Enciclica di Pio X *Pascendi dominici gregis*“ (Roma 1908) (pag. 15 sqq 25) negant modernistas a philosophia moderna dependere quae negatio cum veritate non convenit. Nam modernistae interpretes sententias suas ex operibus acatholicorum recentioris „scholae criticae“ hauriunt (cf. supra); haec autem in *Hegelianismo seu systemate evolutionis fundatur* quod insignis patronus eiusdem scholae, scil. Smend (Lehrbuch 3 sqq), cum aliis profitetur (cf. pag. 16 430): ergo mediate etiam modernistae interpretes in systemate philosophico evolutionis fundantur.

2. Modernistae scientiam suam tantopere aestimant, ut non solum persuasi sint „iuvenes“ mortuis „antiquis“ triumphaturos esse verum etiam iam nunc ipsum Summum Pontificem „ut puerum“ doceant. „Ma purtroppo i vecchi muoiono, scribit Genocchi (Studi religiosi 1907, 775), e i giovani sopravvivono, e di qui a pochi anni non si capirà neppure perchè noi ci affannassimo tanto a provare l' innocenza religiosa del triplice Isaia.“ Ephemeris modernistarum Germaniae „Das zwanzigste Jahrhundert“ (München 1908, 85 87) cum scripto modernistarum Galliae „Lendemains d' Enzyclique“ (Paris 1908) asseverat modernistas Italos „sicut magistrum puero (wie der Lehrer einem Kinde)“ ita „pauperi Papae“ locutos esse. Qui libellos insolentissimos „A Pio X Quello che vogliamo“ (Milano 1907) et „Il programma dei modernisti“ (Roma 1908) perlegerit, hoc assertum verissimum inveniet. Quam insolenter etiam professores theologiae Germani Ehrhard et Schnitzer in ephemeride „Internationale Wochenschrift“ (München 1908) contra Summum Pontificem scripserint omnibus notum est.

Hae insolentiae quibus modernistae Angli, Galli, Germani, Itali augustam personam Summi Pontificis tractarunt, sunt *macula atque ignominia indelebilis modernismi.* Si filius patrem suum carnalem ita tractat, ab omnibus gentibus, etiam feris et incultis, degeneratus habetur. Quid autem sentiendum est, si viri qui in Ecclesia Romana remanere volunt, visibile caput Ecclesiae, vicarium capitis invisibilis, talibus insolentiis appetunt? *A fructibus eorum cognoscetis eos* (Mt 7, 16).

Verumtamen, quam maxime necessaria esset interpretibus modernistis modestia et moderatio. Nam primo sententias suas ex operibus acatholicorum desumunt easque in scriptis suis tradunt (cf. pag. XXIV) quod alioquin non signum scientiae sed ignorantiae est. Puer gymnasii aliorum opera exscribens a magistro nota *insufficienter* insignitur; modernistae interpretes autem alios exscribentes super Congregationes Romanas atque Supremum Magistrum se extollunt! — Deinde modernistae plerumque iuvenes sunt qui sine necessaria praeparatione scientifica res maximi momenti diiudicant. „Quod medicorum

est, promittunt medici; tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est quam sibi passim omnes vindicant, ait S. Hieronymus (Ad Paulin. 53, 4). Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant." Videas iudicium Emi Card. Capecelatro infra positum. — Denique modernistae interpretes generatim asserta sua non demonstrant sed ex operibus acatholicorum hypotheses sine examine argumentorum simpliciter transcribunt. Modernista quidam scriptor, quem optime cognosco, professus est: „Ad examinanda argumenta protestantium tempus mihi deest, ego sententias eorum sine examine argumentorum transcribo." Idem in scriptis ceterorum modernistarum observavi. Atqui vera scientia non in asserendo sed praecipue in demonstrando consistit. Secundum praecepta logica assertum proprium argumentis et rationibus confirmare, argumenta et rationes pro asserto contrario allatas confutare debemus, gratis asserta gratis negare possumus (cf. opera philosophica a Gutberlet, Hagemann, Stöckl edita). Ergo scientia qua modernistae gloriantur et super Summum Pontificem se extollunt, non vera scientia est. „Levitas laboris, legimus in *Zeitschrift für das Gymnasial-Wesen* (Berlin 1907, 304), audax prolatio assertionum pro quibus nullum argumentum adducitur, vitiosa commemoratio sententiae loci cuiusdam . . . peccata contra logicam, scilicet supponere demonstratum quod esset demonstrandum atque ex eo conclusiones deducere . . . *hae sunt proprietates essentiales . . . methodi scientificae.*" Haec sunt „longa et profunda" studia eorum.

Quomodo Minocchi Patrem Lagrange celebret pag. xxv notavimus; de Minocchi autem scribit Genocchi (Studi religiosi 1907, 775 sq): „Ecco un libro che fa onore alla scienza italiana e, bisogna pur dirlo, alla Chiesa Cattolica, sempre accusata d' intransigenza superstiziosa in materie bibliche e teologiche. Quanto più lo leggo, tanto più mi par bello e dotto. . . . Il Minocchi colle sue edizioni di vari libri della S. Scrittura . . . contribuisce ammirevolmente alla letteratura ed alla scienza della nostra Italia, poco feconda in buoni lavori biblici. Gli studenti, i professori, le persone colte d' ogni fede e partito plaudono all' opera del Minocchi e se ne giovano con immancabile vantaggio della verità e della Religione." — Sed tam Lagrange quam Minocchi ab operibus acatholicorum dependent quod Minocchi sincere fatetur citans opera protestantium quorum sententias transcribit. Ceterum magisterium ecclesiasticum de sententiis virorum Lagrange et Minocchi aliter iudicat (cf. pag. xxv) atque Genocchi.

Quam insolenter et impudenter modernistae de Congregationibus Romanis atque de ipso Vicario Christi loquantur, quilibet ex his scriptis discere potest: Quello che vogliamo (Milano 1907), Il programma dei modernisti (Roma 1908), Das zwanzigste Jahrhundert (München 1908), Internationale Wochenschrift (München 1908), Lendemains d'Enzyclique

(Paris 1908) necnon e recentissimis scriptis notorum Loisy et Tyrrell etc. — Genocchi (Studi religiosi 1907, 776) scribit: „Lo Svampa diceva che non era da impedirsi un così gran bene, ancorchè si prevedesse il pericolo di qualche decisione romana contro le opinioni critiche del l'Autore (i. e. Minocchi). Tali decisioni, quando non sono dogmatiche, possono essere disciplinarmente utilissime, e i cattolici devono sempre averne rispetto, ma esse non hanno per iscopo di cambiar le idee a chi se l'è già formate con lungo e coscienzioso studio, nè d'incutere spavento a chicchessia, specialmente poi se si tratta di una semplice previsione, forse vana, benchè fondata sulla realtà di tendenze che ora prevalgano. — Un buon cattolico sa come deve condursi nel caso che la Chiesa dovesse disapprovargli qualche sfortunato tentativo di portar la luce della critica moderna in vecchie questioni." Hae sententiae Patris Genocchi magis liberalis quam Minocchi (pag. 586 sq) cum Syllabo, Encyclica, Motu proprio Pii X et cum ratione agendi sacerdotum excommunicatorum vel suspensorum manifeste pugnant.

Audiamus quid Ems Card. Capecelatro, bibliothecarius S. R. E. (La coltura del Clero nel nostro secolo, Roma 1907, 30 sqq), de hac causa testetur. „Ma agli studi di religione, non tutti furono mossi da religione. Il desiderio di saper molto e d'indagar tutto, la febbre di trovare il nuovo in ogni cosa e d'innamorarsene e quella di voler col proprio intelletto penetrare misteri inaccessibili, ebbero una gran parte nell'eccitare gli animi a tali studi. Parecchi li fecero arruffatamente, altri con fretta grandissima ed altri senza preparazione intellettuale. — Come accade spesso nel nostro tempo, non si studiò tanto per sapere, quanto per scrivere e pubblicare. Libri, riviste e giornali d'ogni sorta parlarono con gran leggerezza e spesso con molta grazia e leggiadria di stile, di storia, di teologia e di Bibbia. L'orgoglio e l'audacia dei nostri tempi dominarono quasi sempre gli animi di tali scrittori, e produssero quella corrente nuova di dottrine spesso nebulose, spesso indeterminate e sempre pericolosissime, infine diventate ereticali, le quali furono dette *modernismo*.... Quello che dicesi pensiero moderno, e che è il pensiero dei non credenti o dei malamente credenti, consiste, io credo, principalmente in una incommensurabile contrarietà al soprannaturale e al miracolo. Signoreggiati da questo pensiero moderno, alcuni negano assolutamente l'esistenza del soprannaturale e sin quella dell'Iddio vero, personale e distinto dalle creature. Altri guardano il soprannaturale con grande avversione, altri con moltissima antipatia, altri con indifferenza e freddezza glaciale.... Questo orgoglio, alla presenza del soprannaturale e del miracolo, cerca attenuazioni, spiegazioni e ragioni apparenti or di critica, or di storia, or di scienza, per rinchiudere l'uno e l'altro nei cancelli del naturale. Mentre anche nella natura fisica i misteri sono moltissimi, ogni mistero di religione, a coloro che sono dominati da questo orgoglio, sembra insopportabile." — Protestantes interpretes Hegelianismo seu systemati evolutionis naturalis addicti consequenter ordinem supernaturalem, inspirationem, vaticinia et miracula reiciunt (cf. pag. 8 16). Modernistae autem interpretes ab Hegelianis dependent (cf. pag. XXVI). Hinc ipsi quoque ordinem supernaturalem, inspirationem sensu catholico acceptam, vera miracula horrent (cf. pag. 358).

Genocchi (Studi religiosi 1907, 775) de Minocchi haec pronuntiat: „L'introduzione in 40 pagine ben nutrite intende preparare il lettore cattolico alla nuova tesi della diversità degli autori e dei secoli cui si

attribuiscono le diverse parti del libro d' Isaia. Ho detto *nuova tesi*, ma da qualche diecina di anni nelle sue parti principali non fu più contrastato che da rarissimi Esegeti, tra i quali l' illustre Knabenbauer S. J. già ha ceduto le armi poco fortunate, come si va dicendo. Il Minocchi abilmente, ma con preoccupazione eccessiva, cerca di persuadere che i resultati della critica moderna non si oppongono agl' insegnamenti della Chiesa. È una predica che non ha bisogno di tanti argomenti per chi si pone a questi studi senza idee preconcette: per gli altri, avvezzi fin dal banco della scuola a considerare come di fede certi postulati che nessuno mai discuteva, non c' è predica che valga a privarli del loro pacifico e venerato possesso." — Iam pag. 586 sq vidimus assertiones Patris Genocchi non semper cum obiectivitate convenire, quod hic quoque accidit. Asserit rarissimos tantum exegetas unitatem libri Isaiae propugnare. Hoc falsum est. Nam catholici: Cornely, Danko, Himpel, Holzammer, Kaulen, Schöpfer, Seisenberger, Selbst, Zschokke, necnon acatholici: Drechsler, Hävernick, Hengstenberg, Keil, Kleinert, Küper, Nägelsbach, Stier, Weber-Deinzer eam propugnant (cf. pag. 273). Recentiores acatholici atque modernistae catholici illorum opera exscribentes (cf. pag. XXIV) idque sine examine argumentorum (cf. pag. XXVII 273 sqq) utique Proto- et Deutero- et Trito-Isaiam distinguunt (cf. pag. 273). Quid autem de scientia eorum sentiendum sit iam pag. XXVI sq diximus.

3. Leo XIII (Provid. 43) monet: „At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint . . . meminerit tamen . . . *incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt sed corticem rodunt.*" Idem Pontifex voluit ut interpretes catholici heterodoxos praeter modum admirantes „magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam" (Litt. Apostol. de commissione biblica).

Quae sit voluntas Sanctissimi Domini Nostri Pii X in sequentibus litteris ad collegium professorum universitatis Pontificii Seminarii Romani datis (cf. L' Osservatore Romano, 15 gennaio 1908) clare expressum est quibus hunc de modernismo tractatum finimus.

„Ill.mo e R.mo Monsignore,

Nobile ed eloquente conferma del filiale attaccamento all' Augusto Pontefice e dei sensi di integra fede, onde il Collegio dei Professori del Pontificio Seminario Romano ha portato sempre e su tutti l' onorata palma, è reputato da Sua Santità l' un-

anime omaggio portole dal Collegio stesso dopo la pubblicazione della immortale Enciclica condannante gli errori del Modernismo. Mentre nei brevi mesi di vita di quell' atto memorando la Santità Sua ha quotidianamente rilevato che la lontananza dei luoghi non ha impedito ad alcuno di prestare ossequio e docile consentimento alla parola del Papa, Essa ha potuto altresì constatare *che cotesto illustre Ateneo primo per immediata vicinanza al Pontefice, è anche il primo per altezza di devoto affetto.* Mentre perciò a V. S. Ill.ma ed ai menzionati membri del Collegio docente il Sommo Pontefice offre pubblica lode per avere esemplarmente attestato ai Seminarii d' Italia e del mondo come si ascoltino gli insegnamenti del Vicario di Cristo, Egli manifesta la sua ferma fiducia che un altro luminoso esempio non cessi di venire sugli Istituti cattolici dalle Scuole del Suo Seminario Romano, quello cioè che a tutti addimostri con quale fedeltà si eseguiscano le direzioni del Supremo Maestro e Pastore e con quanta forza si resista, come conviene a romani, ad ogni assalto minacciante la cattolica fede. Perchè questi propositi si rinsaldino e questi antichi meriti oggi, più che mai, si rinnovino, il Santo Padre imparte di gran cuore a V. S., ai singoli Professori ed a tutto l' Istituto di S. Apollinare l' Apostolica Benedizione; ed io, nel renderla di ciò intesa, colgo con piacere l' opportunità di raffermarmi con sensi di particolare stima

Di V. S. Ill.ma

Roma, 10 gennaio 1908.

Aff.mo per servirla

R. Card. Merry del Val."

Haec interim de modernismo biblico sufficiant. Plura de machinationibus modernistarum quibus spiritum Lutheri, Kanti, Schleiermacheri, Fichte, Hegeli (cf. pag. XXIV) in seminaria et scholas catholicas clanculum introducere volebant, in alio opusculo meo patefaciam. Inscribitur *Pericopae Evangelicae a Dominica I Adventus usque ad Epiphaniam Domini,* hoc anno in lucem prodibit et praelectiones continet quas anno scholastico 1904/1905 in facultate theologica Pontificii Seminarii Romani habui, quibusque modernistae ad fines suos consequendos frustra abusi sunt, novam methodum scientificam (cf. pag. XXVII) adhibentes. Demonstrabo ibi quae hic assero.

4. Qui aurea via media ire, „numquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere", simul tamen „quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertere"

(*Pius X*, Quoniam in re biblica n. xiii) voluerit: non solum a sinistris verum etiam a dextris adversarios inveniet. Sunt quidam viri hyperconservantes qui aegre ferunt, si quis interpretationes quasdam hucusque a multis retentas relinquat, licet falsitatem earum necessarie demonstrare possit. His viris hyperconservativis oppono sapientissima *Pii Papae X* verba in litteris die 11 Ianuarii 1906 ad Episcopum Le Camus datis: „In quella guisa, infatti, che si deve condennare la temerità di coloro che, preoccupandosi molto più di seguire il gusto della novità che l'insegnamento della Chiesa, non esitano a ricorrere a dei processi critici di una eccessiva libertà, conviene parimenti *disapprovare* l'attitudine di coloro che non osano, in alcun modo, *romperla coll'esegesi scritturale vigente fino a ieri, anche quando,* salva l'integrità della fede, *il saggio progresso degli studi* li invita coraggiosamente a farlo.“ Non est necessarium neque conveniens, ut doctores privati magis conservantes sint quam supremus Ecclesiae doctor.

PROLOGUS.

In prologo definitionem et divisionem huius disciplinae proponemus; obiectum et fontes, finem et utilitatem, relationem eius ad alias disciplinas theologicas indicabimus; lemmata varia interpretum catholicorum inquiremus et historiam brevem adiciemus.

§ 1. Definitio.

Theologia biblica Veteris Testamenti catholica est scientia historiae et religionis, quae in libris sacris et canonicis ante Christum conscriptis continentur, innixa certis doctrinis Ecclesiae catholicae.

Theologia supernaturalis generatim est scientia eorum, quae et quatenus in revelatione supernaturali continentur (*Hurter,* Compendium I 1. *Egger,* Dogm. gen. 4. *Stummer,* Manuale 1 sq). Supernaturalis autem revelatio in libris scriptis et sine scripto traditionibus invenitur (Vatic. sess. III, cap. 2); theologia biblica ea tantum tractat, quae in libris canonicis recondita sunt, et quidem in libris ante Christum conscriptis, quatenus theologia biblica Veteris Testamenti (cf. introductionem biblicam) audit. Porro res praecipuae, quas libri canonici memoriae produnt, sunt historia et religio generis humani et populi electi, quare theologia biblica recte scientia historiae et religionis biblicae definitur. Quae ut catholica sit, certis doctrinis Ecclesiae catholicae inniti debet. Supponimus interim ex theologia fundamentali (cf. Exegeticam 83, n. 2) Ecclesiam catholicam infallibilem esse, quod in theologia biblica Novi Testamenti demonstrabitur. Propter hanc infallibilitatem omnes doctrinae ab Ecclesia ut certae propositae (cf. ib. 68; Bibelkritik 32) reapse certae sunt. Ergo theologia biblica ita tractari debet, ut investigationes singulae et summa earum certis doctrinis Ecclesiae catholicae non adversentur; alioquin falsae sunt, „quoniam verum vero adversari haudquaquam potest" (*Leo XIII,* Providentissimus 65). Conferas quae § 6 dicentur. — Theologia biblica appellatur scientia: non quidem scientia sensu strictissimo vel strictiore, quae omnes et singulas veritates ex ratione vel experientia haurit et demonstrat, ita ut evidentia interna vel externa pariatur; sed scientia sensu latiore, quae omnes et singulas veritates ex auctoritate haurit, distincte definit, clare distinguit et disponit, ex ratione et experientia illustrat necnon auctoritate demonstrat, ita ut evidens credibilitas quoad omnes, evidentia autem externa vel interna quoad plures veritates pariatur (Exegetica 72 sqq. *Hurter* l. c. I 5. Vatic. sess. III, cap. 4).

§ 2. Divisio.

Theologia biblica Vet. Test. catholica ratione obiecti et principii dividi potest: a) Ratione obiecti scientia historiae et scientia religionis Vet. Test. (cf. *Kihn,* Encyklopädie 258; *Krieg,* Encyklopädie 133) distinguitur. b) Ratione autem principii in conservantem et liberalem dispertitur. Conservans theologia biblica Vet. Test. traditionalem intellegentiam historiae et religionis Vet. Test. magis minusve retinet seu conservat; liberalis e contrario ab ea magis minusve recedit, se liberat. Dicimus „magis minusve", quia tam inter conservantes quam inter liberales catholicos rigidi et moderati theologiam biblicam tractant. Conservantes rigidi traditionalem intellegentiam retinent, etiamsi rationes gravissimae suadeant, ut eam relinquamus; moderati autem tali condicione proposita ab intellegentia traditionali recedunt. Liberales moderati vero non tantum hac condicione, sed etiam tum recedunt, cum intellegentiae traditionali difficultates quaedam obstant, retinent tamen et observant certas doctrinas Ecclesiae catholicae; contra rigidi etiam a dogmatibus Ecclesiae eorumque intellegentia ecclesiastica recedunt.

Ista asserta exemplis illustramus ac probamus. Conservantes rigidi nunc quoque universalitatem diluvii geographicam defendunt, quamvis rationes gravissimae (Comment. 168—172) suadeant, ut hanc sententiam relinquamus, quod moderati reapse fecerunt (ib. 172). Liberales autem moderati etiam anthropologicam diluvii universalitatem negant ob difficultates quasdam ex diversitate linguarum et familiarum generis humani provenientes, quae tamen teste *Schanz,* Apologie I 778 non cogunt nos, ut universalitatem anthropologicam negemus, quae argumentis multis probabilissima redditur (Comment. 172—177). Liberalis denique rigidus Lud. Wahrmund, professor iuris canonici in catholica universitate Oenipontana, dogmata Ecclesiae catholicae (in libello suo „Die Eherechtsreform in Österreich", Innsbruck 1907, Wagner, 4 sqq), immo ipsam revelationem supernaturalem (cf. Neue Tiroler Stimmen 1903 No 50) omnino reicit. Alia exempla huius generis in „Epitome exegeticae" 77—86 invenies.

Trademus conservantem-moderatam theologiam biblicam Vet. Test., ideoque traditionalem intellegentiam generatim retinebimus iuxta monitum Summi Pontificis Pii X in brevi „Quoniam in re biblica", n. XIII: „Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit numquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negleget." Si vero rationes gravissimae urgeant, a traditionali intellegentia

recedemus, nam „non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio“, docet Leo XIII in encyclicis „Providentissimus“ 67, ad quas Pius X provocat. Semper tamen dogmata Ecclesiae eorumque sensum ecclesiasticum retinebimus, quia „sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu, altioris intellegentiae specie et nomine, recedendum.... Si quis dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intellegit Ecclesia; anathema sit“ (Vatic. sess. III, cap. 4, can. 3).

Inter catholicos conservantes et liberales belligeratur, et Peters (Die grundsätzliche Stellung 82) recte desiderat, ut hoc bellum fraterna cum caritate geratur, res seu causa dumtaxat attendatur, personae ludibriis et calumniis non impetantur, adversarii humane tractentur. Attamen idem ipse p. 80 sqq monitiones conservantium „crocitum nigri pessimismi“ appellat; de zelo non illuminato „intra muros sanctae civitatis“, de custodibus non delegatis, de viris omnem libertatem et progressum et scientiam impedientibus ac suffocantibus loquitur. Cum Germano consonat Italus Marrocco scribens (Giornale d'Italia, 28. Dec. 1906) de conservantibus: „Questi ciechi e rabbiosi combattenti, adagiati sul sistema della comoda immobilità, che dalla S. Scrittura non sanno imparare altro se non l'odio antico condannato da G. Cristo.“ Haec verba non solum inhumana, sed etiam falsa sunt. Si liberales veritatem et caritatem postulant pro se; conservantibus, qui non simpliciter protestantium opiniones adoptant (§ 6, n. 5), sed communem et constantem doctrinam ac traditionem Ecclesiae catholicae venerantur, saltem urbanitatem exhibeant. Quid Leo XIII, quem Peters et Marrocco appellant, reapse doceat, § 6 videbimus; quid Pius X praecipiat, supra scriptum est.

§ 3. De obiecto et fontibus.

1. Obiectum theologiae biblicae Vet. Test. sunt historia et religio seu facta et veritates (theoreticae vel practicae), quae in libris sacris Vet. Test. continentur. Notae geographicae et chronologicae necnon notitiae archaeologicae hodie in propriis disciplinis ac libris ex professo traduntur et in theologia biblica eatenus tantum tractantur, quatenus ad intellegentiam historiae vel religionis necessarium apparet.

Hoc obiectum modo vario tradi potest. Oehler e. g. historiam et religionem coniunctim tractat, mox facta mox veritates religiosas proponens; contra Stade aliique historiam et religionem non solum separatim, verum etiam in libris propriis tradunt; Dillmann denique historiam et

religionem separatim quidem, sed in eodem libro enarrat. Quae methodus magis practica videtur. Propterea nos quoque in parte priore historiam et in parte altera religionem Vet. Test. agitabimus.

2. Fontes disciplinae primarii sunt libri sacri et canonici Vet. Test.; secundarii autem documenta litterarum reliqua Palaestinae, Assyriae et Babyloniae, Aegypti. Sacrorum librorum authentia et axiopistia breviter ex introductione biblica monstranda, reliquorum documentorum intellectus rectus ex illis libris specialibus, quos § 7 enumerabimus, sollicite quaerendus est.

Serio in hac causa procedendum est. Etenim aliter historiam et religionem Vet. Test. exponet, qui cum Oehler tenet Moysen Pentateuchum composuisse; aliter qui cum Smend aliisque hoc negat. Diligentissime documenta Assyriorum, Babyloniorum, Aegyptiorum conquirenda et inspicienda sunt. Dicimus conquirenda. Ex documentis iam diu notis catholici et acatholici inferebant Israelitas saeculo XIII a. Chr., regnante Merenptah I filii Ramsis II, ex Aegypto egressos fuisse; ex inscriptionibus autem recenter inventis patet eos iam saeculo XV a. Chr., regnante Amenophi II filii Thutmosis III, istam terram reliquisse (videas § 21). Dicimus inspicienda. Nonnullae quidem inscriptiones optimae conservatae sunt, uti e. g. carmen, quo lux celebratur (Fig. 1); aliae autem male conservatae sunt, uti e. g. tres illae tabulae, in quibus nomen *Iahve* occurrit, quarum litterae concedente Frd. Delitzsch (Babel und Bibel I 46) difficile legi possunt: ergo circumspectione opus



Fig. 1. Tabula fictilis mensurae naturalis ex bibliotheca Assurbanipalis, in qua lux celebratur. (Iuxta Smith.) Londini, Mus. Brit.

est. Accuratiore adhuc consideratione imagines variae explicandae sunt. Plurimi viri docti imagine celebris illius cylindri sigillarii (Fig. 2) tentationem protoparentum repraesentari iudicarunt; nunc tamen plerique periti in arte (Comment. 94) consentiunt imagine duos deos ad arborem vitae sedentes repraesentari, quam serpens aut custodire aut eripere velit.



Fig. 2. Duo dii ad arborem sedentes. Londini, Mus. Brit.

§ 4. De fine et utilitate.

1. Finis theologiae biblicae Vet. Test. est recta intellegentia totius historiae ac religionis earumque profectus ex sacris litteris Vet. Test. et fontibus ceteris hausta.

2. Utilitas huius disciplinae elucet ex fine mox indicato. Promovet enim rectam historiae ac religionis Vet. Test. intellegentiam. Protestantes asserunt unam Ecclesiam in varias ecclesias et sectas sibi contradicentes divisam esse, in quibus mutationes etiam essentiales factae sint; istas ecclesias ratione diversa historiam et religionem Vet. Test. intellegere atque interpretari (*Dillmann*, Handbuch 2 sq) ideoque inter theologiam biblicam et theologiam ecclesiasticam distinguendum esse (*Smend*, Lehrbuch 1); asserunt ab Ecclesia catholica religionem non talem accipi ac doceri, qualem sacri libri contineant (*Dillmann*, Handbuch 4). Quae cum ita sint, utile est scire, qualem historiam et religionem qualemque profectum earum sacri libri nobis exhibeant. Promovet praeterea universalem historiae et religionis intellegentiam. „Cum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas“ (*Pius X*, Quoniam n. IV): utilitas huius disciplinae, universalem et synopticam factorum et veritatum Vet. Test. intellegentiam afferentis, manifesta est.

Catholici debent quidem credere, „ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum“ (Vatic. sess. III, cap. 2); possunt autem Scripturam scientifico quoque modo tractare et monstrare sensum Ecclesiae catholicae scientificis principiis hermeneuticis probari, adversariorum vero opiniones reprobari (Exegetica 26). Quapropter theologia biblica a Pio X etiam catholicis commendatur. „In Seminariis, inquit (l. c. n. XI), quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari

quaestiones, ac biblicae vel archaeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit." Et antea (n. V): „Atque is (praeceptor) ad Testamentum Vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit." — Protestantes, inter theologiam ecclesiasticam et theologiam biblicam distinguentes, desiderant, ut coetus eorum systema antiquum non tenaciter retineat, sed ad progressum scientiae biblicae conformet itaque ad unionem Christianorum inter se dissentientium aliquid conferat (cf. *Dillmann,* Handbuch 5). Hoc ab Ecclesia catholica exspectari nequit, quia Ecclesia ipsa se negaret, immo destrueret, si vel unicum dogma revocaret vel sensum eius mutaret. „Opportunum enim esse contendunt ad voluntates discordium alliciendas, scripsit Leo XIII die 22 Ianuarii 1899 ad Cardinalem Gibbons, si quaedam doctrinae capita, quasi levioris momenti, praetermittantur aut molliantur ita, ut non eundem retineant sensum, quem constanter tenuit Ecclesia. . . . Ad rem Vaticana Synodus (Sess. III, cap. 4): Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda."

§ 5. De relatione ad alias disciplinas.

Theologia biblica ad exegesim pertinet, immo cumulus eius est (*Dillmann,* Handbuch 5). Reliquae species interpretationis, i. e. versio, annotationes, homilia, glossae, catenae, scholia seu commentarii, dissertationes (Exegetica 132—144) magis vel minus diffuse singulos versus sacrorum librorum iuxta ordinem textus Bibliorum pertractant sive facta, notas chronologicas vel geographicas vel archaeologicas sive veritates theoreticas vel practicas contineant; theologia biblica autem ex libris rite explicatis sucum et sanguinem extrahit eumque ita proponit, ut progressus historiae ac religionis appareat. Res introductorias, chronologicas, geographicas, archaeologicas necnon singulos textus sacros eatenus dumtaxat respicit, quatenus ad rectam historiae et religionis intellegentiam necessarium est.

Pars prior seu historica est fundamentum historiae ecclesiasticae, pars altera seu didactica autem radix theologiae systematicae, cum qua tamen non confundi debet. Theologia enim systematica doctrinas ecclesiasticas proponit et declarat, argumentis ex Scriptura et Traditione et ratione desumptis probat, contra adversarios defendit, consectaria deducit (cf. *Hurter,* Compendium I 2 sqq); theologiae vero biblicae pars altera eas tantum doctrinas exponit, quae in Bibliis consignatae sunt. In theologia biblica primo loco non quaeritur, quid Ecclesia et Traditio,

sed quid Sacrae Litterae doceant; secundo loco utique ad sensum Ecclesiae et consensum Patrum respiciendum est, quia viro catholico non licet „contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari“ (Vatic. sess. III, c. 2. Exegetica 55—69).

§ 6. De lemmatibus seu sumptionibus.

In tractationem theologiae biblicae quam maxime incurrunt illa lemmata, illae sententiae ex aliis disciplinis (ex philosophia et theologia fundamentali) assumptae, iuxta quas interpretes singula facta singulasque veritates biblicas diiudicant. Quae lemmata possibilitatem revelationis supernaturalis, miraculorum et prophetiarum, inspirationem Sacrae Scripturae, magisterium Ecclesiae et usum operum protestantium respiciunt et in hoc loco breviter exponenda sunt.

1. Revelatio supernaturalis, i. e. „manifestatio veritatum a Deo facta non per naturalem evolutionem intellegentiae humanae, sed directe per formalem locutionem ipsius Dei“ sive immediatam sive mediatam ministerio angeli vel hominis adhibito (*Stummer,* Manuale 54; Bibelkritik 12 sqq) possibilis est, et quidem revelatio mysteriorum quoque, quae „suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino“ (Vatic. sess. III, cap. 4). Haec veritas in theologia fundamentali demonstratur. Videas *Hurter,* Compendium I 12 sqq; *Egger,* Dogm. gen. 58 sqq; *Stummer,* Manuale 57 sqq.

Vatic. docet: „Si quis dixerit fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam (supernaturalem) homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit“ (Sess. III, cap. 2, can. 2). „Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intellegi et demonstrari; anathema sit“ (Sess. III, cap. 4, can. 1). — Recentiores theologi protestantes, quorum plerique scholae rationalisticae magis minusve addicti sunt (Exegetica 155) revelationem vere supernaturalem omnino negant (*Leo XIII,* Provid. 27); etiam catholicus sed liberalis professor Wahrmund revelationem supernaturalem repudiat (Exegetica 155 sq). — Aliter virum, qui possibilitatem revelationis vere supernaturalis credit, aliterque virum, qui naturalem dumtaxat evolutionem intellegentiae humanae concedit, theologiam biblicam tractaturum esse apparet.

2. Miracula et prophetiae quoque possibiles sunt. Miraculum est „opus insolitum, sensibile ac praeter ordinem naturae saltem visibilis et corporeae productum atque iis affectum notis,

ut Deo vel bono angelo ceu auctori ascribendum sit" (*Ottiger,* Theol. fund. 170—194). Prophetia autem est „rei futurae, quae ex naturalibus causis ab homine praevideri non potuit, certa, definita atque eventu clare comprobata praedictio, iis affecta notis, ut nonnisi a Deo vel angelo immediate vel mediate edita censeri possit" (ib. 243). Tam miracula quam prophetias possibiles esse in theologia fundamentali demonstratur. Conferas ib. 195 sqq 245 sqq; *Wilmers,* De relig. rev. 130 sqq.

Vatic. docet: „Voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intellegentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt." ... „Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit" (Sess. III, cap. 3, can. 3). „Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit" (Sess. III, cap. 3, can. 4). — Protestantes recentiores, utpote rationalistae, miracula et prophetias proprie dictas reiciunt. „Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam Sacram omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam.... Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum librorum veritatem putant convelli, tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam scientiae liberae obtrudunt" (*Leo XIII,* Provid. 27 29). Etiam liberales catholici miracula horrere videntur et propterea narrationes biblicas naturaliter declarant (vide § 22 sqq) — Quantum diversa haec lemmata in tractationem theologiae biblicae incurrant, manifestum est. Iuxta principium in commentario libri Genesis (p. 40 et 168) propositum, videlicet: „miracula non supponenda sunt, nisi necessitas cogat", ibi ea agnoscemus, ubi sacer textus secundum principia hermeneutica aliter explicari nequit.

3. Inspiratio librorum a Trid. (Sess. IV) enumeratorum certa est atque iuxta sensum Ecclesiae catholicae intellegi debet. „Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit", docet Vatic. (Sess. III, cap. 2, can. 4). Quomodo autem Ecclesia inspirationem intellegat, idem Vatic. atque Leo XIII

declararunt. „Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, inquit Vatic. (Sess. III, cap. 2), non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt." Leo XIII (Provid. 61) exponit, quid Deus praestare debuerit, ut in veritate auctor illorum librorum appellari possit. „Supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae." Quae omnia in theologia fundamentali demonstrantur. (Videas *Hurter,* Compendium I 175 sqq; *Egger,* Dogm. gen. 279 sqq; *Stummer,* Manuale 217 sqq; *Pesch,* De inspiratione 379 sqq.)

Protestantes rationalismo addicti inspirationem aut negant (cf. pag. 8) aut ita explicant, ut reapse evanescat. *Dillmann,* Handbuch 4, sacras litteras a Spiritu Sancto inspiratas dicit, quatenus unico spiritu, scilicet spiritu religionis perfectae, veri et genuini timoris Dei omnes perfusae sunt. „Wenn auch ein Geist", scribit, „der Geist der vollkommenen Religion, der wahren, echten Gottesfurcht sie alle durchdringt (oder dogmatisch ausgedrückt: wenn sie auch alle vom Heiligen Geist eingegeben sind), so hat doch jede wieder ihr Eigentümliches, mit den andern nicht oder nicht unmittelbar Zusammenstimmendes; ja auch an eigentlichen Widersprüchen fehlt es nicht."

Ex catholica inspirationis notione sequitur: a) Hagiographus non solum in ideis religiosis, ad salutem aeternam pertinentibus, verum etiam in rebus profanis nihil falsi proponere potest, si proprio nomine loquitur ut vir inspiratus. Nam si loquitur vel scribit, quatenus a Deo inspiratus est, ea omnia eaque sola infallibili veritate exprimit, quae Deus iubet (*Leo XIII,* Provid. 61); ergo ipse Deus per scriptorem inspiratum loquitur, ipse Deus est auctor libri ab hagiographo conscripti (Vatic. l. c.): Deus autem, veritas essentialis, in nulla re ne minimum quidem errorem proponere potest.

„Nihil admodum refert Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidquam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute etc. (videas supra) . . . Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum

fuit divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes... professi unanimes libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse" (*Leo XIII*, Provid. 61).

Hagiographos in ideis religiosis, in rebus fidei et morum necnon in rebus historicis, quae cum veritatibus ad salutem aeternam pertinentibus indissolubiliter cohaerent, errare non posse omnes viri catholici concedunt. Sed neque in iis rebus profanis, quae cum ideis religiosis non indissolubiliter cohaerent, hagiographi aliquid falsi ponere possunt, si proprio nomine loquuntur atque ut scriptores inspirati de illis sententias suas enuntiant. Non officit α) quod res profanae pro salute aeterna indifferentes sint. Etenim non de hoc quaeritur, utrum hae res ad salutem nostram aeternam aliquid conferant necne, sed potius utrum Deus per sacros auctores loquens in rebus profanis aliquid falsi enuntiare possit necne. Deus vero nullius omnino erroris auctor esse, nihil a veritate alienum proponere potest: neque immediate neque mediate, neque in ideis religiosis neque in rebus profanis; quapropter divinae litterae ab omni omnino errore immunes sunt (*Leo XIII*, Provid. 61). Non officit β) quod Scripturae homines essentiam et naturam rerum docere nolint. Peters (Die grundsätzliche Stellung 40 sq) S. Augustinum citat scribentem (De actis c. Fel. Man. 1, 10), Christum non dixisse a se Paraclitum mittendum esse, qui discipulos de cursu solis et lunae docturus esset, cum christianos non mathematicos facere vellet; Hasert (Antworten der Natur 14) Galilei inducit asserentem Sacram Scripturam docere, quomodo homo in caelum eat, non autem, quomodo caelum eat. Hoc verum est; attamen verum quoque est Deum per hagiographos loquentem in nulla re aliquid a veritate alienum ponere potuisse, et ideo divinas litteras ab omni omnino errore esse immunes (*Leo XIII*, Provid. 61). Videas quae litt. c dicuntur. Non officit γ) quod hagiographi generatim loquendo in rebus profanis ad altiorem intellegentiam elevati non sint. Nam Deus „ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent" (ib.). Non officit δ) quod hagiographi traditionibus et documentis temporis sui, quae etiam falsa continere potuerunt, usi sint. Deus enim supernaturali virtute effecit, ut ea sola recte exprimerent, quae ipse iuberet; non potuit admittere, ut scriptores inspirati ex traditionibus et documentis falsa assumerent et suo nomine proponerent, quia ipse nihil a veritate alienum ponere potest (ib.). Videas quae litt. b scribuntur. Non officit ε) quod antiquo tempore methodus historico-critica non usitata fuerit. Si scriptores inspirati ea sola litteris consignarunt, quae Deus iusserat, et si Deus nihil a veritate alienum per hagiographos enuntiare potest (ib.): relata eorum vera sint oportet. Denique non officit ζ) quod Deus metaphoras, allegorias, historias fictas (parabolas, fabulas, mythos); historias liberas, quibus facta historica modo poetico enarrantur; legendas, in quibus falsa cum veris miscentur, ab hagiographis conscribendas statuere potuerit. Nam Deus talia genera scribendi inspirans propter veracitatem suam simul providere debuit, ut legentes ex usu loquendi vel contextu vel circumstantiis historicis (cf. Exegeticam 31 sqq) colligere possent, quid ipse per sacros auctores eloqui velit. Si igitur nominatis principiis hermeneuticis demonstrare possumus hagiographum vel potius Deum inspirantem non

veram historiam, sed „sub specie et forma historiae“ sensum aliquem improprium proponere velle, talis historia libera vel ficta iuxta illa praecepta hermeneutica explicanda est, quae in sensum improprium generatim atque parabolam speciatim valent (cf. ib. 103 sqq): quaerenda est veritas, quam hagiographus illustrare vult; consideranda est tota substantia narrationis cum singulis partibus substantialibus; neglegendae sunt partes accidentales; semper observandum est historiam esse fictam, ut ista veritas vel idea religiosa illustretur. Sin autem demonstrari nequit hagiographum liberam vel fictam dumtaxat historiam narrare velle, narratio cum obiectivitate convenire debet, quia Deus per scriptores inspiratos loquens nihil a veritate alienum enuntiare potest, quin simul indicet enuntiatum falsum esse. — Commissio biblica die 23 Iunii 1905 ad dubium: „Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia, quae tenet Sacrae Scripturae libros, qui pro historicis habentur sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum“, respondit Summo Pontifice approbante: „Negative, exceptu tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante, eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.“ Inter solida ista argumenta iuxta principia catholica non est numerandus occursus mysteriorum, miraculorum et prophetiarum. Secundum principia protestantium mysteria, miracula et prophetiae in sacris litteris occurrentes utique argumenta peremptoria sunt, illas narrationes cum obiectivitate non convenire, cum mysteria, miracula et prophetiae obiective non exsistant; secundum doctrinam catholicam autem (cf. pag. 7 sq) possibilia sunt: ergo non commonstrant narrationes non veras esse.

b) Si scriptores inspirati indicant se sententias vel narrationes aliorum tantum referre, quin eas suas faciant vel approbent aut e contrario reprobent: tales sententiae vel narrationes obiective aut verae aut falsae esse possunt; hagiographi in hoc casu testantur dumtaxat alios ita cogitasse vel narrasse, se tales traditiones invenisse. Diximus *α*) Si hagiographi indicant se cogitationes vel narrationes aliorum referre. Si hoc per contextum nullo modo indicant; si ipsi potius loquuntur, elocutiones eorum iuxta litt. a nullum omnino errorem continere possunt. Diximus *β*) Si sententias vel narrationes aliorum neque suas faciant neque eas approbent aut reprobent; si eas suas faciant vel approbent, falsae esse nequeunt, quia Deus per hagiographos loquens neque errores suos facere vel approbare neque vera reprobare potest.

Commissio biblica die 13 Februarii 1905 ad dubium: „Utrum ad enodandas difficultates quae occurrunt in nonnullis Sacrae Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere

agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt", respondit Summo Pontifice approbante: „Negative, excepto casu, in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1. hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2. eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui." Ad solida argumenta contradictiones apparentes (cf. Exegeticam 114) non pertinent. Si verae contradictiones inter narrationes varias adessent, utique concedere deberemus hagiographos varias traditiones et documenta collegisse atque litteris consignasse, quin ea approbarent aut reprobarent; sed istae contradictiones sunt apparentes tantum atque solvi possunt, uti Leo XIII docuit (cf. ib. 115 sqq): ergo invocari nequeunt.

Diximus demum γ) Si scriptores inspirati sententias vel narrationes aliorum referunt, quin eas suas faciant vel approbent aut reprobent, verae aut falsae esse possunt, quod ex axiopistia sentientium vel narrantium diiudicandum est.

Secundum principia supra proposita sententiae Christi et hagiographorum de libris et factis Vet. Test. prolatae diiudicari debent. Si Christus et scriptores inspirati libros quosdam certis auctoribus ascribentes atque facta quaedam ut vera supponentes usu loquendi vel contextu indicarent se opiniones Iudaeorum licet falsas sequi illisque se accommodare velle, quin eas approbent: sententiae eorum obiective falsae esse possent. Si autem proprio nomine loquuntur et suas sententias proponunt, asserta eorum vera sint necesse est. Etenim non quaeritur, utrum sententia aliqua eorum pro salute nostra aeterna indifferens sit necne; quaeritur potius, utrum Christus verus Deus et Spiritus Sanctus hagiographos inspirans, suam sententiam proferentes, errorem enuntiare possint necne: Deus autem nullius omnino erroris auctor esse, ipse nihil a veritate alienum ponere (*Leo XIII,* Provid.) vel errorem aliorum approbare potest.

c) Scriptores inspirati in rebus physicis iuxta speciem seu apparentiam externam, in rebus historicis autem nequaquam iuxta opinionem falsam aetatis suae scribere potuerunt. Siquidem in rebus physicis duo secernenda sunt: species externa seu apparentia atque intima constitutio. „Intimam adspectabilium rerum constitutionem" Spiritus Sanctus homines docere noluit; scriptores sacri ea secuti sunt, quae sub sensus cadunt, „quae sensibiliter apparent" (*Leo XIII,* Provid. 55). Quo scribendi modo nihil falsi enuntiarunt nullumque errorem approbarunt; nam externa species seu apparentia reapse talis est, res physicae revera ita cadunt sub sensus, quare hodie quoque „in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos", communis sermo non internam rerum constitutionem, sed externam earum apparentiam sequitur (*Leo XIII,* Provid.). Uti scriptor

inspiratus libri Iosue (10, 13) asserit: *Steteruntque Sol et Luna.... Stetit itaque Sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei,* sic hodie quoque homines scientissimi solem oriri et occumbere dicunt, quia reapse sensibus ita apparet. — In rebus historicis inter ipsas res gestas atque opiniones aetatum distinguere debemus, quae opiniones aut verae aut falsae sunt. Si verae sunt, scriptores inspirati eas sequi ac suas facere possunt; si falsae sunt, eas ut alienas quidem proponere, nullatenus autem adoptare vel approbare possunt, quia Deus per sacros auctores loquens nihil a veritate alienum ponere potest (cf. pag. 9).

Dicunt quidem: hagiographi in rebus physicis iuxta externam speciem et apparentiam scribere potuerunt, ergo in rebus historicis iuxta falsam opinionem suae aetatis. At comparatio claudicat. Externa enim species seu apparentia revera talis est, qualem hagiographi sequuntur; opiniones aetatum autem falsae supponuntur: ergo differentia essentialis adest. Neque iuvat provocare ad illa famosa Leonis XIII (Provid. 57): „Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri." Haec verba nequaquam probant hagiographos opiniones falsas aetatum suarum adoptasse et proposuisse. Cui explicationi primo quidem proximus contextus contrarius est. Immediate antea legimus: „Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quodsi physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas." Nunc sequitur sententia supra allata: „Haec ipsa . . . iuvabit transferri." Deinde Summus Pontifex immediate prosequitur: „Dolendum enim multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae Sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque ea probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum: fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae: at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes: inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit." Ex proximo hoc contextu

elucet sententiam „Haec ipsa ... iuvabit transferri“ ad ea referendam esse, quae immediate praecedunt, videlicet physicorum scriptores nonnumquam terminos disciplinae suae transgredi atque quaedam tradidisse, quae postea in dubitationem adducta et repudiata sunt. Nam Summus Pontifex illud „iuvabit transferri“ eo confirmat, quod multi historici nimis infesto animo nec satis aequo iudicio documenta antiquitatis perscrutentur, non amore veritatis inveniendae sed eo saepius consilio, ut sacris litteris errores inurant. Isti explicationi secundo etiam remotus contextus contrarius est. Sequuntur illi loci, in quibus Leo XIII catholicam inspirationis notionem exponit affirmans hagiographos ea sola infallibili veritate expressisse quae Deus iussit, quia alioquin Deus non esset auctor Sacrae Scripturae universae; sequuntur illae sententiae, quibus Papa semel iterumque docet divinas litteras in locis authenticis ab omni omnino errore esse immunes, cum Deus per auctores inspiratos loquens nihil a veritate alienum ponere possit (cf. pag. 9). Si igitur illa verba „iuvabit ... transferri“ significarent hagiographos falsas aetatum suarum opiniones secutos esse, eas adoptasse atque ut suas proposuisse, Leo XIII sibi ipsi contradictere.

Concludo cum *Pesch,* De inspiratione 552: „Itaque sive mythos sive legendas sive traditiones populares, sive historiam veterem sive historiam orientalem, sive aliud quid simile dixeris, si his nominibus egere studes opinionem, qua Deus dicitur potuisse inspirare errores, saltem in rebus accidentalibus et nullius ad salutem momenti, a traditione catholica constanti et communi recedis, quae docet non res principales tantum et substantiam narrationis debere esse veram, sed omnia et singula, quae affirmentur. ... Id solum firmum esse principium oportet: Scriptores inspiratos nihil affirmasse ut verum, quod falsum sit; nihil negasse ut falsum, quod verum sit.“ — Quantum haec principia catholica in tractationem theologiae biblicae incurrant, quilibet videt.

4. Magisterium Ecclesiae authenticum audiendum et observandum est, etiamsi non definiendo seu decidendo, sed simpliciter docendo (Bibelkritik 32; Exegetica 60) sensum suum manifestat. Magisterium causam aliquam definiens seu decidens ab omnibus viris catholicis audiendum esse demonstratione non indiget: qui voluntarie et pertinaciter dogma catholicum negat, desinit esse catholicus et fit haereticus, quod in theologia fundamentali et morali demonstratur. — Sed iudicia quoque non infallibilia magisterii authentici vir catholicus tam diu acceptare debet, quamdiu non evidenter constat contrariam sententiam esse veram. Si quis contra iudicia magisterii non infallibilia tales rationes et argumenta afferre posset, qualia veram evidentiam sententiae contrariae parerent: hanc amplecti et illa relinquere posset, quia Ecclesia neminem obligat, ut veritatem evidentem

reiciat; si autem rationes et argumenta apparentem dumtaxat pariunt evidentiam, quae nonnullis tantum talis videtur, iudicia magisterii authentici non infallibilis retineri debent (Exegetica 87 et 89 sq).

Pius IX die 21 Decembris 1863 ad archiep. Monacensem et Frisingensem inter alia haec scripsit: „Evenit, ut huiusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra huius Apostolicae Sedis ac Nostrarum Congregationum decreta declarant ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic adstringuntur Sedi, quae a Deo ipso veritatis magistra et vindex fuit constituta.... Eiusdemque vero conventus viros debitis prosequimur laudibus, propterea quod ... noverunt et asseruerunt omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes, quod professi sint veritatem, quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur, persuadere Nobis volumus noluisse obligationem, qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.... Idcirco eiusdem conventus viri recognoscere debent sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram“ (*Denzinger* 1531 1535 sq 1537). Et Leo XIII die 25 Novembris 1898 ad Ministrum Generalem Fratrum Minorum (Franciscanorum) haec dedit: „Iidemque meminerint utique habere se, quod in his studiis tuto sequantur, si modo audiant Ecclesiam ut debent. Nec silebimus Nos ipsos per Litteras Providentissimus Deus, quid hac de re sentiat, quid velit Ecclesia, dedita opera docuisse. Praecepta vero et documenta Pontificis Maximi negligere, catholico homini licet nemini.“

5. Usus operum acatholicorum utilis esse potest, si prudenter adhibeantur, et Ecclesiae magisterium magis quam illa observetur. Utilis esse potest, quia opera acatholicorum in rebus criticis, philologicis, geographicis, historicis non solum falsa sed etiam bona continent; quia ab adversariis nostris genus pugnandi discere possumus; quia hic usus patefacit, ex quo fonte liberales viri catholici opiniones suas hauriant: hucusque omnes sententias liberales in operibus acatholicorum inveni et in sequentibus paragraphis saepius opera acatholicorum notabo, ex quibus liberales sententiae transcriptae sunt. Usus operum acatholicorum deinde prudens sit oportet; de qualibet opinione ab acatholicis proposita examinandum est, quibus rationibus innitatur. Ultima et intima,

principalis vel unica ratio, ob quam acatholici plura asserunt aut negant, saepe haec est, quod revelationem supernaturalem, mysteria et inspirationem, miracula et prophetias a priori negant (cf. pag. 8) atque Hegelianismo addicti sunt. Ergo vir catholicus opera acatholica adhibens circumspicere debet, ne opiniones acatholicorum suscipiat, quae istis praeiudiciis fundantur.

Recentiorem scholam criticam (a Vatke-Graf-Wellhausen vocatam) in Hegelianismo fundari notissimum est (cf. *Hoberg,* Moses und der Pentateuch v; *Oehler,* Theologie 14 51 53 sq.; *Smend,* Lehrbuch 3); ex notitia Hegelianismi plurima asserta recentioris scholae criticae clarescunt. Hegel, 27 Augusti 1770 Stutgardiae natus et 14 Novembris 1831 Berolini mortuus, secundum Stöckl (Geschichte der neueren Philosophie II, Mainz 1883, 126—193) inter alia docuit: a) unicum dumtaxat ens exsistit, absolutum et indeterminatum, scilicet idea, quae semetipsam determinando vel evolvendo constituit universitatem rerum in genera, species, individua distinctam (127 sqq). b) Non est ratio humana et divina neque spiritus humanus et divinus, sed una ratio et unus spiritus: spiritus hominis est spiritus divinus; Deus non est aliquid transcendens, sed spiritus in omnibus spiritibus: Deus est Deus, quatenus se scit, et haec scientia Dei est conscientia Dei in homine, atque haec conscientia Dei est scientia hominis de Deo et scientia sui in Deo (175 sq). c) Religio est theoria vel scientia, non praxis seu cultus; religio est scientia hominis de Deo et de semetipso in Deo simulque (in unico actu) scientia Dei de semetipso in homine (177 et 186). Haec religio non statim perfecta erat, sed pedetentim evoluta est. Primus gradus sunt religiones naturales, in quibus Deus ut substantia naturalis consideratur; secundus evolutionis gradus sunt religiones individualitatis spiritualis, in quibus spiritus a natura se discernit, ut in religione Iudaica, Graeca et Romana; tertius gradus est religio aperta vel absoluta, i. e. christiana, in qua absolutum ad conscientiam sui in homine venit (177 sq). — Hoc systema philosophicum, cuius falsitatem philosophi demonstrant, est fundamentum operum a Strauss et Renan, Bruno Bauer et Vatke, Wellhausen et sectatorum eius conscriptorum, in quibus narrationes biblicas artificiis criticis et hermeneuticis cum Hegelianismo conciliare conantur.

Demum Ecclesiae magisterium magis quam opera acatholicorum observandum est. Leo XIII in litteris dd. 30 Octobris 1902, quibus Commissionem biblicam instituit, de hac causa clare locutus est. „Idque praesertim laborandum ipsis est, inquit, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intellegentia ab externae eruditionis apparatu sit in primis quaerenda. Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse; ... demum legitimum divinae Scripturae sensum

extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint. . . . Curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur praeter modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti: sed cautione opus ac delectu est."

Liberales interpretes catholici forsitan ideo ad opiniones acatholicorum descendunt, ut hoc modo eos ad catholicam Ecclesiam attrahant operibusque catholicis aestimationem eorum acquirant. Sed acatholici nolunt trahi ad catholicos, volunt e contrario catholicos trahere ad se. Delitzsch (Babel und Bibel II 44 sq) candide fatetur Ecclesiam catholicam ad relinquendam revelationem supernaturalem procedere debere; Harnack autem novissime (cf. Giornale d'Italia, 4. Febr. 1907) antiquam ideam (cf. Exegeticam 80) confundendi ac miscendi catholicismi et protestantismi repetiit, quo consilio Ecclesia catholica primatum atque infallibilitatem Romani Pontificis a Vatic. sess. IV definitam, sed a protestantismo repudiatam proicere deberet, quod impossibile est. Si enim revelationem supernaturalem, mysteria et inspirationem, miracula et prophetias negaret vel unicum dogma revocaret: semetipsam negaret ac destrueret (cf. Exegeticam 82). — Quod autem ad aestimationem attinet, doctissimus G. Bickell, per 20 annos mihi amicissimus, qui aliquando e numero protestantium erat et post conversionem suam a nullo inter conservatores numerabatur, nihilominus dixit a protestantibus non illos catholicos aestimari, qui conniventes ad opiniones acatholicorum descendunt, sed illos potius, qui catholicis doctrinis fundamentalibus intrepidi inhaerent atque iuxta eas Biblia sacra interpretantur. Catholici, qui protestantibus inferiores dictitantur, non superiores sed devicti evadunt, si protestantium opiniones adoptant.

§ 7. Historia brevis disciplinae.

Theologia biblica iam temporibus Patrum tradebatur, recentiore autem tempore magis exculta (inter protestantes praecipue), determinata et ab aliis disciplinis seiuncta necnon proprio nomine vocata est.

Iulius Africanus († ca 237) in „Chronographiis" suis primus historiam biblicam texuit respiciens ad ethnicorum, praesertim Aegyptiorum, narrationes. Eum secutus est Eusebius Caesariensis († ca 340), qui in „Chronico" historiam biblicam enarrat et cum relationibus Gentium, praecipue Babyloniorum, confert; atque in „Praeparatione et demonstratione evangelica" plura tractat, quae ad theologiam biblicam sensu strictiore pertinent. Etiam Sulpicius Severus († ca 420) in „Chronicorum libris duobus"

et S. Augustinus († 430) in celebri opere „De civitate Dei" historiam biblicam scripserunt. Denique Iunilius Africanus circa annum 551 in scripto, cui titulus „Instituta regularia divinae legis" primus theologiam biblicam Veteris et Novi Testamenti sensu strictiore iuxta methodum historicam-systematicam exposuit.

A saec. VII usque ad saec. XVI theologia biblica parum colebatur; a saec. XVII usque ad tempus nostrum praecipui scripserunt: *Natalis Alexander* Historiam ecclesiasticam Veteris Novique Testamenti (Parisiis 1677/1687); *Mezger* Sacram historiam de gentis Hebraicae ortu, progressu etc. (Augustae Vind. 1700); *Vitringa* Hypotyposin historiae et chronologiae sacrae (Francofurti 1708); *Calmet* Histoire sainte de l'ancien et du nouvau Testament (Paris 1718); *Stolberg* Geschichte der Religion Jesu Christi (Hamburg 1806 sqq); *Rohrbacher* Histoire universelle de l'église catholique (Paris 1842 sqq); *Haneberg* Geschichte der biblischen Offenbarung (Regensburg 1849 sqq); *Messmer* Geschichte der Offenbarung (Freiburg i. B. 1857); *Danko* Historiam revelationis divinae Veteris Testamenti (Vindobonae 1862); *Friedhoff* Geschichte des Alten und Neuen Bundes (Regensburg 1874); *Schuster-Holzammer* Handbuch zur biblischen Geschichte (Freiburg i. B., 5. Aufl. 1891, 6., von *Selbst-Schäfer* völlig neu bearbeitete Aufl. 1906); *Zschokke* Historiam sacram Antiqui Testamenti (v. ed., Vindobonae 1903); *Schöpfer* Geschichte des Alten Testaments (4. Aufl., Brixen 1906); *Pelt-Rousselle* Storia dell' Antico Testamento (Roma 1907). — *König,* Die Theologie der Psalmen (Freiburg i. B. 1857); *Scholz,* Handbuch der Theologie des Alten Bundes im Lichte des Neuen (Regensburg 1861/1862); *Zschokke,* Theologie der Propheten des Alten Testamentes (Freiburg i. B. 1877), necnon „Der dogmatisch-ethische Lehrgehalt der alttestamentlichen Weisheitsbücher" (Wien 1889). Alia opera a *Gla,* Repertorium I 66 sqq 121 sqq atque a *Kihn,* Encyklopädie 266 sq 287 sq enumerantur.

Ex acatholicorum numero praeter auctorem recentioris scholae criticae Vatke (Die Religion des Alten Testamentes, Berlin 1835) recentissimos tantum scriptores noto, quorum opera in manibus habeo, videlicet: *Budde,* Die Religion des Volkes Israel bis zur Verbannung, Gießen 1905; *Cheyne-Stocks,* Das religiöse Leben der Juden nach dem Exil, Gießen 1905; *Cornill,* Geschichte des Volkes Israel, Chicago 1898; *Dillmann-Kittel,* Handbuch der alttestamentlichen Theologie, Leipzig 1895; *Giesebrecht,* Die Grundzüge der israelitischen Religionsgeschichte, Leipzig 1904; *Guthe,* Geschichte des Volkes Israel, Tübingen 1904; *Kautzsch,* Abriß

der Geschichte des alttestamentlichen Schrifttums etc., Freiburg i. Br. 1897, *Marti*, Geschichte der israelitischen Religion, Straßburg 1903; *Oehler*, Theologie des Alten Testaments, Stuttgart 1891; *Reuss*, Die Geschichte der Heiligen Schriften Alten Testaments, Braunschweig 1890; *Schürer*, Die Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi, Leipzig 1898/1902); *Smend*, Lehrbuch der alttestamentlichen Religionsgeschichte, Freiburg i. Br. 1899; *Stade*, Geschichte des Volkes Israel, Berlin 1889; Biblische Theologie des Alten Testaments, Tübingen 1905; *Wellhausen*, Die Komposition des Hexateuchs und der historischen Bücher des Alten Testaments, Berlin 1899; Prolegomena zur Geschichte Israels, Berlin 1905; Israelitische und jüdische Geschichte, Berlin 1904. Alia opera a Dillmann et Giesebrecht, Oehler et Smend atque in Kompendien-Katalog I, Leipzig 1906, recensentur.

In fine illos libros recentiores adicio, qui Aegyptiologiam, Assyriologiam, Archaeologiam, Geographiam et Chronologiam pertractant. Aegyptiologiam: *Ebers*, Ägypten und die Bücher Mosis, Leipzig 1868; *Brugsch*, L'Exode et les monuments égyptiens, Leipzig 1875; Dictionnaire géographique de l'ancienne Égypte, Leipzig 1877; Religion und Mythologie der alten Ägypter, Leipzig 1888; Die Ägyptiologie, Leipzig 1891; *Erman*, Ägypten und ägyptisches Leben im Altertum, Tübingen 1885/87; Die ägyptische Religion, Berlin 1905; *Maspéro*, L'archéologie égyptienne, Paris 1887; Études égyptiennes, Paris 1890; Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique, Paris 1895/99; *Wiedemann*, Ägyptische Geschichte, Gotha 1884/88; Die Religion der alten Ägypter, Münster 1890; *Heyes*, Bibel und Ägypten, Münster i. W. 1904, in quo libro alia quoque opera citantur; *Petrie*, The religion of ancient Egypt, London 1906. Assyriologiam: *Hommel*, Geschichte Babyloniens und Assyriens, Berlin 1885 sqq; *Tiele*, Babylonisch-assyrische Geschichte, Gotha 1886/88; *Kaulen*, Assyrien und Babylonien nach den neuesten Entdeckungen, Freiburg i. Br. 1891; *Winckler*, Geschichte Babyloniens und Assyriens, Berlin 1892; *Schrader-Zimmern-Winckler*, Die Keilinschriften und das Alte Testament, Berlin 1903; *Bezold*, Ninive und Babylon, Bielefeld 1903; Die babylonisch-assyrischen Keilinschriften, Tübingen 1904; *Vigouroux*, Die Bibel und die neueren Entdeckungen in Palästina, in Ägypten und in Assyrien, Mainz 1885/86; *Urquhart-Spliedt*, Die neueren Entdeckuugen und die Bibel, Stuttgart 1904; *Jeremias*, Das Alte Testament im Lichte des Alten Orients, Leipzig 1906. Archaeologiam: *Schegg-Wirtmüller*, Biblische Archäologie, Freiburg i. Br. 1887; *Schäfer*, Die religiösen sowie die wichtigsten häuslichen und politischen Altertümer der Bibel, Münster 1891; *Nowack*, Lehrbuch der hebräischen Archäologie, Leipzig 1894; *Benzinger*, Hebräische Archäologie, Freiburg i. Br. 1894; *Kortleitner*, Archaeologiae biblicae summarium, Oeniponte 1906. Geographiam et Chronologiam: *Kiepert*, Lehrbuch der Alten Geographie, Berlin 1878; Atlas antiquus, Berlin 1903; *Buhl*, Geographie des alten Palästina, Freiburg i. Br. 1896; *Riess*, Biblische Geographie, Freiburg i. Br. 1872; Atlas Scripturae Sacrae, Friburgi Br. 1906; *Fischer-Guthe*, Wandkarte von Palästina zur biblischen Geschichte, Leipzig, sine anno; *Schäfer*, Die biblische Chronologie vom Auszug aus Ägypten bis zum Beginne des babylonischen Exils, mit Berücksichtigung der Resultate der Ägyptiologie und Assyriologie, Münster 1879. Alia opera chronologica Gla (Repertorium) et Kihn (Encyklopädie) describunt. — Etiam in lexicis realibus a *Winer* (1847/48), *Schenkel* (1869/75), *Zeller* (1893), *Riehm* (1898), *Vigouroux* (1895 sqq), *Guthe* (1903), *Hagen* (1905 sqq) vulgatis multae res ad praedictas disciplinas spectantes tractantur.

Theologia biblica sensu lato omnes omnino disciplinas biblicas (introductionem, hermeneuticam, exegesim, archaeologiam, geographiam, chronologiam, historiam et religionem biblicam) significare potest itaque nostris quoque diebus intellegitur (cf. *Hurter,* Compendium I 3); sensu strictiore tamen scientia historiae et religionis biblicae sic nominatur; sensu strictissimo tandem theologia biblica scientiam religionis dumtaxat designat, dum scientia historiae simpliciter historia biblica appellatur (cf. *Krieg,* Encyklopädie 133).

PARS PRIOR.

SCIENTIA HISTORIAE VETERIS TESTAMENTI.

Haec pars in sectiones duas dividitur, quarum prior historiam ab Adam usque ad Abraham, altera autem historiam ab Abraha usque ad Christum exhibet.

SECTIO PRIOR.

AB ADAM USQUE AD ABRAHAM.

Quae sectio in periodos duas secernenda est: primo enim ea tractanda sunt, quae ab Adam usque ad Noe acciderunt; deinde gesta et eventus a Noe usque ad Abraham disserantur oportet.

Fons praecipuus ambarum periodorum huius sectionis simulque duarum periodorum priorum sectionis sequentis Pentateuchus est, de cuius genuinitate et axiopistia pauca praemittimus. a) Pentateuchus, quod substantiam seu partes substantiales attinet, Moysen habet auctorem. *α*) Non asserimus Moysen necessario omnes partes substantiales propria manu scripsisse, cum Apostoli quoque concepta sua aliis dictaverint; immo non impossibile censemus Pentateuchum simili ratione scribi potuisse, qua iuxta plures epistola ad Hebraeos composita est (cf. opera introduct. in Nov. Test.). *β*) Concedimus Moysen antiquis traditionibus et documentis usum fuisse, id tamen firmiter retinentes quod pag. 10 de scriptoribus inspiratis dictum est. *γ*) Concedimus Moysen varios libros variasque partes eorum in circumstantiis et annis diversis scripsisse. *δ*) Non negamus post mortem Moysis ab aliis scriptoribus inspiratis vel etiam a librariis nonnulla addita vel omissa vel mutata, praesertim pro antiquioribus vocabulis et constructionibus recentiores adhibitas esse, ita tamen ut Pentateuchus substantialiter integrum ac genuinum opus Moysis maneret. *ε*) Non negamus hodiernum textum Pentateuchi in rebus accidentalibus corruptum esse; si in libris Nov.

Test., qui I saec. p. Chr. scripti sunt, 40000, immo iuxta alios 120000 variantes inveniuntur (Bibelkritik 169), etiam in Pentateucho ca 1500 a. Chr. composito corruptio accidentalis textus admitti potest ac debet. Videas introductionem, quam commentario in Genesim praeposui; opera introductoria in initio huius theologiae biblicae enumerata, praesertim Cornely, Hoberg, Kaulen, Mangenot.

Quinque istae sententiae de genuinitate Pentateuchi, iam 1905 litteris consignatae, novissima responsione Commissionis biblicae confirmatae sunt. Die 27 Iunii 1906 approbante Summo Pontifice „propositis sequentibus dubiis Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit, prout sequitur: I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus esse confectos? Resp. Negative. — II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur? Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. — III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit? Resp. Affirmative. — IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas: mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare? Resp. Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.“ — Quid de decisionibus Congregationum Romanarum sentiendum et tenendum sit, pag. 15 declaratum et probatum habetur. Ultima haec decisio Commissionis biblicae viris acatholicis necnon catholicis liberalibus valde displicet, quod ille non mirabitur, qui libros et ephemerides recentiores perlustraverit. Non solum plurimi acatholici, verum etiam plerique catholici liberales, opiniones ac rationes protestantium adoptantes, Moysen auctorem Pentateuchi esse negant. Nunc praenuntiant Ecclesiam poenituram, quod talem responsionem dederit. Sed omnes illi, qui cum constanti Ecclesiae traditione atque cum hagiographis utriusque Testamenti, immo cum Christo Iesu (cf. pag. 12) authentiam Mosaicam defendunt, tranquilli et securi tempus futurum exspectare possunt.

b) Pentateuchus axiopistos, fide dignus est, sive ad auctorem secundarium vel humanum sive ad principalem vel divinum respiciamus. *α*) Auctor humanus seu Moyses verum scire potuit et dicere voluit, immo debuit. Verum scire potuit. Etenim ea, quae a sua adoptione (Ex 2, 10) usque ad mortem evenerunt, ipse vidit et audivit et magna ex parte dirigebat; ea autem, quae ante facta fuerant, per continuam seriem testium longaevorum atque plurimis annis simul viventium incorrupta usque ad Moysen tradi potuerunt, utpote facta pauca et extraordinaria, plerumque publica et maximi momenti pro genere humano vel saltem pro familia et populo electo. Vixerunt patriarchae ab Adam usque ad Noe singuli plus quam 700 annis; a Noe usque ad Nachor proavum Abrahae singuli plus quam 200 annis; a Nachor usque ad Moysen singuli plus quam 130 annis. — Iuxta probabiliorem textum Hebraicum (videas §§ 11, 17 sqq) Adam vidit posteros suos usque ad Lamech, quocum 56 annis vixit; Lamech, pater Noe, vixit cum Sem 95 annis; Sem vidit omnes posteros suos usque ad Iacobum, quocum 50 annis vixit; Iacobus cum omnibus filiis suis in Aegypto 17 annis vixit; denique ab ingressu filiorum Israel in Aegyptum usque ad Moysen ca 400 anni defluxerunt (cf. Ex 12, 40 coll. 7, 7). In hisce circumstantiis, immediatis testibus per tot annos viventibus, traditio eorum oralis corrumpi non potuit. Deinde verum dicere voluit, alioquin de semetipso, de fratre et sorore sua, de populo Israel et patriarchis illa non conscripsisset, quae turpiter vel saltem minus honeste egerant. Demum verum dicere debuit, quia ad eos loquebatur, qui eventus aut ipsi viderant vel audierant aut a testibus immediatis traditos acceperant.

β) Auctor divinus seu Spiritus Sanctus Pentateuchum inspirans supernaturali virtute effecit, ut scriptor vel scriptores (videas a) „ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent“ (*Leo XIII,* Providentissimus 61); ex hac notione inspirationis axiopistiam librorum inspiratorum sequi, pag. 9 sqq demonstravimus.

PERIODUS I.

AB ADAM USQUE AD NOE.

§ 8. De Adam et Eva.

1. Adam et Eva ca 7000 a. Chr. a Deo creati primum in horto terrae Eden in plaga orientali sitae habitarunt.

a) Recentiores viri docti asserunt vestigia linguarum diversarum usque ad 3000 a. Chr. inveniri, et post confusionem linguae primi-

tivae probabiliter plura saecula transiisse, donec diversae linguae excultae essent (*Schanz*, Apologie I 738 sq); iidem docent apud Aegyptios et Babylonios iam ca 4000 a. Chr. cultum atque humanitatem floruisse (ib. I 755; *Zschokke*, Historia sacra Antiqui Testamenti 358); ergo concludendum videtur diluvium et sequentem confusionem linguarum ca 5000 a. Chr. fuisse (cf. §§ 12 et 15) atque Adam et Evam ca 7000 a. Chr. creatos esse, cum iuxta probabiliorem textum Hebraicum a creatione hominis usque ad diluvium 1656 anni praeterierint (cf. § 11; Comment. 181).

b) In Vulgata legimus (Gn 2, 8) Dominum Deum plantasse *Paradisum voluptatis a principio*, quae textus originalis translatio minus accurata est. Iuxta textum Hebraeum et Graecum Dominus plantavit paradisum seu hortum, גַּן in terra Eden, בְּעֵדֶן, ἐν Ἐδεμ, quae in plaga orientali, מִקֶּדֶם, *κατὰ ἀνατολάς*, sita fuit atque ob amoenitatem, *ἡδονήν*, ita nominabatur. Terram Eden in illa regione quaerendam esse, quae nunc Armenia appellatur, valde probabile est. Moyes enim testatur (2, 10) *de loco voluptatis* vel potius de Eden, מֵעֵדֶן, ἐξ Ἐδεμ, fluvium scaturiisse, hortum intrasse et irrigasse atque ex eo egressum (מִשָּׁם, cf. 2, 8 12 et 11, 8) in quattuor fluvios divisum esse, qui *Phison* (v. 11), *Gehon* (v. 13), *Tigris* (v. 14; hebr. חִדֶּקֶל, aram. דִּגְלַת, assyr. *diḳlat, idiḳlat*, zend. *tighra, tighri, tigira*), *Euphrates* (v. 14; hebr. פְּרָת, assyr. *purattu*, pers. *ufrâtus*) vocabantur. Nomina Tigris et Euphratis eosdem significare fluvios, qui hodie ita appellantur, coniuncti in sinum Persicum influunt et fontes in Armenia habent (Tab. I), quasi omnes interpretes consentiunt; ergo etiam Phison et Gehon in eadem regione quaerendi sunt, quia cum Tigri et Euphrate ante egressum ex horto unicum efficiebant fluvium. Probabiliter *Phison* Cyrum et *Gehon* Araxem designat, qui coniuncti in mare Caspium influunt et fontes suos in Armenia habent (Tab. I; Comment. 52 sqq). Fontes quattuor horum fluviorum nunc quidem diversi conspiciuntur; sed Moyses vel documentum antiquum, quod ipse operi suo inseruit, de tempore ante commutationes geologicas diluvio factas (cf. § 12) loquitur. Videas plura in Comment. 52 sqq.

α) Engelkemper (Die Paradiesesflüsse, Münster 1901) agnoscit quidem hortum in Armenia fuisse (56) atque *Prat* et *Chiddekel* Euphraten et Tigrim significare (38 sq), sed *Phisonem* pro Indo vel Gange (45 sq) et *Gehonem* pro Nilo (47 sq) habet: hagiographus igitur secundum Engelkemper affirmat Tigrim et Euphraten necnon Indum vel Gangem et Nilum ex uno eodemque fonte excurrisse, ante ingressum in hortum fluvium unicum constituisse, at post egressum ex eo in quattuor fluvios divisum esse. Talem assertionem horrendum errorem geographicum esse Engelkemper

concedit (47), sed putat auctorem humanum hac in re geographica falsas opiniones habuisse atque expressisse (25 36 sq 49 51). At in primis distinguendum est. Si auctor inspiratus modo aliquo indicasset alios flumina ita imaginatos fuisse, vel semetipsum hanc opinionem in documento antiquo invenisse et operi suo inserere velle, quin eam approbaret vel suam faceret: illud assertum obiective falsum esse posset (cf. pag. 11). Verumtamen hagiographus ne syllaba quidem indicat se aliorum opinionem referre, sed proprio nomine loquitur, ut contextus demonstrat; ergo tam horrendum errorem geographicum proponere nequit, quia inspiratus auctor humanus ea sola quae Deus iussit infallibili veritate expressit; Deus autem ne minimi quidem erroris auctor esse potest (cf. pag. 9). Deinde improbabilissimum est Moysen eruditum *omni sapientia Aegyptiorum* (Act 7, 22), qui ab 2200 ad 1400 a. Chr. a cultura Babylonia non erant alieni, quod tabulae in Tell-el-Amarna 1887 inventae probant (Comment. 28), opinatum esse ac proprio nomine tradidisse Nilum a meridie in septentrionem fluentem cum Tigri et Euphrate legentibus noto ideoque non determinato (Comment. 54), qui a septentrione in meridiem fluunt, communem habuisse fontem atque ante ingressum in paradisum fluvium unicum effecisse. Quapropter et Schöpfer (Geschichte) hanc interpretationem Engelkemperi repudiat. Provocare ad interpretationem Iudaicam et patristicam, qua Phison pro Indo vel Gange et Gehon pro Nilo habebantur, Engelkemperum (2 46 sqq) non iuvat. Etenim si Leo XIII (Provid. 41 43) cum S. Augustino (De Gen. ad lit. l. 8, c. 7, n. 13) docet ab ipso sensu Scripturae litterali proprio discedendum esse, quando „eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere“ (Exegetica 102 sq), eo magis ab hac interpretatione patristica recedere possumus ac debemus. Recedere possumus, quia auctoritas Patrum in rebus fidei et morum et indissolubiliter cum iis conexis, non vero in aliis rebus, nos ligat et quidem tum tantum cum consensus eorum non solum materialis verum etiam formalis est, i. e. si Patres explicationes suas qua sensum Ecclesiae directe aut indirecte proponunt (Exegetica 62 sqq), quod hic non fecerunt. Recedere debemus, quia „adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre, ... non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint“ (*Leo XIII,* Provid. 61, supra pag. 9); retinentes autem interpretationem illam patristicam sacras litteras horrendo errore geographico maculatas diceremus. Antiqui fontes Nili, Euphratis et Tigris, Indi et Gangis nescierunt ideoque nec suspicari potuerunt semetipsos ista interpretatione in divinis litteris errorem statuere; si hoc vidissent, iuxta fidem suam, qua unanimes professi sunt Deum „per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse“ (*Leo XIII,* Provid. 61), etiam ipsi istam interpretationem reicere debuissent, ne sibi contradicerent.

β) Frd. Delitzsch (Wo lag das Paradies? Leipzig 1881) et Hummelauer (Genesis) censent paradisum a septentrione urbis Babylonis situm fuisse, sed quattuor fluvios diverse declarant. Secundum Delitzsch (45—82) *Perat* Euphraten, *Chiddekel* Tigrim, *Gichon* canalem schatt-en-Nil, *Pischon* canalem pallakopas significat; schatt-en-Nil circa Babylonem ab Euphrate dividitur atque circa Ur cum eo iterum unitur, pallakopas autem ab occidente Euphratis in sinum Persicum influebat (Tab. I). Contra quam expositionem breviter notamus: nomen *fluvii,* נָהָר, in eodem contextu mox flumina proprie dicta mox canales significare asseritur; a septentrione urbis Babylonis Euphrates et Tigris non unus sed duo fluvii fuerunt et

sunt (quod Delitzsch quoque concedit), hagiographus autem testatur quattuor fluvios ante ingressum in hortum fuisse unum fluvium. Propterea Engelkemper (13 sqq) cum pluribus aliis hanc expositionem refutat. — Hummelauer Euphraten et Tigrim, Choaspin et Eulaeum (Tab. I) intellegit et textum sic declarat: „Antiquitus Mare Persicum additum habebat sinum septentrionem versus extendentem usque ultra eum locum, ubi nunc Euphrates et Tigris in unum confluunt, qui sinus (Del. p. 180) non „mare" audiebat sed „flumen" נהר, et quidem nár marrátu, i. e. „flumen salsum". In hunc sinum intrabant „flumina potiora quattuor", videlicet praeter Euphraten etiam Tigris, Choaspes et Eulaeus: ergo Euphrates, fluvius paradisi, egressus ex horto et in aestuarium excrescens, in quod tres alii amnes merguntur, „fit in quattuor capita", i. e. fluenta vel ostia. Sed fallitur Hummelauer. Latinum caput utique tam initium quam ostium fluminis significare potest (*Georges*, Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, Leipzig 1879) contra ראש numquam ostium, sed semper initium fluminis denotat (*Gesenius*, Thesaurus 1250; *Engelkemper*, Die Paradiesesflüsse 12; *Buhl*, Handwörterbuch; *Fürst*, Handwörterbuch).

γ) Hommel (Die altisraelitische Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung, München 1897, 314 sqq; Aufsätze und Abhandlungen III, 1, München 1901, 273 sqq) cum Glaser (Skizze der Geschichte und Geographie Arabiens, Berlin 1890, II, 317 sqq) putat *Pᵉrat* esse quidem Euphraten, sed *Chiddekel* Wadi Sirhân, *Pischon* Wadi ed-Dawâsir, *Gichon* Wadi er-Rumma, qui tres fluvii in Euphraten vel saltem sinum Persicum influebant atque cum eo unum quendam fluvium constituebant: circa hunc fluvium unitum (in regione urbis Eridu) paradisum fuisse. Contra quam opinionem ea repetenda sunt, quae contra Hummelauer notavimus. Textus biblicus fluvium describit, qui ante ingressum in paradisum unus fuit et post egressum ex eo in quattuor initia fluviorum divisus est; Glaser et Hommel vero fluvios ante ingressum divisos et post egressum unitos enumerant. Ob hanc aliasque rationes leviores Engelkemper (9 sq) opinionem, quam Zschokke veri simillimam dicit, recte reprobat.

δ) Dillmann (Genesis), Gunkel (Genesis), Holzinger (Genesis) opinantur situm paradisi determinari non posse; Lagrange (Revue biblique 1897, 365; Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 281) asserit hagiographum descriptione sua hoc solum insinuare voluisse: paradisum in terra quadam amoena fuisse. Verumtamen totus contextus monstrat id, quod Engelkemper candide profitetur, scilicet hagiographum situm paradisi geographice determinare voluisse atque enumeratione fluviorum et terrarum reapse sic determinasse, ut lectores vel auditores eius de hac re dubitare nequirent; pro nobis autem unum saltem certum est videlicet paradisum ad fontes Euphratis et Tigris fuisse, qui fluvii certe intellegendi sunt, quemadmodum fere omnes interpretes catholici et acatholici concedunt.

2. Ex paradiso propter inoboedientiam a Deo eiecti Adam et Eva in terra Eden (cf. 4, 14 16) et quidem probabiliter ab oriente paradisi vel horti Eden, מִקֶּדֶם לְגַן־עֵדֶן, ubi custodes positi erant (3, 24), peregrinarunt. Falso Gunkel et Holzinger affirmant hanc notam iis contrariam esse, quae supra de situ paradisi scripta sunt. Nam iuxta 2, 10 sqq terra Eden et hortus eius utique in oriente, at non in extremo, fuerunt, ut isti gratis textui supponunt; fuerunt in Armenia (pag. 24); ergo Adam et Eva ab oriente horti (3, 24) et Cain cum suis ab oriente terrae Eden (4, 14 16)

commode commorari potuerunt (Tab. I). Adam iuxta omnes testes criticos (cf. § 11) annis 930 vixit; paradisus aliquod temporis spatium, forsitan usque ad diluvium (Lapide, Hoberg) permansit.

Creatio mundi et protoparentum generis humani, eorum status innocentiae, tentatio et peccatum, sequelae peccati necnon promissio Redemptoris in parte altera tractabuntur.

§ 9. De Cain, Abel et Seth.

1. Extra paradisum Adam filios et filias genuit (5, 4), ex quibus tres filii tantum nominantur: Cain, Abel et Seth, quorum facta pro genere humano maximi momenti fuerunt.

a) Primogenitum Eva appellavit *Cain,* קַיִן, dicens (4, 1): *Possedi hominem* vel potius virum *per Deum* vel rectis cum Domino, קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה. Recordata seminis a Domino promissi (3, 15 20) gaudium suum manifestavit, quod gratia eiusdem Domini se revelantis (Comment. 45) filium accepisset (Comment. 98). Secundogenitum appellavit (4, 2) *Abel,* הֶבֶל, i. e. halitum vel vanitatem, quia dono immortalitatis perdito (3, 19) omnis homo vivens vanitas est (Ps 38, 6; 61, 10; *Gesenius,* Thesaurus; *Lapide,* Genesis); filium denique occiso Abel suffectum appellavit (4, 25) ob hanc rationem *Seth,* שֵׁת, i. e. positum vel substitutum a Deo omnipotente, אֱלֹהִים (Comment. 1 110 sq). Tunc enim Eva intellegere debuit Cain non fore auctorem seminis promissi, bonorum diabolum impugnantium ac vincentium (Comment. 75 sqq), idcirco a Seth et posteris eius hanc victoriam praenuntiatam exspectat. — Nomen *Cain* possessum significare posse et nomen *Abel* non ab assyr. *hablu* vel *aplu* derivandum esse in Comment. 99 sqq demonstravimus.

b) Cain agros colebat, Abel autem pecora minora seu oves et capras, צֹאן, pascebat. Ca 130 annum Adae (cf. v. 25 et 5, 3; *Hummelauer,* Genesis 183; *Hoberg,* Genesis 52; *Selbst,* Handbuch 134; *Zschokke,* Historia 38) ambo Domino sacrificium obtulerunt, quo animus eorum patefactus est, quodque idcirco diserte describitur; sacer textus non indicat hoc sacrificium eorum primum fuisse. E contrario, cum ratio ipsa hominem doceat numen supremum muneribus oblatis colendum esse; cum probabiliter Deus in paradiso modum sacrificandi protoparentibus manifestaverit (Comment. 87; *Zschokke,* Historia 37): verisimile est filios quoque protoparentum decurrentibus ca 100 annis saepius sacrificasse. Celebri autem isto sacrificio Cain fructus terrae, qui nullo vocabulo, Abel autem fructus gregis, qui duplici vocabulo laudantur (4, 3 sq), Domino

obtulit; ignis de caelis missus munera Abel, non vero munera Cain consumpsit (Comment. 102; Hummelauer, Dillmann cum Patribus). Rationem internam, ob quam Abel et sacrificium eius Deo placuerunt, Cain et oblatio eius non accepta fuerunt, Paulus (Hebr 11, 4) indicat: Abel fide perfecta ornatus, Cain autem ea orbatus erat.

c) Cain ira et tristitia vehementi affectus (4, 5) atque monitionem benignitatis Dei (4, 6 sq) contemnens fratrem occidit (4, 8); propterea iussu divino terram Eden relinquere et extra eam vagari debuit. Veniam desperans a Domino unam hanc gratiam petiit, ne a consanguineis (5, 3 sq) propter fratricidium necari posset. Signo quodam in Cain conspicuo, probabiliter tremore corporis et vultus consternatione (Comment. 107), Dominus precibus annuens effecit, ut omnes eum videntes agnoscerent hunc esse fratricidam non interficiendum; signum protectionem Dei simulque peccatum Cain loquebatur (4, 9—15). Abhinc Cain ab oriente terrae Eden *vagus et profugus,* נָע וָנָד, habitavit in regione, quae propterea terra Nod, אֶרֶץ־נוֹד, *γῆ Ναΐδ*, appellabatur (4, 16; Vulgata pro Nod habet *profugus*).

d) Cum Adam 130 annorum esset, genuit *Seth* (5, 3), qui pro Abel positus (4, 25) pater bonorum (4, 26 et 5, 6 sqq), factus est, sicut Cain malorum (4, 17 sqq).

2. Plures protestantes (Wellhausen, Budde, Gunkel, Holzinger, Stade) asserunt Cain et Abel non duo individua, sed duas gentes significare; Lagrange (La méthode historique 209 sqq) et alii catholici liberales (Das zwanzigste Jahrhundert, 1906, 283) affirmant Abel = pastorem atque Cain = fabrum ferrarium duas artes vel professiones innuere. Contra has opiniones notamus: a) Usus loquendi et contextus monstrant scriptorem inspiratum vera individua et gesta eorum describere voluisse (*Gunkel,* Genesis 44 et 49); scriptores inspirati autem suas, i. e. inspiratorum, sententias proferentes falsa proponere nequeunt (cf. pag. 9); ergo Cain et Abel duo individua fuerunt. b) Christus et hagiographi Nov. Test. confirmant Abel exstitisse, iustum fuisse et sanguinem dedisse (Mt 23, 35); hostiam obtulisse Deo magis placentem quam munera Cain, testimonium iustitiae accepisse et per fidem etiam post mortem loqui (Hebr 11, 4; 12, 24); Cain malignum fratrem iustum occidisse (1 Io 3, 12). Quae sententiae iuxta usum loquendi biblicum enuntiant Cain et Abel duo individua intellegendos esse, unum iustum et alterum iniustum. Tales vero sententiae Christi et hagiographorum Nov. Test. falsae esse nequeunt (cf. pag. 12). c) Qui fuerint Cain et Abel quidque fecerint, ipse Adam per 800 annos posteris suis testari potuit; etiam a morte Adae usque ad Moysen non est spatium vacuum, sed continua serie testium longaevorum et simul viventium repletum (cf. pag. 23): ergo Moysi Cain et Abel ut individua proponenti (vide a) etiam hoc respectu naturali credendum est. d) Neque protestantes neque Lagrange argumenta logice valida afferunt; quod autem gratis asseritur, gratis negari potest, docent logici.

§ 10. De Cainitis et Sethitis.

1. Posteri Cain, quorum Scriptura sex generationes enumerat quin tamen annos eorum notet, in rebus saecularibus prudentes et in moralibus mali (§ 11) fuerunt; posteri Seth autem, quorum novem generationes recensentur et numeri annorum notantur (§ 11), Dominum colebant et providentiae eius confidebant.

a) Generationes Cainitarum ac Sethitarum sequentes sunt (4, 17 sqq; 5, 3 sqq):

Adam

Cain	Abel	Seth
Henoch (Chanoch)		Enos
Irad (ʿIrad)		Cainan (Kenan)
Maviael (Mechuia'el)		Malaleel (Mahalaleel)
Mathusael (Methuscha'el)		Iared (Iered)
Lamech (Lemech)		*Henoch (Chanoch)*
Iabel (Iabal) et Iubal Tubalcain et Noema (Naama)		Mathusala (Methuschelach)
		Lamech (Lemech)
		Noe (Noach)
		Sem Cham Iapheth (Iepheth)

b) De prudentia Cainitarum saeculari hagiographus haec litteris mandavit. *Cain* ipse aedificavit civitatem, עִיר, i. e. habitacula fixa et circumvallata (4, 17), quam ex nomine primogeniti sui *Henoch,* i. e. initiantis (*Gesenius,* Thesaurus), appellavit insinuans se urbem pro posteris suis, non pro semetipso vago et profugo (4, 12 14) destinasse. Cum hagiographus non scribat urbem magnam fuisse, statim post nativitatem Henoch inchoatam atque a Cain consummatam esse, hic v. 17 contextui non contrarius est: etiam pro paucis habitacula fixa et circumvallata aedificari possunt (Comment. 107 sq). *Iabel* vel Iabal, i. e. perambulans (*Fürst,* Handwörterbuch), invenit novum modum vivendi, videlicet habitandi in tabernaculis mobilibus, et cum gregibus perambulandi, qui modus hodie quoque a nomadibus conservatur (Fig. 3, p. 30); *Iubal,* i. e. canens (*Fürst,* Handwörterbuch), fuit auctor eorum, qui citharam et fistulam (organum) tractant; *Tubalcain* autem pater omnium fabrorum aerariorum et ferrariorum (4, 20 sqq). Quod malitiam Cainitarum attinet, *Lamech,* i. e. ferox (*Fürst,* Handwörterbuch), polygamiam introduxit (4, 19), ob tenue vulnus sibi inflictum adulescentem occidit atque ultione expleri voluit (4, 23 sq); *Noema,* i. e. suavis (*Gesenius,* Thesaurus), vero Sethitas in corruptionem morum (cf. 6, 3; Hoberg, Hummelauer) pellexit.

c) In Sethitis Scriptura documenta pietatis commemorat. *Enos,* i. e. homo fragilis (*Dillmann,* Genesis 105), coepit nomen Domini

invocare: fragilitatis suae conscius Domino confidere eumque protectorem suum profiteri (4, 26). *Henoch* atque *Noe* tam sancte et iuste vixerunt, ut ille sine morte a terra in alium locum amoenum translatus (5, 22 sqq; Comment. 124 sq); hic vero cum uxore in diluvio servatus sit (§ 12). *Sem, Cham, Iapheth* cum uxoribus pietatem patris ita imitati sunt, ut simul servarentur (§ 12). *Mathusalam* atque *Lamech* impios fuisse, ut nonnulli opinabantur, ex Scriptura probari nequit. Schöpfer-Rousselle (Storia 66) asserit quidem (cum *Holzinger,* Genesis 63), a Petro (2 Petr 2, 5) Noe *octavum iustitiae praeconem* nominari; ergo Mathusalam et Lamech (iuxta

Fig. 3. Tabernacula mobilia hodierna in Garizim.

Holzinger forsitan Mathusalam et Adam) e serie praeconum iustitiae excludi; at commentatores istius epistolae (Bisping, Burger, Kühl) docent numerale *octavum* non cum *iustitiae praeconem* sed cum *Noe* coniungendum esse, cui a Petro anteponitur: *Et originali mundo non pepercit,* inquit, *sed octavum Noe iustitiae praeconem*, i. e. cum septem aliis, *custodivit, diluvium mundo impiorum inducens* (Comment. 174). Quodsi Mathusala anno diluvii mortuus nuntiatur (§ 11), inde non sequitur eum diluvio periisse; potuit etiam ante inchoatum diluvium, i. e. ante mensem Novembrem (§ 12), animam efflare. Et si quidam affirmarunt Mathusalam sibi Noemam uxorem adiunxisse et ab ea seductum esse, Lamech autem de Noe impie

prophetasse, asserta sua neque usu loquendi neque contextu probare potuerunt (Comment. 120). Quae cum ita sint, Mathusalam et Lamech quoque pios iudicare possumus.

2. Ambae genealogiae supra enumeratae neque ex unica genealogia originali confictae neque ex traditione Babylonia sumptae sunt, neque nomina heroum eponymorum continent neque antecedentibus contradicunt.

a) Plurimi interpretes acatholici (cf. *Strack,* Genesis ² 23 sq) et catholici liberales istos sequentes (cf. *Rousselle,* Storia 64 sq) contendunt unicam genealogiam originalem bis poni: primo ut genealogiam Cainitarum et secundo ut genealogiam Sethitarum. Quam assertionem Strack merito repudiat, nam: α) duo tantum nomina, Henoch et Lamech, sunt eadem, reliqua sunt similia. β) Ex iisdem nominibus iuxta praecepta logica atque experientiam non licet inferre easdem personas consignari. γ) Ne eadem nomina confusionem parerent, hagiographus notas quasdam adiecit: ex nomine Henoch Cainitae prima urbs vocatur, Henoch Sethita propter sanctitatem eximiam transfertur sine morte; Lamech Cainita polygamiam introducit et adulescentem occidit, Lamech Sethita de filio prophetat. δ) In genealogia Cainitarum tria nomina genealogiae Sethitarum, videlicet Seth et Enos et Noe, desunt. ε) In genealogia Cainitarum Lamecho tres filii et una filia ascribuntur, in genealogia Sethitarum autem Lamecho unus Noe, qui tres filios habuit, tribuitur. ζ) Etiam si Seth et Enos et Noe omittamus, etiam si supponamus Cainan = Cain, Iared = Irad, Malaleel = Maviael, Mathusala = Mathusael: tamen gravissimae remanent differentiae. Nam *Henoch* in tabula Cainitarum filius Caini = Cainani et pater Iradi = Iaredi, in tabula Sethitarum autem filius Iradi = Iaredi et pater Mathusaelis = Mathusalae scribitur; *Irad* = *Iared* in tabula Cainitarum filius Henochi et pater Maviaelis = Malaleelis, in tabula Sethitarum autem filius Maviaelis = Malaleelis et pater Henochi asseritur; *Maviael* = *Malaleel* in tabula Cainitarum filius Iradi = Iaredi et pater Mathusaelis = Mathusalae, in tabula Sethitarum autem filius Caini = Cainani et pater Iradi = Iaredi dicitur. Ex una eademque genealogia traditionem popularem a Sem usque ad Moysen duas finxisse, easque tam horrende sibi contradicentes, viventibus testibus longaevis (cf. pag. 23), improbabilissimum est; Moysen vero eruditum *omni sapientia Aegyptiorum* (Act 7, 22) istas genealogias operi inseruisse, quin ad contradictiones horrendas animadverteret atque annotaret, semetipsum contrarias genealogias inventas conservare dumtaxat et non approbare velle, impossibile est, praesertim si inspiratio eius spectetur (cf. pag. 10). Ergo duae genealogiae originales accipiamus oportet, unam malorum et alteram bonorum posterorum Adae, uti contextus indicat et antiquitas docuit et catholica inspirationis notio postulat.

b) Plures acatholici atque etiam catholici liberales interpretes (cf. Rousselle) cum *Schrader-Zimmern,* Die Keilinschriften 539, valde probabile ducunt traditionem biblicam de 10 patriarchis antediluvianis ex traditione Babylonia de 10 regibus antediluvianis haustam esse; Nikel (Genesis 171) et Selbst (Handbuch 146 sq), Dillmann (Genesis 109) et Strack (Genesis ² 24) aliique negant. Licet enim inter tabulam biblicam et Babyloniam similitudines quaedam agnoscendae sint, tamen dissimilitudines tam graves sunt, ut biblica ex Babylonia sufficienter declarari nequeat. Quod ut melius pateat, tabulam biblicam Sethitarum iuxta probabiliorem textum Hebraicum (§ 11) atque tabulam Babyloniam ex Beroso (*Schrader-Zimmern,* Die Keilinschriften 531) synoptice proponimus.

Tabula biblica.			Tabula Babylonia.		
1. Adam	vixit	930.	1. Aloros	regnavit	36 000 annis.
2. Seth	„	912.	2. Alaparos	„	10 800 „
3. Enos	„	905.	3. Amelon	„	46 800 „
4. Cainan	„	910.	4. Ammenon	„	43 200 „
5. Malaleel	„	895.	5. Megaloros	„	64 800 „
6. Iared	„	962.	6. Daonos	„	36 000 „
7. Henoch	visus	365.	7. Euedorachos	„	64 800 „
8. Mathusala	vixit	969.	8. Amemspinos	„	36 000 „
9. Lamech	„	777.	9. Otiartes	„	28 800 „
10. Noe	„	950.	10. Xisuthros	„	64 800 „

Ex hac synopsi patent α) similitudines: decem viri recensentur, cuilibet longum vitae tempus tribuitur, tertius appellatur homo (Enos = homo, Amelon = amêlu = homo), quartus vocatur opifex (Cainan = faber? iuxta Fürst = filius, Ammenon = ummânu = opifex), septimus nominatur initiatus seu magister (Henoch et Euedorachos = Enmeduranki = scientiis initiatus), decimus tempore diluvii vivens proponitur (Comment. 127). Sed patent etiam β) dissimilitudines: pleraque nomina diversa sunt, patriarchae auctores generis humani sed viri Babylonii reges unius populi fuerunt, in tabula biblica anni vitae sed in tabula Babylonia anni regiminis numerantur; numeri biblici utique magni sed numeri Babylonii omnino fabulosi sunt, in tabula biblica omnes numeri diversi sunt sed in tabula Babylonia primo et sexto et octavo 36 000 atque quinto et septimo et decimo 64 800 assignantur, iuxta traditionem biblicam septimus post 365 annos non amplius in terra apparuit sed iuxta traditionem Babyloniam 64 800 annis regnavit. Quae cum ita sint, traditio biblica ex traditione Babylonia non fluxit; ambae traditiones ex communi generis humani traditione fluxerunt, quam tabula Babylonia fabulosam exhibet sed Moyses inspiratus puram litteris mandavit (cf. pag. 10).

c) Gunkel (Genesis 48 sq) affirmat nomina genealogiarum antiquos deos aut heroes eponymos gentium vel urbium significare; Lagrange (La méthode historique 212), Koch (Das zwanzigste Jahrhundert, 1906, 283) aliique interpretes liberales addunt ista nomina saltem ex parte denotare fictos inventores artium vel professionum, non autem individua historica. Verumtamen haec opinio cum iis conciliari nequit, quae Lc 3, 23 sqq legimus. Hic enim inspiratus auctor vel potius Deus inspirans testatur illos viros Noe, Lamech, Mathusala, Henoch, Iared, Malaleel, Cainan, Henos, Seth eadem ratione qua Zorobabel, Salathiel, David aliasque personas certo historicas fuisse proavos Iesu Christi; atqui antiquos deos, heroes eponymos gentium et urbium, fictos inventores artium auctor inspiratus proprio nomine loquens proavos Christi enumerare nequit (cf. pag. 9 sqq); ergo nomina genealogiae Sethitarum, quacum genealogia Cainitarum cohaeret, vera individua historica significant.

d) Idem Gunkel (Genesis 36 sq) invenit notas quasdam nominibus genealogiae Cainitarum adiunctas narrationi antecedenti contrarias esse; sed omnes contradictiones a Gunkel iuventae evanescunt, si textus biblici conferantur. Etenim Cain, qui vagus et profugus erat (pag. 28), urbem non pro semetipso sed pro posteris suis aedificavit (pag. 29 sq). Iabel autem ab hagiographo non primus pastor, non inventor educationis pecorum ut Abel, sed inventor novi modi describitur (pag. 30). Denique si Enos coepit auxilium et protectionem Iahve invocare et profiteri, inde non sequitur nomen Iahve antea incognitum fuisse (Comment. 114); ergo non est contradictio, si nomen Iahve iam in antecedenti narratione occurrat.

§ 11. De filiis Dei et filiabus hominum.

1. Sethitae boni, qui filii Dei nominantur, cum Cainitis malis seu filiabus hominum matrimonio coniuncti sunt et gigantes, homines robustos sibique confidentes et intemperantes procrearunt (6, 1—12).

a) Filii Dei vocantur in libris historicis Veteris et Novi Testamenti homines pii, Deum verum colentes et invocantes (Comment. 127), quales Sethitae erant (pag. 29 sq); e contrario filii hominum homines mali, prudentiae et virtuti humanae confidentes Deumque parum curantes intellegendi sunt, quales Cainitae erant, praecipue Cain (pag. 28) atque Lamech (pag. 29), cuius filia probabiliter prima Sethitae cuidam nupsit (pag. 29). Quod plures antiquiores ac recentiores interpretes docuerunt, scilicet filios Dei cum filiabus hominum matrimonium ineuntes fuisse Angelos omnino falsum est. Nam Angeli vocantur quidem nonnumquam filii Dei, sed in libris poeticis tantum; ipsi in Scriptura numquam matrimonia contrahere et filios gignere dicuntur, Christus (Mt 22, 29 sq) diserte contrarium testatur; si Angeli cum filiabus hominum peccassent, etiam cum iis puniti fuissent, textus autem de punitione hominum dumtaxat loquitur. Falsum quoque est, quod Dillmann (Genesis 118) et Gunkel (Genesis 51) affirmant, videlicet a scriptore Genesis hic fragmentum mythologicum narrationi insertum esse. Nam auctor inspiratus traditionem vel documentum antiquum suum facit et approbat atque ex coniugiis filiorum Dei et filiarum hominum corruptionem morum indeque sequentem poenam declarat; ergo narratio mythologica seu falsa esse nequit (cf. pag. 11).

b) Ex coniunctione Sethitarum et Cainitarum gigantes, נְפִלִים, prodierunt, qui erant statura magna et robusti, sibi confidentes et superbi, intemperantes (Bar 3, 26 28. Eccli 16, 8. Sap 14, 6). Illos fabulosae magnitudinis atque virium ingentium fuisse in nullo loco Scripturae legimus. Exploratores Palaestinae mentientes quidem narrarunt se vidisse monstra gigantea, quibus comparati quasi locustae viderentur; sed Caleb et Iosue veraces pronuntiarunt populum Palaestinae sicut panem ab Israelitis devorari posse (Nm 13, 33 sq; 14, 9 23). Regis Og gigantis monstrabatur utique lectus ca $4^1/_2$ *m* longitudinis et ca 2 *m* latitudinis (Dt 3, 11), at non lectus proprie dictus sed sarcophagus intellegendus est (Comment. 131). Gigantes igitur fuerunt etiam post diluvium, fuerunt iam ante coniunctionem Sethitarum et Cainitarum (6, 4): „praecipue autem multiplicati sunt ex illis matrimoniis mixtis, in quibus libido tantum viguit“ (*Zschokke,* Historia 41, cum *Lapide,* Genesis; cf. 6, 2 4).

Tabula patriarcharum antediluvianorum.

Patriarcha	Genuit						Vixit			Obiit					
anno	vitae			mundi			postea			vitae			mundi		
iuxta	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX
1. Adam . .	130	130	230	130	130	230	800	800	700	930	930	930	930	930	930
2. Seth . .	105	105	205	235	235	435	807	807	707	912	912	912	1042	1042	1142
3. Enos . .	90	90	190	325	325	625	815	815	715	905	905	905	1140	1140	1340
4. Cainan . .	70	70	170	395	395	795	840	840	740	910	910	910	1235	1235	1535
5. Malaleel .	65	65	165	460	460	960	830	830	730	895	895	895	1290	1290	1690
6. Iared . .	162	62	162	622	522	1122	800	785	800	962	847	962	1422	1307	1922
7. Henoch .	65	65	165	687	587	1287	300	300	200	365	365	365	987	887	1487
8. Mathusala	187	67	167 *187*	874	654	1454 *1474*	782	653	802 *782*	969	720	969	1656	1307	2256
9. Lamech .	182	53	188 *182*	1056	707	1642 *1656*	595	600	565 *595*	777	653	753 *777*	1651	1307	2207 *2251*
10. Noe . .	500	500	500	1556	1207	2142 *2156*	450	450	450	950	950	950	2006	1657	2592 *2606*
Diluvium . .	600	600	600	1656	1307	2242 *2256*									

Tabula patriarcharum postdiluvianorum.

Patriarcha	Genuit						Vixit			Obiit					
anno	vitae			mundi			postea			vitae			mundi		
iuxta	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX	H	S	LXX
11. Sem . .	100	100	100	1658	1309	2244 *2258*	500	500	500	600	600	600	2158	1809	2744 *2758*
12. Arphaxad .	35	135	135	1693	1444	2379 *2393*	403	303	430	438	438	565	2096	1747	2809 *2823*
13. Cainan .	.		130			2509 *2523*			330			460			2839 *2853*
14. Sale . .	30	130	130	1723	1574	2639 *2653*	403	303	330	433	433	460	2126	1877	2969 *2983*
15. Heber . .	34	134	134	1757	1708	2773 *2787*	430	270	370	464	404	504	2187	1978	3143 *3157*
16. Phaleg .	30	130	130	1787	1838	2903 *2917*	209	109	209	239	239	339	1996	1947	3112 *3126*
17. Reu . .	32	132	132	1819	1970	3035 *3049*	207	107	207	239	239	339	2026	2077	3242 *3256*
18. Sarug . .	30	130	130	1849	2100	3165 *3179*	200	100	200	230	230	330	2049	2200	3365 *3379*
19. Nachor .	29	79	79	1878	2179	3244 *3258*	119	69	129	148	148	208	1997	2248	3373 *3387*
20. Thare . .	70	70	70	1948	2249	3314 *3328*	135	75	135	205	145	205	2083	2324	3449 *3463*
Abrahae nativitas . . .				1948	2249	3314 *3328*									

Istos homines sceleratissimos fuisse hagiographus testatur scribens (6, 5) *quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.*

2. Homines priorum mundi aetatum non solum robustiores, verum etiam longaeviores fuerunt quam nos. Ante diluvium omnes Patriarchae plus quam 777, septem plus quam 900 annis vixerunt; post diluvium Sem 600, quattuor plus quam 400, tres plus quam 200, reliqui plus quam 100 annis vixerunt. Ob commoditatem tabulam patriarcharum antediluvianorum et postdiluvianorum ex adverso ponuntur (videas pag. 34 et 35).

a) Numeri alii in textu Hebraico (H) alii in Samaritano (S) alii in Graeco recepto (LXX) alii in textu Iosephi Flavii *(cursive)* exsistunt: probabiliores censemus Hebraicos, qui Vulgata et Peschitta confirmantur neque tam aequaliter et consequenter ordinati sunt quam ceteri (Comment. 121 et 215). Graecum textum receptum saltem in loco uno corruptum esse eo demonstrari potest (§ 12), quod Mathusala 14 annis post diluvium mortuus scribatur.

b) Haec longaevitas patriarcharum fabulosa vel phantastica dici nequit. Nam idem Deus inspirans, qui iuxta omnes testes criticos hominibus priorum mundi aetatum vitam mire longam tribuit, saeculis subsequentibus septuaginta vel octoginta vel centum annos assignat (Ps 89, 10. Eccli 18, 8). Ergo propter auctoritatem Dei loquentis (cf. pag. 9) non tantum breviorem sed etiam longiorem vitam credere debemus (Comment. 123); etiam in hac causa auctor inspiratus ea sola expressit infallibili veritate quae Deus iussit (pag. 9), ideoque vera dumtaxat enuntiavit, quod catholici liberales immerito addubitant.

c) Alia quaestio est, quomodo longaevitas patriarcharum explicanda sit. Olim aliqui putarunt annos non spatia duodecim sed pauciorum mensium designare; quae opinio hodie obsoleta est, quia usui loquendi atque contextui contradicit (*Holzinger,* Genesis 64). Nunc conservantes interpretes catholici et Strack protestans (Comment. 123) istam longaevitatem primaevae bonitati complexionis humanae, originali vigori fructuum et alimentorum, cooperationi divinae adiudicant. Vere et belle Zöckler-Strack (Genesis[2] 48) longaevitatem patriarcharum splendorem paradisi magis magisque praesertim post diluvium obsolescentem appellat.

d) Iuxta tabulam priorem diluvium probabilius anno 1656 (secundum alios testes criticos 1307 vel 2242 vel 2256) post creationem hominis venit, neque quicquam impedit quominus hunc nume-

rum retineamus. Iuxta tabulam alteram Abraham probabilius anno 1948 (secundum alios testes criticos 2249 vel 3314 vel 3328) natus esset. Sed inter 1656 atque 1948 (vel 1307 et 2249 vel 2242 et 3314 vel 2256 et 3328) ex una familia Noe gentes prodire et ex confusa lingua originali linguae variae excoli nequiverunt, quapropter membra intermedia omissa esse concedere debemus (cf. § 16).

PERIODUS II.

A NOE USQUE AD ABRAHAM.

§ 12. De diluvio universali.

1. Propter communem morum corruptionem, a qua paucissimi tantum excepti erant (6, 3—11), Dominus homines impios aquis delevit, iustum autem Noe cum familia in arca servavit.

a) Dominus peccatoribus spatium resipiscentiae 120 annorum concessit (6, 3 et Comment. 129), quo Noe arcam exstruxit, verbo et facto praeco iustitiae (2 Petr 2, 5) exsistens. Quia Noe, cum tres filios gigneret, fuit 500 annorum (5, 31), cum autem aquae diluvii venirent, 600 annorum (7, 11 et Comment. 141); et quia filii eius iam uxores habebant, cum exstructio arcae mandabatur (6, 18): Noe non per 100, sed per 50—70 annos arcam aedificasse videtur (Comment. 138 sq).

b) Arca vel cista, תֵּבָה, fuit fabricata ex lignis piceis, עֲצֵי־גֹפֶר, probabiliter cupressis atque intrinsecus et extrinsecus bitumine seu asphalto linita, cuius longitudo 300 cubitorum = 157,5 *m*, latitudo 50 cubitorum = 26,25 *m*, altitudo 30 cubitorum = 15,75 *m* erat, si cubitum maiorem seu Babylonium accipiamus (Comment. 135). Constabat ex parvis habitaculis, קִנִּים, quae in tria tabulata, תְּחְתִּים שְׁנִים וּשְׁלִשִׁים, distributa fuerunt, habebatque in latere ostium. Inter tectum et tigna arcae fuit fenestra, צֹהַר, i. e. foramen unius cubiti = 0,525 *m*, quae mensura de latitudine intellegenda est; propter multitudinem animalium in arca commorantium istud foramen per quattuor partes continuum fuisse videtur, utique malis tectum sustinentibus interruptum atque foriculis vel clatris partim occlusum (6, 14—16 coll. 8, 6). Talis cista (Fig. 4, pag. 38) ad recipienda ac portanda animalia et alimenta magis apta fuit quam navis, quod arcae 1609—1621 in Batavia aedificatae commonstrarunt.

c) Hanc cistam, quae minor fuit quam navis media basilicae Vaticanae (187 *m* long., 25 *m* lat., 45 *m* alt.), Noe infra 50—70 annos fabricare potuit. Etenim non solum filii et servi eius, verum

etiam operarii conducti necnon arbores altissimae praesto erant. Si nunc in silvis vetustissimis Americae et Australiae arbores 50—150 *m* altae reperiuntur, primis temporibus probabiliter grandiores erant, uti ex reliquiis in visceribus terrae inventis recte colligimus (Comment. 123 139).

d) Intra septem dies Noe ex cunctis animantibus terrae mundis septem paria, ex immundis autem unum par (Comment. 139 sq) simulque alimenta pro hominibus et animalibus congrua ac necessaria in arcam introduxit. Die septimo etiam Noe cum uxore et



Fig. 4. Arca Noe (secundum Calmet).

tribus filiis eorumque uxoribus in arcam ingressus est, quam Dominus ita clausit, ut nemo hominum reliquorum eam intrare posset (7, 1—16 et Comment. 139 sqq).

Hagiographus non asserit unico die septimo familiam Noe et omnia animantia in arcam intrasse, quemadmodum Gunkel (Genesis) et Holzinger (Genesis) supponunt, nam perfectum in 7, 13 sqq iuxta usum loquendi Hebraicum notissimum etiam pro plusquamperfecto linguarum aliarum ponitur. Neque affirmat animalia omnia etiam effera naturali prorsus modo infra septem dies collecta et in cistam introducta esse; Lapide (ad Gn 6, 20) recte notat illa „vel Dei instinctu vel Angelorum impulsu“ venisse. Cum phrasis שְׁנַיִם שְׁנַיִם, *duo duo* (= bina) iuxta vv. 9 et 15 sq unum masculum et unam feminam seu par unum significet, etiam altera שִׁבְעָה שִׁבְעָה *septem septem* (= septena) propter paritatem septem masculos et septem feminas seu paria septem significare debet (Comment. 139 sq). Ex eo quod nullus praeter familiam Noe in arca servatus sit, inferamus oportet ceteros homines tunc viventes fuisse malos; nonnulli tamen crescentibus aquis diluvii ad Deum conversi et salvati sunt (1 Petr 3, 19 sq).

e) Die 17 mensis 2 diluvium, הַמַּבּוּל, incepit. Quia antiquitus annus non verno, sed autumnali tempore inchoabatur, mensis 2 iuxta nostram computandi rationem a medio Octobri usque ad medium Novembrem currebat, et aquae diluvii initio Novembris venerunt (Comment. 142). Per 40 dies tam vehementes imbres cadebant, ut cataractae seu cancelli caeli vel firmamenti apertae; tam ingentes inundationes fiebant, ut fontes abyssi rupti viderentur (ib.): itaque aquae multiplicabantur, ut omnes montes operirent eosque quindecim cubitis = 7,875 *m* excederent; arca vero ferebatur super aquas. Decursis 40 diebus cataractae caeli et fontes abyssi clausi sunt quidem (8, 2), sed aquae usque ad diem 150 terram cooperuerunt seu obtinuerunt (7, 24; Comment. 146); omnes homines cunctaeque bestiae terrestres extra arcam constitutae aquis deletae sunt (7, 11—24).

f) Post 150 dies Deus ventum adduxit et effecit, ut aquae magis magisque imminuerentur (8, 1—3; Comment. 146 sq). Mense 7 istius anni, qui a medio Martio usque ad medium Aprilem currebat, et quidem die 17, ergo initio Aprilis arca super montes Armeniae seu Ararat, אֲרָרָט, consedit.

Secundum LXX et Vulgatam arca die vigesimo septimo in monte requievit; sed contextus (7, 24 et 8, 14) postulat, ut lectionem textus Hebraici, Samaritani et Syriaci praeferamus. Qui textus sacer montem, in quo arca consedit, non nominat; nam illa verba *montes Armeniae* vel potius τὰ ὄρη τὰ Ἀραράτ simpliciter regionem montuosam in media fere Armenia sitam significant, quin montem quendam singularem indicent. Multi tamen Ararat maiorem intellegunt. In regione enim montuosa Ararat est mons excelsus et aeternis nivibus tectus, quem Armeni *Ararat* vel *Massis* (magnum), Persae *Kuhi Nuch* (montem Noah) vocant. Cuius cacumen orientale seu Ararat minor 3914 *m* (Brockhaus), iuxta alios 3960 *m* (Herder), cacumen autem occidentale seu Ararat maior 5156 *m* (Brockhaus), iuxta alios 5160 vel 5211 *m* (Herder) altum est, in quo arca probabiliter requievisse dicitur (Comment. 147).

g) Die 1 mensis 10, qui a medio Iunio usque ad medium Iulium currebat, apparuerunt cacumina montium Armeniae. Post 40 dies Noe corvum emisit, qui non revertebatur in arcam (Comment. 148) itaque monstrabat se loca ad requiescendum apta et cibos sufficientes invenire. Cum corvi etiam in cacuminibus montium habitent, Noe autem explorare vellet, utrum etiam humus et convalles ab aquis liberatae essent (8, 8), post 7 dies columbam in convallibus habitantem emisit (Comment. 149), quae in arcam reversa est; quia columbae limum abhorrent et loca sicca amant (*Hummelauer,* Genesis 271), Noe intellegere potuit humum et convalles nondum siccatas esse. Exspectatis igitur iterum 7 diebus secundo columbam

emisit, quae vespere in arcam rediit portans folium olivae recens (Fig. 5); ergo aquae iam multum recesserant, nam columba interdiu cibum et loca sicca invenit et folium olivae decerpere potuit, quae in regionibus demissis crescit (Comment. 150). Noe iterum 7 dies exspectavit et columbam tertio emisit, quae ultra non reversa est, ergo sicca loca pro se sufficientia invenerat. Totam humum Noe die 1 mensis 1 anni sequentis, i. e. medio Septembri, exsiccatam, licet adhuc limosam et caenosam, vidit, postquam tectum arcae amoverat; die 27 mensis 2 denique, i. e. mense Novembri quasi medio, tota terra perfecte siccata erat, et Noe ex arca egredi iussus est (8, 5—17), in qua per 375 dies commorabatur.

Fig. 5. Noe columbam recipit.
(Catacumbae S. Domitillae.)

In descriptione diluvii duplex numeratio occurrit: numeratio mensium et dierum. Si annos solares intellegimus simulque attendimus in altera numeratione quaedam nec asseri nec negari, inter utramque numerationem nulla invenitur contradictio. Aegyptii iam ab anno c. 4000 a. Chr. iuxta annos solares (12 menses 30 dierum, quibus in fine anni 5 dies addebant) tempus computarunt, quem morem etiam Arabes, Chananaei et Israelitae sequebantur (*Beer-Guthe*, Bibelwörterbuch 282; *Strack*, Genesis ²31), quare eum in descriptione diluvii quoque observatum censemus et in synopsi sequenti retinemus.

Numeratio mensium.			Numeratio dierum.	
Die 17 mensis 2 diluvium incipit. Die 17 mensis 7 arca requiescit.	Sunt 5 menses seu dies	150	150	diebus aquae diluvii terram obtinent, postea paulatim decrescunt.
Interiacent dies		*73*	*Nec asseruntur nec negantur.*	
Die 1 mensis 10 cacumina apparent.	Sunt 3 menses seu dies	90	61	post 40 dies emittitur corvus post 7 dies primo columba post 7 dies secundo columba post 7 dies tertio columba, quae non revertitur.
Die 1 mensis 1 humus sicca est.	cum intercalaribus	5		*Hagiographus non asserit iam tunc totam terram siccam fuisse.*
Interiacent dies		*57*	*Nec asseruntur nec negantur.*	
Dies 27 mensis 2 terra arida est.			*Omnino tacetur.*	
Summa: dies		*375*	*Omnino tacetur.*	

Si hagiographus annum lunarem intellexisset, inter utramque numerationem contradictio exsisteret; nam quinque menses priores anni lunaris non 150, sed vel 145 vel 147 dies essent. Licet haec differentia parva sit et numerus 150 summatim comprehensus esse possit, tamen melius

illa sententia praefertur, ex qua nulla contradictio sequitur, et quae cum numeratione aliorum populorum optime congruit. Ceterum si anni lunares intellegantur, diluvium non 365 dies durasset, quemadmodum multi affirmant, sed 364, quod in Comment. 152 probatur.

h) Egressus ex arca cum familia sua et omnibus animantibus Noe ex qualibet specie animalium mundorum Domino holocaustum obtulit, par unum igne totum consumens. Deus sacrificium benigne suscepit, promisit se generi humano tale diluvium non amplius adducturum esse, hominibus et bestiis benedictionem originalem iterum impertivit et arcum pluvium signum foederis constituit (8, 18—9, 17). Ex quo textu non sequitur arcum pluvium ante diluvium non fuisse, sed post illud a Deo in nubibus positum esse, ut nonnulli acatholici eum interpretantur; sacer textus id tantum enuntiat: Deum cum iride novam coniunxisse significationem. Quia causa et generatio iridis omnino naturalis est, videlicet reverberatio radiorum solis in nube rorida, concludere debemus iridem iam ante diluvium fuisse (Comment. 161).

2. Hoc diluvium non geographice, sed anthropologice universale fuit, i. e. aquae e caelo et mari venientes non totam continentem cum universis montibus involverunt, sed omnes omnino homines extra arcam commorantes deleverunt.

a) Universalitatem diluvii geographicam *α*) neque Scriptura neque Traditio neque analogia fidei neque scientia naturalis docet. Quod Scripturam attinet, in Genesi nonnulla quidem inveniuntur, quae universalitatem geographicam docere videntur. Etenim primo omnes homines et animalia terrestria, universa caro subter caelum, omnis substantia creata terrestris aquis delenda praenuntiantur (6, 7 11 sqq 17; 7, 4); ex omnibus animalibus paria in arcam sumenda mandantur, ut salvetur semen super faciem universae terrae (7, 2 sq); aquae omnes montes excelsos sub universo caelo operuisse (7, 18 sqq), omnem carnem omnemque substantiam super terram consumpsisse (7, 21 sqq), universam terram replevisse (8, 9) narrantur. Attamen Gn 41, 54 sqq et Dt 2, 25 commonstrant nomina universae terrae et omnis caeli saepius totam quandam partem caeli et terrae significare, quare etiam phrases *omnes montes, omnis substantia, omnis caro* de illa parte caeli et terrae intellegi possunt. — Secundo Deus voluit, ut familia Noe et species animalium in arca servarentur (6, 14 sqq; 7, 1 sqq), ex quo sequi videtur diluvium geographice universale fuisse, quia alioquin homines et bestiae mutatione loci se salvare potuissent. Sed Deus ob aliam rationem non demigrationem, sed exstructionem arcae in salutem generis

humani elegit, videlicet ut Ecclesia praefiguraretur (videas b, *α*); ergo ex ista voluntate Dei universalitas diluvii geographica inferri nequit. — Tertio Deus hominibus promisit terram ultra non dissipandam esse tali diluvio (9, 11 15); atqui diluvium geographice partiale etiam postea saepius erat; ergo primum diluvium geographice universale fuit. Respondemus: diluvium geographice partiale utique saepius erat, at non tale quale primum fuit, videlicet anthropologice universale; ergo conclusio non valet.

Si Traditionem inquiramus, verum quidem est Patres, theologos et interpretes Ecclesiae usque ad saec. XVII (*Schanz*, Apologie I 775) universalitatem diluvii geographicam communiter tradidisse; sed hanc explicationem suam neque directe neque indirecte qua sensum Ecclesiae vel fidei morumve doctrinam proposuerunt; ergo adest quidem unanimis consensus materialis, sed non formalis; adest communis opinio doctorum privatorum, sed non Traditio Ecclesiae sensu stricto accepta (Exegetica 64 sq). Verum quoque est in variis populis terrae traditiones de diluvio inveniri (vide 3); sed tales traditiones neque apud omnes populos inveniuntur (ib.) neque apud singulos memoria diluvii universalis, verum saepius inundationis particularis sunt; ergo universalitatem geographicam non probant (Comment. 171 sq). — Diluvium geographice universale ab analogia fidei seu convenientia omnium veritatum a Deo revelatarum et ab Ecclesia conservatarum (Exegetica 66 sqq) non postulari; sententiam illorum qui diluvium geographice partiale defendunt, doctrinis ecclesiasticis non contrariam esse nunc omnes concedunt.

Ea denique, quae ex scientia naturali afferuntur, primo quasi aspectu geographicam universalitatem diluvii docere videntur; accuratiore tamen examine instituto prima apparentia disparet. Etenim vestigia geologica, i. e. arena marina, conchylia, fossilia animantium in montibus 4000 et 5000 *m* altis inventa necnon rupes erraticae peremptorie quidem diluvium comprobant, at diluvium geologicum, non biblicum; nam diluvium unius anni talia vestigia relinquere non potuit. Leges notissimae autem, iuxta quas aquae in partes magis depressas diffluunt, non postulant, ut diluvium geographice universale statuamus; sufficit, ut cum Hummelauer, Hoberg, Zschokke aliisque (Comment. 142 sq) concedamus in parte continentis ab hominibus habitata depressiones terrae factas fuisse. Cum montes summi (8840 *m*) in globo 2 *m* diametri qua elevationes 1,5 *mm* appareant (*Hasert,* Antworten der Natur 24), non stupenda depressio necessaria fuit, ut montes ca 5200 *m* alti per 150 dies

aquis cooperti manere possent, neque stupenda elevatio, ut iterum ab aquis liberarentur (Comment. 171).

Universalitatem diluvii geographicam β) scientiae naturales omnino prohibent. Primo quidem physica. Si enim aquae diluvii totam continentem involvissent, si 15 cubitis = 7,875 *m* altiores (7,20) quam omnes montes totius continentis fuissent: usque ad 8848 *m* se attollere debuissent, quia Mount Everest in Asia usque ad 8840 *m* assurgit (Brockhaus). Tanta vero copia aquarum sine miraculo neque ex cataractis caeli et fontibus abyssi venire potuerunt, cum aquae indivisae 2520 *m* vel 3400 *m* tantum altae fuerint (Comment. 4), neque infra tam breve tempus a continente recedere potuerunt. Atqui miracula non supponenda sunt, nisi Scriptura vel Traditio vel alia argumenta certa nos cogant, quod hic non accidit, uti supra vidimus. Ergo aquae diluvii non totam continentem cum omnibus suis montibus involverunt. Praeterea periti rerum naturalium affirmant pluviam per 40 dies in tota continente continuatam iuxta leges physicas non solum impossibilem, sed etiam cum tanto defectu caloris ac pressu aeris coniunctam esse, ut homines et bruta vivere nequirent; miracula autem hic non supponenda sunt, quemadmodum diximus; ergo diluvium geographice universale non fuit (Comment. 168).

Secundo eam prohibet zoologia. Animalium terrestrium saltem 8500 species exsistunt (Comment. 169); de immundis par unum = 2 individua, de mundis paria septem = 14 individua; ergo in summa plus quam 40 000 individua in arcam introducenda erant. Tot milia animalium cum alimentis necessariis in arca (cf. pag. 37) collocari ibique ab octo personis per 375 dies ali et munda servari nequiverunt. Quapropter aut negant tot species animalium exsistere, aut asserunt non unum et septem paria, sed duo et septem individua assumenda fuisse. Verumtamen quod ad numerum specierum spectat, peritis in arte credendum est, nisi rationes gravissimae obstent, quales in hac re hucusque nemo attulit; supposito autem sed non concesso (cf. pag. 38) duo et septem individua intellegenda esse, nihilominus circiter 30 000 individua in arca collocanda atque per 375 dies alenda fuissent, quod sine miraculo fieri non potuit. Praeterea diluvio perdurante animalia alioquin in regionibus calidis degentia frigus sustinere nequiverant, et pisces ceteroquin aut in salsis aut in dulcibus aquis commorantes in aquis mixtis vix vivere potuerant.

Quae cum ita sint, cum neque Scriptura neque Traditio neque analogia fidei neque scientia naturalis universalitatem diluvii geo-

graphicam doceat; cum scientiae naturales e contrario eam omnino prohibeant: paucissimi dumtaxat interpretes recentiores cum Kaulen, Trissl et Ubaldi (Comment. 172) istam universalitatem defendunt, reliqui autem eam negant innixi antiquissimo illi principio hermeneutico a Leone XIII inculcato (Provid. 43), scilicet „a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere".

b) Universalitas diluvii anthropologica sensu Ecclesiae, doctrina Patrum, testimoniis Scripturae comprobatur neque obiectionibus variis labefactatur. *α)* Ecclesia sensum suum, qua anthropologicam diluvii universalitatem retinet, non quidem decidendo, sed simpliciter docendo (Exegetica 60) manifestavit.

In Catechismo Concilii Tridentini, Pii V et Clementis XIII iussu edito, haec legimus (p. I, c. X, n. XIX): „Illustrem significationem habet ‚Arca Noe', quae ob eam rem tantum ‚divino iussu constructa est', ut nullus dubitandi locus relinquatur, quin Ecclesiam ipsam significet, quam Deus sic constituit, ut, quicumque per baptismum illam ingrederentur, ab omni mortis aeternae periculo tuti esse possent; qui vero extra illam essent, quemadmodum iis evenit, qui in arcam recepti non sunt, suis sceleribus obruerentur." Consonat „Compendio della Dottrina Cristiana prescritto da Sua Santità Pio X alle Diocesi della Provincia di Roma, Roma, Tipografia Vaticana, 1905", in quo sequentia traduntur (pag. 358): „Iddio . . . punì il genere umano con un diluvio universale . . . Tutti quanti gli uomini morirono annegati; non si salvarono che Noè e la sua famiglia, i. e. Deus . . . punivit genus humanum diluvio universali . . . Omnes ad unum homines mortui sunt aqua mersi; non salvati sunt nisi Noe et familia eius."

Patres Ecclesiae unanimi et constanti consensu universalitatem diluvii geographicam et anthropologicam docuisse nemo infitiatur. Geographicam quidem ut doctores privati tradebant (pag. 42); anthropologicam vero qua sententiam cum fide Ecclesiae connexam proponebant. Facto enim isto, quod extra arcam omnes perierant, praefiguratum docuerunt omnes perituros esse, qui extra Ecclesiam voluntarie constituti fuerint. Si autem Patres sententiam quandam ut cum fide Ecclesiae conexam tradunt, auctoritas eorum tam magna est (Exegetica 65), ut ea rectus alicuius textus biblici intellectus probetur. Unum dumtaxat Patrem loquentem inducimus, S. Cyprianum († 258, De unit. Eccl. 6), breviter sed nervose scribentem: „Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit" (Comment. 176).

Sacra Scriptura quoque in locis nonnullis anthropologicam universalitatem diluvii enuntiat. 2 Petr 3, 5—7 legimus: *Latet enim eos hoc volentes, quod caeli erant prius, et terra, de aqua, et per aquam consistens Dei verbo: per quae, δι' ὧν,* i. e. per caelum et

terram (cf. Gn 7, 11), *ille tunc mundus, ὁ τότε κόσμος, aqua inundatus periit. Caeli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicii, et perditionis impiorum hominum, τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων.* Ex his verbis collegimus omnes homines Noe excepto deletos fuisse diluvio. Nam *mundus, ὁ κόσμος*, in Nov. Test. saepe genus humanum, omnes homines significat (*Wilke-Grimm,* Lexicon; *Wahl,* Clavis); ergo *ὁ τότε κόσμος, ille tunc mundus* homines tempore Noe viventes denotat (cf. 2 Petr 2, 5). Quam explicationem comparatio inter caelos et terram manantes aquam atque caelos et terram igne conflagrantes a S. Petro instituta confirmat. Ignis enim novissimo die omnes homines in terra conversantes occidet, quare recte inferimus etiam aquam omnes homines in terra conversantes occidisse. Plura in Comment. 172 sqq invenies. — 2 Petr 2, 5 scriptum est: *Et originali mundo, ἀρχαίου κόσμου, non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum, κόσμῳ ἀσεβῶν, inducens.* Hac sententia St. Petrus docet Deum mundum originalem seu genus humanum primi temporis propter impietatem diluvio delevisse, servans tamen praeconem iustitiae et quidem ut octavum, i. e. cum septem aliis (pag. 30). Congruit cum hoc loco illud 1 Petr 3, 20: *in qua (arca) pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam* (Comment. 174). — Si Gn 6, 6 sq cum 1,26 sq conferimus, eandem doctrinam invenimus. *Poenituit eum,* ait ibi hagiographus, *quod hominem fecisset,* עָשָׂה אֶת־הָאָדָם, *in terra . . . Delebo, inquit* Deus, *hominem quem creavi,* אֶת־הָאָדָם אֲשֶׁר־בָּרָאתִי, *a facie terrae.* Eadem verba 1, 26 sq adhibentur: *Faciamus Hominem,* נַעֲשֶׂה אָדָם, inquit Deus; *Et creavit Deus hominem,* וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם, ait hagiographus. Quae phrases in 1 capite totum genus humanum significant, quemadmodum antecedentia et consequentia ostendunt; ergo etiam in 6 capite totum genus humanum denotant iis exceptis, qui nominatim enumerantur (Comment. 175). Non licet easdem phrases aliter in 6 atque aliter in 1 capite explicare. — Similem collationem inter 9, 1 19 atque 1, 28 sq; 3, 20 instituere possumus. Sicut 3, 20 Eva *mater cunctorum viventium* vocatur, ita iuxta 9, 19 a tribus filiis Noe *disseminatum est omne genus hominum super universam terram;* et qua benedictione Deus 1, 28 sq protoparentibus benedixerat, eadem 9, 1 sq familiae Noe benedixit. Si autem familia Noe post diluvium origo generis humani fuit sicut protoparentes post creationem caeli et terrae: praeter ipsam alii homines non aderant; ergo omnes diluvio deleti fuerant.

Anthropologica universalitas diluvii β) variis obiectionibus non labefactatur. Dicunt quidem Ecclesiam hanc quaestionem sententia definitiva non decidisse et opinionem eorum, qui universalitatem anthropologicam negant, tolerare. Hoc verum est. Sed Ecclesia ipsa anthropologicam universalitatem asserit, uti vidimus, et iudicia eius acceptanda sunt, licet definitiva seu decisiva non fuerint (pag. 15). Dicunt: sancti Patres geographicam et anthropologicam universalitatem docuerunt; si geographicam reicimus, etiam anthropologicam reicere possumus. At comparatio claudicat. Geographicam enim universalitatem ut opinionem suam vel sui temporis, anthropologicam vero ut cum fide Ecclesiae connexam proposuerunt. Eapropter illam quidem reicere, hanc autem retinere debemus, quia improbabilissimum est Patres unanimiter et constanter in tali causa errasse. Dicunt: qui concedit ex locis Scripturae geographicam universalitatem demonstrari nequire, neque anthropologicam ex iis probare potest. Quod falsum est. Loci enim supra citati non geographicam quidem, bene vero anthropologicam docent, uti vidimus. Insistunt: scriptor Genesis solummodo refert, qualem in hac re opinionem Noe habuerit, quae falsa esse potuit. Respondemus: si scriptor usu loquendi vel contextu indicaret se alienam dumtaxat opinionem referre velle, quin eam approbaret vel suam faceret, falsa esse posset; at scriptor Genesis hoc nulla voce indicat, sed proprio nomine loquitur. Quid inde sequatur pag. 9 diximus. Insuper manent clariores loci Nov. Test., ex quibus loci minus clari Vet. Test. explicandi sunt (Exegetica 43 sq). Dicunt denique: si diluvium anthropologice partiale fuit, diversitatem linguarum et familiarum generis humani facilius explicare possumus. Hoc iterum verum est; concedit tamen *Schanz*, Apologie I 778, neque ethnographiam neque anthropologiam nos cogere, ut universalitatem anthropologicam diluvii negemus. Ergo.

3. Descriptio diluvii biblica non ex narratione Babylonia desumpta est, sed ambae narrationes ex eadem traditione originali fluxerunt.

Apud gentes plerasque, Aegyptiis et Arabibus exceptis, descriptiones cuiusdam inundationis repertae sunt, inter quas narratio Babyloniorum in epico carmine Gilgameš (vide § 14, 2, b, notam) ac per Berosum (sacerdotem Belis in Babylonia saec. III a. Chr. viventem) conservata eminet, quia narrationi biblicae valde similis est. Iuxta istud carmen venit Gilgameš in insulam beatorum ad proavum suum Utnapištim (= Xisuthros, cf. pag. 32, qui etiam Atrahasis vocabatur) et interrogans eum, quomodo ad deos in insulam beatorum venisset, haec audivit. Utnapištim in urbe Šurippak ad Euphraten vixit, cum dii magni Anu, Bel, Ninib, Ennugi in concilio deorum constituerent, homines propter peccata eorum (*Schrader-*

Zimmern, Die Keilinschriften 546; *Nikel*, Genesis 177) aquis diluvii delendos esse. Sed Ea, deus oceani, haec cultori suo Utnapištim per somnium revelavit imperans, ut navem exstrueret et animalia cuiuslibet generis secum in eam introduceret atque civibus interrogantibus responderet se urbem Beli sibi inimici relicturum et ad Eam dominum suum profecturum, ipsos vero post discessum suum a Belo benedicendos esse. Utnapištim oboediens navem 120 cubitos altam (ceterae mensurae non patent) aedificavit, mansiunculas fecit; aquam, contum, bitumen, oleum, argentum et aurum, animalia cuiuslibet generis, familiam suam et opifices in navem assumpsit, quam a deo solis monitus vespere ingreditur, claudit ac gubernatori tradit. Mane sequenti diluvium tam horribile venit, ut etiam dii timerent ideoque in caelum superius ascenderent ibique ut canes sederent atque plorarent; diluvium per 6 dies perduravit, die septimo requies et tranquillitas maris facta est. Eodem 7 die Utnapištim foramen navis aperuit et lucem diei vidit; die 8 navis in monte Nišir requievit. Transierunt 6 dies alii. Die 7 Utnapištim columbam emittit quae revertitur; hirundinem quae etiam revertitur; corvum qui non revertitur. Nunc Utnapištim e navi egreditur et sacrificat; dii odorem suavitatis odorantur et ut muscae circa sacrificantem congregantur. Bel vero navem videns irascitur, quod Utnapištim servatus sit, sed ab Ea increpatur, quod tale diluvium miserit; resipiscens igitur Bel servato et uxori eius benedicit, eos diis similes reddit et in insulam beatorum transfert. — Iuxta Berosum deus Kronos Xisuthro in somnio manifestavit die 15 Daisii (= Iunii, *Beer-Guthe*, Bibelwörterbuch 442) homines aquis delendos esse, eique mandavit, ut omnia scripta in urbem Sippara transferret et ibi in terra reconderet, deinde navem construeret atque in ea familiam, cognatos, animalia, cibos collocaret et interrogantibus responderet semetipsum ad deos navigaturum esse, ut pro salute hominum oraret. Xisuthrus navem 5 stadia longam et 2 stadia latam (1 stadium = 192 *m*, cf. *Siegfried-Guthe*, Bibelwörterbuch 419; *Kortleitner*, Archaeologia 259; *Zeller*, Handwörterbuch 218) fabricat, quam omnes supra nominati intrant, quo facto diluvium venit. Decrescentibus aquis volucres emittit, quae redeunt; post dies aliquot iterum volucres emittit, quae revertuntur pedes luto inquinatos habentes; tertio emissae non amplius revertuntur. Quapropter Xisuthrus in navi foramen aperit illamque in monte requiescere videt. Egreditur ipse, uxor, filia, gubernator; Xisuthrus in terra adorat, altare erigit et sacrificat, cum uxore et filia et gubernatore transfertur. Reliqui egredientes vocem de caelo audiunt dicentem: Xisuthrum cum suis ob pietatem ad deos translatum esse, semetipsos autem pie vivere, ex Armenia in Babyloniam proficisci, in Sippara scripta effodere et hominibus tradere debere; sacrificant, mandata observant, terram inhabitant. Ligna et bitumen navis ab hominibus ad morbos impediendos adhibebantur (Comment. 184 sq).

Utramque relationem narrationi biblicae valde similem esse nemo negare potest. Propter peccata hominum diluvium venit, ex quo unus cum suis ob pietatem servatur; arca in mansiunculas distributa, bitumine instructa, animalibus et cibis repleta est atque in monte requiescit; volucres emittuntur, servatus sacrificia offert et a Deo benedicitur. Sed praeter similitudines has manifestas etiam differentia maxima (*Gunkel*, Genesis 66) inter narrationem biblicam et gentilem exsistit. Etenim in narratione biblica arca ut cista trium tabulatorum, in Babylonia ut navis sex tabulatorum describitur; cista familia Noe, animalibus et cibis, navis autem aliis quoque hominibus, auro et argento repletur; emissio volucrum diverso narratur modo; descriptio biblica homines benedictos, descriptio Babylonia vero paucos inter deos translatos nuntiat; arcum iuxta biblicam

narrationem in nubibus positum tacet narratio gentilis; denique omnes narrationes gentium polytheisticae, biblica autem monotheistica est: ibi plures dii et quidem ad libidinem agentes, mentientes, se invicem et homines decipientes, irascentes et invidentes, timentes ut canes, delectati ut muscae proponuntur; hic unus Deus, sanctus et iustus, omnia sciens et omnipotens (Comment. 185 sq).

Bezold (Keilinschriften 37) bene scribit affinitatem inter narrationem biblicam et Babyloniam tantam esse, quanta aut ex mutuatione aut ex communi traditione originali explicari possit ac debeat. Narratio Babylonia ca 2000 a. Chr. litteris mandata ex biblica ca 1500 a. Chr. scripta mutuari non potuit; sed neque narratio biblica ex Babylonia hausta est, quia obstant dissimilitudines enumeratae, praecipue illae ad monotheismum et polytheismum spectantes. Asserunt quidem plures interpretes protestantes (*Beer-Guthe,* Bibelwörterbuch 627 sq; *Gunkel,* Genesis; *Holzinger,* Genesis; *Schrader-Zimmern,* Die Keilinschriften 559 sq) et asseclae eorum mythos Babylonios iam tempore antiquo ad Phoenices et Chananaeos pervenisse, forte cum mythis Phoenicum et Arabum de conubiis deorum et hominum et filiis eorum giganteis (cf. Gn 6, 1—4) coniunctos, pedetentim evolutione naturali ab elementis polytheisticis et mythologicis purgatos et sic ab Israelitis susceptos esse: et ideo in descriptione biblica non historiam, sed fabulam contineri (ita *Bezold,* Keilinschriften 37 quoque). Cui sententiae haec opponimus: Mythos Babylonios Phoenices et Chananaei a polytheismo purgare non poterant, quia ipsi polytheismo immersi erant; sed neque Israelitae naturali evolutione id praestare potuerunt. Nemo enim adhuc declarare potuit, quomodo Israelitae cum polytheistis conversantes naturali evolutione (uti supponunt) ex polytheismo ad monotheismum soli se elevaverint. Si teste historia nullus reliquorum populorum magis excultorum ad monotheismum se elevavit, concludere debemus populum Iudaicum minus excultum naturali evolutione neque ad monotheismum pervenire neque mythos gentium de polytheismo purgare potuisse.

Insuper hagiographus proprio nomine loquitur, quemadmodum usus loquendi et contextus ostendunt; Christus Dominus (Mt 24, 37 sqq), Petrus Apostolus (1 Ep 3, 19 sq et 2 Ep 2, 5; 3, 6), Patres omnes narrationem biblicam ut veram historiam agnoverunt: ergo ex mythis Babyloniis desumpta esse nequit, quia alioquin fabula esset, quemadmodum viri nominati affirmant (cf. supra); etiam opinio Lagrange scribentis (Méthode historique 214; cf. et Revue Biblique 1905, 304) hagiographum veram quidem inundationem Babyloniam referre, sed in religiosa eius explicatione veritatem

historicam longe excedere, cum catholica inspirationis notione conciliari nequit (cf. pag. 9). Restat igitur hoc solum, ut concedamus ambas narrationes ex eadem monotheistica traditione originali fluxisse, quae apud Babylonios in pluribus adulterata, apud Hebraeos autem pura conservata est (Comment. 186 sq; *Döller,* Bibel und Babel 23; *Hummelauer,* Genesis 27; *Nikel,* Genesis 184 sqq).

§ 13. De benedictione et maledictione Noe.

1. Post diluvium coepit Noe vineam plantare (9, 20). Vitis quidem iam ante diluvium exsistebat, sed non erat culta neque in vineta distributa; Noe fuit primus, qui vites colebat et ex uvis sucos exprimebat atque vinum conficiebat, ut eo suum et aliorum hominum post diluvium moerorem, laborem et infirmitatem leniret et roboraret (S. Chrysostomus in Genesim; Comment. 161 sq). Putant plures interpretes (Budde, Boehmer; cf. *Holzinger,* Genesis; Lapide in Genesim et Comment. 119 sq) Lamech patrem Noe, נֹחַ i. e. consolationis, hanc inventionem vini praenuntiasse verbis 5, 29: *Iste consolabitur nos,* i. e. homines vel genus humanum *ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra* vel potius ab humo, מִן־הָאֲדָמָה, *cui maledixit Dominus.*

Nesciens vim vini illud largius bibit (S. Hieronymus lib. 1 contra Iovin.) inebriatus est et iacuit nudatus in tabernaculo suo (9, 21). Quod cum vidisset *Cham pater Chanaan,* nuntiavit fratribus suis foris; Sem autem et Iapheth sumpserunt pallium, quod Noe in ebrietate abiecerat, imposuerunt humeris suis et incedentes retrorsum patrem dormientem texerunt (9, 22 sq). Evigilans Noe ex crapula et de rebus gestis certior factus benedixit fratribus Sem et Iapheth, maledixit filio suo minimo Chanaan. Precatus est, ut familia Sem notitiam et cultum veri Dei semper retineret, atque ut Dominus hanc familiam donis revelationis suae illustraret (9, 26); precatus est, ut Deus Iaphetho ampla spatia concederet, et ut Iaphethitae bona Semitarum, praesertim notitiam et cultum veri Dei, possiderent; Chanaan vero *servum servorum,* i. e. vilissimum servum fratrum Sem et Iapheth ac posterorum eorum constituit (9, 25 sqq).

Haec non statim post diluvium facta esse ex capite 10 elucet. Nam tunc Cham iam quattuor filios: Chus, Mesraim, Phuth, Chanaan genuerat (10, 6), quorum minimus doli capax erat (9, 24); ergo a diluvio, post quod nati sunt (10, 1), usque ad benedictionem et maledictionem Noe anni aliquot praeterierant.

2007

2. Plerique interpretes antiquiores et recentiores (Comment. 164) verba illa 9, 24 sq *Evigilans autem Noe ex vino,* i. e. ex crapula, *cum didicisset* a filiis suis, *quae fecerat ei filius suus minor,* בְּנוֹ הַקָּטָן i. e. filius suus minimus, *ait: Maledictus* etc., de Chamo interpretantur; contextus tamen ostendit ea de Chanaan accipienda esse. Etenim a) Cham non minimus, sed secundogenitus fuit, quia constanter secundo loco enumeratur. Ordinem nominum *Sem, Cham et Iapheth* non geographicum, sed chronologicum esse, etiam Dillmann et Strack contra Hummelauer retinent. Chanaan vero fuit minimus filius patris Cham et qua talis etiam minimus filius (nepos) avi Noe esse potuit. Nomen filii et fratris saepe sensu latiore adhiberi res notissima est; assertio Strack aliorumque בְּנוֹ הַקָּטָן non filium minimum, sed minorem denotare, usui loquendi contradicit (Comment. 164 sq). b) Neque Cham neque tres filii priores, sed solus Chanaan maledicitur et quidem ter graviterque. Ex quo recte inferimus non Cham sed Chanaan in patrem peccasse, quia tam gravi poenae etiam gravis culpa respondere debet (Gunkel). Quod Hummelauer asserit nimirum divinae misericordiae fuisse, quod Cham non in omnibus filiis, sed in solo Chanaan maledictus sit, vix probabile est; si Chanaan non peccavit, cur tam graviter punitur? c) Denique hagiographus testatur Noe didicisse, quae *fecerat* ei filius suus minor; at Cham iuxta contextum patri nihil *fecerat* (Gunkel, Holzinger), sed nuntiavit fratribus quae viderat. Quare cum Hebraeis, Theodoreto, Lapide, Gunkel et Holzinger censemus Chanaan puerum primo avum in tabernaculo iacentem vidisse et aliquid fecisse, quod scriptor ex verecundia tacere debuerit (Gunkel, Holzinger), et deinde patri suo nuntiasse, qui pueri petulantiam non repressit, sed fratribus Sem et Iapheth patrem irridendum proponere voluit (Comment. 163). Itaque clarescit, cur Chanaan ter maledictus, Cham nec maledictus nec benedictus, Sem et Iapheth autem pie in patrem agentes benedicti sint; clarescit quoque, cur Chamitae primis temporibus florere et aliorum dominari potuerint: non Chamitae in genere, sed Chananaei in specie a Noe maledicti fuerant (Comment. 165 sq).

3. Veritas istius narrationis varia ratione impugnatur. a) Interpres liberalis *Koch* (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 318) narrationem de benedictione et maledictione Noe sic exponit: Sem, Cham et Iapheth primitus non individua sed gentes in Palaestina habitantes erant; Sem = Israelitae, Iapheth = Phoenices, Cham = Chananaei. Israelitae et Phoenices erant domini terrae, Chananaei autem servi

subiugati; quam relationem inter tres populos, utique historicam, traditio popularis Hebraeorum suo modo declaravit, nomina populorum in individua transferens iisque acta supra narrata affingens. Ergo individua Sem, Cham, Iapheth, Chanaan bene aut male agentia et a Noe benedicta aut maledicta iuxta Koch non in rerum veritate exstiterunt, sed a traditione populari ficta sunt, quam hagiographus operi suo inseruit. Verumtamen haec opinio cum catholica notione inspirationis conciliari nequit. Si auctor inspiratus usu loquendi vel contextu indicaret se traditionem popularem narrare velle, quin eam suam faceret vel approbaret, opinio Koch admitti posset; sed hagiographus proprio nomine loquitur, traditionem populi suam facit; ergo narrata cum rerum veritate convenire debent (pag. 11).

b) Protestantes Gunkel (Genesis 71) et Holzinger (Genesis 91) cum *Dillmann,* Genesis 156 sq inter Gn 9, 18 sqq atque 2, 15; 3, 17 sqq; 5, 31; 6, 9 sqq, immo inter vv. 18—27 capitis 9 contradictiones adesse asserunt, quae, si verae essent, narrationem improbabilem redderent; at sunt apparentes dumtaxat, quae statim disparent, si eas ad praecepta logica et hermeneutica revocamus. Gunkel asserit secundum 9, 20 Noe primum agricolam fuisse; secundum 2, 15; 3, 17 sqq autem iam Adam agricola erat: ergo adest contradictio. Respondeo: versio Latina 9, 20 *Coepitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam* assertionem Gunkeli fovere videtur; sed textus originalis, ad quem protestantes semper recurrunt atque etiam catholici recurrere possunt (Exegetica 125 sq), eam nullatenus fovet. Nam וַיָּחֶל נֹחַ אִישׁ הָאֲדָמָה וַיִּטַּע כָּרֶם, i. e. „et coepit Noe agricola et plantavit vineam“ idem significant ac Noe primum fuisse qui *vineam* plantavit, non primum qui terram colebat (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 391; Comment. 162). — Dicunt praeterea Noe agricolam, plantatorem vineae, inebriatum et nudatum (9, 20 sq) non eandem personam esse ac Noe iustum et perfectum (6, 9; 7, 1). At vir sanctus quoque agrum colere, vineam plantare et ex vino, cuius vim nesciebat, inebriari potuit, quin peccaret (Comment. 163). — Urgent: filii Noe 6, 18 sqq uxorati, 9, 22 sq ut pueri in tabernaculo patris habitantes proponuntur. Sed hoc alterum non est verum: nullo textus vocabulo ut pueri proponuntur, e contrario Cham explicite pater Chanaan nominatur (9, 22). — Denique contradictiones in eo invenerunt, quod Cham 8, 24 filius natu minimus, in reliquis autem locis secundogenitus Noe scribatur; quod Chanaan puniatur, quamvis non peccaverit. Repetimus quae pag. 50 diximus: non Cham sed Chanaan in 9, 24 intellegendus est; ergo etiam iuste punitur.

§ 14. De tabula gentium.

1. In capite 10 enumeratio gentium ab Iapheth (2—4), Cham (6—19), Sem (22—30) descendentium atque iuxta familias, quas constituebant, et linguas, quas loquebantur, et terras, quas habitabant, et populos, quos efficiebant, distinctarum exhibetur (Comment. 189), quae communiter tabula gentium appellatur ac talis est.

Iapheth

Gomer Magog Madai Iavan Thubal Mosoch Thiras

Ascenez Riphath Thogorma Elisa Tharsis Cetthim Dodanim

Cham

Chus Mesraim Phuth Chanaan

Saba, שְׁבָא *Hevila* Sabatha Regma Sabatacha Nemrod

*Lud*im Anamim Laabim Nephthuim Phetrusim Chasluim Caphtorim

Sidon Hethaeus Iebusaeus Amorrhaeus Gergesaeus Hevaeus Aracaeus Sinaeus Aradius Samaraeus Amathaeus

Saba, שְׁבָא Dadan Philisthiim

Sem

Aelam Assur Arphaxad *Lud* Aram

Cainan Us Hul Gether Mes

Sale

Heber

Phaleg Iectan

Elmodad Saleph Asarmoth Iare Aduram Uzal Decla Ebal Abimael *Saba,* שְׁבָא Ophir *Hevila* Iobab.

a) Quaerunt interpretes, utrum omnes gentes terrae in hac tabula contineantur necne. Respondemus: certum est non omnes gentes nominari, cum Americani, Sinenses, Mongoli, Melanesii, Nigritae aliique desint (*Hummelauer,* Genesis 293); explicite ii tantum enumerantur, quibuscum Israelitae conversabantur vel quos aliunde cognoverant. Nihilominus probabilissimum est omnes gentes terrae in hac tabula implicite contineri. Haec assertio ex iis sequitur et probatur, quae de anthropologica universalitate diluvii (cf. pag. 41) scripsimus. Si omnes ad unum homines in aquis mortui et non salvati sunt nisi Noe et familia eius (cf. pag. 44); si a tribus filiis Noe disseminatum est omne genus hominum super universam terram (cf. 9, 19): consequens est omnes gentes terrae in hac tabula implicite contineri, quatenus non exsistunt homines, qui a tribus filiis Noe non descenderint (similiter *Hoberg,* Genesis 98). Qui autem anthropologicam universalitatem diluvii negant, consequenter

etiam negare debent omnes homines nunc viventes a tribus filiis Noe descendere atque in hac tabula gentium contineri, in qua familiae Noe dumtaxat iuxta generationes suas in gentibus suis (10, 32 hebr) enumerantur.

b) Nomina tabulae sunt vel singularia individuis propria, e. g. Sem, Cham, Iapheth, Chanaan, Nemrod, vel patronymica seu gentilicia, e. g. Iebusaeus, הַיְבוּסִי, Hevaeus, הַחִוִּי, vel pluralia, e. g. Ludim, Anamim, Philisthiim (cf. *Gunkel,* Genesis 78 et *Hoberg,* Genesis 99). Differentia grandis non est. Nominantur enim vel individua quae populorum auctores fuerunt, vel gentes quae ab individuis descenderunt, vel regiones et urbes in quibus nationes habitarunt.

2. Ubi singulae gentes a tribus filiis Noe descendentes iuxta probabiliorem sententiam habitaverint (cf. Tab. I), breviter notamus et de Nemrod speciatim agemus.

a) Habitarunt ab Iaphet descendentes: *Gomer,* assyr. Gimirrai, intra Armeniam et Pontum Euxinum: Ascenez, assyr. Aškûza, Iškuza, in Phrygia et Mysia; Riphath in Paphlagonia. Thogorma in Armenia; *Magog* i. e. Scythae ex septentrione Ponti Euxini; *Madai* in Media; *Iavan* i. e. Iones in Graecia; Elisa in Sicilia et Italia infima; Tharsis in Hispania Baetica; *Cetthim* in insula Cypro; Dodanim vel potius Rhodanim in insula Rhodo; *Thubal,* assyr. Tabal i. e. Tibareni, a meridie Ponti Euxini; *Mosoch,* Assyr. Muški i. e. Moschi, ex oriente Ponti Euxini; *Thiras* i. e. Tyrseni in oris et insulis maris Aegaei (Comment. 188 sq).

A Cham descendentes degebant: *Chus,* assyr. Kûsu, amarn. Kaši, aegypt. Kôš, in Nubia; Saba, סְבָא, in Meroe vel ad sinum Arabicum; Hevila ad sinum Aelaniticum; Sabatha intra Chatramotitas in Arabia australi; Regma inter Minaeos et Chatramotitas, cuius posteri Saba, שְׁבָא, et Dadan etiam in Arabia habitarunt; Sabatacha in Arabia australi; Nemrod in Sennaar plures urbes in unum regnum coniunxit; *Mesraim*, assyr. Muṣri, amarn. Miṣri, in Aegypto; Ludim in Africa septentrionali; Anamim in Delta; Laabim in Libya; Nephthuim in Aegypto inferiore; Phetrusim, cuneat. Paturisi, in Aegypto superiore; Chasluim inter Delta et Philisthaeam, e quibus egressi sunt Philisthiim in terra Palaestinae adiacenti habitantes; Caphtorim in Delta vel Creta; *Phuth* in Libya; *Chanaan* inter mare et Iordanem, inter Sidon et Gaza ac Lesa (10, 19); Sidon, cuneat. et amarn. Sîdûnu, in Phoenicia; Hethaeus, cuneat. Ḫatti, aegypt. Ḫi-tì, Ḫe-tà, ex septentrione Palaestinae et in Palaestina meridionali; Iebusaeus in Ierusalem et circuitu eius; Amorrhaeus, aegypt. Amarra, amarn. Amurri, ex oriente Palaestinae et in Palaestina meridionali; Gergesaeus in regione nobis ignota; Hevaeus ex septentrione Palaestinae et in Palaestina media; Aracaeus in Ἄρκη urbe, cuneat. Arḳâ, amarn. Irḳata; Sinaeus ad Libanum; Aradius in urbe et insula Aradi, assyr. Armada, Arvada, amarn. Arwada; Samaraeus in Σιμύρᾳ urbe, aegypt. Ṣamar, amarn. Ṣumur, assyr. Ṣimirra; Amathaeus in urbe Chamath ad Orontem, cuneat. Ḫammâtu, aegypt. ḥamâti, ḥmtu (Comment. 189 sqq).

A Sem descendentes habitarunt: *Aelam* ex septentrione sinus Persici et ab oriente Tigris inferioris, assyr. Elamtu, serius Susiane vocabatur, cuius partes Elymais et Anzan fuerunt; *Assur* in urbe et terra Assur

ad Tigrim; *Arphaxad* in Chaldaea-Babylonia: item Cainan, Sale, Heber eiusque filii Phaleg et Iectan; huius posteri Elmodad, Saleph, Asarmoth, Iare, Aduram, Uzal, Decla, Ebal, Abimael, Saba שְׁבָא, Ophir, Hevila, Iobab in Arabia meridionali commorabantur; *Lud* ex septentrione montis Masii intra Euphraten et Tigrim superiorem; *Aram*, cuneat. Aramu, Arumu, Arimu, intra Taurum et Chaboram et Arabiam desertam et Palaestinam necnon Libanum et Amanum: Us, Hul, Gether, Mes circa eandem regionem (Comment. 197 sqq).

b) Nemrod, נִמְרֹד, filius Chus probabiliter non immediatus, sed mediatus (Comment. 191), fuit tam potens venator, ut ab hominibus proverbio celebraretur (10, 9). Ipse prudentia ac potentia sua in terra Sennaar, שִׁנְעָר, quattuor urbes imperio suo subiecit et in unum regnum copulavit. Nomen Sinear totam Babyloniam significat, quae in meridionalem = Šumer et septentrionalem = Akkad divisa fuit (Comment. 192). Ex quattuor urbibus *Achad*, אַכַּד (forte = cuneat. Agade) et *Babylon* (Babel, cf. 11, 9) in Babylonia septentrionali *Arach*, (cuneat. Uruku, Arku) in Babylonia meridionali fuerunt, *Chalanne* in cuneatis inscriptionibus nondum repertum est (Tab. I). Ex Sennaar egressus Nemrod venit in urbem Assur in ripa occidentali Tigris sitam (Comment. 54) et aedificavit Ninive, Rᵉhoboth ʿIr, Chale et Resen. *Ninive*, cuneat. Ninua, Ninâ in ripa orientali Tigris; *Rᵉhoboth ʿIr* (assyr. rêdit Ninâ, in Vulgata *plateae civitatis*) forsitan in ripa occidentali Tigris, ubi nunc Mosul est; *Chale*, כָּלַח, cuneat. Kalaḫ, Kalḫu, etiam in ripa orientali Tigris, cuius reliquiae Nimrud vocantur; *Resen* inter Niniven et Chale sita fuit (Comment. 193; Tab. I). Hae quattuor urbes a Nemrod aedificatae fuerunt simul *civitas magna* (10, 12).

Quae sacer textus de Nemrod refert, profanis quoque documentis saltem ex parte confirmantur, quae docent Assyriam a Babylonia dependentem regesque Babylonios et Assyrios etiam venatores fuisse, quales in inscriptionibus proponuntur (cf. *Bezold*, Ninive und Babylon 7 sqq). Nomen Nemrod in cuneatis inscriptionibus nondum inventum est. Nemrod eundem esse ac Gilgameš = Izdubar, qui in carmine epico Gilgameš (cf. pag. 46)

Fig. 6. Primitivae litterae hieroglyphicae Babyloniorum (iuxta Delitzsch).

ut venator et rex urbis Arach mythologice celebratur, demonstrari quidem nequit, sed pluribus verisimile videtur (Comment. 190 sqq). — Quoniam in hac parte saepius ad inscriptiones cuneatas provocavimus, formam primitivam litterarum Babyloniarum (Fig. 6) necnon inscriptionem regis Sargon (Fig. 7) adicimus, qui c. 3800 a. Ch. in urbe Agade vel Akkad regnavit (cf. *Zschokke*, Historia 358).

3. Quod ad auctoritatem historicam attinet, non est mirandum, quod ii qui hanc tabulam a scriptoribus saec. IX et VI a. Chr. contextam fuisse asserunt, de ea male sentiant; quis enim istis saeculis vivens scire potuit, quomodo antiquissimis temporibus gentes et civitates formatae sint? Qui vero tenent Moysen ca 1500 a. Chr. (videas introductionem in Genesim) ex traditionibus vel etiam documentis antiquis tabulam conscripsisse, plenam illi auctoritatem attribuet. Cum enim homines primis temporibus tot saecula vixerint (cf. tabellam pag. 34 collocatam), nomina et facta paucissima facile memoria retinere atque usque Moysen tradere potuerunt (pag. 23), qui Deo inspirante „ea omnia eaque sola quae ipse iuberet", et recte mente concepit et fideliter conscribere voluit et apte infallibili veritate expressit (pag. 9).



Fig. 7. Inscriptio regis Sargon (iuxta Hilprecht).

Quamquam tabula gentium ante descriptionem dispersionis earum posita est, tamen plura, quae in tabula continentur, post confusionem linguarum in diebus Phaleg factam (10, 25; Comment. 198) acciderunt: non solum divisio populorum et dispersio in varias regiones, verum etiam ea quae de Nemrod narrantur. Nam principium regni eius fuit Babel, ubi labium universae terrae confusum est (10, 10 coll. 11, 9).

Alii quoque populi (Aegyptii, Assyrii, Babylonii, Persae) similes tabulas nobis reliquerunt. Sed in his tabulis illae dumtaxat gentes recensentur, quibuscum isti populi mercaturae ratione coniuncti fuerunt, vel quae devictae fuerant; unitas generis humani et cognatio omnium gentium non attingitur. Differunt igitur hae tabulae a tabula biblica (*Dillmann*, Genesis 164; *Selbst*, Handbuch 182).

§ 15. De dispersione gentium.

1. Quod Deus protoparentibus dixerat (1, 28), idem familiae Noe repetiit (9, 1), videlicet: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Posteri autem filiorum Noe dividi nolebant et propterea centrum sibi constituere, urbem cum turre altissima aedificare volebant (11, 4).

In textu Latino et Graeco quidem legimus 11, 4: *Venite, faciamus nobis civitatem et turrim . . . antequam dividamur in universas terras*, πρὸ τοῦ διασπαρῆναι ἐπὶ προσώπου πάσης τῆς γῆς. Iuxta hunc textum volebant dividi, sed antea exstructione urbis et turris sibi famam conciliare; sed Hebraicum פֶּן־נָפוּץ reddi debet *ne*, μὴ *dividamur* (cf. 3 3; 19 15; Buhl). — *Gunkel* (Genesis) sequentia affirmavit, ut narrationem improbabilem redderet: a) In hoc loco contra 4, 17 aedificatio primae civitatis narratur (86); at ne unica quidem voce textus hoc probare potest. b) Homines urbem exstruere voluerunt, in qua omnes habitare possent (90 sq); sed textus non indicat omnes homines in hac urbe habitare voluisse. c) Cogitarunt turrem excitare, quae revera caelum tangeret et ideo ubique terrarum conspici posset (87 sq 91); sed iudicium Dei *nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant* (v. 6) verba hominum hyperbolice prolata esse docet: nam alioquin Deus confirmasset turrem reapse usque ad caelum pertingentem esse possibilem quod absurdum est. — Lapide, Hummelauer aliique putant „ex hac fabrica natam esse fabulam gigantum, bellum caelo inferentium“ (Lapide).

Descendentes igitur de Armenia (cf. pag. 39) et in oriente perambulantes (11, 2; Comment. 204) posteri filiorum Noe venerunt in campum seu planitiem Sennaar, ibique habitantes ex argilla alba et cretacea terrae lateres faciebant et igne coquebant, quos loco saxorum in montanis exsistentium adhibere possent. Loco caementi utebantur bitumine seu asphalto, quae in Sennaar praesto erat, et aedificabant urbem cum turre (11, 2 sqq; Comment 207). Haec narratio Genesis iis confirmantur, quae per effossiones in Mesopotamia factas nobis



Fig. 8. Later coctus cum litteris cuneatis ex Arach.

patent. Aedificia singula et urbes ipsae ex lateribus vel igne coctis (Fig. 8) vel sole siccatis atque asphalto exstructae sunt, et in medio urbium turris (ziggurat; cf. Fig. 9) trium vel septem tabulatorum fuit (*Ieremias,* Das Alte Testament 278sqq).

Fig. 9. Ziggurat palatii Sargon in Khorsabad (iuxta Place).

Reliquiae urbis, quam aedificare coeperant, apud Hillah vel Hille supersunt (Tab. I); eminent Bābil, el-Ḳaṣr, Amrān ibn ʿAlī in sinistra, et Birs Nimrūd in dextera ripa Euphratis (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch). Plerique opinantur Birs Nimrūd = Ezida esse reliquias „turris Babyloniae"; at Birs Nimrūd in urbe Borsippa fuit, quae in cuneatis inscriptionibus a Babel distinguitur. Quare turris Babylonia probabilius in Bābil vel Amran ibn ʿAlī vel in alio loco quaerenda est (*Dillmann,* Genesis 204 sq; *Nikel,* Genesis 200; *Strack,* Genesis[2] 45).

2. Dominus videns urbem et turrem inchoatam, considerans superbiam et pertinaciam aedificantium (Comment. 206 sq), et sciens homines propter unius eiusdemque linguae vinculum (11, 1) copulari ac dividi nolle, linguam eorum ita confudit, ut singulae cognationes linguas aliarum amplius non intellegerent (Comment. 207). Ex confusione linguae originalis divisio populorum, et ex hac divisione intermissio operis inchoati necnon dispersio gentium secuta est (11, 7 sq). Idcirco nomen istius urbis *Babel,* i. e. confusio, vocatum est (11, 9).

Quaenam fuerit lingua originalis, omnino ignoramus. S. Gregorius Nyss. eam periisse dicit, quod probabilissimum est; Theodoretus linguam Syriacam, SS. Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Iudaei, Hävernik, Gerlach, Baumgarten aliique multi linguam Hebraeam fuisse contendunt (cf. Lapide, Dillmann, Hummelauer, Strack[2]): at lingua Hebraea ne inter Semiticas quidem antiquissima est, uti philologi docent. — Non solum illi, qui anthropologicam diluvii universalitatem negant (cf. pag. 46), verum etiam alii putant in Babel non omnium hominum, sed partis dumtaxat linguam confusam esse; sed Dillmann (Genesis 202) hanc opinionem utpote contextui contrariam merito reicit.

Quomodo Deus linguam hominum confuderit, etiam incertum est. Legimus 11, 1: *Erat autem terra,* וַיְהִי כָּל־הָאָרֶץ, καὶ ἦν πᾶσα ἡ γῆ, i. e. omnes homines in terra habitantes (cf. Exegeticam 4), ut verba sequentia monstrant, *labii unius,* שָׂפָה אֶחָת, χεῖλος ἕν, *et sermonum eorundem,* וּדְבָרִים

אֲחָדוֹם, καὶ φωνὴ μία πᾶσιν· iuxta 11, 7 vero Deus *linguam eorum*, שְׂפָתָם, ita confudit, ut singulae cognationes *vocem* vel potius linguam aliarum, שְׂפַת רֵעֵהוּ, non amplius intellegerent; de confusione *sermonum*, דְּבָרִים, nihil dicitur. — De differentia inter שָׂפָה et דְּבָרִים varii varie sentiunt. Secundum S. Chrysostomum aliosque synonyma sunt; iuxta Gunkel שָׂפָה totum, דְּבָרִים partes significat; Hoberg et Zschokke cum Kaulen (Die Sprachverwirrung zu Babel., Mainz 1861) דְּבָרִים elementum lexicale, radices verborum, שָׂפָה formationem et structuram grammaticalem declarant, quae sententia valde probabilis videtur. — Qua supposita Zschokke cum Lapide confusionem linguae originalis sic declarat: „Quum Scriptura, inquit, de confusione sermonum tacet, essentia linguarum varietatis in diversa forma reponi videtur, servata identitate radicum linguae primaevae. . . . Haec confusio linguarum erat repentina et miraculosa, nec naturali modo explicari potest, ac si ex dissensione animorum ac dispersione sensim variae linguae enatae fuissent; nam confusio linguarum non fuit effectus, sed causa dissensionis et dispersionis, ita ut omnes diversas terras quaerere coacti sint. Consentit philologia moderna, quae unitatem labii originalem testatur et diversitatem linguarum non temporali evolutioni, sed violentae quassationi tribuendum esse docet."

Hagiographus autem non asserit varias linguas, in quas Deus originalem diviserat, statim excultas fuisse; possumus igitur naturalem progressum seu evolutionem linguarum variarum admittere (cf. *Dillmann*, Genesis 207). Si pro hac evolutione linguarum saecula nonnulla postulantur (*Schanz*, Apologie I 738 sq), confusio linguae originalis ac dispersio gentium ex ea sequens ante 4000 a. Chr. facta est, quia non solum usque ad 3000 a. Chr. vestigia variarum linguarum, verum etiam c. 4000 a. Chr. apud Babylonios et Aegyptios florentem cultum atque humanitatem invenimus (*Zschokke*, Historia 358; *Schanz*, Apologie I 755; cf. pag. 24).

Vocatum est nomen urbis *Babel*, בָּבֶל, i. e. confusio, *quia ibi confusum est*, בָּלַל, *labium universae terrae* (11, 9). Gunkel hanc etymologiam nominis Babel pulcherrimam quidem, sed philologice puerilem vocat; Fürst vero formam בָּבֶל ex aram. בַּלְבֵּל *confusio* ab aram. בַּלְבֵּל = hebr. בָּלַל *confundere* grammatice rectam iudicat; et doctissimus Gesenius ad טוֹטָפָה pro טָפְטָפָה a טוּף, ad גֻּלְגֹּלֶת a גָּלַל, ad צֶלְצְלִים a צָלַל provocat. Non obstat, quod Babylonii cuneat. Bâbîl vel Bâbîlu (cf. Buhl, Dillmann, Holzinger) portam seu aulam Dei interpretati sint: intellexerunt nomen suo modo, uti Gunkel quoque concedit; ipsis etymologiam supra propositam displicuisse per se patet (cf. Holzinger). Neque obstat, quod Babylonia olim *tintira* = nemus vitae appellata fuerit (Comment. 91), nam textus sacer hoc tantum nomen notat, quo urbs post confusionem linguarum vocata est.

3. Contra auctoritatem historicam huius narrationis varii varia quidem opponunt, quin tamen eam elidere possint. a) *Holzinger* (Genesis 112) scribit hanc narrationem cum praecedentibus conciliari non posse, sed rationes affert, quae facile refutantur.

Affirmat: α) Iuxta tabulam gentium varii populi naturali modo, iuxta hanc vero narrationem extraordinario facto Dei orti sunt. Verumtamen, in c. 10 varii populi utique orti describuntur; ortum vero eorum pure naturalem fuisse nullum textus verbum indicat. In c. 10 factum astruitur, in c. 11 autem, ad quod 10, 25[b] delegat, modus exponitur. β) Secundum 10, 8 10 probabiliter Nemrod, secundum 11, 2 sqq vero multitudo hominum urbem Babel aedificavit. Respondemus: verum non

est Nemrod secundum 10, 8 10 probabiliter Babel aedificasse; nam hagiographus 10, 11 sqq explicite notans Niniven, Rᵉchoboth ʿIr, Chale et Resen a Nemrod aedificatas fuisse, legentibus insinuat urbes Babel et Arach et Achad et Chalanne et Assur iam antea exstitisse, quod Gunkel quoque concedit (Comment. 192 sq). γ) Haec narratio neque ante diluvium, uti patet, neque post illud collocari potest, cum Sem, Cham et Iapheth non sint *omnis terra*, atque multitudo civitatem et turrem aedificans non sit una familia. Sed omnes homines revera a tribus filiis Noe descendunt (pag. 44), et in quinta generatione (pag. 52 et 55) non amplius una familia fuit.

b) Gunkel (Genesis 89 91), Holzinger (Genesis 113) aliique edicunt istam narrationem nullius esse pretii scientifici, cum memoria hominum illud tempus antiquissimum non attingat (Gunkel); nullius pretii religiosi, cum narratio ex polytheistica transformata sit (Holzinger), qua poetice et fabulose declaratur, cur et quomodo urbs et turris Babel aedificatae, linguae divisae et gentes dispersae sint. Hi viri asserunt narrationem origine Babyloniam et polytheisticam in variis terris peregrinatam esse, ad notitiam Israelitarum venisse, ab illis de polytheismo aliisque sententiis partim purgatam atque monotheismo conformatam ac demum in Bibliam assumptam esse. Contra hanc opinionem ponimus: α) Apud Babylonios similis narratio non invenitur, quod peritissimi *Dillmann*, Genesis 205; *Nikel*, Genesis 191; *Schrader-Zimmern*, Keilinschriften 396; *Strack*, Genesis² 46 confitentur. β) Narrationem primitus polytheisticam fuisse demonstrari nequit. Dicunt quidem (Holzinger cum Gunkel, Stade et Budde) Iahve invidia ductum et in plurali loquentem ad Olympum ethnicorum pertinere, aliasque sententias polytheisticas omissas esse. At haec non solum gratis asserenda, verum etiam invicte probanda erant, quod non fecerunt. γ) Denique si supponamus narrationem primitus polytheisticam fuisse, Israelitae eam naturali modo, ut illi viri volunt, de polytheismo purgare atque monotheismo conformare non potuissent, quemadmodum pag. 48 ostendimus. Quae ratio etiam impedit, quominus narratio biblica ex polytheisticis narrationibus Afrorum, Americanorum, Armeniorum, Coreanorum, Graecorum, Indorum, Persarum hausta dicatur, quae aedificationem turris (et urbis) ac divisionem linguarum referunt (cf. *Lüken*, Traditionen 314 sqq; *Nikel*, Genesis 195 sqq).

c) Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 319) provocans ad Lagrange (La méthode historique 214) opinatur populum vel scriptorem capitis 11 Genesis gigantcam turrem septem tabulatorum in Borsippa aedificatam sed non consummatam, cuius reliquiae hodie quoque 65 m altae sint, vidisse ac virtute creatrice phantasiae suae declarasse hanc turrem propter superbiam aedificantium et con-

fusionem linguarum non consummatam fuisse. Contra hanc opinionem sequentia notamus: *α*) Reliquiae turris in Borsippa exsistentis non 65 *m*, sed 48 *m* altae sunt (*Ieremias,* Das Alte Testament 280; videas et *Selbst,* Handbuch 189). *β*) Turris, cuius aedificationem sacer textus narrat, non in Borsippa sed in Babel fuit (pag. 57). *γ*) Opinio ista ex *Gunkel,* Genesis 90 sq desumpta est, qui tamen non citatur, neque cum catholica inspirationis notione conciliari potest. Nam hagiographus proprio nomine loquens narrationem suam facit ideoque falsa seu in sola phantasia exsistentia proponere nequit (pag. 11).

Tenemus igitur Moysen (pag. 21 sq) hanc narrationem ex traditione antiqua sumpsisse. Memoria facti tam publici quam extraordinarii propter longaevitatem Patriarcharum (pag. 23) facile usque ad Moysen conservari potuit, immo debuit, ita ut narratio Deo movente et illustrante litteris consignata plenam fidem mereatur.

§ 16. De proavis Abrahae.

Inter Noe et Abraham in textu Hebraico et Latino novem Patriarchae enumerantur (11, 10—26), nimirum: Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, Thare (cf. tabulam pag. 35); textus autem Graecus inter Arphaxad et Sale *Cainan* inserit, quam lectionem genuinam censemus, quia S. Lucas eam confirmat testans (3, 36): *qui (Sale) fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.*

Colombier cum aliis doctis (cf. *Lapide,* Genesis et *Hummelauer,* Genesis 346) affirmat nomen Cainan textui a S. Luca insertum nihil aliud probare nisi nomen infuisse codicibus LXX eius aevi, utique corruptis. Hoc negamus. Si Lucas ipse Cainan progenitoribus Christi ascripsit, revera talis esse debuit, quia alioquin ut hagiographus errasset, quod impossibile est (pag. 12 sqq). Idcirco alii (Lapide, Calmet, Fillion, Hummelauer, Hoberg) censent in textu citato nomen Cainan non a Luca originaliter scriptum, sed a quodam librario serius adiectum fuisse. At secundum principia critica textus Lucae incorruptus iudicandus est (cf. Tischendorf vel meam editionem criticam N. T. Graeci). — Obiciunt quidem nomen Cainan in testibus ceteris deesse; idem nomen 5, 9 sqq reperiri; numeros ascriptos eosdem esse ac Sale appositos (Dillmann, Hummelauer). Sed silentium testium ceterorum explicitum testimonium Lucae infirmare nequit (cf. Exegeticam 120 sq et supra pag. 10); eadem nomina alibi quoque occurrunt (pag. 29); utrum numeri in LXX Sale appositi genuini sint necne, valde dubium est (pag. 36).

Alios quoque proavos Abrahae in ista enumeratione omissos esse concedamus oportet. Nam si annos, quibus Patriarchae singuli genuerunt, addimus atque a summa annos 98, quos Sem ante diluvium transegerat (11, 10), deducimus, inter diluvium inchoatum et nativitatem Abrahae iuxta textum Hebraicum 292, Samaritanum

942, Graecum 1072 anni effluxerunt. Reapse autem ca 2000 anni praeterierunt, cum diluvium ca 5000 a. Chr. veniret (pag. 58), et Abraham ca 2200 a. Chr. viveret (§ 17). Quia in genealogia Iesu Christi inter Ioram et Oziam consulto Ochozias, Ioas et Amasias (Mt 1, 8 17) omissi sunt (cf. 4 Reg. 8, 24; 11, 2; 12, 1; 14, 1), nihil impedit quominus etiam in genealogia Abrahae nonnulla membra intermedia omissa dicamus.

Textus 11, 10: *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium,* aliis textibus (5, 31; 7, 6; 8, 13) contrarius videtur. Si tamen supponamus Sem anno 501 Noe ad finem vergente (quando Noe adhuc filius 500 annorum erat) natum esse ideoque anno 502 Noe ad finem vergente primum vitae annum complesse: currente secundo post inchoatum diluvium anno filius 100 annorum completorum erat, i. e. annum 101 agebat (videas plura de hac re in Comment. 212). Iuxta dicta annos tabulae in pag. 35 collocatae computavimus, ab 1658, 1309, 2244, *2258* incipientes. — Ex eo quod Nachor in v. 24 avus Abrahae, in v. 26 autem frater eius dicitur, Gunkel iterum duplicem (contrariam) traditionem adesse concludit. Verumtamen ut valeret conclusio, debuerat non solum supponere, sed etiam demonstrare unicam dumtaxat personam nomen Nachoris habuisse. — Thare post Abraham natum non 205, quemadmodum textus Hebraicus, Graecus et Latinus habent, sed 145 annis vixit, ut in Samaritano legimus (§ 17).

SECTIO ALTERA.

AB ABRAHAM USQUE AD CHRISTUM.

Alteram hanc sectionem in quinque periodos dividimus, scilicet: ab Abraham usque ad Moysen, a Moyse usque ad Iosue, ab Iosue usque ad divisionem regni, a divisione regni usque ad exsilium Babylonium, ab exsilio Babylonio usque ad Christum.

PERIODUS I.

AB ABRAHAM USQUE AD MOYSEN.

§ 17. De Abraham.

1. Thare, תֶּרַח, in Ur Chaldaeorum, בְּאוּר כַּשְׂדִּים, habitans, vir 70 annorum genuit Abram, אַבְרָם, et Nachor, נָחוֹר, et Aran, הָרָן, qui uxores duxerunt (11, 26 sqq).

Chaldaei, cuneat. Kaldu, ad sinum Persicum et ad dexteram ripam Euphratis habitarunt (Tab. I; Zimmern-Guthe); reliquiae urbis antiquissimae et celeberrimae *Ur,* cuneat. Uru, nunc el-Muḳaijar vel el-Mugheir vel al-Maʿāïr nominantur (Fig. 10, p. 62; *Buhl,* Handwörterbuch; *Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch; *Strack,* Genesis[2] 49 sq). In Ur luna colebatur (Comment. 218 sq).

Aran genuit filium *Lot* duasque filias *Melcham* et *Iescham* et mortuus est ante patrem suum vel potius in conspectu, עַל־פְּנֵי, *ἐνώπιον*, patris sui; qua phrasi hagiographus insinuat mortem filii pro patre acerbam fuisse. Utrum traditio Hebraeorum, qua Aran a Chaldaeis in ignem iniectus narratur (cf. Lapide, Hummelauer), vera sit necne, in medio relinquimus. — Nachor duxit Melcham, מִלְכָּה, uxorem, et Abram *Sarai*, שָׂרַי. Hummelauer et Hoberg cum Lapide asserunt Sarai et Iescham, יִסְכָּה, fuisse eandem feminam, filiam scilicet Aran alteram; at Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack non consentiunt, idque recte. Nam Abraham 20, 12 de Sarai testatur: *vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meae, et duxi eam in uxorem;* haec verba stricte intellegenda esse

Fig. 10. El Muḳaijar. (Phot. Dr R. Koldewey.)

contextus (20, 2 5) docet; ergo Sarai non fratris Aran, sed patris Thare fuit ex alia utique matre. Praeterea Sarai decennio tantum iunior erat quam Abram; quomodo igitur filia Aran esse potuit, quem Thare 70 annos natus genuerat sicut Abram et Nachor (11 25 sq)? Aran et Nachor longe ante Abram genitos fuisse sacer textus omnino excludit (Comment. 220).

2. Thare cum familia sua in Ur lunam aliosque deos colere noluit, sed unum Deum verum colebat (Iud 5, 6 sqq). Deus gloriae in eadem urbe Abrae apparens mandavit: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi* (Act 7, 22 sqq); Abram oboediens etiam patrem ad egrediendum permovit (Lapide, Hummelauer), qui cum Abram et Lot et Sarai in Chanaan ire voluit (Gn 11, 31), de cuius fertilitate forsitan audierat (Strack).

Viam communem petentes in *Haran* venerunt ibique Deo praecipiente habitarunt (Gn 11, 31. Iud 5, sqq).

Haran, חָרָן, assyr. Ḫarrān, Ḫarrânu, urbs Mesopotamiae (Tab. I) etiam lunam colens fuit (*Buhl,* Handwörterbuch; *Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch), in qua Thare diis alienis serviebat (Ios 24, 2 sq; Lapide). Etiam familia Nachor, qui serius in Haran venit (Gn 11, 28 coll. 24, 4 10; 27, 43), deos alienos colebat (31, 19 34; 35, 4).

Quo anno vitae Abram ex Ur egressus sit et quot annos in Haran habitaverit, ignoramus. Ex 12, 4 hoc tantum scimus ipsum 75 annorum fuisse, cum de Haran egrederetur; opinionem eorum, qui dicunt mox post adventum Thare mortuum esse et Abram Haran reliquisse, verba *habitaverunt ibi,* וַיֵּשְׁבוּ שָׁם (v. 31 coll. v. 2) non commendant.

3. Post mortem patris (Act 7, 4) Abram a Deo in terram Chanaan adductus est (Ios 24, 3); Lot quoque urbem idololatram reliquit et ivit cum fratre (Gn 12, 4), ita cultorem Dei veri se profitens.

Secundum textum Hebraicum, Graecum et Latinum Gn 11, 32 Thare vir 205 annorum mortuus est; vixit igitur 135 annis, postquam Abram, Nachor, Aran genuerat (v. 26). Secundum Samaritanum autem vir 145 annorum mortuus est, vixit igitur post nativitatem filiorum 75 annis; quos numeros in hoc loco praeferre debemus. Nam iuxta numeros Hebraeos, quos generatim genuinos iudicamus (pag. 36), Abraham anno 1948 + 75 = 2023 ex Haran exiit (pag. 35 et 63), et Thare 1878 + 205 = 2083 (pag. 35), ergo 60 annis post emigrationem Abrae, mortuus est. In Act 7, 4 vero legimus Abram, *postquam mortuus est pater eius,* in Chanaan translatum esse. Quodsi numerum Samaritani accipimus, omnia quadrant, cum 1878 + 145 = 2023 fiant (Comment. 221 sq). —

Hoberg et alii cum S. Hieronymo sentiunt Abram bis a Deo iisdem verbis vocatum esse, videlicet in Ur Chaldaeorum (Act 7, 2 sq) atque in Haran (Gn 12, 1); sed praecepta grammaticae Hebraeae permittunt, ut illud וַיֹּאמֶר in Gn 12, 1 plusquamperfectum intellegamus, ideoque reddamus: *dixerat autem Dominus ad Abram,* nimirum in Ur, quam sententiam S. Augustinus, Lapide, Hummelauer amplectuntur. Istud וּמִמּוֹלַדְתֵּךְ non *de cognatione tua,* sed *de nativitate tua* vel *de loco nativitatis tuae* vertendum est (cf. 11, 28; Comment. 222).

a) Venit igitur Abram cum Sarai et Lot necnon cum servis et ancillis omnique possessione ex Haran (Tab. I) in terram Chanaan et pertransivit eam usque ad locum *Sichem* (Tab. III) et quidem usque ad *convallem illustrem* vel potius ad quercum More, אֵלוֹן מוֹרֶה, viri cuiusdam Chananaeorum, qui istam terram habitabant (pag. 53). In hoc loco Dominus Abrae apparuit ac posteris eius terram Chanaan promisit; pro qua gratia Abram altare aedificavit et victimas obtulit (12, 6 sq). Et inde transgrediens venit in *Luzam,* quae ab Iacobo Bethel nominata est (28, 19), ergo 12, 8

et 13, 3 per prolepsin ita appellatur; inter Bethel et Hai (Tab. III) tetendit tabernaculum suum, aedificavit altare coluitque Deum sacrificiis et precibus oblatis. Iterum proficiscens venit *ad meridiem* terrae, i. e. in Negeb, נֶגֶב, terram siccam inter montana Hebron, Edom, Cades et rivum Aegypti sitam (Comment. 227; Tab. II).

Plures interpretes acatholici putarunt sacraria apud Sichem et Bethel posteriore tempore exsistentia a scriptore Genesis patriarchae Abrahae affingi (Comment. 226 sq). Sed haec opinio neque cum memoria Patriarcharum longaevorum (pag. 23) neque cum catholica inspirationis notione (pag. 9) convenit.

b) Fame coactus ex Negeb in Aegyptum descendit, ubi Sarai propter pulchritudinem suam in domum Pharaonis sublata, sed a Deo servata et Abrae restituta est (videas § 18). Fame finita Abram cum uxore et Lot omnique possessione sua ex Aegypto in Negeb ascendit, a viris Pharaonis honoris et securitatis causa deductus (12, 10—13, 2).

Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 328 sqq) iterum provocans ad Lagrange (Revue Biblique 1905, 369 sq) scribit habitationem Abrae in Aegypto et periculum Sarai esse amplificationem legendariam traditionis popularis cum veritate non congruentem. Cui opinioni repugnat, quod hagiographus nullo verbo indicat se traditionem popularem referre, sed proprio nomine narrat, ergo falsa proponere nequit (pag. 11). Praeterea Abraham 175, Isaac 180, Iacob 147 annis vixit (Comment. 232), et ab ingressu Iacobi in Aegyptum usque ad exitum populi ex Aegypto non plus quam 430 anni praeterierunt (Comment. 261); ergo acta patriarcharum per testes, qui c. 100 annis vixerunt (cf. Ex 7, 7 coll. Nm 20, 24; Dt 34, 7), pure conservari ac tradi potuerunt. — Dillmann, Gunkel, Holzinger asserunt Lot cum Abra ex Aegypto non ascendisse, cum 12, 10 non explicite descendisse dicatur. Sed Moyses implicite saltem indicat Lot quoque descendisse. Nam scribit Lot cum Abra fuisse, usquedum dividerentur (12, 4 et 13, 5 coll. 13, 11); insinuat illum quoque fame oppressum esse (12, 10 coll. 13, 5); diserte notat eum cum Abra ex Aegypto ascendisse (13, 1). In 12, 10 non explicite narrat Lot in Aegyptum descendisse, quia ea quae in Aegypto de Sarai acta sunt, ad ipsum non pertinebant. Ceterum testimonium ex silentio simplici petitum (12, 10) contra expressum testimonium (13, 1) non valet (Exegetica 120 sq; Comment. 233).

c) Ex Negeb per mansiones in eum locum inter Bethel et Hai reversus est, ubi prius tabernaculum fixerat et altare erexerat, et Dominum coluit. Quia autem ipse et Lot multos servos et ancillas et greges habebant, et terram alii quoque homines habitabant, pastores amborum pascua sufficientia non inveniebant ideoque inter se rixabantur. Quod iurgium Abram pacificus finire volens fratri Lot proposuit, ut sibi aliam regionem ad habitandum eligeret. Elevatis itaque oculis Lot vidit regionem Iordani adiacentem tam irriguam quam paradisum et Aegyptum, elegit sibi hanc regionem,

recessit ab Abra in orientalem plagam, pertransivit urbes regionis istius fertilis et habitavit in Sodomis. Abram vero mansit in terra Chanaan, eam iussu Domini perambulavit itaque a Bethel in territorium Hebron (Tab. III) venit, ubi *iuxta convallem* vel potius quercetum, בְּאֵלֹנֵי, seu quercum, בְּאֵלוֹן, *Mambre*, מַמְרֵא, viri Amorrhaei (14, 13; Comment. 239) tabernaculum suum fixit (13, 3—18).

Regio Iordani adiacens, כִּכַּר הַיַּרְדֵּן vel simpliciter הַכִּכָּר, generatim totam regionem, per quam Iordanes a lacu Tiberiadis usque ad mare mortuum fluit (Tab. III), nunc el-Ghôr = terra plana, significat; hic tamen australem dumtaxat partem, ab Iericho usque ad Balam (14, 2) = Segor (19, 22) denotare videtur (Comment. 236). — Quercus Abrahae (Fig. 11), quae ½ hora ab Hebron distans conspicitur (*Benzinger - Baedeker*, Palästina 136), est forsitan una ex propaginibus quercus antiquae (*Selbst*, Handbuch 234). — Gunkel (Genesis 161) et sectatores eius divisionem Abrae et Lot fabulam declarant; iuxta ea autem, quae ad b dicta sunt, factum historicum est.

Fig. 11. Quercus Abrahae iuxta Hebron. (Phot. Bonfils.)

4. In diebus *Amraphel* regis Sennaar et *Arioch* regis Ponti vel potius Ellasar ad Euphraten et *Chodorlahomor* regis Elamitarum et *Thadal* regis Gentium, forsitan Guti ad Zabam intra Babyloniam et Mediam habitantium (Tab. I), hi quattuor reges orientales contra quinque occidentales bellum inierunt. Nam *Bara* rex Sodomorum et *Bersa* rex Gomorrhae et *Sennaab* rex Adamae et *Semeber* rex Seboim necnon rex Balae vel Segor, צֹעַר, duodecim annis regi Chodorlahomor tributum dederant, sed tertio decimo negarunt. Propterea Chodorlahomor quarto decimo anno cum tribus regibus ceteris in occidentem venit, ut rebellantes

istos reges subiugaret, quorum exemplum alii quoque occidentales imitati fuerant, ut ex sequentibus apparet. Percussit igitur Raphaim in Astarothcarnaim in Basan et Zuzim forsitan in Rabbath Ammon et Emim in Save seu planitie prope urbem Cariathaim ab oriente maris mortui (Tab. III) et Chorraeos in montibus Seir inter mare mortuum et sinum Aelaniticum usque ad *Campestria Pharan,* אֵיל פָּארָן, i. e. usque ad urbem sinus Aelanitici, quae propter arborem vel arbores El, Elath vel Eloth atque propter Pharan vicinum desertum El Pharan vocabatur (Tab. II). Inde in septentrionem pergens venit ad fontem Misphat, ἐπὶ τὴν πηγὴν τῆς κρίσεως, in Cades, קָדֵשׁ i. e. sacrarium, forte ob oracula ad fontem petita et edita ita appellatum. Et percussit Amalecitas in Negeb (pag. 64) necnon Amorrhaeos in Asasonthamar i. e. Engaddi ab occidente maris mortui habitantes (Tab. III; 14, 1—7).

Tunc quinque reges occidentales ex urbibus suis exierunt et in *valle Silvestri,* עֵמֶק הַשִּׂדִּים, i. e. in valle camporum, quae nunc est mare salis (14, 3), convenerunt, ut reges orientales debellarent. Sed ipsi quoque victi sunt, et qui remanserant in montes Moab vel Iuda fugerunt. Reges vero orientales omnem substantiam quinque urbium simul cum Lot tulerunt et ab occidente maris mortui et Iordanis in patriam reverti voluerunt (14, 8—12). Abram autem de sorte fratris sui certior factus cum 318 servis suis probatis necnon cum servis virorum Amorrhaeorum Mambre, Eschol et Aner secum foedere coniunctorum revertentes persecutus est usque Laiš vel Lesem ad Libanum sitam (Tab. III), quam postea Dan appellarunt (Ios 19, 47; Iud 18, 28 sq). Et divisis sociis irruit super orientales, nocte ex omnibus partibus eos aggrediens et sopitos perterrefaciens, eosque percussit et usque ad Hoba iuxta Damascum sitam insectatus est. Reduxitque omnem substantiam (probabiliter Sodomorum dumtaxat, ut vv. 21 sqq innuere videntur), viros et mulieres cum fratre suo Lot (14, 13—16).

Amraphel regem Sennaar eundem esse ac Ḫammurabi regem celeberrimum Babyloniae ca 2200 a. Chr. dominantem (*Bezold,* Keilinschriften 53) primus Daniel Hy Haigh affirmavit, cui plurimi (e. g. Delattre, Frd. Delitzsch, Dillmann, Gunkel, Hoberg, Ieremias, Schöpfer, Schrader, Winckler, Zimmern, Zschokke) consenserunt, *Bezold* l. c. 26 sq et 54 sq autem rerum Babyloniarum peritissimus recte contradicit sequentibus nixus rationibus. α) Nomina אַמְרָפֶל et Ḫammurabi sunt diversa. Habemus in initio hic א, illic ח = Ḫ et in fine hic ל, illic י = i. Opinabatur quidem Meissner pro אמרפל ponendum esse עמרבי, sed opinionem suam probare nequit (*Bezold* l. c. 54 sq); Hüsing et Ieremias illud ל cum sequenti verbo coniungunt scribentes אמרפל מלך pro אמרפל למלך, sed haec constructio non Hebraica esset et supponeret Ḫammurabi regi Arioch subditum fuisse, de qua re in cuneatis inscriptionibus nihil invenimus

(*Bezold* l. c. 55). β) Ḫammurabi habuit quidem titulum „regis Sumer et Akkad"; verumtamen dubium est (*Bezold* l. c. 55) Sumer et Sennaar idem significare. γ) In toto V. T. reges Babyloniae universae semper מֶלֶךְ־בָּבֶל nominantur; Amraphel vero מֶלֶךְ־שִׁנְעָר tantum appellatur: ergo ipse iuxta usum loquendi V. T. non fuit rex Babyloniae universae, cuius rex primus Ḫammurabi exstitit (*Bezold* l. c. 26). — Uti de Amraphel, sic de ceteris regibus in cuneatis inscriptionibus hucusque nihil repertum est (*Bezold* l. c. 27). „Tempus Abrae igitur cuneatis inscriptionibus nondum illustratur", concludit Bezold; Abram ante Ḫammurabi vixit (Comment. 240).

Gunkel (Genesis 258 sq) impossibile iudicat ab Abram et 318 servis eius tam potentes exercitus, qui iam multas gentes et quinque reges subegerant, percuti et fugari potuisse, atque cum Nöldeke exclamat: „Si hoc possibile est, nihil omnino impossibile est." Cui reponimus: α) Non legimus reges orientales copias ingentes secum habuisse. β) Neque legimus Abram acie pugnasse, sed potius nocte super dormientes irruisse. γ) Servi Abrae probati et experti fuerunt. δ) Abram etiam Mambre, Eschol et Aner cum servis eorum secum duxit. ε) Melchisedech benedicens testatur (v. 20) a Deo excelso hostes manibus Abrae traditos fuisse. Cum igitur non impossibile sit, hostes Deo protegente et adiuvante ab Abra devictos fuisse, victoria Abrae non fabulosa neque invasio Elamitica fide indigna est, in cuius narratione plura continentur, quae concedente Gunkel fide digna apparent (Comment. 246 et 252).

5. Abrae a caede regum orientalium revertenti rex Sodomorum et rex Ierusalem in valle Save seu valle regis prope Ierusalem occurrerunt. *Melchisedech* quidem rex Salem i. e. Ierusalem panem et vinum protulit, ut sacrificio oblato Deo gratias ageret et epulo revertentibus parato Abrae gratularetur, *erat enim Sacerdos Dei altissimi;* benedixit quoque Abrae seu precatus est, ut Deus Abramum bonis cumulet, sicut iam fecerat victoriam tribuendo. Abram autem pro sacrificio oblato et epulo subministrato et benedictione impertita decimam partem ex omnibus spoliis Melchisedecho dedit. Haec videns rex Sodomorum ab Abra homines Sodomitas reductos petiit, reliqua bona ei concedens. Sed Abram per Dominum caeli et terrae iuravit semetipsum ex praeda bellica nihil retinere velle nisi ea, quae vernaculi sui revertentes iam comedissent et quae socii pro rata parte accepturi essent; noluit Abram gloriationem regis Sodomorum, noluit societatem eius ne in re minima quidem (14, 17—24).

Melchisedech persona historica fuit, quod etiam Gunkel contra Wellhausen tenet, simulque humana, non Angelus neque Spiritus Sanctus. Quodsi S. Paulus (Hebr. 7, 3) eum *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae* habentem describit: haec verba iuxta usum loquendi profanum et sacrum non significant Melchisedechum reapse non habuisse patrem, matrem, genealogiam, initium dierum et finem vitae, sed haec omnia nobis ignota esse (Comment. 253 sq). Qui Melchisedech, מַלְכִּי־צֶדֶק i. e. *rex iustitiae* (Comment. 248), erat rex urbis Ierusalem. Nam שָׁלֵם non Salem vel Salim iuxta Scythopolim, sed illam urbem denotare, quae primo Iebus (Gn 10, 16 coll. Iud 19, 10) et deinde Ierusalem

vocabatur, plerique interpretes antiquiores et recentiores sentiunt (Comment. 248) atque Ps. 75, 3 confirmat: *Et factus est in pace*, בְּשָׁלֵם, *locus eius*, inquit, *et habitatio eius in Sion*, בְּצִיּוֹן; membrum alterum, cuius sensus clarus est, monstrat quomodo prius parallelismi membrum intellegendum sit. Quia שלם aramaice idem est ac pax, S. Paulus in Hebr. 7, 2 מלך שלם *rex pacis* interpretatur. Erat rex simulque sacerdos, quemadmodum etiam reges Phoenicum simul sacerdotes erant (Gunkel). — Melchisedechum non solum epulum dedisse, sed sacrificium quoque obtulisse his argumentis probamus: a) Contextu proximo. Rex Salem *panem et vinum* protulit, legimus 14, 18 sq, *erat enim Sacerdos Dei altissimi*, et *benedixit ei*. Sententia media *erat enim Sacerdos Dei altissimi* non cum sequenti *benedixit*, sed cum antecedenti *protulit* coniungenda est, quod ex distinctione textus Hebraei et versionum patet; redditur igitur causa, cur Melchisedech *panem et vinum* attulerit. Sacerdotis autem officium proprium est sacrificare (Lapide); ergo, si panem et vinum attulit, quia sacerdos erat, sacrificii gratia attulit (cf. Hummelauer, Hoberg). Multi quidem protestantes sententiam illam mediam cum sequenti iungunt et causam benedictionis indicatam volunt. Tacemus hanc coniunctionem divisioni textus masorethici et versionum contrariam esse, et hoc solum cum Hummelauer notamus: „Benedicere in toto V. T. nequaquam est solorum sacerdotum; benedicunt parentes, reges, amici, alii“: ad quid ergo hagiographus notat Melchisedechum benedicentem fuisse sacerdotem? Contextu remoto. Legimus Abram saepius (12, 7 8; 13, 18) altare aedificasse et sacrificasse, ut Deo gratias ageret, ideoque improbabilissimum est eum post victoriam *Deo protegente* (v. 20) reportatam non sacrificasse; atqui nullus textus alius sacrificium Abrae refert; ergo hic textus de sacrificio explicandus est (cf. Hummelauer). c) Contextu remotiore. In Ps 109, 4 et Hebr cc. 5 et 7 Christus *sacerdos* secundum *ordinem* i. e. modum Melchisedech dicitur. „Iam vero nusquam alibi sacrificium Melchisedech eiusque ritus et modus exprimitur nisi hic; ergo protulit hic panem et vinum ad hoc, ut ea Deo ex more suo offerret in sacrificium“ (Lapide). d) Unanimi consensu Patrum atque sensu Ecclesiae in Canone Missae et alibi manifestato. „Nulla in re, docet Catech. Conc. Trid. (p. II, c. IV, n. LXXV), eius (sacrificii Missae) imaginem magis expressam licet videre quam in Melchisedech sacrificio.“

6. Regibus orientalibus caesis, gratiis pro victoria a Deo concessa persolutis, benedictione a Melchisedech accepta, spoliis regi Sodomorum restitutis Abram ad tabernaculum suum iuxta Hebron reversus est.

Quo in loco Deus apparens Abrae prolem copiosam promisit et praenuntiavit posteros eius per 400 annos in Aegypto peregrinaturos; simul symbolica actione sollemniter declaravit semetipsum suo tempore terram a rivo seu torrente Aegypti usque ad fluvium Euphraten sitam posteris eius ex Aegypto egressis donaturum esse (15, 1—21 et Comment. h. l.).

Abram vero 86 annos natus ab Agar, הָגָר, filium suscepit, quem iussu Domini *Ismael*, יִשְׁמָעֵאל, i. e. Deus exaudit, appellavit, quia Dominus afflictionem matris eius quasi ad se clamantem exaudierat (16, 1—16 et Comment. h. l.). Et cum 99 annorum esset, ipse *Abra-*

ham, אַבְרָהָם, i. e. pater multitudinis, atque uxor *Sara,* שָׂרָה, i. e. domina, a Deo nominati sunt; circumcisio signum foederis constituta necnon bis filius liberae Sarae promissus est (17, 1—18, 15 et Comment. h. l.).

7. Eodem anno Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim (14, 2) atque omnis circa regio, כָּל־הַכִּכָּר, propter impietatem suam deletae sunt; etiam Bala delenda erat, sed a Domino ob preces Lot, quem cum uxore et filiabus e Sodomis eduxerat, servata est. Lot postea Balam = Segor reliquit et mansit in monte ab oriente maris mortui, ubi Moab et Ammon nati sunt (18, 16—19, 38 et Comment. h. l.). Regionem illam, in qua quattuor urbes subversae prius erant, nunc mare mortuum occupat. Hic est sensus verborum: *vidit omnem circa regionem,* כָּל־כִּכַּר, *Iordanis, quae universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham* (13, 10); *convenerunt in vallem Silvestrem* seu camporum, *quae nunc est mare salis* (14, 3). Ita sentiunt Lapide, Gesenius, Fürst, Guthe, Holzinger; etiam Gunkel docet ex textu vel sententia narratoris mare mortuum ante subversionem urbium non exstitisse (Comment. 236 sq et 241), quae sententia hagiographi falsa esse nequit (pag. 11). Qua ex sententia sequitur Iordanem, qui nunc in mari mortuo evanescit, ante originem maris mortui per alveum hodieque conspicuum et wadi el-Araba vocatum (Tab. II) in sinum Aelaniticum se exonerasse (Comment. 236).

Mare mortuum vel mare salis vel mare deserti vel lacus asphaltites (Tab. III et Fig. 12, p. 70) 76 *km* longum est; latitudo eius inter 15,7 *km,* 12 *km* et 4,5 *km* variat. Aequor maris mortui 393,8 m depressior est quam aequor maris mediterranei; profunditas maris mortui generalis 329 *m,* absolute maxima 399 *m,* maxima australis 3,6 *m* inventa est. Aqua chlornatrium (sal), chlormagnesium, chlorcalcium etc. continet, qua de causa omnia animalia in ea moriuntur; in profundo asphaltus copiosa esse videtur; in locis mari vicinis non multae herbae, si Engaddi excipiamus, ideoque nec multa animalia reperiuntur: ex his proprietatibus maris nomina supra posita clarescunt. Mare et montes propinqui saepe nebulis caligant (*Benzinger-Baedeker,* Palästina 156 sqq 198). — Dicunt quidem Iordanem per wadi el-Araba in sinum Aelaniticum influere non potuisse, cum pars istius alvei 250 *m* altior aequore maris mediterranei sit (ib. 156). Sed si iuxta sententiam hagiographi in subversione urbium vallis Siddim usque ad 399 *m* depressa est, eodem tempore pars istius alvei usque ad 250 *m* elevari potuit (Comment. h. l. *Hoberg,* Genesis 139). — Robinson, Dillmann, Strack aliique e contrario putant (Comment. 241) iam ante subversionem urbium in illa regione lacum exstitisse et vallem Siddim cum quinque urbibus ab austro istius lacus, forsitan circa lingulam (Tab. III) fuisse. Haec sententia admitti nequit, si sensus locorum supra pag. 69 citatorum lacum ante subversionem urbium exstitisse reapse negat.

Lagrange (Méthode historique 214) depressionem regionis ab austro maris salis sitae factum historicum, narrationem biblicam vero legendam

dicit, quae ultra factum historicum longe progrediatur. Ad expolitionem legendariam praesertim id numerat quod uxor Lot in *statuam salis* versa scribatur (v. 26). Putat populum statuam quandam salis ab austro maris mortui vidisse illamque phantasia sua ita declarasse, ut diceret uxorem Lot propter transgressionem mandati divini (v. 17 coll. 26) in istam statuam conversam esse (202). Etiam narrationem de ortu Moab et Ammon non historiam, sed satiram iudicat (207). — Hae opiniones ex *Gunkel*, Genesis 193 sq et *Dillmann*, Genesis 274 sq. (qui tamen non citantur) haustae sunt et catholicae inspirationis notioni repugnant. Nam hagiographus nulla contextus voce indicat se legendam populi referre quin eam approbet, sed proprio nomine loquitur et antiquam traditionem suam facit: quare narratio falsa continere non potest (pag. 11 sq).

Nullus locus Scripturae, ne Sap 10, 7 quidem, docet uxorem Lot in illam statuam salis 15 *m* altam esse conversam, quae nunc in dschebel Usdum conspicitur; episcopus urbis Segor ca 390 Silviae peregrinanti dixit statuam illam, in quam uxor Lot conversa est, iam ex pluribus annis non amplius conspici sed mari mortuo obtectam esse (*Keppler*, Wanderfahrten 286). Bene *Hummelauer*, Genesis 417 scribit: „Etiamnum, tempestate undas maris mortui agitante, totum late litus spuma aspergitur et salis crusta obtegitur. Id multo violentius fieri oportuit, tota regione concussa et aquis ad ipsa Segoris limina proruentibus. Quid mirum, ut uxor Lot paucos pone maritum gressus cunctata aquis fuerit occupata, et retrospiciens salso humore fuerit obcaecata, exanimata, prostrata, ut e tuto limine ad supremos eius clamores respicientes iam nihil viderint nisi formam aliquam prostratam totāmque sale obtectam? Aut certe aliquamdiu post, quando aquae recesserant, loca illa invisentes nihil repererunt nisi acervos et varii generis fragmenta, sale cooperta omnia, sub quibus aliquo loco non iam determinando mulieris cadaver obrutum iacere scirent." De ortu autem Moab et Ammon idem 419 breviter notat: „Scripturae fides habenda affirmanti rem minime impossibilem."

8. Abraham territorium Hebron relinquens in *terram australem* seu in Negeb (pag. 64) venit atque inter Cades et Sur habitavit; etiam in *Gerara* peregrinatus est (Tab. III). Cum hic quoque Saram sororem suam diceret, Abimelech rex Gerarae eam tulit, sed a Deo monitus ei intactam restituit (20, 1—18). Quae Sara viro 100 annorum filium peperit, qui iussu Domini *Isaac*, יִצְחָק i. e. ridens (cf. 17, 17 19; 18, 12; 21, 6) appellatus ac die octavo circumcisus est. Agar cum Ismaele ab Abraha dimissa in deserto Pharan habitavit; Sara autem cum Isaac et Abraha in Bersabee morabatur (21, 1—34; Tab. II).

Notamus cum Strack (Genesis[2] 76) iuxta 12, 11 sqq Pharaonen Aegypti Saram ob pulchritudinem eius sustulisse, quae in 20, 2 sqq non amplius commemoratur. Quapropter omnes illae quaestiones ac responsiones, quomodo Sara ca 90 annos nata adhuc pulchra esse potuerit, valde superfluae sunt. Regulus Abimelech hoc matrimonio Abraham potentem ac divitem propinquitatis vinculo sibi devincire volebat (*Strack* ib.; cf. § 18).

9. Post annos plures, quando Isaac iam puer robustus erat, Deus Abrahae praecepit, ut hunc filium suum in *terra visionis* seu

Fig. 12. Mare mortuum. (Phot. Bonfils.)

Moria, אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה, super unum montium postea de signandum holocaustum offerret. Abraham oboediens cum filio et duobus servis a Bersabee (21, 31 sqq; 22, 19) in istam terram perrexit voluitque in monte a Deo designato Isaacum immolare *arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus* (Hebr 11, 19). Deus vero heroicam hanc voluntatem remunerans iuramento confirmavit in semine Abrahae benedicendas esse omnes gentes terrae. Abraham arietem inter vepres haerentem holocaustum obtulit et locum illum *Dominus videbit* vel *providebit*, יְהוָה יִרְאֶה (v. 14 coll. 8) nominavit ac Bersabee reversus est (22, 1—24).

Isaacum adhuc puerum fuisse interrogatio eius (v. 7) insinuat; robustum eum fuisse ex eo colligimus, quod non solum iter 17 horarum a Bersabee usque Ierusalem confecerit, verum etiam ligna holocausti in montem portaverit (v. 6). Utrum 15—17 an 20—25 annorum fuerit, incertum; eum 30—37 annos natum fuisse improbabile est. — Moria in 2 Par 3, 1 ille mons vocatur, in quo Salomon templum aedificavit. Nomen forsitan iam a Chananaeis monti impositum fuerat (cf. *Fürst*, Handwörterbuch; *Strack*, Genesis[2] 80), ideoque Abrahae notum erat (cf. pag. 64), ita ut dicere sufficeret: *vade in terram Moria*, i. e. in illam regionem ubi Moria est, *atque ibi offer* filium *super unum montium*, qui in ista terra exsistunt, *quem monstravero tibi* (v. 2). Deus prius terram Moria, deinde ipsum montem Moria (v. 3) locum holocausti designat. Nomen ab Abraha monti inditum provisionem Domini (v. 8) exprimit (v. 14) simulque ad nomen antiquum alludit. Videas Comment. h. l., ubi aliae quoque opiniones recensentur. — *Dillmann*, Genesis 290 asserit ex hac narratione apparere Hebraeos antiquitus eandem cum Chananaeis, Phoenicibus, Aegyptiis, Moabitis, Ammonitis aliisque populis consuetudinem hominum, praesertim liberorum, immolandorum habuisse. Sed in tota historia patriarcharum ne unicum quidem vestigium istius consuetudinis invenitur, quae praecepto Domini post diluvium promulgato *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* (9, 6) omnino contraria est. Non propter consuetudinem aliquam, sed propter mandatum Dei, vitae necisque domini, Abraham filium suum immolare volebat (Comment. h. l.).

10. Cum Abraham 137 et Isaac 37 annorum esset, Sara 127 annos nata in Hebron mortua est. Abraham ab Ephron Hethaeo agrum cum *spelunca duplici*, מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה, emit ibique uxorem sepelivit (23, 1—20).

מַכְפֵּלָה i. e. portio, pars, a כָּפַל = divisit, partitus est, iuxta textum Hebraicum (23, 17; 49, 30; 50, 13) non speluncae sed agri nomen fuit (*Gesenius*, Thesaurus. *Fürst*, Handwörterbuch. *Buhl*, Handwörterbuch), in quo spelunca erat, quae nunc quoque in Hebron ostenditur (Comment. h. l.; *Benzinger-Baedeker*, Palästina 135 sq). Interpretes antiqui nomen appellativum, a כָּפַל = duplicavit, intellexerunt et reddiderunt; at constructio Hebraica hunc sensum excludit.

11. Post 3 annos (25, 20) Isaac in Negeb (pag. 64) iuxta puteum *Viventis et videntis* inter Cades et Barat habitans (24, 62; 25, 11; cf. 16, 14) Rebeccam, sororem Labani et filiam Bathuelis filii

Nachoris fratris Abrahae, uxorem duxit (24, 1—67); Abraham quoque aliam duxit uxorem, nomine Ceturam, quae ei sex filios peperit. Deditque Abraham cuncta, quae possederat, Isaaco: filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem (25, 1—6; Comment. h. l.).

Etiam narrationem 24, 1—67, qua servus senior domus Abrahae (Eliezer) ex Haran pro Isaaco Rebeccam adduxisse scribitur, Koch (Das zwanzigste Jahrhundert [1906] 343) ad Naudet (Iustice sociale, Ian. 1904) provocans legendam declarat (cf. *Gunkel*, Genesis 230); quae opinio cum inspiratione Scripturae non congruit (pag. 9 sqq; Comment. h. l.).

12. Denique Abraham 175 annorum mortuus et a filiis suis Isaaco et Ismaele in *spelunca duplici*, מְעָרַת הַמַּכְפֵּלָה, sepultus est. Post cuius obitum Deus filio Isaaco benedixit (25, 7—11).

In fine tabulam posterorum Thare ac propinquorum Abrahae addimus:



Guthe (Geschichte 175 sqq) cum aliis acatholicis Abrahamum quidem personam historicam, eius posteros autem usque ad Iosephum inclusive heroes eponymos tribuum iudicat atque narrationes tum ad Abrahamum tum ad posteros eius pertinentes historicas esse negat. Quid de hac opinione sentiendum sit, si ad inspirationem Scripturae et ad longaevitatem Patriarcharum respiciamus, pag. 12 et in fine § 19 scripsimus; hic argumenta a Guthe allata examinabimus. Dicit igitur: a) Difficultates chronologicae ex illis narrationibus enascentes insolubiles sunt. Sed ex hac paragrapho et sequentibus paragraphis elucet assertionem non veram esse. b) Quomodo patriarchae cum gregibus suis a septentrione usque ad

meridiem terrae iam habitatae migrare potuerunt? Respondemus: Neque Sacrae Litterae neque monumenta profana affirmant terram Chanaan incolis tam frequentem fuisse, ut patriarchae nomadum more ibi vivere nequirent; ceterum Scriptura diserte testatur patriarchis nonnumquam pascua ac puteos sufficientes defuisse ideoque migrare debuisse. c) Iuxta narrationes biblicas populus Israel ex una familia prodiit, sed populi historici non ita oriuntur. Reponimus: Quomodo populi orti sint, ex documentis historicis eruendum est; atqui Genesis et Exodus, documenta fide digna (pag. 23), populum Israel ex familia Abrahae ortum describunt; ergo credendum est. d) Nullus populus auctorem suum verum indicare potest; ergo neque populus Israel. Si supponamus auctores veros ceterorum populorum in documentis historicis non nominari, quoad populum Israel exceptio statuenda est, quia auctor eius in documento fide digno nominatur; ceterum pag. 52 sqq videas. e) De patriarchis in Chanaan commorantibus multa, de posteris eorum in Aegypto habitantibus paucissima tantum narrantur. Sed ista pauca ob finem scriptoris omnino sufficiunt (§§ 20 et 25) nobisque monstrant posteros patriarcharum electos secundum praenuntiationem Dei in Aegypto longo tempore habitasse, multiplicatos et afflictos fuisse. f) Tribus Israel saltem ex parte in Chanaan ortae, ibique Hebraei in unum populum coniuncti sunt. At hoc asseritur quidem, sed ex nullo documento historico demonstrari potest; Genesis et Exodus, documenta fide digna (pag. 23) contrarium docent. — Videas quae § 6, n. 3 scripta sunt.

§ 18. De Isaaco.

1. Isaac sexagenarius, cum Abraham 160 annorum esset, geminos suscepit. Prior erat rufus et totus in morem pellis hispidus, quapropter *Esau*, עֵשָׂו i. e. pilosus, vocabatur; alter plantam fratris manu tenebat, et idcirco *Iacob*, יַעֲקֹב i. e. calcem tenens vel supplantans, nominabatur (25, 19—26; Comment. h. l.; *Gesenius*, Thesaurus). — Esau factus est venator ab Isaac amatus, Iacob vero pastor a Rebecca dilectus. Lassus de agro veniens Esau Iacobo pro *coctione rufa*, הָאָדֹם הָאָדֹם, primogenita sua vendidit et idcirco *Edom*, אֱדוֹם i. e. rufus, appellatus est (25, 27—34).

2. Orta fame Isaac in Aegyptum descendere volebat, sed a Domino monitus in Gerara peregrinabatur. Et cum a viris loci illius de Rebecca interrogaretur, eam sororem suam dicebat, quae nihilominus in domum regis non sublata est, sed apud maritum mansit. Quodam die rex Abimelech per fenestram prospiciens

Isaacum et Rebeccam iocantes vidit indeque intulit Rebeccam uxorem Isaaci esse. Increpavit Isaacum propter restrictionem mentalem et omni populo praecepit, ne quis uxorem huius viri tangeret (26, 1—11). Qui textus ad 20, 1—18 alludit (Comment. h. l.).

Plures interpretes acatholici atque nonnulli catholici liberales certum ducunt in 12, 10—20; 20, 1—18; 26, 6—11 tres variantes unius eiusdemque facti litteris consignari; reapse tamen tria facta diversa ab hagiographo narrantur. Nam a) Tanta fuit longaevitas Patriarcharum, ut ab Abraham usque ad Moysen (pag. 23) unum idemque factum tam diverso modo tradi non posset, quare etiam *Strack*, Genesis[2] 76 opinionem recentiorum interpretum acatholicorum approbare non audet.

Etenim in 12 et 20 Abraham et Sara, in 26 Isaac et Rebecca, in 12 Aegyptus et Pharao, in 20 et 26 Gerara et Abimelech producuntur. In 12 et 26 fames orta et pulchritudo uxoris commemorantur, in 20 tacentur; in 12 visio et sermones hominum referuntur, in 20 et 26 non; in 26 interrogatio virorum notatur, in 12 et 20 non. In 12 uxor, in 20 et 26 maritus loquitur; maritus rationem agendi aliis verbis ante in 12, aliis post in 20, nullis in 26 excusat; iuxta 12 et 20 Sara in domum regis inducitur, iuxta 26 Rebecca non inducitur. Rex iuxta 12 et 20 flagellatur, iuxta 26 non; veritatem iuxta 12 plagis, iuxta 20 revelatione divina, iuxta 26 fortuito discit. Deus iuxta 20 regi mortem comminatur, qui se defendit, iuxta 12 et 26 non; iuxta 20 maritum prophetam vocat, iuxta 12 et 26 non. Rex in 20 omnes servos vocat, in 12 et 26 non; in 12 ante, in 20 post, in 26 nulla munera largitur; maritum in 20 et 26 increpat de peccato futuro loquens, in 12 non; populo suo in 26 mandat, in 12 et 20 non. Maritus iuxta 20 orat, ut Deus sanet, iuxta 12 et 26 non; iuxta 12 emittitur, iuxta 20 et 26 manere potest.

b) In textibus citatis tres variantes unius eiusdemque facti referri cum catholica inspirationis notione pugnat. Supponunt quidem unicum factum triplici modo diverso in populo narratum fuisse, et hagiographum traditiones populares colligentem hoc tantum testari: semetipsum istas traditiones invenisse, quin de veritate iudicium suum proferat; at suppositio vera non est. Hagiographus enim in toto contextu nulla ratione indicat alios ita narrasse, sed ipse narrat; ergo falsa referre nequit (pag. 11). Referret autem falsa, rem reapse semel factam ut ter in circumstantiis diversis factam proponens.

c) Verba Abrahae 20, 13 ad Saram dicta et Abimelech manifestata *In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim* indicant iam antea simile factum accidisse; restrictione mentali vero, quae patrem bis iuverat, etiam filius uti potuit, cum Rebecca iuxta usum loquendi Hebraicum revera soror eius fuerit (Comment. 231 sqq).

3. Valde locupletatus Isaac in Bersabee ascendit ibique cum Abimelech foedus iniit. Annos 100 natus (25, 26 coll. 26, 34) simul cum Rebecca eo offensus est, quod Esau duas uxores Chananaeas duceret. Post 37 annos, quando Iacob 77 annorum erat, hunc fraude deceptus benedixit, quem Rebecca annuente Isaaco in Haran ad fratrem suum Laban misit, ne ab Esau irato occideretur (26, 12—28, 5).

Annum, quo Iacob in Haran missus est, invenimus, si textus et numeros sequentes conferimus. Ioseph anno 14 servitutis Iacobi natus (30, 25) erat 30 annorum, quando praepositus Aegypti constitutus est (41, 46); post fertilitatem 7 annorum (41, 47) et biennium famis (45, 6), ergo quando Ioseph 39 annorum erat, Iacob 130 annos natus (47, 9) in Aegyptum venit. Si ab 130 deducimus 39, invenimus Iacobum 91 annorum fuisse, quando Ioseph natus est, atque 77 annorum, quando in servitutem Labani se addixit.

4. Post discessum Iacobi Esau tertiam uxorem, Maheleth filiam Ismael duxit, et a tribus uxoribus quinque filios suscepit (36, 2 sqq). Iacob autem de Bersabee in Haran pergens ad urbem Luza venit, ubi Dominus Deus in visione nocturna ei providentiam suam ostendit et benedictionem ab Isaaco acceptam confirmavit. Qua de causa nomen urbis *Bethel,* בֵּית־אֵל i. e. domum Dei, appellavit (pag. 63). In Haran 14 annos Labano pro Lia et Rachel serviens undecim filios et unam filiam suscepit. A Lia: Ruben, Simeon, Levi, Iudam; a Bala ancilla Rachelis: Dan et Nephthali; a Zelpha ancilla Liae: Gad et Aser; iterum a Lia: Issachar, Zabulon et Dinam filiam; denique a Rachel Ioseph. Postquam alios 6 annos pro gregibus servierat (31, 41) et valde ditatus erat, 97 annos natus in terram Chanaan redire voluit et venit in *Mahanaim* ab oriente Iordanis (Tab. III). Ad vadum Iaboc cum Angelo Domini pugnavit ideoque ab eo *Israel,* יִשְׂרָאֵל i. e. pugnans cum Deo (*Fürst,* Handwörterbuch), appellatus est. Cum fratre Esau reconciliatus primum in *Socoth* ad vadum Iaboc sita, deinde in *Salem Sichimorum* (Tab. III) habitavit, ubi partem agri emit, altare erexit et Deum colebat, sed ultione filiorum turbatus est; denique in *Bethel* ascendit, altare aedificavit iterumque apparitione Dei recreatus est (28, 6—35, 15).

Nomina uxorum Esau alia in 26, 34 et 28, 9, alia in 36, 2 sq leguntur. Probabiliter *Ada* etiam Basemath (26, 34), *Oolibama* etiam Iudith, *Basemath* (36, 3) etiam Maheleth (28, 9) nominabatur. Videas Comment. in 36, 2 sq. — Si 28,9 Esau ad Ismael ivisse dicitur, ut filiam eius duceret, hoc de posteris Ismaelis intellegendum est. Nam Ismael ipse 14 annis ante Isaacum natus (16, 16; 21, 5) atque vir 137 annorum mortuus (25, 17), anno 137 Isaaci non amplius vixit.

5. Bethel relinquens venit Iacob in regionem *Ephratae* i. e. *Bethlehem;* parum ab urbe distans Rachel Beniaminum peperit, mortua et sepulta est. Iacob autem ad *Turrem gregis,* מִגְדַּל־עֵדֶר, probabiliter ab oriente urbis Bethlehem (*Benzinger-Baedeker*, Palästina 127) habitabat, ubi Ruben peccavit (35, 16—26). Iuxta traditionem christianam, cum Gn 35, 19 sq; 48, 7; Mich 5, 1; Mt 2, 16 sqq congruentem, sepulcrum Rachel (Fig. 13) a Bethlehem ca 1 *km* distat atque saeculo XV p. Chr. et deinceps saepius restauratum (*Benzinger-Baedeker,* Palästina 118 sq), vestibulo 1841 auctum est; pagus a dextris sepulcri conspicuus non Bethlehem sed Beit Dschala est.

Bonaccorsi (Questioni bibliche 86) et Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 343 sq) opinionem *Dillmann*, Genesis 316, asserentis Iacob-Israelem et Esau-Edom non individua, sed gentes significare, referunt quin eam approbare audeant. Merito. Nam usus loquendi et contextus ostendunt inspiratum scriptorem Genesis reapse individua intellexisse; etiam Matthaeus (1, 2) et Lucas (3, 34) Iacobum simul cum aliis personis certo individuis inter proavos Christi numerant; ergo iuxta doctrinam catholicam (pag. 9 sqq) opinio protestantis Dillmann aliorumque falsa est.

6. Isaac 180 annorum in Hebron mortuus atque ab Esau et Iacob sepultus est (35, 27—29). Quando Rebecca mortua sit, Scrip-

Fig. 13. Sepulcrum Rachelis. (Phot. Bonfils.)

tura tacet; in 35, 8 hoc tantum legimus Deboram nutricem Rebeccae in Bethel mortuam et ab Iacob subter quercum sepultam fuisse.

Addimus tabulam posterorum Isaaci:

Isaac.

Esau (36, 4 sqq) — Iacob (29, 31—30, 24 et 35, 18)

ab Ada: Eliphaz — ab Oolibama: Iehus Ihelon Core — a Basemath: Rahuel

Theman Omar Sepho Gatham Cenez Amalech

Nahath Zara Samma Meza

a Lia: Ruben Simeon Levi Iuda Issachar Zabulon Dina — a Bala: Dan Nephthali — a Zelpha: Gad Aser — a Rachel: Ioseph Beniamin

Manasse Ephraim

§ 19. De Iacobo.

Sequentia fata Iacobi filiorumque eius cum historia Iosephi connectuntur. Sacrae Litterae narrant quomodo Ioseph humiliatus et exaltatus sit; quomodo cum fratribus in Aegyptum venientibus egerit; quomodo patrem ad se adduxerit, cum familia eius aluerit et in Hebron sepeliverit, atque ipse conditus fuerit.

1. Ioseph, cum ipse esset 17 (Vulgata 16), Iacob 108 et Isaac 168 annorum, filios Balae et Zelphae (pag. 77) apud patrem criminis pessimi (iuxta Hummelauer et Hoberg sodomiae) accusavit. a) A patre magis dilectus et honoratus quam fratres reliqui, quibus imprudens et fortasse etiam vanus somnium duplex principatum suum praenuntians narraverat, odio habebatur. Quam ob rem, cum ab Hebron ad fratres in Dothain ex septentrione Sichem (Tab. III) greges pascentes veniret, ab illis 20 argenteis Ismaelitis vel Madianitis venditus est, qui *aromata et resinam et stacten* in Aegyptum portarunt (37, 1—28).

Fig. 14. Loculus corporis medicati ligneus et ornatus.

Negotiatores, quibus Ioseph venditus est, in 37, 25 27 *28;* 39, 1 Ismaelitae; 37, *28* 36 Madianitae vocantur, quia Ismaelitae et Madianitae propinquitate coniuncti fuerunt (Comment. h. l., cf. Iud 8, 22 24 26; *Hoberg,* Genesis 320 et pag. 73). — Portarunt *aromata,* נְכֹאת i. e. gummi tragacanthae, *resinam,* צֳרִי i. e. balsamum, *stacten,* לֹט i. e. ladanum (*Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch aliique), quibus rebus Aegyptii praecipue ad medicanda mortuorum corpora utebantur (Fig. 14; *Heyes,* Bibel und Ägypten 80 sq).

Eodem tempore Iudas Chananaeam Sue uxorem duxit, quae ei tres filios Her et Onan et Sela peperit. Postea Phares et Zaram de Thamar vidua Heri et Onani genuit (38, 1—30; Mt 1, 3).

b) Iacobo filium suum lugente et consolationem recusante Madianitae Iosephum in Aegyptum duxerunt ibique *Putiphari,* לְפוֹטִיפַר, *eunucho Pharaonis,* סָרִיס פַּרְעֹה, *principi militum,* שַׂר הַטַּבָּחִים, vendiderunt, qui eum administratorem domus universaeque possessionis suae constituit, quia optime noverat Dominum esse cum eo. Post multos autem dies Putiphar, *nimium credulus verbis coniugis* Iosephum calumniantis, eum in carcerem tradidit, *ubi vincti regis custodiebantur* (37, 29—36; 39, 1—20).

Putiphar, Sixtina *Phutiphar*, Septuaginta Πετρεφῆς, Πεντρεφῆς, Hebraicus פּוֹטִי־פַר idem est ac nomen Aegyptium *P-du-pa-rā*, quod significat „eum quem dedit ra“ vel „donum ra“ (*p* = articulus, *du* = dare, donum, *pa* = articulus, *ra* = nomen dei solis), vel *P(a)-ḥetep-ra*, Coptice et Graece *(P(a)-ḥōtep-ra* transcriptum, = donum ra. Quodsi Steindorff, Brugsch et alii affirmant nomina taliter formata in documentis Aegyptiis ante dynastiam XXII (950—800 a. Chr.) non inveniri: respondemus sepulcra Heliopoleos, urbis ra, nondum reperta atque ex ceteris documentis istius urbis pauca dumtaxat hucusque effossa esse (*Heyes*, Bibel und Ägypten 105 sqq). — Putiphar 39, 1 *vir Aegyptius* vocatur, quibus verbis hagiographus forsitan insinuat reges illius temporis extraneos fuisse. Reapse Ioseph in Aegyptum venit, cum Hyksos (ca 2100—1700 a. Chr.) dominabantur. Abraham enim ca 2200 a. Chr. vixit, cui centenario Isaac natus est; hic 60 annorum Iacobum genuit, qui 91 annos natus Iosephum suscepit, post 17 annos in Aegyptum deductum. Si ab 2200 deducimus 100 + 60 + 91 + 17 = 268, invenimus Iosephum ca 1932 a Putiphare emptum esse. Item *eunuchus Pharaonis* nominatur, qui titulus, סָרִיס, heic non eunuchum sensu stricto, sed aulicum denotare videtur (*Buhl*, Handwörterbuch; *Heyes*, Bibel und Ägypten 117 sqq). — *Pharao*, פַּרְעֹה, de nomine Aegyptio *per-āa*, *per'o* (assyr. *pir'u*, copt. *erro*) = οἶκος μέγας, *domus magna*, derivandum est (*Buhl*, Handwörterbuch; *Heyes*, Bibel und Ägypten 21 sqq); quae domus magna pro habitante in ea ponitur. Hoc nomen in monumentis Aegyptiis ante annum ca 1000 a. Chr. semper nude positum invenitur ut in Pentateucho (Comment. 229). — Denique Putiphar *princeps militum*, שַׂר הַטַּבָּחִים, appellatur, quae voces in Vulgata 37, 36 *magister militum*, 39, 1 *princeps exercitus*, 40, 3 et 41, 10 *princeps militum*, 41, 12 *dux militum*, 40, 4 vero *custos carceris* redduntur. Hic fuit titulus praepositi eorum, qui corpus et domum regis custodiebant (*Buhl*, Handwörterbuch) simulque securitati publicae invigilabant (cf. *Heyes*, Bibel und Ägypten 123 sq). — Ea, quae Genesis de uxore Putipharis narrat, cum moribus Aegyptiorum convenire Heyes (Bibel und Ägypten 129—145) ostendit. — Dillmann (Genesis 406 sq) inconveniens, Gunkel (Genesis 383) improbabile censet: servum hominis privati in illum carcerem, in quo vincti regis custodiebantur, missum esse. Contra quam obiectionem cum Hoberg (Genesis 334) et Heyes (Bibel und Ägypten 168) notamus Putipharem non hominem privatum sed aulicum regis et praepositum satellitum eius, illum carcerem autem custodiam publicam fuisse, in qua peccantes contra leges Aegyptias collocabantur. Quodsi Gunkel (Genesis 382 sq) obicit in veritate vix cogitari posse servum ob tentatam uxoris violationem in carcerem dumtaxat missum, non autem iuxta mores antiquos severissime castigatum esse: reponimus Putipharem calumnias coniugis non omni ex parte credidisse et propterea Iosephum, quocum Dominum esse noverat (39, 3), mitius tractasse. Iratus est quidem valde (39, 19), at non Iosepho tantum, verum etiam uxori, cui non fidebat (cf. Comment. h. l., Delitzsch h. l., Dillmann h. l.).

c) In carcere quoque Dominus cum Iosepho fuit, ita ut *princeps carceris*, שַׂר בֵּית־הַסֹּהַר, minister Putiphari subiectus, universos vinctos ei traderet. Immo Putiphar ipse duos eunuchos vel potius aulicos Pharaonis i. e. praepositum pincernarum, שַׂר הַמַּשְׁקִים, et praepositum pistorum, שַׂר הָאוֹפִים, a rege in custodiam publicam missos Iosepho tradidit, ut iis ministraret. His Ioseph somnium interpretatus est, quod ambo nocte una somniarant. Praepositus enim pincernarum

Fig. 15. Aegyptii uvas vindemiant.
(Pictura parietis Aegyptia.)

viderat vitem, in qua erant tres propagines, seque uvas sumentem et in calicem exprimentem et poculum Pharaoni tradentem; praepositus pistorum vero viderat semetipsum tria canistra farinae super caput habentem avesque ex supremo cibos arte pistoria factos comedentes. Quae somnia Ioseph ita exposuit ut diceret post tres dies illum in gradum pristinum restituendum, hunc autem decollandum, in cruce suspendendum et ab avibus lacerandum esse: quod die natalitio Pharaonis et factum est. Praepositus pincernarum interpretis sui oblitus est neque suggessit regi, ut eum e carcere edûceret (39, 21—40, 23).

Olim contra axiopistiam Genesis obiciebant antiquos Aegyptios vitem non coluisse neque vinum bibisse. At monumenta antiqua Aegyptiorum contrarium docent. Aegyptii non solum cerevisiam *(ḥek, ḥekt)* verum etiam vinum bibebant: vinum commune = *ârp*, vinum bonum = *ârp nefer*, vinum dulce = *ârp neḍem*, vinum optimum = *ârp nefer nefer*. In monumentis nomen *ârp*, quod Graeci ἕρπις reddiderunt (cf. Passow), saepissime occurrit, atque cultura vitis in variis imaginibus repraesentatur. Vites ad palos vel sudes alligabantur et saepe in porticus formabantur, quales nunc in nonnullis regionibus Germaniae conspiciuntur. Uvae vindemiatae in corbibus ponebantur et ad torcular portabantur (Fig. 15); prius in ligneo lacu torculario per viros funiculis se sustinentes calcabantur (Fig. 16), deinde in panno collocatae varia ratione (Figg. 17 et 18) perfectius exprimebantur. Ex monumentis etiam discimus Aegyptios eorumque reges sucum uvarum cum aqua mixtum refrigerationis causa bibisse, qua consuetudine verba 40, 11 *tuli ergo uvas, et expressi in calicem quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni* (*Heyes*, Bibel und Ägypten 179—188) illustrantur.

d) Post duos annos Pharao quoque duplex somniatus est somnium, quod nemo coniectorum Aegypti interpretari potuit. Putabat se ad fluvium, עַל־הַיְאֹר, stare, ex quo prius septem boves pulchrae et crassae ac deinde septem foedae confectaeque macie ascendebant, et videbat crassas a macilentis devoratas. Iterum aspiciebat se ptem spicas plenas atque formosas a totidem spicis tenuibus et uredine percussis devorari. Ioseph triginta annorum (41, 46), cuius nunc demum praepositus pincernarum



Fig. 16. Aegyptii uvas calcant.
(Pictura parietis Aegyptia.)

reminiscebatur, iussu regis e carcere eductus, tonsus et alia veste indutus itaque Pharaoni oblatus septem boves pulchras et septem spicas plenas septem ubertatis annos, septem boves macilentas et septem spicas tenues septem famis annos



Fig. 17. Aegyptii uvas exprimunt.
(Pictura parietis Aegyptia.)

mox et certo venturos interpretatus est. Attulitque regi consilium, ut virum sapientem et industrium terrae praeficeret, qui per cunctas regiones praepositos constitueret et quintam partem fructuum per septem fertilitatis annos in urbibus sub Pharaonis potestate conderet. Rex ipsum Iosephum universae terrae praefecit, annulo suo et stola byssina et torque aureo ornavit atque in curru suo secundo circumduci et honorari mandavit. Vertit quoque nomen eius, *Zaphnath-pa'neach*, צָפְנַת פַּעְנֵחַ, eum vocans deditque illi uxorem *Aseneth*, אָסְנַת, filiam *Putiphare*, פּוֹטִי פֶרַע, sacerdotis *Heliopoleos*, אֹן (41, 1—45).

יְאֹר vel יְאוֹר idem est ac nomen Aegyptium *àur* = *atur* i. e. fluvius (*Heyes*, Bibel und Ägypten 201 sqq; *Buhl*, Handwörterbuch), ex quo anni ubertatis ac famis proveniunt (cf. sequentia). — Quod ad capillum et barbam attinet, Aegyptii et Hebraei contrariam omnino consuetudinem habuerunt. Hebraei capillum et barbam alebant et nonnisi lugentes ponebant; Aegyptii vero, si agricolas et pastores et servos excipiamus, capillum recidebant ac barbam radebant, at in sollemnitatibus quibusdam barba et capillo alieno utebantur (Fig. 19, pag. 82). — Annulus, stola byssina, torques aureus (Fig 19, pag. 82), currus regius symbola dignitatis ac potestatis fuerunt (Comment. h. l.; *Heyes*, Bibel und Ägypten 222 sqq). — צָפְנַת פַּעְנֵחַ forsitan id quod *def-nt-pa-ānḥ* = abundantiam vitae denotat; אָסְנַת forte = *ās-nt* = sedes (deae) Neit; item incertum est, utrum פּוֹטִי־פַר atque פּוֹטִי פֶרַע idem an diversum nomen sit (Comment. h. l). Cum auctoritas sacerdotum Heliopoleos apud plebem plurimum valeret, quippe qui scientia et doctrina conspicui essent, istud coniugium praemium interpretationis ac consilii sapientis necnon commendatio dispositionum futurarum efficacissima fuit. — A venditione usque ad exaltationem Ioseph 13 anni (pag. 78 et 80) transierunt, ex quibus forsitan 3 in carcere transigebat (cf. pag. 80).



Fig. 18. Aegyptii uvas exprimunt.
(Pictura parietis Aegyptia.)

e) Circumivit ergo Ioseph et inspexit terram Aegypti atque iuxta consilium suum Pharaoni allatum omnia

Fig. 19. Rex praefectum recipit.
(Pictura parietis Aegyptia.)

disposuit. Per septem annos tanta fuit *abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur, et copia mensuram excederet* (41, 49), cuius partem quintam in urbibus recondidit. In hoc septennio genuit duos filios, Manassen et Ephraim. Transactis vero septem ubertatis annis et fame crescente horrea aperuit atque Aegyptiis aliisque provinciis triticum vendidit (41, 45–57).

Anni ubertatis ac famis in Aegypto ex Nilo proveniunt, qui propter imbres ab Octobri usque Maium ad fontes eius cadentes et nives liquescentes quolibet anno loca circumiacentia inundat, stercore satiat et fertiles efficit. Si parum aut nimium redundat, annus famis; si vero satis redundat, annus ubertatis sequitur. In Aegypto a mense Iunio accrescit fluvius, inundatio autem mense Iulio paulatim incipit et usque ad Septembrem exeuntem vel Octobrem ineuntem perdurat. Post delapsum aquarum humus relicta aratro vel sarculo subigebatur (Fig. 20) et postea seminibus conserebatur, quae oves vel sues inculcabant. Fruges sectas (Fig. 21) et collectas boves vel asini triturabant, quorum ora non erant obligata (Fig. 22); grana in horreis congregabantur (*Heyes,* Bibel und Ägypten 203 sqq 273 sqq). — Fertilitas Aegypti etiam a scriptoribus profanis celebratur et in monumentis Aegyptiis confirmatur, ex quibus simul discimus Nilum saepius non satis redundasse ideoque famem plurium annorum secutam esse (*Heyes,* Bibel und Ägypten 277 sqq).

Fig. 20. Agri cultura Aegyptia. (Pictura parietis Aegyptia.)

2. Fratres suos Ioseph a) in priore adventu dure tractavit, tribus diebus ut exploratores in carcere eos collocans. Die autem

tertio de custodia eos eduxit et praecepit, ut unus vinctus remaneret, reliqui vero frumenta in domos suas ferrent atque Beniaminum ad se adducerent. Tunc fratres, nescientes Iosephum, peccatum ac poenitentiam suam professi sunt illis verbis (42, 21): *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio,* quae Iosepho fletum moverunt. Remansit igitur Simeon ligatus, ceteri cum frumento et pecunia in saccis singulorum posita ad Iacobum reversi sunt (42, 1—38).

Fig. 21.
Triticum Aegyptium.

b) In altero adventu eos clementer quidem tractavit atque epulo excepit, sed filialem et fraternam caritatem eorum probare voluit. Propterea Beniaminum, in cuius sacco scyphum suum ponendum curaverat, servum suum pronuntiavit. Cum autem fratres, praesertim Iudas, sine Beniamino ad patrem redire nollent et semetipsos pro Beniamino offerrent, Ioseph non potuit ultra se cohibere. Manifestavit se igitur fratribus suis et iussit patrem in Aegyptum adduci, quod Pharao gaudens approbavit, ac remisit eos cum plaustris, cibariis variisque donis ad Iacobum (43, 1—45, 28; Comment. h. l.).

Fig. 22. Asini triturantes. (Pictura parietis Aegyptia.)

3. Iacob relinquens Hebron (pag. 78) venit in Bersabee (pag. 71) ibique Deo sacrificium obtulit. Deus in visione noctis Iacobo promissionem Abrahae factam (15, 1—21) repetiit et confirmavit, nimirum posteros eius in Aegypto multiplicandos et inde in terram Chanaan reducendos esse (46, 1—4).

a) A Pharaone benigne exceptus septendecim annis cum omni domo sua in terra *Gessen,* גֹּשֶׁן, habitavit. Gessen vel Gosen, quae ab urbe *Ramesses* quoque nominabatur (47, 11 et § 20), inter Heliopolim, ostium Nili Taniticum, lacum Menzaleh et lacus orientales erat (Tab. II et Comment. h. l.), neque tunc ad Aegyptum sensu strictiore numerabatur. Hanc terram segregatam Ioseph pro patre et fratribus suis destinaverat, quia Aegyptii pastores detestabantur (46, 34). Fame terram premente domus Iacob cum Aegyptiis ab Iosepho alebatur; fame autem cessante pascua et cibaria in ista terra fertilissima abundabant (46, 5—28).

b) Cumque Iacob diem mortis appropinquare cerneret, Ephraim et Manassen adoptavit atque singulis filiis suis benedicens ventura

Fig. 23. Pompa funebris Aegyptiorum. (Pictura parietis Aegyptia.)

annuntiavit; praecepit quoque iis, ut in sepulcro Abrahae et Isaaci, Sarae, Rebeccae et Liae sepeliretur. Finitis mandatis mortuus, more Aegyptio conditus (vide c et pag. 78) et per 70 dies ab Hebraeis atque Aegyptiis defletus est. Expleto autem tempore luctus corpus medicatum pompa funebri Aegyptiorum (50, 7 sqq; Fig. 23) in Chanaan translatum et in Hebron sepultum est (47, 29—50, 14).

Iacob, senex 147 annorum mortuus, aromatibus conditus seu arte medicatus est, quia pater praepositi Aegypti fuit; ob eandem rationem Aegyptii eum per 70 dies deplorarunt. Aaron (Nm 20, 30) et Moyses (Dt 34, 8) ab Israelitis diebus 30 dumtaxat complorati sunt; Aegyptii autem reges 72 diebus deflere solebant et simili planctu patrem eius honorarunt, cui vitam suam debebant. Propter Iosephum, domui Pharaonis

(41, 40) ac terrae Aegypti (41, 41) praepositum, tam seniores domus Pharaonis quam seniores terrae Aegypti exsequias funeris prosecuti sunt (50, 7; Comment. h. l.).

c) Post mortem patris Ioseph annis 54 vixit et fratres suos liberaliter habuit. Morti proximus iussit Israelitas in terram Chanaan revertentes ossa sua secum asportare. Mortuus et *conditus aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto* (50, 15—25).

Aegyptii corpus mortui viri nobilis et divitis aperiebant, interiora extrahebant et in quattuor vasis propriis (Fig. 24) collocabant. Corpus ipsum diligenter lavabant, per 40 vel 70 dies nitro ungebant, deinde aromatibus implebant, fasciis lineis per partes et totum vinciebant saepe litteris hieroglyphicis signatis, oculis vitreis instruebant itaque in loculo ligneo (pag. 78) vel etiam lapideo (Fig. 25) saepe notis hieroglyphicis ornato ponebant atque bene includebant (*Selbst*, Handbuch 319; *Zschokke*, Historia 68; *Keppler*, Wanderfahrten 54). Probabile est corpus Iosephi medicatum non solum in ligneo, uti corpus Iacobi, verum etiam in lapideo loculo positum fuisse, quia nobilis ac dives simulque consilio et providentia pater Aegyptiorum et populi sui erat.

Fig. 24.

Naudet (Justice sociale, 13 Aug. 1904) cum Gunkel (Genesis 357 sqq)aliisque acatholicis narrationem istam historicam esse negat. Sed usus loquendi et contextus commonstrant scriptorem inspiratum Genesis proprio nomine loqui ac veram historiam proponere velle; ergo narratio eius fabula vel mythus esse nequit (pag. 11). Praeterea ab ingressu Iacobi in Aegyptum usque ad egressum populi Israel 430 anni tantum praeterierunt; homines autem illius temporis plus quam 100 annis vixerunt (pag. 23); ergo facta tam extraordinaria quam publica usque ad Moysen pure conservari ac tradi potuerunt, immo debuerunt, quia viventibus testibus longaevis



Fig. 25. Loculus lapideus. (Parisiis, Louvre.)

corruptio traditionis moraliter impossibilis erat. Narrationem cum monumentis Aegyptiis nobis notis optime convenire manifestum est; si quaedam res in monumentis nondum repertae sunt, ratio patet. Nam ex una parte in terra Gosen et aliis regionibus multa nondum effossa sunt; ex altera parte Aegyptii omnes pastores et praecipue Hyksos detestantes his expulsis plura probabilissime deleverunt, quae historiam biblicam illustrarent (Comment. h. l.).

§ 20. De posteris Iacobi.

Posteri Iacobi per 430 annos in Aegypto habitarunt, *quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis* (Ex 1, 7), et propterea ab Aegyptiis odio habebantur ac valde affligebantur.

1. Filios Israel per 430 annos in Aegypto habitasse in Scriptura clare docetur. Nam a) Ex 12, 40 sq legimus: *Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die,* i. e. die 15 mensis primi, de qua in antecedentibus versibus agitur (Strack, Hummelauer contra Caietanum et Baentsch, qui diem expletionis 430 annorum intellegunt), *egressus est omnis exercitus Domini,* i. e. filii Israel ut castrorum acies ordinati (Ex 7, 4), *de terra Aegypti.* Haec lectio Vulgatae, quacum textus masorethicus congruit, etiam a Baentsch, Kittel, Strack aliisque genuina iudicatur.

In LXX (Swete) quidem legimus: Ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν (addunt Alexandrinus et Ambrosianus αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν) ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χανάαν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα πέντε· (Alexandrinus et Ambrosianus πέντε omittunt) καὶ ἐγένετο μετὰ τὰ τετρακόσια τριάκοντα πέντε (Alexandrinus et Ambrosianus πέντε omittunt) ἔτη ἐξῆλθεν κτλ. Similiter in Samaritano legimus: וּמוֹשַׁב בְּנֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר יָשְׁבוּ בְּאֶרֶץ כְּנַעַן וּבְאֶרֶץ מִצְרַיִם Cum hac lectione Gal 3, 17 Τοῦτο δὲ λέγω· διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ θεοῦ ὁ μετὰ τετρακόσια καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν congruere videtur, si verba Pauli de promissione Abrahae data exponamus; non autem, si ea de repetitione et confirmatione istius promissionis Iacobo ante ingressum in Aegypto facta (pag. 83) intellegamus. „Hinc posthabitis samaritani concinnatoris graecique interpretis coniecturis, quas abunde refellit Gesenius (De Pentat. samar. 49), in germana quam tenemus Hieronymi interpretatione tuto fidenterque quiescendum ducimus", concludit Vercellone (Variae Lectiones I 224).

b) Gn 15, 13 Deus Abrahae praenuntiasse scribitur: *Scito praenoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subiicient eos servituti, et affligent quadringentis annis,* quam prophetiam St. Stephanus Act 7, 6 repetiit. Consentiunt interpretes catholici et acatholici in hac prophetia numerum summatim comprehensum, omissis 30 annis, indicari. c) Congruit Gn 15, 16: *Generatione autem quarta revertentur huc;* quia דּוֹר, arab. *dahr,*

sicut lat. *saeculum* vel *aetas* etiam 100 annos comprehendit (Comment. 262), et homines istius temporis plus quam 100 annis vivebant (pag. 23).

Plura quidem contra nostram sententiam obiciunt (cf. *Bisping* in Gal 3, 17), nimirum: α) Ex 6, 16 sqq in genealogia Moysis et Aaronis *Levi* 137, *Caath* 133, *Amram* 137 annorum proavi enumerantur, quorum anni non 430, sed 215 efficiunt, si tempus deducamus, quod singuli post nativitatem filii et Levi in Chanaan transegerat. Sed iam notavimus (pag. 37) in genealogiis nonnumquam membra quaedam omitti. β) Iochabed, mater Aaronis et Moysis, Ex 6, 20 patruelis Amrami, Nm 26, 59 filia Levi vocatur. Iterum notavimus (pag. 75) tales voces in lingua Hebraica saepius sensu latiore adhiberi. γ) Patres plures docuerunt Israelitas 215 annos in Aegypto habitasse. Tacemus consensum Patrum neque unanimem neque formalem (pag. 25) esse, et hoc solum dicimus, Patres hanc chronologiam non critice diiudicasse, sed LXX vel sensum obvium verborum Pauli expressisse.

2. Quod posteri Iacobi vel Hebraei in Aegypto habitaverint, ex monumentis Aegyptiis peremptorie demonstrari nequit. Pictura quadam sepulcrorum in Beni Ḥasan Aegypti superioris anni ca 2000 a. Chr. repraesentantur quidem Semitae Aegyptum cum uxoribus et liberis, asinis et ibicibus ingredientes (*Guthe,* Geschichte 23); sed eos Hebraeos fuisse non constat. Item in documentis Aegyptiis saepius quidem nomen *āperu* occurrit, quod probabiliter idem est ac עִבְרִים, *Hebraei* (*Heyes,* Bibel und Ägypten 146 sqq); Wiedemann putat illud nomen cum עֵפֶר, *Epher* (Vulgata *Opher*) cohaerere, de quo Gn 25, 4 legimus (cf. pag. 73). Secundum Meyer autem *āperu* generatim operantes, praesertim laborantes in navibus et lapicidinis significat (*Guthe,* Geschichte 24). Denique in nomine sacerdotis Heliopoleos *Osarsiph* = Osar (Osiris) et Siph necnon in nomine loci Aegyptii *Κερκεσῆφις* terminatio *σηφ* (= *σιφ*) cum nomine *Ioseph* cohaerere videtur, sed certum non est (*Guthe,* Geschichte 24). Nihilominus Wellhausen (Israelitische und jüdische Geschichte 12) et Guthe (Geschichte 23) omnesque iis adhaerentes concedunt Hebraeos in terra Gosen habitasse.

3. Filii Israel in Aegypto creverunt et quasi germinantes multiplicati sunt ac roborati nimis et impleverunt terram (Ex 1, 7). Post 430 enim annos ca 2000000 Israelitae ex Aegypto egressi sunt (*Selbst,* Handbuch 372. *Baentsch,* Exodus 104. *Beer-Guthe,* Bibelwörterbuch 57).

In sex locis (Ex 12, 37; 38, 25. Nm 1, 45 sq; 2, 32; 11, 21; 26, 51) Moyses testatur ca 600000 viros ab anno 20 et supra numeratos esse. Cum autem generatim loquendo 55 inter 100 homines 20 annos compleverint (*Selbst,* Handbuch 372), ca 1000000 viri atque ca 1000000 feminae egressi sunt. — Quomodo Israelitae tantopere multiplicari potuerint,

Zschokke (Historia 77) consentiente Strack (Exodus 200) sic declarat: „Multiplicatio Hebraeorum in Aegypto partim naturalis partim miraculosa erat. a) Naturalis: Praeter 70 immediatos Iacobi posteros in Aegyptum descenderant mulieres (Gn 46, 26), servi (et ancillae) numero haud parvo (nam Abraham iam 318 vernaculos Gn 14, 14 aluit et Esau cum 400 viris fortibus fratri obviam venit 33, 1), qui per circumcisionem (17, 12) in communionem religiosam Hebraeorum sunt recepti. Accedunt circumstantiae naturales: pubertas Orientalium, quae prius quam apud nos locum habet, maturiora matrimonia, polygamia, fertilitas mulierum.... b) Miraculosa. Non soli naturae haec fecunditas Hebraeorum est adscribenda, sed singulari providentiae et concursui Dei, qui naturam adiuvit, fovit et fecundiorem effecit; nam magna afflictio, qua terebantur Hebraei, erat fecunditati contraria." Quem concursum divinum Ex 1, 12 sq insinuat: *Quantoque opprimebant eos,* legimus, *tanto magis multiplicabantur, et crescebant: oderantque filios Israel Aegyptii.* Pro verbis ultimis in Hebraico habentur וַיָּקֻצוּ מִפְּנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, i. e. et horrebant a conspectu filiorum Israel, „sacro veluti horrore numinis cuiusdam Hebraeis faventis" (Hummelauer, Baentsch et Strack ad locum citatum).

Hummelauer (Numeri 221 sqq), Bonaccorsi (Questioni bibliche 88 sq), Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 381 sq) uti Baentsch (Exodus 104 sq) et Beer-Guthe (Bibelwörterbuch 57) numerum corruptum vel fabulosum dicunt. Multos numeros sacri textus corruptos esse omnes interpretes nunc confitentur; si igitur iste numerus in uno tantum loco scriptus esset, eum corruptum iudicare possemus. Verumtamen sex loci sunt, ex quibus eadem quasi summa filiorum Israel sequitur: singulos hos locos variosque numeros eorum per scriptorem quendam pia fraude mutatos fuisse etiam Bonaccorsi contra Hummelauer improbabile censet atque istum numerum uti numeros annorum patriarcharum cum Wellhausen (Prolegomena 308 346) ex computatione systematica repetit, cuius secretum ignoremus. Sed rationes, quibus Hummelauer aliique permoti sunt, ut numerum historicum esse negarent, dilui possunt. Etenim a) si „supponamus, inquit Hummelauer (221), Aegypti incolarum tempore exodi fuisse 7 000 000 et proportionem incolarum Aegypti inferioris et superioris fuisse fere eandem atque nunc est, fuere illi 2 500 000 Hebraei 35,7 d. c. incolarum totius Aegypti et, qui omnes Aegyptum inferiorem incolerent, 58,21 d. c. incolarum Aegypti inferioris. Quis rex tam vesanus reperiatur, ut angariis opprimere et exterminare attentet eos, qui sint 35,7 d. c. totius populi et 58,21 d. c. incolarum eius provinciae, qua robur regni consistat?" Pathos, quo exclamatio pronuntiata est, fortisan impedivit, quominus contextus quiete consideraretur. *Ecce,* dixit Pharao ad populum suum (Ex 1, 9 sq), *populus filiorum Israel multus* (vertas: *numerosior), et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur: et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.* His verbis Pharao expresse testatur populum Israel relative numerosiorem et fortiorem (רַב וְעָצוּם מִמֶּנּוּ, cf. Baentsch, Kautzsch et Strack ad hunc locum) fuisse populo Aegyptio; confitetur se timere, ne Hebraei cum Hethitis (*Strack,* Exodus 164) vel cum nomadibus peninsulae Sinaiticae (Dillmann ad locum) iungerentur, Aegyptum expugnarent atque relinquerent; edicit populum Israel *sapienter* opprimendum esse, ne amplius multiplicetur sed potius imminuatur itaque Aegyptiis servire debeat (*Baentsch,* Exodus 4). Pharao filios Israel non „exterminare", sed debilitare voluit; et idcirco non „vesanus", sed in genere suo sapiens fuit (cf. *Baentsch,* Exodus 4). b) Hummelauer putat (Numeri 221) Hebraeos, si tot fuissent, angarias et tributa impune

recusare et postea aut gravem seditionem movere aut regno valedicere potuisse; interrogat 222, quare, si tantopere praevalerent numeris, se furtim (Ex 14, 5) et per ambages (Ex 14, 2) subducere voluerint neque potius explicatis vexillis recta finibus egressi sint, cur non audacter restiterint sed valde timuerint (Ex 14, 10). Ecce, ad prius Israelitae respondent (Ex 14, 12): *Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede a nobis, ut serviamus Aegyptiis?* Ad posterius autem tam Moyses (Ex 13, 17): *Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam Terrae Philisthiim quae vicina est: reputans ne forte poeniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Aegyptum,* quam populus (Nm 14, 3): *non inducat nos Dominus in Terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Aegyptum?* Ascenderunt quidem armati filii Israel (Ex 13, 18); sed armati non necessario animi bellicosi sunt, uti Strack h. l. optime notat: de monte Galaad ante proelium *vigintiduo millia* virorum in tabernacula sua reversi sunt, quia formidolosi et timidi erant (Iud 7, 3), et decem milia dumtaxat remanserunt. Qui hanc timiditatem et ignaviam armatorum Israel ante oculos habet, facile omnes illas obiectiones dissolvet, quae ab Hummelauer (Numeri 223 sqq) magis rhetorice quam logice opponuntur ideoque omitti possunt. c) Idem dubitat (Numeri 221 sq) utrum in terra Gessen 2 500 000 Israelitarum ex maiore parte pastorum habitare potuerint necne. Respondet Selbst (Handbuch 310) cum Robinson (Palästina I 86 sq) nunc quoque ultra habitantes in ista terra saltem 1 000 000 pascua et cibos invenire posse, licet partim aqua partim arena tecta sit, sub qua humus 4, 6, 10 *m* a percutientibus canalem Suez reperta est. d) Denique Hummelauer interrogat (Numeri 223), quomodo in peninsula Sinaitica, regione tam arida, tot homines pro se ac gregibus suis cibum et potum necessarium invenire potuerint. Respondeo: α) homines cotidie manna caelitus datum acceperunt (cf. § 23); β) in Sinaitide olim aquas abundantiores fuisse ipse concedit; praeterea etiam lac praesto erat; demum Deus ter extraordinario modo aquam dedit (cf. § 23); γ) quod ad pabulum pecorum attinet, nullibi legimus greges per omnes annos peregrinationis populi valde copiosas fuisse; desiderium carnium bis a populo manifestatum et a Deo extraordinario modo impletum (cf. § 23) contrarium suggerere videtur. Quodsi Hummelauer (Numeri 224) scribit in campestribus Moab homines penuriam annonae non passos esse, quamvis numerus fructibus regionis vescentium subito incursu Israelitarum $2^1/_2$ millionibus auctus sit, forte non attendebet quod Ios 5, 10 sqq legimus: *Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt Phase . . . et comederunt de frugibus Terrae die altero, azymos panes, et polentam eiusdem anni. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus Terrae, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus praesentis anni Terrae Chanaan.* — Quae cum ita sint, cum auctor inspiratus (pag. 9 sqq) in sex locis diversis illum numerum confirmet (pag. 87), et cum obiectiones dilui possint: numerum genuinum et historicum retinemus.

4. Interea *rex novus* surrexit, qui *Ioseph ignorabat.* Hyksos enim ca 1700 a. Chr. regno spoliatos secuti sunt reges dynastiae XVII (1700—1600) atque XVIII (1600—1350 a. Chr.), ut Heyes (Bibel und Aegypten xv sq) asserit. Cum autem Iacob ca 1900 a. Chr. in Aegyptum venerit (pag. 79) et posteri eius per 430 annos, ergo usque ca 1470 a. Chr., ibi commorati sint (pag. 86): reapse illo tempore

novi reges surrexerunt. Unus eorum (cf. § 22), qui merita Ioseph ignorabat (cf. notam), filios Israel angariis afflixit, magistros operum iis praeposuit, operibus duris luti et lateris omnique famulatu eos oppressit atque urbes promptuarias *Phithom* et *Ramesses* aedificare iussit (Ex 1, 8—14) itaque debilitare et minuere volebat (pag. 88).

Pictura in conditorio in Abd-el-Kurna inventa (Fig. 26) repraesentat, quomodo Semitae sedente et inspiciente exactore ex luto lateres forment, transferant atque accurate exstruant. *Phithom*, פִּתֹם, aegypt. *pa-Tum*, *pa-Atum* (= domus dei *Tum*, i. e. solis occidentis), fuit nomen sanctum illius urbis, quae alioquin ab Aegyptiis *Teku*, סכות, a Graecis *Heroopolis*, nominabatur (Tab. II). Haec urbs ad canalem Nili aedificata atque muro 7 *m* lato circumdata templum dei Tum et varia aedificia promptuaria continebat, quae lateribus ex luto Nili formatis exstructa erant, quemadmodum reliquiae urbis in *Tell-el-Mashûta* a Naville 1883 repertae commonstrant (cf. *Wiedemann-Guthe*, Bibelwörterbuch; *Buhl*, Handwörterbuch; *Strack*,



Fig. 26. Semitae angarias praestant. (Pictura in conditorio in Abd-el-Kurna.)

Exodus 168 sq). *Ramesses*, רַעַמְסֵס, aegypt. *pa-R'amses* (= domus Ramsis), forsitan eadem est ac *Zoan-Tanis* (Tab. II), nunc *Ṣān el-Hager*, quae in antiquis inscriptionibus pa-R'amses appellatur; iuxta alios isto nomine Phakusa denotatur: res incerta est (*Strack*, Exodus 169; *Wiedemann-Guthe*, Bibelwörterbuch). Ex eo quod Israelitae duas hasce urbes aedificasse dicuntur, non sequitur in illis locis antea nullas urbes fuisse; e contrario valde probabile est ibi contra hostes irruentes iam antea circumvallatas urbes promptuarias exstitisse et ab Israelitis magis munitas et ampliatas esse (cf. *Selbst*, Handbuch 344).

Sed Israelitae angariis ad amaritudinem quidem perducebantur, ceteroquin tanto magis multiplicabantur, quanto opprimebantur (1, 12 14). Propterea rex obstetricibus Hebraeorum mandavit, ut masculos genitos interficerent, feminas reservarent. Obstetrices vero Deum timentes etiam masculos conservarunt, et populus crevit confortatusque est vehementer. Praecepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite: quidquid feminini, reservate* (1, 15—22).

In libro Exodi duo tantum reges commemorantur: rex qui Israelitas oppressit (1, 8 sqq), et rex qui a Deo coactus eos ex servitute dimisit (2, 23 sqq). Interpretes communiter sentiunt duos istos reges fuisse patrem et filium (cf. § 22). Ergo Israelitae expulsis quoque Hyksos per plurimos annos (pag. 89) pace fruebantur. Sic etiam clarescit, quomodo rex Israelitas opprimens merita Ioseph ignorare potuerit.

5. Circa tempus, quod posteri Iacob in Aegypto transigebant, vixit in Arabia vir quidam valde dives ac nobilis, sanctus et iustus, nomine *Iob*, אִיּוֹב, cui 7 filii et 3 filiae erant (Ib 1, 1–5). Permittente Deo possessionibus, filiis et filiabus orbatus, ab uxore et amicis visitantibus irritatus nimis quidem innocentiam atque calamitatem suam extollebat, sed in sanctitate et iustitia permansit, (1, 6—42, 6). Probatus ac purgatus necnon a Deo sanitati et felicitati restitutus alios 7 filios et 3 filias accepit vixitque postea 140 annis et mortuus est plenus dierum, saltem 180 annorum (*Kaulen,* Einleitung II 124). — Hunc Iob personam non fictam sed historicam esse Deus ipse apud Ez 14, 14—20 testatur, ubi eum cum Noe et Daniel comparat: *Et si fuerint,* inquit, *tres viri isti in medio eius,* i. e. terrae praevaricantis, *Noe, Daniel, et Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. . . . Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur. . . . Et Noe, et Daniel, et Iob fuerint in medio eius: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium, et filiam non liberabunt: sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Per Iacobum (5, 11) autem loquitur: *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, et finem Domini,* i. e. exitum a Domino pro Iob adductum (Bisping, Beyschlag et Burger ad hunc locum), non passionem Christi (quemadmodum Schoepfer [Geschichte 494] cum S. Augustino, Beda aliisque contra contextum explicat) *vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.* Denique in libro Tobiae (2, 12 15 Vulgatae) legimus: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae eius, sicut et sancti Iob. . . . Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes et cognati eius irridebant vitam eius* (videas pag. 12). Etiam Patres atque Ecclesia (Martyrolog. Rom. 10 Maii) Iob personam historicam agnoscunt. Eapropter non mirum est, quod omnes fere catholici, e. g. Kaulen (Einleitung II 124), Knabenbauer (Iob 16), Schoepfer (Geschichte 494), Zschokke (Historia 220 sq) necnon protestans Volk (Hiob 6) opinionem recentiorum illorum acatholicorum repudient, qui Iob personam aut a poeta aut a traditione populari fictam dictitant (pag. 10 sqq).

Omnes interpretes profitentur circumstantias historicas in libro Iob suppositas cum circumstantiis temporis patriarcharum congruere, ideoque Iob ex sententia hagiographi illo tempore vixisse. LXX (Swete) 42, 17 eum πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ vocant, S. Ephrem eum 1725 a. Chr. assignat, alii Iacobo, alii Moysi aequalem iudicant (*Knabenbauer*, Iob 18). Item plerique consentiunt Iob in Arabia sensu latiore (cf. § 23) habitasse; utrum autem terra *Hus*, עוּץ, in septentrionali (cf. Gn 10, 23; 22, 21) an in australi (cf. Gn 36, 28; Ir 25, 20 hebr.) parte fuerit vel plures regiones ita nominatae sint, incertum est (*Socin-Guthe*, Bibelwörterbuch). Certum est tamen Iob in Arabia habitantem non pertinuisse ad familiam et populum electum, quamquam cultor unius et veri Dei fuit. Postquam Iob sanitati ac felicitati restitutus est, 140 annis vixit (Ib 42, 16); Budde (Iob 256) censet eum ex sententia hagiographi 70 annis antea vixisse. Lectio LXX interpretum ἔζησεν δὲ Ἰὼβ μετὰ τὴν πληγὴν ἔτη ἑκατὸν ἑβδομήκοντα, τὰ δὲ πάντα ἔτη ἔζησεν διακόσια τεσσεράκοντα critice improbabilis est. — De libro Iob in § 28, n. III loquemur.

PERIODUS II.

A MOYSE USQUE AD IOSUE.

§ 21. De vita Moysis privata.

1. *Amram*, עַמְרָם, ex tribu Levi, uxorem stirpis suae nomine *Iochabed*, יוֹכֶבֶד, acceperat (Ex 2, 1; 6, 20), quae ei filiam *Mariam*, מִרְיָם (Ex 15, 20) et filium *Aaron*, אַהֲרֹן (Ex 6, 20) peperit. Post tres annos (Ex 7, 7) alium filium peperit, quem propter decretum Pharaonis (pag. 90) interim promulgatum tribus mensibus ab Aegyptiis abscondit. Cumque amplius celare nequiret, sumpsit cistam ex arundinibus papyri confectam, תֵּבַת גֹּמֶא, linivit eam bitumine et pice, collocavit in ea infantulum et exposuit inter papyros ripae Nili; Maria autem soror infantuli, tunc fortasse 6 (iuxta Hummelauer aliosque saltem 15) annos nata, procul stabat et eventum rei exspectabat. Ex arundinibus namque papyri 3—5 *m* longis (Fig. 27) Aegyptii non solum sportas verum etiam scaphas fabricabantur (*Baentsch*, Exodus 10). Et ecce descendit filia Pharaonis, ut in flumine lavaretur, vidit cistam et a famula allatam aperuit cernensque in ea vagientem parvulum Hebraeum miserta est eius. Haec videns Maria appropinquavit eam interrogans, an mulierem Hebraeam ad nutriendum puerum vocare deberet. Annuente filia Pharaonis vocavit matrem suam, cui infantulus mercede promissa traditus est.

Elapsis 3 vel 4 annis (cf. *Baentsch*, Exodus 10) Iochabed puerum adultum filiae Pharaonis tradidit, quae eum in locum filii adoptavit atque *Moysen* vocavit, qui iuxta traditionem Hebraeorum (cf. *Clemens Alex.*, Strom. I 23 et *Hummelauer*, Exodus 40), utique parvae auctoritatis, in circumcisione Ioachim nominatus fuerat.

Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, et erat potens in verbis, et in operibus suis. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius ut visitaret fratres suos filios Israel (Act 7, 22 sq). Egressus autem ad eos vidit angarias eorum et occidit Aegyptium, qui Hebraeum percutiebat; altera die increpavit duos Hebraeos rixantes, sed repulsus est ab iis utpote nullam auctoritatem habens. Pharao audiens Moysen ad Hebraeos exosos exiisse eosque contra Aegyptios defendere, volebat eum occidere, quare Moyses in terram Madian (Tab. II) fugit, ubi a Raguele sacerdote benigne acceptus est. Mansit igitur apud eum 40 annis (Act 7, 30 coll. Ex 7, 7) et duxit Sephoram, unam ex septem filiabus Raguelis, uxorem, quae illi duos filios peperit, Gersam videlicet et Eliezer (Ex 2, 1—22).

Fig. 27. Cyperus papyrus.

S. Paulus (Hebr 11, 24 sqq) de hac re scribit: *Fide Moyses grandis factus negavit se esse,* λέγεσθαι, *filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem,* πρόσκαιρον ἔχειν ἁμαρτίας (i. e. apostasiae a Deo vero et populo electo) ἀπόλαυσιν, *maiores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum,* quo filius filiae Pharaonis uti poterat, *improperium Christi,* i. e. „populi Dei Christum expectantis, quatenus iniuria membrorum in caput redundat“: *aspiciebat enim in remunerationem,* i. e. salutem Messianam (Estius, Bisping, Kübel ad hunc locum). — Providentia divina privatam Moysi vitam ita gubernavit, ut aptus liberator et dux populi Israel evaderet. Eruditus omni sapientia Aegyptiorum erat potens in verbis et operibus suis (Act 7, 22 sq); amore Dei et populi electi incensus hostes eius repellere ac sodales conciliare volebat; in terram Madian fugiens ibique per 40 annos greges pascens peninsulam Sinaiticam cognoscebat, in exsilio a zelo imprudente purgatus et fiducia Dei repletus est. — Sacerdos Madianitarum Ex 2, 18 *Raguel,* רְעוּאֵל, i. e. El est amicitia (*Fürst,* Handwörterbuch), vel amicus Dei (*Gesenius,* Thesaurus). Ex 3, 1 *Iethro,* יִתְרוֹ, i. e. praestantia (Gesenius, Fürst) appellatur. Hummelauer (Exodus 42) putat *Iethro* fuisse nomen proprium istius sacerdotis, *Raguel* vero nomen officii omnium sacerdotum Madianitarum; neque reicit opinionem Iosephi Flavii aliorumque istum sacerdotem binominem dicentium.

2. Genealogia Moysis Ex 6, 16 sqq texitur, in qua tamen nonnulla membra omissa sunt, uti pag. 87 ostendimus. Ipsam hic apponimus, quia intellegentiam eorum iuvat quae sequuntur.



Guthe (Geschichte 29) asserit scriptorem Ex 2 nomina parentum Moysis manifesto ignorasse. Attamen iuxta praecepta logica manifestum est ex silentio testis argumentum positivum trahi non posse, nisi demonstratum fuerit testem voluisse ac debuisse aliquid dicere (*Gutberlet,* Logik und Erkenntnißlehre 126; Exegetica 120 sq), quod hic demonstrari nequit. Idem opinatur Moysen non ex tribu Levi, sed Ioseph ortum fuisse; sed memoria testium longaevorum atque coaevorum (pag. 23) falli non potuit, et ex necessitudine quam Moyses cum tribu Ioseph habuit iuxta praecepta logica non sequitur eum ex hac tribu fuisse.

3. Quod nomen spectat, Ex 2, 10 legimus: *vocavitque nomen eius Moyses,* מֹשֶׁה, *dicens: Quia de aqua tuli eum,* מְשִׁיתִהוּ. Per se patet filiam Pharaonis Aegyptia lingua locutam fuisse, et scriptorem inspiratum verba eius Hebraice reddidisse, quantum possibile erat, quare nomen ex lingua Aegyptia explicandum est. Veram etymologiam incertam esse omnes concedunt; variae opiniones hucusque propositae iam a Gesenio (Thesaurus 824) enumerantur. Probabilior fuerit sententia, cui etiam Buhl (Handwörterbuch) favere videtur: nimirum nomen ex *μω aqua* et *υσῃ salvatus* compositum esse. Alii aliter: ex *μωυ aqua* et *σῃ* = *σι acceptus,* vel ex *A* (postea omisso) et *mos* = filius, ergo filius lunae (*Gesenius*, Thesaurus), vel ex *mos* = filius et *ese* = Isis, ergo filius Isidis (*Fürst,* Handwörterbuch), vel = *mes, mesu,* i. e. filius, quam opinionem recentiorum Buhl reprobat. — Forma Hebraica מֹשֶׁה est participium kal a מָשָׁה, significat igitur extrahentem, salvantem vel liberantem.

§ 22. De exitu Israelis ex Aegypto.

1. Post multum temporis mortuus est rex, qui oppressionem filiorum Israel inchoaverat, et secutus est alius sed non benignior. Propterea filii Israel ingemiscentes clamabant ad Dominum ab angariis suis. Et audivit Deus gemitum eorum et recordatus est foederis cum Abraham, Isaac et Iacob (pag. 83) facti (Ex 2, 23 sqq).

Olim plerique viri docti affirmarunt regem a quo posteri Iacob opprimebantur fuisse Ramsen II (1324—1258 a. Chr.), et regem succedentem filium eiusdem scil. Merenptaḥ I (1258—ca 1200 a. Chr.). Sed haec sententia hodie retineri nequit. Nam a) in inscriptione regis Merenptaḥ I, quam Petrie 1896 iuxta Thebas invenit, Israel *(I-si-r-'l)* ut populus iam in Palaestina habitans et Aegyptiis adversans commemoratur. b) In Aegyptio indice locorum saec. XIV nomen Aser ut gentis inter fluvium Cison et montem Libani habitantis recensetur. c) In tabulis fictilibus 1887 in Tell el-Amarna repertis atque regnantibus Pharaonibus Amenophi III et IV (1427—1392 et 1392—1376 a. Chr.) scriptis *Ḫabiri* (probabiliter = Hebraei) Palaestinam oppugnantes nuntiantur (*Beer-Guthe,* Bibelwörterbuch 58). Quae cum ita sint, recentissimi interpretes (e. g. *Selbst,* Handbuch 346; *Schoepfer,* Geschichte 164) recte iudicant Pharaonem oppressiones inchoantem fuisse Thutmosim III (1515—1461 a. Chr.), et regem succedentem filium eiusdem scil. Amenophim II (1461—1436 a. Chr.). — Haec sententia contextu proximo ac remoto confirmatur. Moyses enim natus scribitur, postquam *rex novus* mandaverat, ut nati Hebraeorum masculi in Nilum inicerentur, atque vir 80 annorum populum Israel regnante successore regis prioris ex Aegypto eduxit; si ab 1515 deducuntur 80, remanent 1435: differentia 1 anni non offendit, quia chronologia Pharaonum non tam accurata est (cf. *Strack*, Exodus 168). Supra autem computavimus Iacobum cum familia sua *circa* 1900 a. Chr. in Aegyptum descendisse (pag. 79), et posteros eius 430 annos ibi mansisse (pag. 86); si 430 ab *ca* 1900 deducimus, *ca* 1470 annum exitus eorum invenimus. Denique si ab anno exitus *ca* 1435 annos 40 commorationis in deserto deducimus, Chanaan anno *ca* 1395 et subsequentibus (cf. § 26) ab Israelitis expugnata est, quod cum inscriptionibus lit. b et c citatis optime congruit.

2. Moyses autem pecora soceri sui pascens minavit gregem ad interiora deserti venitque ad *Horeb montem Dei,* per prolepsim ita nominatum, quia ibi postea Deus se revelavit (*Selbst*, Handbuch 352; *Strack,* Exodus 169). Strack probabile dicit Horeb, חֹרֵב, omnes montes continuos (Gebirgsgruppe) circa dschebel Musa (Tab. II), Sinai, סִינַי, autem illum montem significare, ubi lex data est (cf. § 23). Apparuitque Moysi Dominus in *flamma ignis de medio rubi:* et videbat Moyses quod *rubus arderet, et non combureretur.* Flamma ignis fuit symbolum (Exegetica 11 sq) Dei; rubus autem ardens quin combureretur fuit symbolum populi Israel a Deo quidem humiliati et afflicti sed non perdendi (cf. *Selbst,* Handbuch 356). Secundum traditionem quandam utique non certam

locus rubi ardentis intra septa monasterii S. Catharinae (Fig. 28) continetur (*Benzinger-Baedeker,* Palästina 231). — Revelavit igitur Deus Moysi semetipsum descendisse, ut populum Israel ex Aegypto in terram Chanaan lacte et melle fluentem induceret, atque constituit eum ducem populi. Reluctanti autem nomen suum אהיה *Ego sum* (Ex 3, 14) manifestavit atque tria signa dedit, quibus missionem suam Israelitis probare posset, nimirum: baculum in colubrum et hunc iterum in baculum convertendo, manum suam leprosam et iterum sanam reddendo, aquam de Nilo sumptam in sanguinem transformando. Nunc quoque recusanti fratrem Aaron adiutorem adiunxit (Ex 3, 1—4, 17).

Fig. 28. Monasterium S. Catharinae ad Montem Sinai.

Reversus Moyses ad Iethro socerum suum tulit uxorem et duos filios et profectus est in Aegyptum. In via autem Deus ei occurrit et voluit eum propter circumcisionem filii omissam occidere; Sephora timore perterrita statim filium circumcidit et cum ambobus ad patrem suum rediit. Aaron vero a Deo monitus fratri obviam perrexit et ad montem Dei eum invenit. Veneruntque simul ad filios Israel: Aaron repetiit iis omnia quae Deus Moysi locutus fuerat, Moyses signis praedictis missionem divinam probavit, populus credidit et adoravit Dominum se visitantem (Ex 4, 18—31). — Hagiographus proprio nomine loquitur et suam sententiam profert; ergo narrata eius vera sint oportet (pag. 11).

3. Post haec Moyses et Aaron ad Pharaonem ingressi postularunt, ut populus Hebraeorum viam trium dierum in solitudinem

ire et ibi Deo suo sacrificare posset. Sed rex hanc licentiam non dedit, e contrario populum gravius oppressit, quare praepositi filiorum Israel Moysen et Aaron auctores gravioris oppressionis increpuerunt. Moyses ob hanc causam conquerens et reluctans iterum cum Aaron a Deo ad Pharaonem missus et signis probatus est. Nam Aaron iussu Moysis sumpsit virgam ac proiecit eam coram Pharaone servisque eius, et versa est in serpentem grandem; vocavit autem Pharao duos magos, Iannes et Mambres vel potius Iambres (2 Tim 3, 8 graec.), qui etiam *per incantationes et arcana quaedam* virgas suas in serpentes grandes transmutarunt: sed virga Aaron virgas eorum devoravit. Ita factum magorum praestigiae, factum vero Moysis et Aaron verum miraculum demonstratum est (*Strack,* Exodus 185). At cor Pharaonis induratum est, neque fecit quod Dominus praeceperat (Ex 5, 1—7 13).

Ex 4, 3 virga in נָחָשׁ *colubrum* vel *serpentem;* 7, 9 10 12 autem virgae in תַּנִּין versae dicuntur, quod vocabulum Vulgata mox colubrum mox draconem interpretatur. Significat autem תַּנִּין (ab inusitato תָּנַן *in longum traxit*) beluam marinam, piscem ingentem, serpentem grandem, crocodilum (*Gesenius,* Thesaurus 1512). Quae cum ita sint, Hummelauer (Exodus 82) non sine ratione censet virgas Aaron et magorum coram Pharaone non in colubros sed in crocodilos versas esse. „Crocodilus, inquit, animal eximie vorax, facilius concipitur 7, 12 maleficorum crocodilos devorasse, quam serpens serpentes." Communius tamen interpretes hic תַּנִּין serpentem intellegunt, qui ex vi nominis grandis fuit. — „Si iam quaeratur, optime scribit Hummelauer (Exodus 80), qua virtute illa portenta fuerint effecta, adscribenda illa erunt aut praestigiis quibusdam mere naturalibus, aut influxui daemonis, aut virtuti Dei. Moysi hac in re sane adfuit virtus Dei: quodsi enim dicatur solis praestigiis usus esse naturalibus, Pharaonem decepit, divinam missionem minime demonstravit. In magorum portentis explicandis recurrendum erit vel ad praestigia naturalia vel ad daemonum influxum. Quorsum praestigia naturalia pertingant, definire accurate non valemus. Sed cave ne virgas in dracones mutatas explicasse tibi videaris appellatis psyllis, qui serpentes carminibus eliciant, manibus attrectent, morsi nihil detrimenti accipiant. Memineris item aliud omnino esse serpentem in torporem quendam conicere, ut baculi instar rigescat, et baculum transformare in serpentem, qui cum alio serpente decertet. Aliunde daemones permittente Deo multa in mundo praeter naturae leges operari, et ex fidei fontibus certissime eruitur et nostro aevo ideo etiam minus probatione indiget, quod iam a materialismo ad spiritismum deflectant tot doctorum virorum ingenia." Item 82: „Id, quod textus indubie affirmat, est completa externae speciei transmutatio, ut, ubi antea indubie sensibus percipiebatur virga, ibi indubie iisdem iam perciperetur vivens amphibium. Sola externa illa transmutatio a Pharaone sensibus percipi poterat." Homines aut praestigiis naturalibus aut cooperante daemone portenta quaedam patrare posse in Nov. Test. clare docetur. *Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae,* praedixit Christus (Mt 24, 24), *et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* S. Paulus autem de antichristo testatur (2 Thess. 2, 9): *cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute, et signis,*

et prodigiis mendacibus. — Iuxta traditionem Iudaicam minime certam, quam Bisping ad 2 Tim 3, 8 citat, duo isti magi antea magistri Moysis fuerunt et postea in mari rubro perierunt. Probabile est quod Hummelauer (Exodus 83) asserit, nimirum non quoslibet tum in Aegypto magos calluisse artem virgae in draconem mutandae etc., sed hos duos dumtaxat praestigiatores prae ceteris eximios. — Notamus pro isto atque sequentibus prodigiis, scriptorem inspiratum iuxta contextum proprio nomine narrare (cf. pag. 11) eumque Moysen esse (pag. 21 sq) in palatio regio omni sapientia Aegyptiorum eruditum (pag. 93), immo testem et spectatorem atque patratorem signorum.

4. Induratum cor Pharaonis Amenophis II Deus decem aliis miraculis simulque plagis ita emollivit, ut demum populum Israel dimitteret.

a) Plaga sanguinis. Iussu Domini Moyses et Aaron mane ad ripam Nili steterunt, quo Pharao veniebat, ut fluvium ab Aegyptiis in numero deorum habitum veneraretur (*Selbst,* Handbuch 360). Elevans autem Aaron virgam percussit coram Pharaone et servis eius aquam fluminis, et versa est aqua fluminis et canalium et paludum ceterorumque aquae receptaculorum in sanguinem. Pisces mortui sunt, et aqua computruit neque bibi potuit, quare Aegyptii per circuitum Nili puteos foderunt, ut aquam potabilem invenirent. Sed magi Aegyptii quoque incantationibus suis similiter fecerunt; et cor Pharaonis induratum est, neque fecit quod Dominus praeceperat (Ex 7, 14—25). — Usus loquendi biblicus non cogit nos, ut aquam in verum sanguinem conversam asseramus (cf. Ioel 2, 31. Apc 6, 12. *Selbst,* Handbuch 306); sufficit concedere aquam ita mutatam et corruptam esse ut sanguis appareret (pag. 12 sq) et hominibus ac piscibus noxia evaderet. Licet hagiographus in hoc loco non explicite id narret, tamen probabilissimum videtur in terra Gessen non omnem aquam in sanguinem conversam esse, quia Aegyptii tantum sibi puteos fodisse describuntur. Magi autem aquam marinam (Hummelauer cum Theodoreto h. l.) vel aquam ex puteis novis haustam vel ex terra Gessen allatam arcanis suis transmutare potuerunt.

b) Plaga ranarum. Post 7 dies (Ex 7, 25), „probabilius priore plaga adhuc perseverante“ (*Hummelauer,* Exodus 91), Aaron iussu Moysis manum suam super aquas Aegypti extendit, et ascenderunt ex iis ranae, quae in omnes domos et cubicula et lectulos et furnos et reliquias ciborum intrabant. Magi quoque incantationibus suis ranas eduxerunt, sed eas removere non potuerunt. Quapropter Pharao, probabiliter post dies aliquot (*Hummelauer,* Exodus 94) Moysen et Aaron vocavit et dixit iis: *Orate Dominum ut auferat ranas a me et a populo meo: et dimittam populum ut sacrificet*

Domino (Ex 8, 8). Fecitque Dominus iuxta preces Moysis, et die a Pharaone constituta ranae mortuae atque in aggeres immensos congregatae sunt, et computruit terra. Cor autem regis induratum est, neque fecit quod Dominus praeceperat (Ex 8, 1—15). — Quamvis non explicite notetur, tamen etiam ab hac plaga Israelitae excepti fuisse videntur, quia textus de Pharaone et subditis eius tantum loquitur.

c) Plaga sciniphum. Aaron iussu Moysis extendit manum suam virgam tenens et percussit pulverem terrae, et omnis pulvis terrae in sciniphes versus apparebat (pag. 12 sq): tam copiosae erant sciniphes. Volebant etiam magi eas incantationibus suis producere, sed non potuerunt; confusi in istis bestiolis ad Pharaonem dixerunt: *Digitus Dei est hic.* Sed induratum est cor regis, neque fecit quod Dominus praeceperat (Ex 8, 16—19). — „Hoc animal (videlicet sciniphum, moskitos) pennis quidem suspenditur per aera volitans, sed ita subtile est et minutum, ut oculi visum nisi acute cernentis effugiat; corpus tamen, cum insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita ut, quem volitantem quis videre non valeat, sentiat stimulantem.“ Ita Origenes (Hom. 4 in Ex.), cuius testimonium multi alii confirmant.

d) Plaga muscarum. Moyses Pharaoni ad Nilum eunti (pag. 98) praedixit die sequenti multas muscas (coenomyias, tabanos) in terram ac domos Aegyptiorum, non vero Hebraeorum, venturas esse. Et factum est ita. Rex his bestiis horribilibus emollitus populo Israel permisit, ut viam trium dierum in solitudinem pergeret ibique Deo suo sacrificaret. Die altera Deus iuxta preces Moysis muscas omnes abstulit. Quo facto cor regis ingravatum est, ut non dimitteret populum (Ex 8, 20—32).

e) Plaga pestis. Moyses legatus Domini regi iterum annuntiavit die sequenti animalia Aegyptiorum, non vero Hebraeorum, in agris exsistentium peste peritura esse. Et factum est ita. Pharao misit qui viderent, utrum de animalibus Israel aliquod perierit necne; sed quamvis verbum Domini accurate impletum videret, ingravatum est cor eius, ut non dimitteret populum (Ex 9, 1—7).

f) Plaga ulcerum. Iussu Domini Moyses coram Pharaone cinerem de camino in caelum sparsit, factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et iumentis, nec magi propter ulcera coram Moyse stare potuerunt. *Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos* (Ex 9, 8—12). — Hucusque hagiographus notabat cor

Pharaonis induratum esse; nunc asserit Deum cor eius indurasse, et bene quidem: nam et homo se indurat, et Deus hominem indurat. Homo proprie et positive se indurat sua malitia et obstinatione; Deus autem hominem indurat permissive et negative, scilicet non dando ei gratiam specialem, deserendo eum malitiae suae et sustinendo in patientia (cf. Comment. meum in Rom. 322).

g) Plaga grandinis. Iterum Moyses Pharaoni annuntiavit die sequenti eadem hora grandine vehementi omnes homines et iumenta ab agris non reductos perituros esse. Altera autem die iussu Domini virgam in caelum extendit, deditque Deus tanta tonitrua et grandinem ac discurrentia fulgura super terram Aegyptiorum, non vero Hebraeorum, quanta antea numquam apparuerant. Et percussit grando omnia quae in agris erant. Vocans autem rex Moysen et Aaron dixit: *Peccavi etiam nunc: Dominus iustus: ego et populus meus, impii. Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei, et grando: ut dimittam vos, et nequaquam hic ultra maneatis* (Ex 9, 27 sq). Orante Moyse ad Dominum cessaverunt tonitrua et grando, nec ultra stillavit pluvia super terram. Quo facto cor Pharaonis et servorum eius ingravatum est et induratum nimis nec dimisit filios Israel, sicut Dominus praeceperat (Ex 9, 13—35).

h) Plaga locustarum. Propterea Moyses regi annuntiavit, die altera locustas venturas eaque devoraturas esse, quae grandine non laesa fuerant (Ex 9, 32); quibus dictis e palatio egressus est. Servi autem Pharaoni suadebant, ut populum ad sacrificandum dimitteret, cum Aegyptus iam antecedentibus plagis periisset. Proposuit igitur rex Moysi et Aaroni revocatis, ut viri dumtaxat ad sacrificandum pergerent; totum vero populum cum gregibus omnibus dimittere noluit. Et extendit Moyses a rege eiectus virgam super terram Aegypti, et Dominus induxit ventum urentem tota illa die ac nocte, qui mane facto locustas levavit innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant nec postea futurae sunt. Quae in agris omnia corroderunt atque ipsas domus Aegyptiorum impleverunt. Quam ob rem Pharao statim Moysen et Aaron vocans dixit: *Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam* (Ex 10, 16 sq); vocat locustas migrantes (Fig. 29) *mortem,* quia vivae omnia ad vitam necessaria devorant (cf. *Strack,* Exodus 192) atque mortuae pestilentiam adducunt (*Selbst,* Handbuch 365). Orante Moyse Dominus ab occidente ventum vehementissimum flare fecit, qui omnes locustas in mare

rubrum proiecit; induravit autem cor Pharaonis (pag. 100), ut populum Israel non dimitteret (Ex 10, 1—20).

i) Plaga tenebrarum. Mandante Domino Moyses manum suam in caelum extendit, et factae sunt tribus diebus tenebrae horribiles in universa Aegypto, excepta terra Gessen ubi lux erat. Tunc Pharao etiam mulieres et parvulos ad sacrificandum dimittere, greges autem retinere volebat; Moyses vero reposuit greges quoque in desertum educendas esse. Et induravit Dominus cor Pharaonis, ut nollet eos dimittere diceretque ad Moysen: *Recede a me, et cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris.* Respondit Moyses: *Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam,* i. e. non amplius veniam ad te, nisi tu hanc sententiam mutaveris et me vocaveris (cf. Ex 12, 31; *Hummelauer,* Exodus 110). Priusquam tamen exiret (Ex 11, 9; *Strack,* Exodus 193), regi plagam decimam annuntiavit; sed Dominus induravit cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua (Ex 10, 21—11, 10).

Fig. 29. Locusta migrans vel oedipoda migratoria (13 *cm*).

k) Plaga mortis primogenitorum. Egressus a Pharaone Moyses a Domino praecepta paschalia accepit et populo promulgavit, qui ea diligenter observavit (Ex 12, 1 ad 28). Media autem nocte Dominus omne primogenitum Aegyptiorum percussit, a primogenito regis in throno usque ad primogenitum captivae in carcere simulque omne primogenitum iumentorum. Et ortus est clamor magnus in Aegypto. Pharao Moysen et Aaron vocavit et permisit iis, ut etiam greges suas in solitudinem educerent; Aegyptii vero populum urgebant, ut velociter e terra exiret, ne omnes morerentur. Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur, necnon vasa argentea et aurea et vestes plurimas, quas mandante Domino (Ex 3, 22; 11, 2) ab Aegyptiis postulaverat, et profectus est (Ex 12, 29—36). — Quod ad vestes et vasa attinet, putat Holzinger (Exodus 15) cum aliis Aegyptios istas res Israelitis commodare tantum, non donare voluisse; ex hac sententia Deus contra voluntatem Aegyptiorum filiis Israel vestes et vasa propria reddidisset, quod Deus sine ulla iniustitia facere potuit. Hummelauer (Exodus 126) et Selbst (Handbuch 370 sq) tamen textus citatos ita explicant ut dicant Aegyptios gratia Dei commotos vasa et vestes Israelitis donasse

De decem plagis Hummelauer (Exodus 83 sqq) sequentia scribit: „Recentiores contendunt narrari facta mere naturalia iis veritatis superlationibus, quae in auctore liberationem suae gentis celebrante condonandae omnino sint. . . . Meminisse nos tamen oportet easdem plagas a Deo, a Pharaone et a s. narratore habitas esse pro veri nominis portentis, quae speciali numinis ope patrata vera fuerint divinae Moysis missionis argumenta.... Incipiente fere Iulio mense tam fluminis quam canalium aquae turbantur, viridescunt, foetorem edunt, vermibus scatent fiuntque hominibus, non vero piscibus, insalubres. Coloris viridis rationem assignant materiam e paludibus Aethiopiae advectam. Post aliquot dies aquae transeunt in colorem sanguineum, sunt vero omnino potabiles et salubres. Colorem aliqui repetunt ex humo e flumine aliquo Aethiopiae advecta, alii fortasse probabilius ex animalculis quibusdam infusoriis. Verum materia illum colorem continens subsidet in campis superioris Aegypti, ut color ille sanguineus in Aegypto media et inferiore haud observetur.... Potuere igitur etiam Deus et Moyses, effectum indicantes secundum apparentiam, loqui de aqua in sanguinem transformanda.... Porro inundationis tempore plurimae etiamnum nascuntur ranae, culices, muscae, oriuntur cutis eruptiones et, licet pecorum pestis potissimum grassari feratur, quo tempore minima est aquarum altitudo, potuit tamen ea aliquando ipso etiam inundationis tempore saevire.... Sequentes grandinis et locustarum plagae tempori germinationis segetum sunt assignandae.... Ventus Chamsin, cui tenebras adscribemus, mensibus Martio et Aprili, minime tamen continuo flat.... Secundum haec integri novem menses, totidem sed non aequalibus temporum intervallis distinctas plagas habentes, ultimam et exitialem plagam praecessere.... Tamen vel obiter rem consideranti patet non ut eventus mere naturales concipi posse plagas illas. Primam certe plagam non posse intellegi de solo illo consueto rubescentium aquarum phaenomeno indubie efficitur inde, quod illud phaenomenon consuetum fuerit, quotannis certo tempore eoque facile computando recurrens (*Friedreich* p. 100); ergo signi rationem minime habuerit. Quodsi igitur plagam cum eo phaenomeno conferre lubeat, dicendum erit phaenomenon consuetum obtigisse modo insueto, non in superiore solum sed etiam in inferiore flumine, atque ea intensitate, ut aqua sanguinei coloris, quae secus salubris est, non hominibus tantum sed vel ipsis piscibus facta sit lethalis.... Primam dein plagam reliquae omnes, quae fluminis inundationem veluti natura sua consequuntur, inaudita tamen gravitate excepere: cf. 8, 3. Quae omnia a Moyse, qui ea naturaliter praescire non posset, praenuntiata, eius nutu effecta, eo orante cessantia indubia erant neque Pharaoni impune spernenda divinae voluntatis signa.“ — De plaga autem decima (Exodus 124) haec scribiit: „Verisimile efficitur decimam, uti priores plagas, profectam esse ab eventu aliquo naturali ex iis, qui in Aegypto quandoque locum habebant. Non fuisse eventum mere naturalem, sed veri nominis portentum, praeter Moysis praedictionem ostendunt tot primogeniti una dimidia nocte per totam Aegyptum exstincti, servatis Hebraeorum primogenitis.“

Hae sententiae ab Hummelauer propositae generatim loquendo omnino acceptari possunt. Effectus illi a Moyse iussu Domini producti sunt vera quidem miracula (pag. 7 sq), sed miracula, ut cum S. Thoma (p. I, q. 105, a. 8) loquamur, non quoad substantiam, i. e. non effectus tales quos natura nulla ratione producere potest, neque miracula quoad subiectum, i. e. non effectus quos natura absolute producere potest, sed non relative

ad tale subiectum (e. g. potest natura causare vitam sed non in mortuo): sunt potius miracula quoad modum, i. e. effectus qui ratione modi tantum quo fiunt vires naturae transcendunt, e. g. si quis absque curatione et consueto processu naturae subito a febri curatur, vel cum aer statim sine causis naturalibus in pluvias densatur, vel si effectus ad invocationem alicuius provenit et ad preces eius cessat, vel si ipse intensior est, quam natura facere consuevit (cf. De pot. q. 6, a. 2, ad 3). Minus tamen probabile in explicatione ista videtur, quod decem plagae in novem menses distribuuntur; probabilius est quod Kurtz (Geschichte des Alten Bundes II 100) asserit, nimirum plagas singulas septiduum durasse, ita ut „initium plagarum ab ineunte Iulio removeatur ad medium fere Februarium" (*Hummelauer,* Exodus 85). Nam Moyses ad Pharaonem ingrediens 80 annum vitae iam compleverat (Ex 7, 7), qui cum ultimis diebus Amenophis II convenit (pag. 95), ita ut spatium novem mensium pro plagis vix statui possit. Etiam Holzinger (Exodus 32 sq) cum Baentsch (Exodus 57) iudicat decem plagas iuxta textum biblicum infra tempus breve secutas esse.

E contrario Bonaccorsi (Questioni bibliche 90 sq) et Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 380 sq) plagas Aegyptias phaenomena omnino naturalia, utique a providentia divina directa et forte insolito modo manifestata, declarant, quae imaginatio populi a tempore et loco remoti poetice et miraculose expoliverit. Ambo ad Hummelauer provocant; propterea supra verba eius citavi, ut quilibet videre possit quam longe ille absit ab hac sententia liberali, quam protestantes Eichhorn (cf. Comment. societ. r. Gotting. recent. coll. IV, Gotting. 1820, pag. 35—65), Winer (Realwörterbuch II 112) aliique rationalistae iam proposuerant. Haec sententia argumentis sequentibus falsa demonstratur: a) scriptor Exodi non naturalia, sed miraculosa facta proponere voluit, uti protestans Baentsch (Exodus 57) quoque affirmat; atqui scriptores inspirati ea sola infallibiliter proponunt quae Deus iussit; ergo Deus ipse, qui fallere nequit, per hagiographum plagas ut miraculosas nobis proponit; non adest expolitio traditionis popularis (pag. 9 sqq). Valde bene Baentsch (Exodus 57) scribit: „Vor allem aber ist immer wieder zu betonen, daß es sich für die Erzähler gar nicht um natürliche, sich jährlich wiederholende Vorgänge, sondern um ganz außerordentliche Machterweisungen Jahves handelt, für deren Darstellung sie ihre Farben allerdings hier und da ägyptischen Verhältnissen entnommen haben. Es hieße die Berichte in rationalistischer Weise entleeren, wenn man die von ihnen erzählten Wunder auf natürliche Ereignisse deuten wollte." b) Descriptionem plagarum non homo quidam a loco ac tempore illo longe remotus, sed eruditus Moyses (pag. 21 sqq) testis et spectator et patrator signorum litteris consignavit. c) Plagae iuxta textum biblicum non infra novem menses, sed infra breve tempus ante 15 Nisan, qui a medio Martio ad medium Aprilem currebat, secutae sunt (supra); ergo cum inundatione Nili (pag. 82 et Fig. 30, pag 104) et effectibus eius non conveniunt. Nilum non inundasse terram, ex eo colligere debemus quod Aegyptii omnes per circuitum fluminis terram effoderunt ut aquam potabilem invenirent (Ex 7, 24). d) Singulae plagae a Moyse praedictae, advocatae et remotae sunt. e) Magi Aegyptii iam ad plagam tertiam confessi sunt: *Digitus Dei est hic* (Ex 8, 19). f) Plaga ista locustarum (Ex 10, 14) a plaga consueta diserte discernitur. g) Ventus *schard* intra Pascha et Pentecosten flat, et ideo *chamsîn* = quinquaginta nominatur (Aegypten in Meyers Reisehandbüchern, Leipzig 1895, 60) neque cum tam densis tenebris coniunctus est. h) Terra Gessen saltem a quarta ac sequentibus plagis excepta fuit. i) Mors omnium primogenitorum natura-

liter explicari nequit, quod ab Hummelauer audivimus; exaggerationem phantasticam facti cuiusdam naturalis in textu biblico contineri tam inspiratio Scripturae (pag. 11) quam auctoritas Moysis (pag. 21 sqq) excludit.

5. Profecti igitur filii Israel die 15 Nisan de *Ramesse* (Zoan-Tanis vel Phakusa, cf. pag. 90) venerunt in *Socoth* (Tecu-Pithom vel Heroopolis, cf. pag. 90), ad quam urbem illo tempore sinus maris rubri excurrebat (*Kiepert,* Geographie 199 et Atlas antiquus Tab. III; *Guthe,* Bibelwörterbuch 59 et Geschichte 26 ad Naville

Fig. 30. Aegyptus inundationis tempore.

provocans), quare sinus Heroopoliticus vocabatur. Sed et vulgus promiscuum ex Hyksos, Arabibus etc. (*Strack,* Exodus 200) cum iis ascendit, non *innumerabile,* ut Vulgata habet, sed multum, רב, *πολύς.* Coxerunt autem ibi farinam assumptam feceruntque subcineritios panes; Moyses et Aaron vero iis mandata Domini de religione Phase ac primogenitorum consecratione promulgarunt (Ex 12, 37 ad 13, 16).

a) Et tollens Moyses ossa Ioseph (pag. 85) duxit multitudinem in *Etham* in finibus deserti (Tab. II), ubi castrametati sunt. *Etham,*

aegypt. *ḫetem*, locum munitum significat. A Pelusio enim usque *ca* Arsinoe erat series castellorum, quae Hebraice שׁוּר, *murus*, nominabatur; probabiliter unum ex castellis forsitan celebrius *Etham* vocabatur (cf. *Heyes*, Bibel und Ägypten 5 sq; *Wiedemann-Guthe*, Bibelwörterbuch 172). Desertum inter seriem castellorum et torrentem Aegypti etiam Etham vel Sur appellabatur (Tab. II). — In Etham Dominus ipse dux itineris apparuit, per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis se praesentem monstrans (Ex 13, 17—22): erat nubes columnae similis, ex qua noctu ignis elucebat (*Strack*, Exodus 205). Selbst (Handbuch 376) recte iudicat Dominum idcirco iam in Etham apparuisse, quia alioquin Israelitae inconstantiam Pharaonis optime perspectam habentes numquam a finibus deserti in terram Aegypti regressi essent.

Contra illos, qui columnam ignis naturaliter declarare volunt, transcribimus verba quibus Hummelauer (Exodus 142) talem declarationem repudiat. „Addunt aliqui, ait, etiamnum in Arabia praeferri ‚caravanis' in pertica praealta vasa ferrea ligni ardentis plena. Sed monet *Ebers* l. c. 530 eiusmodi praeferri non quo itinerantium agminibus via demonstretur, sed quo principibus viris honor exhibeatur. Nihil huiusmodi s. scriptorem narrare planum est; qui vero sentiunt eiusmodi ignem in pertica gestatum in plebeculae mentibus mox transformatum esse in portentum columnae, ii veracitatem scripturae negant." Videas quae pag. 10 sqq scripta sunt.

b) Dominus in columna nubis praesens iussit Israelitas a circumvallatione, per quam Pharaone permittente et universo populo urgente in desertum Etham vel Sur transire poterant, in ipsam terram Aegypti reverti atque *e regione Phihahiroth*, לִפְנֵי פִּי הַחִירֹת, *inter Magdalum et mare*, בֵּין מִגְדֹּל וּבֵין הַיָּם, *contra Beelsephon*, לִפְנֵי בַּעַל צְפֹן, *super mare*, עַל־הַיָּם, castrametari (14, 1—4). Loca enumerata nobis ignota sunt (*Wiedemann-Guthe*, Bibelwörterbuch 520). Putarunt quidem Schleiden et Brugsch (cf. *Guthe*, Bibelwörterbuch 59) *Magdolon* a septentrione Etham et in via ad terram Philisthiim intellegendam esse; at Moyses (Ex 13, 17) explicite notaverat Deum hanc viam eligere noluisse. Hummelauer (Exodus 142 sq), Baentsch (Exodus 120) aliique cum Naville iudicarunt *Phihahiroth* esse Pikeheret, sed Wiedemann-Guthe (Bibelwörterbuch) hanc sententiam non probabilem dicunt. Riess (Geographie) et Selbst (Handbuch 380) denique censent ista loca circa promuntorium Attakah (Tab. II) fuisse, quam opinionem interim adoptamus.

c) Et nuntiatum est Pharaoni a custodibus, qui in circumvallatione erant (pag. 104 sq; *Hummelauer*, Exodus 144) populum Israel non directo viam trium dierum in desertum ire (cf. Ex 3, 18; 5, 3;

8, 27), sed declinasse ideoque fugere velle (cf. Ex 10, 10). Qui statim 600 currus electos ceterosque currus Aegypti cum pugnatoribus assumpsit atque filios Israel insecutus est, quamquam in *manu excelsa* i. e. in virtute Dei per plagas manifestata (cf. *Strack,* Exodus 206; *Hummelauer,* Exodus 145) egressi erant; Deus enim cor Pharaonis induraverat (pag. 100). Cumque Aegyptii vestigia Israelitarum persequerentur, reppererunt eos in Phihahiroth contra Beelsephon. Hi vero videntes Aegyptios timuerunt valde (pag. 89) ad Dominum clamantes et Moysen increpantes. Tunc columna nubis et ignis, quae populum praecedebat, se levavit atque inter castra Israel et Aegyptiorum stetit, Aegyptiis tenebrosam sed Israelitis lucidam se monstrans (*Strack,* Exodus 207; *Hummelauer,* Exodus 147). Moyses autem iussu Domini manum cum virga elevavit extenditque super mare, et Dominus aquam ita divisit, ut esset quasi murus a dextra atque sinistra Israelitarum per medium sicci maris perambulantium (Ex 14, 5—22).

Quod ad numerum *sexcentos currus electos* attinet, Hummelauer (Exodus 144) notat: „Numerum hunc fide esse omnino dignum et monumenta docent et loci Scripturae paralleli." In monumentis enim Aegyptiis equites licet raro commemorantur (*Erman,* Ägypten 652); Isaias (31, 1; 36, 9) de quadrigis et equitibus Aegyptiorum loquitur, atque 2 Par 12, 2 sq. Sesac rex Aegypti cum curribus et equitibus Hierosolyma ascendisse narratur. — Hagiographus Ex 14, 21 testatur: *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit* seu diffluere fecit *illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum: divisaque est aqua.* Ad hunc locum consulto ascribo declarationem ab Hummelauer datam: „Causae portenti assignantur non necessario omnes, sed eae quas Hebraei deprehendere valuere: primum Dei omnipotentia Moysis verbo et manu demonstrata, deinde ventus. Unde concludes ad hoc quoque portentum, uti ad priora in Aegypto perpetrata, aliquid contulisse causas naturales, illud fuisse supernaturale quoad modum tantum. Atque reapse, si tota ab initio res inauditis plane miraculis constitisset, Aegyptii nullis iussis minisve compulsi essent, ut in illud se vadum conicientes Hebraeos insectarentur: non fert istud humana natura.... Est ventus ab oriente flans, scirocco, ideoque non inepte dictus *urens.* Sed potest etiam esse ventus fere ab oriente flans, cum Hebraei ventos tantum secundum quattuor partes caeli principes distinguant. Porro venti in angusto illo mari summam exercent vim. Raro ventus flat ab oriente, vix alio quam aequinoctii veris tempore. Mensibus Aprili et ineunte Maio saepe vehemens habetur auster ad orientem vergens, ut plurimum horis ter viginti quattuor; cui succedit violentior etiam boreas ad occidentem vergens, undas ex angusto sinu in apertius mare propellens, maris alveum prope Suez fere denudans, quo tempore recedentibus aestu aquis sinus a peditibus etiam angusto aliquo Suez vado traicitur. Sed vento ad austrum transeunte, aquae rursum in extremum sinum irruunt, altitudinis sex vel novem pedum.... Quare ventum ad aquarum Ex 14, 21 divisionem aliquid contulisse facile concedimus, omnia praestitisse haud assentimur. Quodsi enim ventus ille validus divisionem aquarum unus efficiebat, debuit

quamdiu ea divisio tamdiu ipse perdurare, toto sc. tempore, quod Hebraei traiciendo mari impendere. Qui ventus validus et urens debuit Hebraeis esse quam maxime adversus; liberis, gregibus et supellectili impeditorum iter plurimum debuit retardare, immo impossibile reddere (Tost.). Neque divisionem aquarum ei vento adscribit textus, sed siccatum recedentibus aquis maris alveum. Sufficit igitur cum interpretibus plerisque tueri ad hunc potissimum finem illum a Deo ventum fuisse submissum. Neque obest aquas scribi diffluxisse בזרח, id veluti efficiente vento: cum res ad oculum narretur, neque aliud tandem exprimatur, quam simul et aquas recessisse et eum ventum flavisse, quin affirmentur eius venti violentia aquae esse revolutae." Quibus in contextu perlectis apparet transitum per mare ab Hummelauer verum miraculum utique quoad modum dumtaxat (pag. 103) haberi ac declarari. — Ubi Israelitae mare rubrum vel accuratius sinum Heroopoliticum, qui usque ad urbem eiusdem nominis patebat (pag. 104), traiecerint, definiri nequit, quia locus castrorum incertus est (pag. 105). Qui *Fhihahiroth* pro Pikeheret habent, Israelitas circa lacus amaros sinum transfretasse dicunt; iuxta alios (cf. Tab. II) transitus iuxta Clysma (Suez) fuit, ubi sinus nunc 2—3 *km* latus est; forsitan a promuntorio Attakah ad fontem vel fontes (*'ain* vel *'ajûn Mûsâ*) Moysis transierunt (cf. et *Selbst,* Handbuch 380 sqq).

d) Etiam persequentes Aegyptii post Israelitas mare vel sinum ingressi sunt. In vigilia autem matutina i. e. inter horam 2 et 6 Dominus ex columna ignis et nubis, quae inter Israelitas et Aegyptios erat (Ex 14, 19 sq), contra Aegyptios respexit flammam videlicet ignis vel fulgura emittens (*Baentsch,* Exodus 126; *Hummelauer,* Exodus 150), itaque perturbavit (non *interfecit,* ut Vulgata 14, 24 reddit) eos; sufflaminavit quoque rotas curruum, ut cum difficultate veherentur (minus accurate Vulgata Ex 14, 25: *subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum*). Dixerunt ergo Aegyptii: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Moyses autem cum populo suo iam in litore constitutus iubente Domino manum suam super mare extendit, et reversae sunt primo diluculo aquae, quae filiis Israel a dextris et a sinistris pro muro fuerant, ad priorem locum suum atque omnes Aegyptios mare ingressos operuerunt. Israelitae haec miracula videntes Domino epinicium cantarunt, viri cum Moyse et mulieres cum Maria sorore eius canentes (14, 23—15, 21).

Antiquitus nox ab Hebraeis aliisque populis in tres vigilias dividebatur: in primam, ab 6 usque 10 (Thren 2, 19); in mediam, ab 10 usque 2 (Iud 7, 19); in matutinam, ab 2 usque 6 (Ex 14, 24; 1 Rg 11, 11). Videas *Beer-Guthe,* Bibelwörterbuch 458; *Baentsch,* Exodus 126; *Kortleitner,* Archaeologia 299 sq. — Hebraei sinum traicientes utique plurimi fuerunt (pag. 87) et vulgus promiscuum multum necnon greges copiosas secum duxerunt (Ex 12, 38) neque nocte integra ad transitum perficiendum indiguerunt (Ex 14, 20 24); ergo concludere debemus eos „non angusto aliquo vado sed lato tractu mare traiecisse" (*Hummelauer,* Exodus 149), quod contextus non negat sed potius insinuat. — Omnes interpretes recen-

tiores notant neque in narratione prosaica Ex 14, 1 sqq neque in poetica Ex 15, 1 sqq regem ipsum in mari periisse referri. In Ps 135, 15 vero legimus: *Et excussit Pharaonem, et virtutem eius in Mari rubro.* Hic tamen locus non cogit nos, ut Pharaonem aquis suffocatum dicamus, quia ista phrasis iuxta usum loquendi generalem intellegenda est (Exegetica 36); atqui in annalibus regnorum orientalium reges etiam tum duces exercitus nominantur, cum ipsi in proelio non praesentes erant (*Ieremias,* Das alte Testament 345); ergo eadem ratione hunc locum explicare possumus. Ceterum si reapse Pharao quoque in mari mortuus esset, non sequeretur corpus medicatum Amenophis II spurium esse: poterant Aegyptii cadaver regis sui ex aquis extrahere, nam *viderunt Aegyptios mortuos super littus maris* (Ex 14, 31).

Bonaccorsi (Questioni bibliche 91 sq) et Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 382) transitum per mare rubrum eventum non essentialiter supernaturalem declarant, sed vehementiae venti ascribunt citantes verba Hummelaueri „Mensibus Aprili ... novem pedum" (cf. pag. 106). At Hummelauer non est patronus huius sententiae liberalis, sed eam explicite reprobat, quemadmodum ex contextu verborum eius elucet (cf. pag. 106 sq). — Koch (ib.) diffusius exponit, quomodo transitus per mare intellegendus sit, nimirum: Moyses ad litus occidentale maris vel sinus veniens videt aquas vento vehementi repelli et in hac re signum Dei faustum agnoscit. Noctu igitur Israelitas per maris alveum aquis fere denudatum in litus orientale traducit. Aegyptii quoque mare intrant, sed in curribus suis non tam facile eos sequi possunt; mane ventus mutatur, aquae in locum suum revertuntur et persecutores operiunt. Hoc factum naturale virtute poesis transformante miraculose expolitum est. Quam sententiam Koch ex operibus protestantium hausit, licet ea non citet. Videas *Clericus,* Comment. in Pentat.; *Döderlein,* Antifragmente I 89 sq; *Winer,* Realwörterbuch II 72; *Wellhausen,* Geschichte 12; praesertim *Guthe,* Geschichte 26, cuius verba Koch transcribit.

Contra quam sententiam sequentia opponimus: α) Viri isti supponunt Israelitas circa Clysma-Suez sinum traiecisse, ibique tempore Moysis refluxum maris et effectum ventorum quasi eundem fuisse atque hodie, citant enim verba quibus Hummelauer describit quae nunc fiunt. Attamen non est certum Israelitas apud Clysma-Suez per mare transisse (pag. 107), et supposito sed non concesso eos ibi transisse, in memoriam revocamus sinum Heroopoliticum tempore antiquo usque ad Heroopolim patuisse (pag. 104), quare tunc apud Clysma-Suez refluxus maris et effectus ventorum non idem erat atque hodie. β) Omnes concedunt sinum Heroopoliticum decurrentibus saeculis arena obductum, ergo tempore Moysis magis latum ac profundum fuisse. Nunc quoque ex canali Suez arena continuo machinis levari debet, quod itinerantes testantur. Ergo si nostro tempore pedites recedentibus undis maris apud Suez per sinum ambulare possunt, non sequitur id iam tempore Moysis possibile fuisse. γ) Koch cum Guthe asserit Aegyptios in curribus non tam facile provehi potuisse ac populum Israel cum parvulis et gregibus incedentes; quod assertum experientia falsum esse demonstrat. δ) Infra 24 hor. 50 min. undae maris bis affluunt et bis recedunt (Herders Konversations-Lexikon III 1348); refluxus generatim loquendo per 6 horas quidem perdurat, sed homines per 3 tantum horas istum sinum perambulare possunt: infra tam breve autem tempus tot homines (pag. 87) cum parvulis et gregibus ab occidentali ad orientale litus pertingere non potuerunt; ventus vehemens fluxum retardare sed non longiore tempore impedire valuit. Insuper boreas (Nordwind) vel aquilo (Nordostwind) vel potius caurus (Nordwestwind) flare debuisset, ut

Baentsch (Exodus 125) bene notat; hagiographus autem refert subsolanum (Ostwind) flavisse. Hagiographum minus accurate scripsisse (*Baentsch* l. c.) demonstrari nequit. ε) Quamvis singuli homines et commeatus absolute loquendo hodie recedentibus undis iuxta Suez per sinum transire possint, tamen reapse numquam hanc viam ingrediuntur sed circuitu 3 horarum utuntur propter periculum fluxus maris. Christoph. Fürer de Heimendorf civis Norimbergensis 1565 pedibus atque Bonaparte 1799 equo vectus ibi sinum permeavit, uterque tamen cum vitae discrimine (*Winer,* Realwörterbuch). ζ) Apud Suez etiam nunc recedentibus undis homines per aquam ambulare debent (*Niebuhr*, Beschreibung von Arabien, Kopenhagen 1772, 412; *Selbst,* Handbuch 383); Israelitae autem per siccum transierunt. η) Quilibet in ora maris vivens scit, quot horis refluxus eius perduret; ergo Aegyptii post tantam hominum multitudinem adhuc in fundum sinus descendentes amentes fuissent. θ) Aqua maris tamquam murus a dextris et sinistris populi Israel stetit, quod tempore refluxus numquam accidit. „Haec descriptio, recte ait Baentsch (Exodus 126), infirmationem rationalisticam non admittit." ι) Aqua iubente Moyse atque efficiente Domino divisa necnon iterum unita est; ergo non naturali isto modo. κ) Rem re vera ita gestam non autem virtute poesis popularis transformante ita fictam esse Moyses (pag. 21 sqq) testis et spectator ac patrator simulque scriptor inspiratus (pag. 9 sqq) nobis testatur. λ) Hagiographi transitum per mare rubrum ut miraculum Dei omnipotentis celebrant (Ps 77, 12 sqq. Is 51, 10) et populos propinquos propter illud timore percussos dicunt (Ios 2, 9 sqq coll. Ex 15, 16); transitus autem tempore refluxus neque causa timoris neque miraculum fuisset. — Quae cum ita sint, Schöpfer (Geschichte 162 sq) bene scribit: „Si aliquod factum biblicum, certe hoc ut miraculum proponitur et propterea ut miraculum accipiendum est. . . . Explicatio narrationis biblicae, quae miraculum infitiatur, adulteratio eius est, atque multo consequentius esset veritatem narrationis biblicae omnino negare quam narrationem contra clarum et manifestum sensum eius explicare." Videas etiam *Danko*, Historia Vet. Test. 123 sq; *Zschokke,* Historia 85 sq; *Selbst,* Handbuch 382 sqq.

§ 23. De commoratione Israelis in deserto.

Postquam Israelitae sinum Heroopoliticum transgressi sunt, erant in Arabia. Arabia (Tab. I et II) nominabatur terra inter Aegyptum, mare rubrum, oceanum Indicum, sinum Persicum et Euphraten, Palmyram, Palaestinam et mare mediterraneum. Distinguebatur autem in felicem, petraeam, desertam. Arabia felix, *ἡ εὐδαίμων*, est terra quae ab austro Ailath (ad sinum Aelaniticum) atque Teredon (ad sinum Persicum) usque oceanum Indicum patet (Tab. I); Arabia deserta, *ἡ ἔρημος*, terra inter Arabiam felicem, Euphraten, Palmyram, Palaestinam, Arabiam petraeam; Arabia petraea, *πετραία*, terra inter sinum Aelaniticum et montes Seir, Palaestinam et mare mediterraneum, Aegyptum et sinum Heroopoliticum (Tab. II). Haec subdistinguebatur in peninsulam Sinaiticam ab austro Ailath et Arsinoe sitam atque in desertum Pharan (et-Tih) et Sur vel Etham (cf. *Winer,* Realwörterbuch I 74 sqq;

Kiepert, Geographie 182 sqq et Atlas antiquus). — Arabia et Palaestina illo tempore verbo quidem regibus Aegypti subiectae erant; re vera autem Pharaones illius temporis parum curabant quid gentes in istis terris habitantes agerent, quemadmodum tabulae in Amarna inventae docent.

1. Ex itinere populi Israel a sinu Heroopolitico usque ad montem Sinai, quod in Tab. II signatum conspicitur, hagiographus sequentia memoriae tradidit.

a) Per desertum Sur a septentrione in meridiem pergentes tribus diebus non invenerunt aquam; denique aquam quidem reppererunt sed bibere non potuerunt, quia amara erat, quapropter locum Mara i. e. amaritudinem appellarunt atque contra Moysen murmurarunt. Cui Dominus lignum, עֵץ, ostendit; quod cum misisset in aquas, in dulces conversae sunt (Ex 15, 22—26. Num 33, 8). Hoc probabiliter in ʿain Hauara (Ḥawâra) ab ʿajûn Mûsâ ca 65 *km* distanti factum est, ubi nunc quoque fons amarus est, cuius aquas homines et animalia bibere nequeunt (*Baentsch,* Exodus 142).

Benzinger-Baedeker (Palästina 214) putat in ʿajûn Mûsâ id factum esse, ubi nunc quoque plures fontes sunt, quorum alii aquam amaram alii potabilem exhibent; in fontem maiorem Moyses lignum immisisse dicitur. Alii (cf. *Dillmann* h. l.; *Holzinger* h. l.; *Meyer,* Ägypten 293) locum a septentrione ʿajûn Mûsâ quaerunt. Solutio huius quaestionis a solutione alterius dependet, videlicet quo in loco Israelitae sinum traiecerint. — Eccli 38, 4 sqq hagiographus affirmat: *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* Quibus verbis illi ligno naturalis quaedam virtus convertendae aquae amarae in aquam dulcem ascribi videtur (cf. *Hummelauer,* Exodus 164). Reapse *Lesseps* (L'isthme de Suez, Paris 1864, 10) narrat se a ducibus Arabum audivisse aquam amaram immissa spina quadam in deserto crescente potabilem reddi; etiam Rosenmüller (cf. *Dillmann,* Exodus 178) asserit aquas amaras immissis quibusdam plantis potabiles fieri. Testantur tamen Baentsch (Exodus 142) et Strack (Exodus 214) in peninsula Sinaitica hucusque lignum talis efficaciae non inventam esse. Si autem antiquo tempore ibi revera lignum huius virtutis exstitisset, Dei „omnipotentia naturalem efficaciam ligni auxisset" (*Strack,* Exodus 214), vel saltem illud lignum Moysi monstrans populo providisset.

b) A Mara venerunt in Elim, ubi duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae erant, atque castrametati sunt iuxta aquas (Ex 15, 27. Nm 33, 9). Plerique interpretes (cf. *Baentsch,* Exodus 144; *Holzinger,* Exodus 56; *Selbst,* Handbuch 389) censent Elim idem esse ac wadi Gharandel (Ġarandel), quae a Mara ca 10 *km* distat, nunc quoque aquis, plantis arboribusque abundat ac propterea

a commeatibus ad castrametandum eligitur (*Benzinger-Baedeker,* Palästina 215). Strack (Exodus 215) vero ʿajûn Mûsâ, alii wadi Useit pro Elim declarant.

c) Inde egressi fixerunt tentoria ad mare rubrum seu sinum Heroopoliticum (Nm 33, 10). Haec statio, quae in libro Exodi non commemoratur, probabiliter in wadi Taybeh (Tajibe) infra dschebel Hammâm Faraun (Firʿaûn) quaerenda est, ut Baentsch (Numeri 676) et Strack (Numeri 466) cum aliis iudicant. — Profectique de mari rubro venerunt in desertum Sin, inter Elim et Sinai, et quidem die 15 mensis 2 post exitum de Aegypto. Hic castrametati sunt ac murmurarunt contra Moysen et Aaron, quia fame laborabant, dixeruntque: *Utinam mortui essemus per manum Domini* i. e. morte subitanea a Domino inflicta (*Baentsch,* Exodus 146) *in Terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate* (Ex 16, 3). Etiam Āperu (pag. 87) iuxta monumenta Aegyptia cibariis abundabant (*Heyes,* Bibel und Aegypten 158). Strack et Baentsch ex hoc loco recte inferunt magnam partem gregum iam occisam vel fame mortuam fuisse. Moyses et Aaron a Domino edocti responderunt: *Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Aegypti: et mane videbitis gloriam Domini. . . . Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate* (Ex 16, 6 sqq). Factum est ergo vespere, et venerunt coturnices tam copiosae, ut castra cooperirent; mane autem ros iacuit per circuitum castrorum. Cum autem nebulae de terra surrexissent, viderunt Israelitae in superficie deserti minutum quid simile pruinae atque dixerunt: *Manhu? ignorabant enim quid esset,* מָן הוּא כִּי לֹא יָדְעוּ מַה־הוּא. Quibus ait Moyses: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum* (Ex 16, 15). Appellaruntque illud *Man,* מָן; erat autem quasi semen coriandri album, gustusque eius quasi similae cum melle i. e. placentae mellitae. Per singula capita a Deo *1 gomor,* עֹמֶר = 2 *l* vel 3,93 *l* (*Kortleitner,* Archaeologia 261) vel 3,64 *l* (*Benzinger,* Archäologie 184) constitutum est pro quolibet die; die autem sexto 2 gomor colligenda erant, quia sabbato man non cecidit. Orto atque incalescente sole liquefiebat et in diem sequentem reservatum computrescebat, illo excepto quod sabbato manducandum atque in sanctuario custodiendum erat. Hunc panem filii Israel quadraginta annis comederunt usque in illum diem, quo in Galgalis primum de fructibus terrae Chanaan manducarunt (Ex 16, 1—36. Ios 5, 10—12).

Coturnices nunc quoque verno tempore ex Africa interiore in Aegyptum atque peninsulam Sinaiticam veniunt et quidem numerosae et

tam defatigatae, ut manibus comprehendi possint (*Baentsch*, Exodus 149; *Strack*, Exodus 216). Hac ratione res omnino naturalis est. Quod autem tam multae venerunt, ut castra copiosi populi Israel (pag. 87) cooperirent idque tempore a Moyse praenuntiato, praeternaturale est: fuit miraculum quoad modum (pag. 103).

Panem caelitus datum Israelitae propter istam exclamationem מָן הוּא = *quid hoc* (*Socin-Guthe*, Bibelwörterbuch 415; *Buhl*, Handwörterbuch 391) *man* vocarunt, in Novo Testamento μάννα (cf. מָנָה = portio, donum: *Fürst*, Handwörterbuch 754; *Strack*, Exodus 216) nominatur. — De *man* Israelitis dato Hummelauer (Exodus 170 sqq) diffuse scribit, cuius plura verba hic consulto afferimus. „Igitur inde a Wadi Gharandel reperitur hodiedum Tamarix mannifera Ehrenb., inquit, arbor in viginti fere pedum altitudinem excrescens; in Wadi Feiran eius conspicitur silva horae fere longitudinem habens. Mensibus Iunio, Iulio et Augusto, quandoque iam Maio eorum imprimis annorum, quibus abundantes exstitere pluviae vernae, tempore maximi aestus exsudat cortex tam trunci quam ramorum humorem mellis similem, qui mane guttatim e ramis foliisque pendet atque in terram decidit. Sunt globuli albi magnitudinis pisi, qui, sin mane colligantur, solis radiis dissolvuntur, secus vero cerae instar durescunt. Sapore imitantur mel praebentque tam gustui quam odoratui aroma quoddam. Arabes hoc manna collectum decoquunt, expurgant, aliquam eius partem in Aegyptum divendunt, aliam monachis monasterii S. Catharinae tributi cuiusdam instar persolvunt, maiorem partem suis usibus reservant, azymis panibus mellis instar infundunt, panem in illud intingunt, numquam vero ex solo manna (Nm 11, 8) tortulas coquunt. Hoc igitur manna ab Arabibus hodiedum ‚manna de caelo' vocatur diciturque, pluere'. — Eadem quasi leguntur apud Winer (Realwörterbuch 53 sq), Socin-Guthe (Bibelwörterbuch 414 sq), Wahl (Clavis philologica 301), Wilke-Grimm (Lexicon Graeco-Latinum Nov. Test. 270), Strack (Exodus 216), Dillmann (Exodus 192 sq), Baentsch (Exodus 150), Holzinger (Exodus 57 sq) multosque alios.

„Sed praeter manna vulgare e tamarice mannifera collectum, prosequitur Hummelauer, considerandum h. l. venit Sphaerothallia esculenta Nees ab Es. Qui lichen a Taurica Chersoneso ad Tartariam usque, itemque in Asia Minore, Persia, Africa septentrionali plurimus reperitur in locis altioribus. Is ubi aestu exsiccatus est, vento abripitur in valles vel etiam in adiacentes regiones, ubi quandoque in granula comminutus pluviae instar decidit. A Tartaris vocatur ‚panis terrestris', ex eoque reapse comparatur panis aliquis.... Si igitur manna affirmes fuisse hunc eundem lichenem, revera ‚pluebat' Deus panem Hebraeis, portentum habetur portento coturnicum perquam simile, quae item vento advehebantur. Hic lichen mola frangitur et pinsitur. Erit utique asserendus multo magis tum in regionibus Orientis abundasse quam nunc: verum id, tot argumentis diversam tunc aeris temperiem circa Sinaitiden suggerentibus, quis neget? An vermibus corrumpatur is lichen nescimus, uti etiam alia plura eam plantam spectantia..."

„Habemus igitur tres de manna sententias, concludit Hummelauer. Prima illud pronuntiat inaudito atque constanti miraculo esse concessum neque cum ullo naturali eventu quidquam habere commune. Altera, quae a recentioribus pluribus defenditur, sed immerito nova dicitur, cum Iosephi fuerit et a Bonfr. approbetur, manna biblicum substantia idem esse concedit atque manna vulgare. Tamen haec quoque sententia portentum agnoscat necesse est. Cernitur illud in pluribus, quae manna attinent, divinitus ante eventum praenuntiatis;

in manna illo, quod a quibusdam ultra diem asservabatur, putrefacto. Copia item illius manna cum singulis diebus tum per omnes anni menses miraculo carere haud videtur. — Tertia tandem sententia manna biblicum repetit non a manna vulgari e tamarice nato, sed a lichene Sphaerothallia. Ea, uti praecedens sententia, in pluribus portentum agnoscere compellitur. Tamen illius lichenis naturam tam parum habemus exploratam atque, si ille portento explicando adhibeatur, tam multa sunt gratuito supponenda, ut consultius esse iudicemus neque huic explicationi accedere, sed quaestionem, an manna biblicum cum aliquo eventu naturali affinitatem habeat, in medio relinquere, futuris fortasse studiis elucidandam." — Ultimis his verbis non obstantibus Hummelauer (Exodus 172 sq) sententiae secundo loco propositae favet: ita etiam Lagrange (Revue Biblique 1898, 138), Bonaccorsi (Questioni bibliche 92), Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 417) tractationem eius intellegunt, quam recte reiciunt. Agnoscit ergo miraculum quoad modum; similiter Strack (Exodus 216) et Schöpfer (Geschichte 168).

Libentissime concedimus „manna hoc vulgare aliquam cum manna biblico affinitatem habere" (*Hummelauer*, Exodus 172), quam Strack (Exodus 216 sq) sic exponit: etiam manna vulgare inter Elim et Sinai reperitur et quidem a mense Maio, simile est pruinae ac semini coriandri, gustus eius est sicut mellis, colligitur mane quia sole orto liquescit, nomen est idem. Verumtamen graves (*Hummelauer* l. c.), immo gravissimae rationes prohibent, quominus manna biblicum manna vulgari explicemus. Nam a) manna vulgare in sola occidentali parte peninsulae Sinaiticae invenitur, Hebraei autem in toto itinere manna comederunt, etiam in campestribus Moab (Ios 5, 10 sqq). Opponit quidem Hummelauer (ib.) „Sinaitiden antiquitus multo frequentioribus arboribus consitam fuisse, atque nunc est"; sed hac suppositione non solvitur difficultas, quod Hebraei extra Sinaitiden quoque manna pasti sunt: ibi etiam tamaricem manniferam antiquitus fuisse nemo asserit nec probare posset. b) Manna vulgare tribus tantum mensibus invenitur, Israelitae vero quolibet die totius anni manna manducarunt. Putat quidem Hummelauer (ib.) probabile, antiquitus manna vulgare „non uno tantum alterove mense, sed per totum annum" fuisse; at nullus hanc opinionem eius omnino improbabilem adoptavit. c) Manna vulgare iis solum annis reperitur, quibus terra pluvia vel rore irrigatur; manna biblicum vero per 40 annos colligebatur. Supponit iterum Hummelauer (ib.) „aeris temperiem longe aliam antiquitus in Sinaitide fuisse, atque nunc est", idque probare conatur „e frequentioribus arboribus silvisque" necnon „e fontium et rivorum abundantioribus aquis" atque contendit „quotidie adfuisse rorem". At etiamsi ipsi concedamus „caelum tum in Sinaitide fuisse humidius", inde non sequitur manna vulgare quolibet anno et mense et die repertum esse. d) In tota peninsula Sinaitica nunc summum 300 *kg* tribus istis mensibus colliguntur; quilibet autem Israelita unoquoque die 1 gomor = ca 2 *kg* accipiebat; ergo die unico Israelitae copiosi (pag. 87) multo plus comederunt, quam nunc plurimis annis simul sumptis colligitur. Hac in re etiam Hummelauer portentum agnoscit. e) Manna biblicum sabbato non cecidit, die autem antecedenti duplum i. e. 2 gomor colligebantur. Hoc naturaliter explicari non posse omnes consentiunt. f) Manna naturale per longum tempus servari potest atque servatur; biblicum autem unico tantum die, quo elapso computruit et vermibus scatere coepit, si manna pro sabbato ac tabernaculo conservatum excipiamus. g) Manna naturale contundi vel moli nequit, quia uti cera molle est, neque ex eo tortulae conficiuntur; manna

vero biblicum populus *frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati,* et quidem delicati, לְשַׁד הַשָּׁמֶן (Nm 11, 8; cf. Baentsch et Strack ad h. l.). h) Manna naturale non est alimentum seu cibus validus, sed additamentum ad panem dulce et infirmum, immo iuxta Zschokke (Historia 87) et Kaulen (Wetzer und Weltes Kirchenlexikon VIII 618) purgativum; manna autem biblicum erat cibus validus seu alimentum proprie dictum. — Ergo non sufficit ut miraculum quoad modum statuamus Deumque copiam et virtutem mannae naturalis auxisse dicamus; etiam proprietates eius mutare debuisset.

Protestantes recentiores plerique (*Baentsch,* Exodus 150 sqq; *Holzinger,* Exodus 58; *Socin-Guthe,* Bibelwörterbuch 414 sq aliique) cum Winer (Realwörterbuch II 54) asserunt Israelitas in deserto manna naturale, i. e. succum illum dulcem ex fruticibus exsudatum comedisse, in fama autem postera naturale hoc factum splendoribus miraculi circumdatum esse; quod teste Holzinger (ib.) facile fieri potuit, quia Israelitis posterioribus proprietates peninsulae Sinaiticae non accurate notae erant. Cito quae Wilke-Grimm (Lexicon Graeco-Latinum Nov. Test. 271) scribit: „Cuiusmodi cibi larga copia Israelitis per desertum peregrinantibus obtigerat, in quo postera fama, quam biblici scriptores sequuntur, panem ex ipsis caelis prodigialiter demissum vidit atque variis modis rem splendore miraculi illustravit" Cui explicationi duo opponenda sunt, nimirum a) Moyses qui Pentateuchum scripsit (pag. 21 sq) iam antea per 40 annos in Arabia degerat (pag. 93); ergo proprietates peninsulae et mannae naturalis Aegyptiis notae (pag. 110) perspectas habuit. b) Scriptor inspiratus manna ut cibum miraculosum a Domino Israelitis de caelo praestitum proponit (*Baentsch,* Exodus 150; *Strack,* Exodus 215); atqui scriptores inspirati proprio nomine loquentes suasque, non aliorum sententias proponentes ea infallibili veritate exprimunt, quae Deus iussit qui nullum errorem hominibus proponere potest (pag. 12); ergo panis miraculosus intellegendus est. Protestantes tam inspirationem quam miracula negantes (pag. 8) etiam cibum miraculosum negare debere patet.

Huic sententiae protestantium valde similis est opinio a Lagrange (Revue Biblique 1898, 138) proposita, quam Bonaccorsi (Questioni bibliche 92 sq) et Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 417) acceptarunt, videlicet narrationem biblicam „une généralisation idéale", non relationem historicam esse: quae opinio cum catholica inspirationis notione conciliari nequit (pag. 9 sqq).

Quae cum ita sint, Danko (Historia Vet. Test. 124 sq), Kaulen (Wetzer und Weltes Kirchenlexikon VIII 615 sqq), Selbst (Handbuch 397 sq), Zschokke (Historia 87) aliique (pag. 112) miraculum quoad substantiam recte statuunt. „Elegit autem Deus cibum manna naturali quoad formam similem, natura autem diversum, ut tum fidei tum infidelitati (uti nunc in Eucharistia) libertatem permitteret", uti Zschokke (Historia 87) affirmat. Concludimus hanc tractationem verbis Sapientis (Sap 16, 20 sq; cf. Ps 77, 24 sq; 104, 40; Io 6, 31): *angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: et deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.*

d) Ex deserto Sin per mansiones Daphca et Alus (Nm 33, 12 sq), quae forsitan in wadi Mokatteb erant, in *Raphidim* profecti ibique

castrametati sunt. Raphidim probabiliter in wadi Feiran (Fîrân, Pharan) ad radices dschebel Serbal (cf. *Baentsch*, Exodus 157 et Numeri 677; *Guthe*, Bibelwörterbuch 538; *Strack*, Exodus 218; *Selbst*, Handbuch 393) sita fuit. Deerat autem aqua, quare populus contra Moysen murmuravit dicens: *Cur fecisti nos exire de Aegypto, ut occideres nos, et liberos nostros, ac iumenta siti?* (Ex 17, 3); tentavit quoque Dominum interrogans: *Est ne Dominus in nobis, an non?* (Ex 17, 7.) Moyses iussu Domini virga sua coram senioribus Israel petram percussit, ex qua statim aqua exivit. Dicunt Arabes Moysen ex petra *Ḥêṣi el-Haṭṭâṭîn* aquam produxisse (*Baentsch*, Numeri 677; *Benzinger-Baedeker*, Palästina 220; *Strack*, Exodus 218); nunc quidem ibi fons deest; at „non dicit textus natum esse fontem perennem“ (*Hummelauer*, Exodus 180). Et vocavit Moyses locum *Tentationem*, מַסָּה, et *Iurgium*, מְרִיבָה, propter iurgium et tentationem filiorum Israel (Ex 17, 1—7).

Amalecitae autem, qui in Negeb (Comment. in Gn 14, 7) atque in deserto Pharan (et-Tih) habitabant, uti Strack (Exodus 219) et Selbst (Handbuch 394) cum Zschokke (Historia 88) asserunt, in Raphidim contra Israel pugnarunt et extremos agminis fame et labore confectos ceciderunt. Utrum Israelitas despoliare an impedire voluerint, quominus per terram suam ambularent (*Strack* l. c.) vel pascua Feiran occuparent (*Selbst* l. c.), nescimus. Victi sunt tamen ab Iosue, dum Moyses in vertice collis manibus cum virga elevatis oraret atque ab Aaron et Hur adiuvaretur, et signati in libro ut delendi. Aedificavitque Moyses altare et vocavit nomen eius *Dominus exaltatio mea* vel potius *vexillum meum* יְהוָה נִסִּי (Ex 17, 8—16. Dt 25, 17 sqq).

Cumque audisset Iethro, sacerdos Madian et cognatus Moysi (pag. 93), omnia quae Deus Moysi ac populo Israel fecerat, tulit Sephoram et duos filios eius et ivit ad castra Israel in Raphidim. Moyses de adventu eius certior factus cognato suo occurrit, eum adoravit et osculatus est, in tabernaculum introduxit eique omnia narravit quae Dominus pro populo Israel operatus fuerat. Laetatus Iethro holocausta et hostias Deo obtulit, veneruntque Aaron et omnes seniores Israel, ut cum eo coram Domino panem comederent. Altera die Iethro vidit, quomodo Moyses a mane usque ad vesperam sederet ac populum iudicaret, et hoc negotium ultra vires eius esse censuit. Propterea ei consilium dedit, ut pro rebus minoribus iudices minores constitueret et maiora seu graviora dumtaxat ipse

iudicaret. Moyses omnia fecit quae Iethro suggesserat; hic autem in terram suam reversus est (Ex 18, 1—27).

Aquam e petra exiisse „illustriori etiam quam Marae miraculo“ Hummelauer (Exodus 179) quoque concedit. Naturaliter textus biblicus explicari nequit; narrationem biblicam non veram esse ob auctoritatem Moysis (pag. 23) et quidem inspirati (pag. 9 sqq) non licet asserere. — Amalecitae „non tam armis quam oratione“ devicti sunt (*Zschokke*, Historia 88; *Selbst*, Handbuch 394). *Memores estote Moysi servi Domini*, dixit Eliachim summus sacerdos ad omnem Israel (Idt 4, 13), *qui Amalec confidentem in virtute sua, et in potentia sua, et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curribus suis, et in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit.* — Zschokke (Historia 88) affirmat Moysen devictis Amalecitis „nomen ducis Hosea in Iehoschua“ mutasse; sed hoc falsum est. Nam Nm 13, 17 legimus Moysen nomen *Osee*, הוֹשֵׁעַ, i. e. liberatio, in *Iosue*, יְהוֹשֻׁעַ, i. e. Iahve est auxilium, mutasse, quando eum ad terram Chanaan explorandam misit (*Strack*, Exodus 219; *Gesenius*, Thesaurus 581 641).

e) Denique mense tertio egressionis Israel de Aegypto, et quidem *in die hac*, i. e. probabiliter qua egressi sunt (Ex 12, 41 et pag. 104; alii aliter, cf. Baentsch, Hummelauer, Strack etc. ad Ex 19, 1), venerunt per wadi es-Scheikh in desertum *Sinai* et fixerunt tabernacula sua e regione montis (Ex 19, 1 sq).

2. Mons *Horeb-Sinai* inter wadi er-Raha, wadi el-Ledja et wadi ed Dêr (vel wadi Schuaib seu Iethro, a wadi er-Raha ad wadi es-Sebaiye) situs est. Cacumen eius septentrionale est mons *Horeb* (1994 *m*), nunc ras es-Safsaf appellatus; cacumen vero australe est mons *Sinai* (2244 *m*), nunc dschebel Musa vocatus (*Benzinger-Baedeker*, Palästina 228 sqq; *Selbst*, Handbuch 399 sqq; Tab. II, charta minor). Zschokke (Historia 89) scribit: „Cum Deus in Horeb (sensu stricto sumto) ad populum locutus sit, in Sinai vero (sensu stricto sumto) ad Mosen, unde hic usque hodie Dschebel el-Monaedscha i. e. mons conferentiae vel Dschebel Mûsa appellatur, lex promulgata dicitur mox in Sinai (Ex 19, 20; 24, 16. Neh 9, 13) mox in Horeb (Dt 4, 15. Ps 105, 19. 2 Par 5, 10) mox in utroque (Eccli 48, 7).“

a) Ad montem Horeb-Sinai Deus cum filiis Israel foedus fecit. Postquam enim per duos dies sanctificati fuerunt, die tertio coeperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, mons autem nube densissima operiri ac fumare visus est: nam Deus in montem (Horeb) descendit. Unde populo ad radices montis collecto decalogum promulgavit (Ex 19, 3—20, 17). Populus pavore concussus Moysen rogavit, ut internuntius fieret. Quapropter legem de altari statuendo variasque leges civiles non Deus ipse sed Moyses populo

annuntiavit (Ex 20, 18—23, 33). Oboedientia a filiis Israel promissa et sacrificiis oblatis populus Dei sanguine respergitur; deinde Moyses et Aaron, Nadab et Abiu necnon septuaginta de senioribus Israel ascenderunt, comederunt et biberunt coram Deo; denique Moyses altius (in Sinai) ascendit ibique de tabernaculo foederis, sacerdotio legali et sacrificio cotidiano mandata atque duas tabulas lapideas digito Dei scriptas accepit (Ex 24, 1—31, 18).

b) Ad montem Horeb-Sinai foedus etiam renovatum est. Videns populus quod Moyses moram faceret descendendi de monte, dixerunt ad Aaron: *Surge, fac nobis deos,* אֱלֹהִים, *qui nos praecedant* (Ex 32, 1). Qui ex inauribus aureis sibi oblatis opere fusorio vitulum (Fig. 31) formavit et pro sequenti die sollemnitatem Domini proclamavit. Obtulitque populus sacrificia, manducavit et bibit et lusit. Moyses autem de monte revertens tabulas testimonii ad radices montis confregit arripiensque vitulum combussit et pulverem in aquam sparsit, ex qua filios Israel bibere iussit. Fratrem obiurgavit, noxios et resistentes vero per tribum Levi trucidavit. Cecideruntque die illo circa 3000 (textus Hebraeus et Graecus), non 23000 uti in Vulgata habetur (cf. *Vercellone,* Var. Lect. I 283 sqq). Populo paenitentiam agente Moyses iterum in montem ascendit ac post 40 dies cum tabulis testimonii et facie splendenti seu radianti descendit, quam operiebat quando cum populo loquebatur (Ex 32, 1 ad 34, 35).

Fig. 31. Apis Aegyptius.

Vulgata (Ex 34, 29 sq 35) faciem Moysis *cornutam* dicit vocem קָרַן nimis accurate reddens. קָרַן cum קֶרֶן cohaeret, quod proprie *cornu,* improprie *radium* significat, „quemadmodum Arabum poetae primos solis orientis radios cum cornubus comparant“ (*Gesenius,* Thesaurus 1239; cf. *Fürst,* Handwörterbuch). Melius sed libere LXX verterunt (v. 30) ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, קָרַן עוֹר פָּנָיו.

c) Ad montem Horeb-Sinai foedus denique sancitum est. Namque iussu Domini tabernaculum et vestes sacerdotales confecta et oblata sunt, ac gloria Domini tabernaculum erectum implevit (Ex 35, 1—40, 36). De quo tabernaculo Dominus Moysi illas leges de Deo colendo ac populo perficiendo dedit (Lv 1, 1 coll. 27, 34), quae in libro Levitici (cf. § 25, n. 3) continentur.

Moyses librum Exodus et Levitici componens (pag. 21) ea testatur quae non solum ipse vidit et audivit et egit, verum etiam legentes libros viderunt et audierunt et egerunt; ergo testis fide dignissimus est (pag. 23 sq).

Et si quaestionem de authentia Pentateuchi Mosaica omittere velimus, certum est (pag. 8 sq) eum ab inspirato auctore conscriptum esse, qui proprio nomine loquitur, quod usus loquendi et contextus commonstrant, ideoque falsa proponere nequit (pag. 9 sqq). Eapropter credere debemus legem saltem quoad partes substantiales (pag. 21 sq) a Deo in monte Sinai latam, foedus ibi ictum et a populo adoratione vituli aurei fractum, sed Moyse intercedente renovatum atque sancitum esse. Sententia plurimorum protestantium et nonnullorum catholicorum (cf. Annales de philosophie chrétienne 1906, 168) legem a Moyse datam negantium, etiam sententia Gigot (Spezial Introduction of the Old Testam. 195) cum Kittel opinantis decalogum quidem in Sinai promulgatum sed circumstantias in Pentateucho narratas liberam facti expolitionem esse, propter axiopistiam testis immediati atque auctoritatem inspirati scriptoris adoptari nequit. Quod ad adorationem vituli aurei attinet, nonnulli catholici liberales opinantur (cf. *Koch*, Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 428 sq) istam adorationem vivente Moyse revera non accidisse, sed a scriptore illi tempori affictam, ergo narrationem falsam esse. Quae opinio iis contraria est quae mox de inspirato auctore Pentateuchi dicta sunt. — Plura de lege Moysis in parte II tradentur.

d) Die 14 mensis 1 anni 2 post exitum ex Aegypto filii Israel ad montem Sinai phase fecerunt; qui vero tunc immundi erant, eodem die mensis 2 celebrarunt (Nm 9, 1—14). Eodem mense 2 et quidem die 1 Deus iussit omnes viros 12 tribuum ab anno 20 et supra numerari; inventi sunt autem (Nm 1, 1—54):

Ex tribu Iuda . .	74600	
Ex tribu Issachar .	54400	186400 viri militares
Ex tribu Zabulon .	57400	
Ex tribu Ruben .	46500	
Ex tribu Simeon .	59300	151450 viri militares
Ex tribu Gad . .	45650	
Ex tribu Ephraim .	40500	
Ex tribu Manasse .	32200	108100 viri militares
Ex tribu Beniamin	35400	
Ex tribu Dan . .	62700	
Ex tribu Aser . . .	41500	157600 viri militares
Ex tribu Nephthali	53400	

Summa summarum 603550 viri militares.

Constituit etiam, quo ordine singulae tribus castrametari ac proficisci deberent (Nm 2, 1—34), videlicet:



Ordo proficiscendi:

Filii *Iuda* duce Nahasson
Filii Issachar duce Nathanael
Filii Zabulon duce Eliab
Filii *Gerson et Merari* Levitae
Filii *Ruben* duce Helisur
Filii Simeon duce Salamiel
Filii Gad duce Eliasaph
Sacerdotes et Caathitae cum sanctuario
Filii *Ephraim* duce Elisama
Filii Manasse duce Gamaliel
Filii Beniamin duce Abidan
Filii *Dan* duce Ahiezer
Filii Aser duce Phegiel
Filii Nephthali duce Ahira

Numerati sunt quoque Levitae ab uno mense et supra: filii Gerson 7500, filii Caath 8600, filii Merari 6200, ergo in summa 22300; sed Nm 3,39 summa summarum 22 000 notatur, quare non improbabile est pro 8600 legendum esse 8300 (cf. *Strack,* Numeri 378). Quo ordine ipsi castrametari et proficisci debuerint, iam supra indicavimus (Nm 3, 1—4, 49). Post promulgationem variorum mandatorum (Nm 5, 1—9, 14; cf. § 25, n. 4) signa itineris, nubes et ignis ac duae tubae argenteae a Deo designantur (Nm 9, 15—10, 10).

3. Die 20 mensis 2 anni 2 filii Israel desertum Sinai reliquerunt et profecti sunt cum Hobab filio Raguel in solitudinem *Pharan* (pag. 109) viam trium dierum (Nm 10, 11—36).

a) Interea propter laborem murmur populi ortum est, et Dominus iratus extremam partem castrorum incendit, quare locus ille vocatus est תַּבְעֵרָה *Incensio* (Nm 11, 1—3); ubi fuerit, accurate determinari nequit. Vulgus autem promiscuum, quod simul de Aegypto egressum fuerat, carnes desideravit atque populum Israel eodem desiderio affecit. Flente igitur populo Moyses ad Dominum clamavit, qui Moysi 70 viros adiutores adiunxit et populo iterum coturnices numerosissimas adduxit. Congregarunt eas et per gyrum castrorum siccaverunt, qui parum, decem coros, i. e. 20—40 *hl* (*Kortleitner,* Archaeologia 261) collegit ita ut quilibet pro integro mense carnes praesto haberet. Auctorem inspiratum hic miraculum quoad modum et quidem a miraculo priore diversum narrare ex circum-

stantiis apparet (pag. 111 sq). At priusquam deficeret talis cibus, furor Domini in populum iam concitatus fuit et percussit eum plaga maxima, quare idem locus קִבְרוֹת הַתַּאֲוָה, *Sepulchra concupiscentiae,* nominatus est (Nm 11, 4—34).

b) De sepulcris concupiscentiae venerunt in *Haseroth* (Tab. II), ubi Maria et Aaron contra Moysen surrexerunt, et Maria lepra perfusa est ideoque 7 diebus extra castra manere debuit (Nm 11, 34—12, 15).

c) Inde profecti venerunt in *Cades* (Nm 13, 27; Dt 1, 19) in deserto Pharan. Ex quo loco Moyses a populo rogatus (Dt 1, 22) atque a Domino admonitus (Nm 13, 2) duodecim viros ex duodecim tribubus misit, qui terram Chanaan explorarent; ex tribu Iuda misit Caleb et ex tribu Ephraim Osee quem Iosue nominavit. Hi 12 viri terram explorarunt a deserto Zin in meridie (Tab. II) usque ad Rohob in septentrione (Tab. III). Reversique post 40 dies attulerunt palmitem cum uva sua, quem duo viri in vecte portabant, et dixerunt terram revera lacte et melle fluere sed etiam urbes grandes et munitas necnon habitatores fortissimos habere, inter eos monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustae visi essent; Iosue et Caleb quidem affirmarunt habitatores terrae illius optimae quasi panem ab Israelitis comedi posse. Sed populus murmuravit et clamavit voluitque sibi ducem alium constituere et in Aegyptum reverti. Tunc gloria Domini cunctis filiis Israel apparuit atque edixit eos per 40 annos in deserto errare debere; exploratores mendaces vero statim occidit, et eos qui contra praeceptum errandi in deserto Amalecitas Chananaeosque aggressi erant, ab iis percuti ac fugari permisit (Nm 13, 1 ad 14, 45).

d) Ex illis annis quibus populus Israel in deserto errabat, pauca litteris mandata sunt, videlicet: praecepta de sacrificiis et primitiis, de expiatione peccatorum et violatione sabbati, de fimbriis palliorum (Nm 15, 1—41); seditio ac punitio Core (Nm 16, 1—50); miraculum germinantis virgae Aaron (Nm 17, 1—13); institutio sacerdotum et Levitarum de oneribus propriis et vectigalibus (Nm 18, 1—32); declaratio aquae lustralis (Nm 19, 1—22).

Etiam haec a Moyse teste immediato vel saltem a scriptore inspirato atque proprio nomine loquente narrantur; ergo falsa esse nequeunt. Propterea omnes opiniones contrarium asserentes (cf. *Koch,* Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 485 sq) repudiemus oportet.

e) Mense 1 anni 40 post exitum ex Aegypto (Nm 20, 1 22; 33, 38 sq) Israelitae, qui annis praecedentibus probabilissime in variis partibus

Arabiae petraeae commorabantur, iterum in *Cades* convenerunt (cf. *Strack,* Numeri 422), ubi Maria mortua et sepulta est. Cumque populus aqua indigeret atque contra Moysen et Aaron murmuraret, Moyses iussu Domini aquam ex petra eduxit. At incredulitate quadam infectus non semel sed bis virga petram percussit, quare a Deo audivit se et Aaron extra terram promissam mori debere. Aqua autem illa appellabatur *Aqua contradictionis* (Nm 20, 1—13).

f) Moyses igitur regem Edom rogavit, ut per terram eius transire posset, quod ille tamen negavit. Idcirco populus coactus est, ut terram Edom circumiret (Tab. II). In hoc itinere, et quidem in monte Hor, Aaron 123 annos natus die 1 mensis 5 (Nm 33, 38 sq) mortuus et sepultus est, quem filii Israel 30 diebus fleverunt; rex vero Chananaeus urbis Arad victus est (Nm 20, 14—21, 3).

g) Profecti Israelitae de monte Hor pergebant ad *sinum Aelaniticum* (Nm 21, 4. Dt 2, 1 8) iterumque murmurabant ob taedium itineris ac laboris. Quam ob rem Dominus serpentes ignitos, הַנְּחָשִׁים הַשְּׂרָפִים, *τοὺς ὄφεις τοὺς θανατοῦντας*, populo immisit. Erant serpentes naturales sed venenosi et ideo urentes (שָׂרַף = combussit, cremavit) vocati, quia „serpentum virus quod morsu vulneri instillatur, ignis ardentis instar permeat et inflammat corpus“ (*Gesenius,* Thesaurus), vel quia color et lineamenta serpentium igni similia erant (cf. *Buhl,* Handwörterbuch). Tales serpentes nunc quoque in Arabia reperiuntur (*Selbst,* Handbuch 494). Populo peccatum suum confitente Deus Moysi praecepit, ut serpentem, שָׂרָף, aeneum faceret et in pertica poneret; quem cum percussi aspicerent, sanabantur (Nm 21, 4—9); *non per hoc, quod videbat* percussus *sanabatur, sed per te omnium salvatorem* (Sap 16, 7). Hic serpens aeneus typus (Exegetica 12) Christi fuit, qui ipse testatur (Io 3, 14 sq): *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Serpentem aeneum Israelitae secum sumpserunt eumque postea ut deum colebant, quare rex Ezechias eum confregit (4 Rg 18, 4).

„Antiquis (Aegyptiis) serpens (Aesculapius cum serpente) erat symbolum salutis ... de veneno enim serpentis conficiebatur salubre antidotum“ scribit Zschokke (Historia 139); Hummelauer (Numeri 240) vero adiungit: „Serpens utique fuit symbolum sanitatis apud Graecos et Romanos fuitque Aesculapio sacer; sed neque hoc quidquam efficit pro aevo mosaico. . . . Signum selegit Deus eius formae, a qua etiam plaga proficiscebatur. Sicut decreverat Deus per hominem redimere quos perdiderat homo, et per lignum reparare damnum a ligno profectum, ita decrevit serpentis

aenei specie sanare malum a serpentibus inflictum. . . . Absurde serpentem aeneum recentiores aliqui proclamant esse vestigium aliquod ophiolatriae, cui pridem stirps electa indulserit. Id plane gratis asseritur; si tali umquam superstitione infecta fuisset stirps electa, certe Deus non elegisset serpentis formam ad salutem miseris largiendam." Etiam Strack (Numeri 426) omnino perversum dicit ex Nm 21, 8 sq concludere Israelitas iam illo tempore serpentes coluisse. — Baentsch (Numeri 575) asserit narrationem de serpente aeneo fabulam esse, quae cultum serpentis in Ierusalem declarare debuerit. Serpentem illum in veritate fuisse idolum ab Israelitis in urbe inventum ac retentum; hagiographum autem ex idolo ethnico symbolum sanantis virtutis Iahve fecisse. Similiter Holzinger (Numeri 93). At Moyses testis immediatus vel saltem scriptor inspiratus proprio nomine loquens testatur serpentem aeneum reapse in deserto ut signum salutis erectum, postea vero ut deum in Ierusalem veneratum esse; atqui scriptor inspiratus proprio nomine loquens falsa proponere nequit (pag. 9 sqq), et Moyses, qui ipse vidit atque serpentem fecit, axiopistos est (pag. 23): ergo ista narratio non fabulam sed factum historicum continet, quod verba Christi supra citata confirmant.

h) Denique a sinu Aelanitico ad septentrionem proficiscentes venerunt ad terram Moabitarum, qui inter mare mortuum et torrentem Salicum, desertum et fluvium Arnon habitabant. Cum hi quoque transitum negarent (Iud 11, 17 sq), ab oriente terrae eorum usque ad Arnon Moabitas ab Amorrhaeis dividentem perrexerunt (Tab. II). Amorrhaei Moabitis terram a septentrione fluvii Arnon eripuerant, Ammonitas vero primum ad Iordanem habitantes ultra urbem Iazer reiecerant ideoque tunc regionem inter Arnon et Iazer, Iaboc et Iordanem incolebant. Misit igitur Moyses ad Sehon regem Amorrhaeorum rogans, ut transitum per regnum suum permitteret. Hic tamen non solum licentiam petitam recusavit verum etiam exercitu congregato contra Israel pugnavit. Populus autem Dei percussit eum tulitque totam regionem illius. Postea ascendit in Basan ac devicit Og (cf. pag. 33) regem Basan, qui ab Iaboc usque ad Hermon regnabat, et possederunt terram illius. Reversique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Iordanem Iericho sita est (Nm 21, 10—22, 1; cf. *Strack,* Numeri 426 sqq). Vocantur campestria Moab, quia aliquando huius populi erant.

De commoratione Israelitarum in deserto Guthe (Geschichte 30) asserit scriptorem non veram historiam scribere sed traditiones antiquas sive veras sive falsas ad utilitatem aequalium suorum colligere voluisse. At Pentateuchus non a collectore quodam recentiore sed a Moyse teste immediato et fide digno scriptus est (pag. 21 sqq); et si hanc quaestionem omittere velimus, certum omnino est eum ab inspirato auctore compositum esse (pag. 8 sq). Usus autem loquendi et contextus indicant hagiographum proprio loquentem nomine historiam veram tradere velle, non falsas vel saltem dubias aliorum opiniones: ergo narratio eius falsa esse nequit. Nam Deus hagiographos ita inspiravit „ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate ex-

primerent" (*Leo XIII*, Provid. 61); Deus vero per hagiographos proprio nomine loquentes nihil a veritate alienum proponere potest (pag. 9 sqq). — Ex hoc principio sequitur in variis textibus genuinis commorationem in deserto describentibus veram contradictionem non inveniri. Si Nm 20, 1ᵇ; Dt 1, 46; Iud 11, 16 sqq hagiographus testatur populum in Cades longo tempore mansisse, non sequitur eum decurrentibus 38 annis in alia loca deserti (Nm 14, 25) non venisse; et si Dt 2, 1 14 affirmat tempus, quo populus a Cades usque ad fines Moab ambulavit, 38 annorum fuisse, non sequitur totum populum semper circa montes Seir commoratum esse — Populo in peninsula Sinaitica per 38 annos erranti cibaria necessaria praesto fuisse pag. 89 ostendimus. — Utrum montem *Horeb-Sinai* pro dschebel Musa an pro dschebel Serbal (Tab. II) an pro alio montium australium habere debeamus, incertum est. Traditio localis, iuxta quam mons Sinai = dschebel Musa, ante saec. 6 p. Chr. utique non commemoratur; sed ea quae Moyses vel saltem inspiratus auctor de itinere ab Aegypto usque ad Sinai (pag. 110 sqq) ac de itinere a Sinai usque ad Cades (pag. 119 sqq) scribit, dschebel Musa significant. Quod Guthe in sua historia (pag. 32) defendit et in charta geographica a Fischer-Guthe delineata (Wandkarte von Palästina, Leipzig sine anno) notatum est, nimirum Horeb-Sinai in regione Cades quaerendum esse, cum ista descriptione itineris nulla ratione congruit. — Ex 16—18 atque Nm 11 et 20 non de iisdem temporibus et locis et factis intellegi posse auctor inspiratus descriptione diversarum circumstantiarum nobis manifestat. — Guthe (Geschichte 54) negat Moysen cum 12 tribubus a Cades ad Arnon venisse regesque Sehon et Og vicisse; secundum ea tamen quae supra (pag. 122) de auctore Pentateuchi dicta sunt, haec quoque narratio vera sit oportet. — Inter adventum populi in campestria Moab ac transitum eius per Iordanem columna ignis et nubis defecisse videtur, quia amplius non commemoratur et Ios 3, 4 arca viam monstrans notatur (cf. *Hummelauer*, Iosue 125).

§ 24. De factis in campestribus Moab.

1. Moabitae videntes et audientes quae populus Israel regibus Sehon et Og fecerat, valde timuerunt; rex autem eorum Balac ad seniores Madian dixit: *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere* (Nm 22, 4). Hac de causa misit seniores Moab ac Madian ad ariolum celebrem, qui veniens populo Israel malediceret itaque efficeret, ut Balac eum vincere atque e terra eicere posset (Nm 22, 2—7).

a) *Misit ergo nuncios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terrae filiorum Ammon* (Nm 22, 5); in LXX autem legimus: *καὶ ἀπέστειλεν πρέσβεις πρὸς Βαλαὰμ υἱὸν Βεὼρ Φαθούρα, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ γῆς υἱῶν λαοῦ αὐτοῦ.* Iuxta hunc textum Graecum, quocum hodiernus Hebraicus convenit, *Balaam*, בִּלְעָם, filius *Beor*, בְּעוֹר, in urbe *Phathura*, פְּתוֹר (probabiliter assyr. *Pitru*, cf. *Buhl*, Handwörterbuch) habitabat, quae ad Euphraten, הַנָּהָר, sita erat. Congruit Nm 23, 7: *De Aram adduxit me Balac rex Moa-*

bitarum, de montibus Orientis; necnon Dt 23, 4: *conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriae, ut malediceret tibi.* Quibus locis lectio versionum Vulgatae et Syriacae atque Samaritani et ca 13 manuscriptorum quae Nm 22, 5 pro בְּנֵי־עַמּוֹ *filiorum populi sui* exhibent בְּנֵי־עַמּוֹן *filiorum Ammon* contraria, ergo relinquenda est. — Iste Balaam fuit ariolus gentilis magni aestimatus (Nm 22, 6), qui Israelitis maledicere volebat et a Domino impeditus Madianitis suggessit, ut eos ad fornicationem et idololatriam seducerent et hoc modo superarent (Nm 31, 16. Dt 23, 5. Ios 24, 10. Apc 2, 14); cognovit tamen Iahve Deum Israel eique praecipienti oboediebat, ut ex sequentibus apparebit. Bene Zschokke (Historia 140) scribit: „Verisimiliter ipse magus gentilis de miraculis in Aegypto et deserto a Deo patratis certior factus ac convictus cultum Iahvae est amplexus, non tamen, ut videtur, ex toto corde (syncretista, cui similis Simon magus Nov. Test.), quia mercedem iniquitatis amabat (2 Petr 2, 15; ep. Iud 11). Invitatio Balaci occasio exstitit eum in discrimen inducendi: persuasus quidem de Iahvae potentia ei resistere audebat, quin praeoptatum successum haberet. Eum domi iam correptum Deus rursus in via per asinam monere et a pernicie salvare voluit, in quam tamen, avaritia et ambitione seductus, ruebat."

In Vulgata 2 Petr 2, 15 Balaam *ex Bosor,* in textu Graeco autem τοῦ Βοσόρ scil. υἱός nominatur; Βοσόρ idem est ac בְּעִיר Aramaice pronuntiatum (*Burger,* Briefe des Petrus 192). — Ex eo quod primus rex terrae Edom Gn 36, 32 *Bela filius Beor* appellatur, non sequitur *Balaam filium Beor* in ista terra australi habitasse; iuxta Nm 22, 36 coll. 21, 26 ex septentrione venit. — Baentsch (Numeri 592) affirmat Balaam personam fabulosam atque dicta eius vaticinia ex eventu esse, quae Balaam reapse numquam pronuntiaverit; at qui tenet historiam Balaam a Moyse vel saltem ab inspirato auctore litteris consignatam (pag. 122) atque Mich 6, 5 et ab hagiographis Nov. Test. supra citatis approbari, istam assertionem reprobare debet.

b) Legati regis Moab cum pretio divinationis ad Balaam venientes eum rogarunt, ut secundum voluntatem regis faceret; at ipse Domino vetanti oboediens domi mansit. Propterea Balac multo plures et maiores legatos ad eum misit honores ac munera promittens, si venire ac populo Israel maledicere vellet. Tunc Dominus permisit, ut cum iis ad Moabitas pergeret, praecipiens tamen ne aliquid contra voluntatem suam ageret (Nm 22, 7—20). Itaque Balaam asinam sternens et duos servos assumens cum legatis profectus est. *Et iratus est Deus. Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinae* (Nm 22, 22). Bene Strack (Numeri 432) annotat Deum non iratum fuisse, quod Balaam cum legatis profectus esset, sed quod in via sententiam suam mutasset atque contra praeceptum

suum populo Israel maledicere vellet (cf. v. 34 sq et pag. 124). Asina angelum cernens bis declinavit ac tandem concidit et idcirco ter a propheta verberata est. *Aperuitque Dominus os asinae, et locuta est* (Nm 22, 28) et *prohibuit prophetae insipientiam* (2 Petr 2, 16). Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio adoravitque eum pronus in terram et dixit: *Peccavi, nesciens quod tu stares contra me: et nunc si displicet tibi ut vadam, vertar* (v. 34). Respondit angelus: *Vade cum istis, et cave ne aliud quam praecepero tibi loquaris* (v. 35). Continuavit ergo Balaam iter cum principibus Balac (Nm 22, 21—35).

S. Petrus (2 Ep. 2, 16) confirmat hanc narrationem scribens: ὑποζύγιον ἄφωνον ἐν ἀνθρώπου φωνῇ φθεγξάμενον ἐκώλυσεν τὴν τοῦ προφήτου παραφρονίαν. „Hic stupendum miraculum patratum esse, ait Selbst (Handbuch 499), textus Sacrae Scripturae haud dubium relinquit.“ Observentur autem sequentia: α) bruta cogitare nequeunt; ergo etiam loqui sensu stricto, i. e. cogitationes suas exprimere, non possunt. β) Bruta generatim loquendo lingua et ore suo sonos articulatos edere nequeunt. γ) Deus vero vel eo permittente etiam angelus bonus aut malus ex ore bruti sonos articulatos edere iisque cogitationes suas manifestare potest. δ) Balaam uti Eva (cf. Comment. in Genesim 67) atque nos persuasum habere potuit non ipsum brutum, sed spiritum quendam ex ore eius loqui. ε) Probabile videtur solum Balaam, non autem comites eius asinam loquentem audivisse. — Hummelauer (Numeri 275) ad textum haec dumtaxat ascribit: „Os Deus aperit loquelam largiens, sive illud os naturalem loquendi aptitudinem habeat (Lc 1, 64), sive non. Oculos Deus revelat v. 31, veluti velum retrahens, ad videnda etiam ea, ad quae videnda naturae vis non pertingit.“ — Strack (Numeri 433) ad Hengstenberg et Delitzsch provocans colloquium prophetae cum asina factum internum declarat; at verba textus, praesertim S. Petri hanc explicationem falsam ostendunt. Baentsch (Numeri 600) autem scribit hunc textum irridentibus Bibliam tamdiu occasionem cavillandi praebere quamdiu theologi docent asinam aut modo extraordinario sonos articulatos edidisse aut prophetam ruditum asinae uti verba humana audivisse; narrationem igitur pro fabula habendam censet. Respondemus: non est mirum quod omnes illi qui rationalismo vel Hegelianismo (pag. 16) addicti sunt ideoque miracula et inspirationem ac revelationem divinam (pag. 8), angelos bonos et malos, immo Deum personalem ac transcendentem (pag. 16) negant, istam narrationem derideant; verumtamen opiniones seu suppositiones eorum a Leone XIII (Provid. 29) „portenta errorum“ appellantur et in philosophia vera qua talia refutantur. Fabula autem esse nequit, quia Deus per scriptores inspiratos loquens narrationem factum verum proponit, quemadmodum usus loquendi et contextus praesertim in Epistola Petri comprobant. Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 498) Gigot atque Meignan citans opinatur S. Petrum iuxta opinionem falsam Iudaeorum locutum esse; at non est verum: S. Petrus suam sententiam profert et narrationem libri Numeri approbat; ergo haec fabulam continere nequit (pag. 11 sq).

c) Balaam a Balac honorifice exceptus ei statim nuntiavit se ea tantum loqui posse quae Deus permiserit (Nm 22, 36—40). Ductus

est igitur primum in *excelsa Baal* (nobis ignota), de quibus extremam populi partem intueri poterat. Ibi mandante Domino pronuntiavit populum Israël esse a Deo benedictum, ergo non maledicendum; segregatum a gentibus ac numerosissimum; populum iustorum (Nm 22, 41—23, 10). Increpatus a Balac in verticem montis *Phasga* (Tab. III) ducitur, unde etiam partem tantum castrorum videre potuit. Sed ibi quoque praecipiente Domino populo benedixit, cuius Deus et rex et fortitudo ipse Dominus esset (Nm 23, 11—24). Iterum increpatus a Balac super verticem montis *Phogor*, i. e. in aliud cacumen montis Phasga (*Baentsch*, Numeri 611; *Strack*, Numeri 437) ducitur, ex quo integra Israelis castra conspicere potuit. Et elevans oculos vidit Israel in tentoriis commorantem et inspiratus a Deo exclamavit: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israel! . . . Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur* (Nm 24, 5 9). Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus dixit: *revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito* (Nm 24, 11). Balaam reposuit se iam ab initio dixisse, quod ea tantum proferre posset quae Deus iuberet; deinde vaticinium de *Stella ex Iacob* protulit, quod in parte altera explicabitur. Quibus dictis tam Balaam quam Balac in terram suam reversus est (Nm 23, 25—24, 25).

2. Postea Balaam Madianitis (vide d) consilium dedit, ut Israelitas ad fornicationem atque idololatriam seducerent itaque a Domino fortitudine eorum (supra) averterent et superarent.

a) Et re vera fornicatus est populus cum filiabus Moab (vide d) et Madian, quae eos ad sacrificia sua vocabant, et adoravit deos earum. Qua de causa Dominus populum plaga percussit atque Moysi mandavit, ut noxios occideret et in patibulis suspenderet. Occisi sunt autem partim plaga Domini partim per principes populi 24 000 hominum (Nm 25, 1—18).

S. Paulus (1 Cor 10, 8) monet: *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia.* Ad quem locum Cornely notat: „Quam dissonantiam ut removeamus, absit ut cum multis modernis acatholicis.... Paulo lapsum memoriae attribuamus; idem enim esset ac si epistolae nostrae inspirationem negaremus. Variae propositae sunt solutiones . . . errorem librarii antiqui statuere malumus; facile enim τρς (i. e. τέσσαρες) et τρεῖς χιλιάδες permutari potuerunt.“ Hanc solutionem iam Bisping h. l. cum multis aliis probabiliorem iudicaverat; at iuxta praecepta critica lectio ista genuina censeatur oportet. Quam ob rem alia explicatio magis placet, nimirum illa 23 milia μιᾷ ἡμέρᾳ mortua esse; nam Paulus hanc notam, quae in libro Numeri non legitur, certe sine ratione non adiunxit.

b) Postquam noxiorum sanguis effusus est, iussu Domini filii Israel a 20 annis et supra iterum numerati sunt (Nm 26, 1—65). Addimus numeros simul notantes, quot milibus singulae tribus post numerationem priorem (pag. 118) vel auctae vel minutae sint.

		plus	minus
Ex tribu Iuda . .	76500	1900	
Ex tribu Issachar .	64300	9900	
Ex tribu Zabulon .	60500	3100	
Ex tribu Ruben .	43730		2770
Ex tribu Simeon .	22200		37100
Ex tribu Gad . .	40500		5150
Ex tribu Ephraim .	32500		8000
Ex tribu Manasse .	52700	20500	
Ex tribu Beniamin	45600	10200	
Ex tribu Dan . .	64400	1700	
Ex tribu Aser . .	53400	11900	
Ex tribu Nephthali	45400		8000
Summa summarum	601730	59200	61020

Numerati sunt etiam Levitae ab uno mense et supra atque 23000 inventi; in numeratione priore 22000 erant (pag. 119). — Maxime tribus Simeon minuta conspicitur, forsitan quia ipsa plurimum fornicatione et idololatria peccaverat (cf. Nm 25, 6 14).

c) Illo tempore Deus successionem in hereditate paterna ordinavit (Nm 27, 1—11) atque iussit Moysen cacumen Phasgae ascendere et terram promissam aspicere. Precatusque est Moyses Dominum: *Domine Deus tu coepisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam . . . Transibo igitur, et videbo Terram hanc optimam trans Iordanem, et montem* (i. e. montana) *istum egregium, et Libanum.* At Dominus respondit: *Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me* (Dt 3, 23 sqq); mandavitque, ut Iosue successorem suum constitueret (Nm 27, 12—23. Dt 3, 21—29).

d) Post promulgationem praeceptorum quorundam sacrificia et vota respicientium (Nm 28, 1—30 17) Madianitas debellavit ac devicit, omnes mares et feminas eorum (exceptis virginibus) occidit praedamque divisit; in hoc bello etiam Balaam interfectus est (Nm 31, 1—54). Si Nm 24, 25; 25, 6 17 sq; 31, 8 16 conferimus, concludere debemus Balaam a Madianitis e terra sua iterum vocatum esse iisque suggessisse, ut filios Israel per mulieres perderent; quo consilio Madia-

nitae Moabitas illaquearunt (cf. Nm 25, 1), qui tamen utpote seducti a Madianitis (*Selbst,* Handbuch 509) non debellati sunt.

3. Ante mortem Moyses tribubus Ruben et Gad necnon dimidiae tribui Manasse terràm regum Sehon et Og divisit, hac tamen conditione ut viri ad pugnandum apti cum reliquis tribubus terram occidentalem expugnarent (Nm 32, 1—42). Determinavit quoque, quales termini terrae occidentalis futuri essent, qui viri istam terram distribuere et quot urbes Levitarum et fugitivorum constitui deberent, quod distributio sortium servaretur (Nm 33, 50—36, 13). Demum praemissa admonitione historica (Dt 1, 6—3, 29) populo legem

Fig. 32. Mons Nebo. (Phot. Bonfils.)

(cf. pag. 21, lit. *δ*) repetiit et inculcavit (Dt 4, 1—30, 20; vide § 25 n. 5), legem et canticum tradidit (Dt 31, 9—32, 47), singulis tribubus (omissa Simeon) benedixit (Dt 33, 1—29) atque iussu Domini montem *Nebo,* verticem montis Phasga (Tab. III et Fig. 32) ascendit. Ostenditque ei Dominus totam terram Abrahae et semini eius promissam ac dixit ei: *Vidisti eam oculis tuis, et non intrabis ad illam* (Dt 32, 48—52; 34, 1—4).

4. *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, iubente Domino,* עַל־פִּי יְהוָה (Dt 34, 5). Illud *ibi,* שָׁם, quod LXX tamen omiserunt, iuxta communiorem sententiam (cf. *Hummelauer,* Deutero-

nomium 562) atque v. 6 significat Moysen in monte Nebo mortuum esse; iuxta Steuernagel (Deuteronomium 130) autem in valle mortuus est. עַל־פִּי *super ore* (*Gesenius*, Thesaurus 1088) rabbini de *osculo* Domini interpretati sunt (cf. *Bertholet*, Deuteronomium 113); sed recentiores cum Vulgata et LXX *(διὰ ῥήματος)* de *iussu* Domini explicant. *Et sepelivit*, וַיִּקְבֹּר, *eum in valle Terrae Moab contra Phogor*, בֵּית פְּעוֹר (pag. 126): *et non cognovit homo sepulchrum eius usque in praesentem diem* (Dt 34, 6). Sensus obvius huius textus est, Moysen ab ipso Domino sepultum esse, ita ut nullus homo sepulcrum eius sciret (*Strack*, Deuteronomium 120; *Bertholet*, Deuteronomium 113). Non tamen immediate sed mediate per Michaelem archangelum Dominus Moysen sepelivit (*Bisping*, Katholische Briefe 416).

Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, inquit Iud 9. *non est ausus iudicium inferre blasphemiae: sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Utrum inspiratus auctor hanc notitiam ex libro aliquo an ex traditione Iudaeorum hauserit, nihil interest (pag. 10). De qua re angelus et diabolus altercati sint, incertum est. Alii putant diabolum voluisse ut corpus Moysis in pulverem reverteretur, angelum vero ut in statum gloriosum converteretur; alii probabilius censent diabolum voluisse ut corpus et sepulcrum Moysis Israelitis notum fieret, quo eos ad cultum illicitum perducere posset, angelum vero ut omnibus hominibus ignotum maneret (cf. *Rampf*, Brief Judä 201 sqq). — Verbum Hebraicum וַיִּקְבֹּר absolute quidem verti potest *et sepelivit aliquis* (man begrub; *Steuernagel*, Deuteronomium 130); LXX verterunt καὶ ἔθαψαν: in hoc tamen contextu interpretatio supra proposita probabilior est.

Moyses 120 annorum erat, quando mortuus est: *non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt*, vel potius (iuxta Hebraicum) nec defecit vigor eius. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab 30 diebus (Dt 34, 7 sq) anni ca 1395 a. Chr. (cf. pag. 95).

§ 25. De opere Moysis litterario.

Pentateuchus (πέντε = quinque, τεῦχος = liber vel pars libri; cf. *Passow*, Handwörterbuch) seu quinque libri vel potius quinque partes unius libri originaliter indivisi, quem Moysen composuisse diximus (pag. 21 sq), opus musivum appellari potest. Continet enim varias narrationes eventuum naturalium, praeternaturalium ac supernaturalium; revelationes et prophetias, veritates theoreticas et practicas variasque leges saepe non systematice sed chronologice ordinatas; continet quoque varias traditiones vel etiam documenta, quae Moyses in populo suo invenerat et operi suo inseruit. Haec tamen omnia unica idea uniuntur, quam Moyses declarare et illustrare, confirmare atque inculcare vult; ad quam eligendo

materiam operis sui litterarii semper respexisse comprobatur (cf. *Kaulen*, Einleitung II 6 sqq; *Seisenberger*, Einführung 297). Ista idea uniens est: Deus familiam et populum sibi elegit atque erudivit, inter reliquos populos habitare fecit et nihilominus ab iis seiunxit, ut per eum notitia et cultus veri Dei conservaretur ad felicitatem huius populi omniumque gentium. — Quibus praemissis argumentum et dispositionem quinque librorum Moysis synoptice proponemus.

1. **Liber Genesis**, בְּרֵאשִׁית *In principio*, originem generis humani et familiae populique electi describit, 50 capitibus constat et in duas partes dividitur, quibus exordium praepositum est. In exordio (1, 1—2, 3) creatio caeli et terrae omnisque ornatus eorum brevissime sed nervose narratur, quia haec veritas fundamentum et radix omnium sequentium est.

In 1 parte (2, 4—11, 26) historia totius generis humani exponitur, et quidem 1. historia seu generationes caeli et terrae (2, 4—4, 26). Describit Moyses a) statum innocentiae protoparentum in paradiso (2, 4—25) et b) statum peccati eorum (3, 1—4, 26): tentationem et peccatum (3, 1—6), punitionem protoparentum (3, 7—24), malos et bonos posteros eorum (4, 1—26). — 2. Historia seu generationes Adam (5, 1—6, 8), et quidem a) vitae primorum hominum (5, 1—31) ac b) praeparatio diluvii seu depravatio morum et decretum divinum hominum delendorum (6, 1—8). — 3. Historia seu generationes Noe (6, 9—9, 29). Noe proponitur a) ante diluvium: iustus et perfectus cum familia sua, arcam aedificans atque intrans (6, 9—7, 16). b) Inter diluvium: aquis crescentibus iterumque decrescentibus (7, 17—8, 12). c) Post diluvium: Deo sacrificans et ab eo benedictus, posteros suos partim maledicens partim benedicens, moriens (8, 13—9, 29). — 4. Historia seu generationes filiorum Noe (10, 1—11, 9). Describitur a) tabula gentium: Iaphethitarum, Chamitarum, Semitarum (10, 1—32) et b) dispersio earum: aedificatio urbis ac turris Babel necnon confusio linguae (11, 1—9). — 5. Historia seu generationes Sem ab Arphaxad usque ad Thare (11, 10—26).

In 2 parte (11, 27—50, 25) historia populi electi exponitur, et quidem 1. historia seu generationes Thare (11, 27—25, 11). Hagiographus enarrat a) vocationem Abrae: quomodo iussu Domini de Ur Chaldaeorum egressus sit, in terram Chanaan venerit, orta fame in Aegyptum descenderit, regressus a Lot in Sodoma abeunte divisus et a Domino benedictus sit; quomodo Deo adiuvante reges

orientales devicerit ac benedictionem Melchisedechi acceperit (11, 27 ad 14, 24). b) Pactionem Abrae: foedus cum Deo ictum, filium Agar Ismaelem susceptum, foedus circumcisione confirmatum, filium Sarae promissum, Lot e pentapoli delenda eductum, filium Sarae Isaacum natum et Ismaelem eiectum (15, 1—21, 34). c) Consummationem Abrahae: holocaustum heroicum et promissionem magnificam, Sarae mortem ac sepulturam, Isaaci matrimonium, filios a Cetura susceptos, mortem et sepulturam auctoris populi electi (22, 1—25, 11). — 2. Historia seu generationes Ismael, soboles, habitatio, mors eius (25, 12—18). — 3. Historia seu generationes Isaac (25, 19—35, 29). Traduntur a) Fata Isaac: quod gemini ei nati sunt, quorum maior primogenita vendidit et minor fraudulenter benedictionem abstulit (25, 19—28, 9). b) Fata Iacob: commoratio in Mesopotamia, uxores et filii, reversio in Chanaan, mors Rachelis et Isaaci (28, 10—35, 29). — 4. Historia seu generationes Esau (36, 1—43). — 5. Historia seu generationes Iacob (37, 1—50, 25). Proponitur nobis a) Ioseph humiliatus et exaltatus: a fratribus odio habitus et in Aegyptum venditus, innocens in carcerem missus; postea ad Pharaonem adductus atque ab eo praepositus Aegypti constitutus (37, 1 ad 41, 57). b) Ioseph cum fratribus agens idque in priore et altero adventu eorum (42, 1—45, 28). c) Iacob in Aegypto: in Gessen habitans, filiis benedicens ac praenuntians, moriens atque in Chanaan sepultus (46, 1—50, 14). d) Ioseph fratres etiam post mortem patris benigne tractans, moriens et pro translatione in Chanaan sepositus (50, 15—25).

2. **Liber Exodus**, שְׁמוֹת aut וְאֵלֶּה שְׁמוֹת *Et haec sunt nomina*, exitum populi electi ex Aegypto, iter ad Sinai ac foedus cum Deo factum describit, 40 capitibus constat et in tres partes distinguitur, quibus etiam exordium praepositum est. In exordio (1, 1—7) filii Iacob enumerantur et multiplicatio eorum notatur.

In 1 parte (1, 8—15, 21) liberatio populi de Aegypto proditur. Describuntur 1. aerumnae Israelis (1, 8—7, 13): a) oppressio populi (1, 8—22) atque b) praeparatio liberatoris, qui in Madian fugere debuit, a Deo ad Pharaonem missus sed ab eo contemptus et a praepositis filiorum Israel increpatus est (2, 1—7, 13). — 2. Plagae Aegyptiorum (7, 14—12, 36): a) novem priores, i. e. plaga sanguinis, ranarum, sciniphum, muscarum, pestis, ulcerum, grandinis, locustarum, tenebrarum (7, 14—10, 29); b) decima plaga, scilicet mors primogenitorum (11, 1—12, 36). — 3. Exodus

Israelitarum: populus egreditur Aegyptiis pereuntibus et gratias agit (12, 37—15, 21).

In 2 parte (15, 22—18, 27) iter populi ad Sinai memoratur: amara aqua dulcis effecta, coturnix adducta, manna praestita, aqua ex petra exiens, Amalec devictus, Iethro uxorem et filios Moysis afferens atque iudices minores constituendos suggerens.

In 3 parte (19, 1—40, 36) foedus populi cum Deo ictum litteris consignatur. 1. Foedus feritur (19, 1—31, 18): a) Praeparatio, i. e. theophania annuntiatur atque describitur (19, 1—25). b) Allocutio Domini, qua decalogus promulgatur (20, 1—17). c) Allocutio Moysis, qui populo timore perterrito legem de altari statuendo variasque leges civiles pronuntiat (20, 18—23, 33). d) Percussio foederis: populus oboedientiam promittit ac sanguine respergitur, Moyses senioresque populi coram Deo comedunt, Moyses in montem Dei ascendit (24, 1—18). e) Institutio ritualis: de tabernaculo foederis, sacerdotio legali, sacrificio cotidiano (25, 1—31, 18). — 2. Foedus renovatur: populus vitulum adorat, punitur et paenitentiam agit; Dominus iterum mandata inculcat et faciem Moysis radiantem reddit (32, 1—34, 35). — 3. Foedus sancitur (35, 1—40, 36). Hagiographus refert a) praeparationem operis: quod primitiae mandatae atque oblatae, opifices invitati et artifices designati sunt (35, 1 ad 36, 7). b) Exsecutionem negotii: quod tabernaculum et vestes sacerdotales confecta et oblata sunt (36, 8—39, 43). c) Consecrationem tabernaculi, quod gloria Domini impletum est (40, 1—36).

3. **Liber Leviticus,** וַיִּקְרָא *Et vocavit,* leges de Deo colendo et populo sanctificando continet, 27 capitibus constat et in tres partes dividitur, quibus appendix adiungitur.

In 1 parte (1, 1—10, 20) leges de Deo colendo continentur, et quidem 1. de sacrificiis (1, 1—7, 38): a) praecepta generalia quoad holocausta, ferta, pacifica, piacularia (1, 1—6, 7). b) Praecepta specialia de officiis et beneficiis sacerdotum (6, 8—7, 38). — 2. De sacerdotibus, quorum consecratio, primitiae, castigatio et institutio narrantur (8, 1—10, 20).

In 2 parte (11, 1—25, 55) leges de populo perficiendo continentur, et quidem 1. de munditia Levitica (11, 1—16, 34): a) leges variae de animalibus mundis et immundis, de puerpera, lepra, immunditia sexuali (11, 1—15, 33). b) Leges de die expiationis (16, 1—34). — 2. De pietate vitae (17, 1—25, 55): a) in conversatione communi quoad cibos, coniugia, necessitudines mandante Deo servanda (17, 1—20, 27). b) In moribus sacerdotum mani-

festanda (21, 1—22, 33). c) In cultu divino quoad celebrationem festorum, oblationem rerum, punitionem reorum, celebrationem annorum custodienda (23, 1—25, 55).

In 3 parte (26, 1—45) peroratio legislatoris nobiscum communicatur, qua leges praecedentes bonis promissis ac malis denuntiatis populo inculcavit. In appendice (27, 1—34) quaedam de votis et tributis adiunguntur.

4. **Liber Numeri,** וַיְדַבֵּר *Et dixit* vel בְּמִדְבַּר *In deserto,* numerationem populi aliosque eventus continet, qui a Sina usque ad fines Chanaan acciderunt, 36 capitibus constat et in tres partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—10, 10) praeparatio ad proficiscendum exponitur, et quidem 1. recensus exercitus (1, 1—4, 49): a) duodecim tribuum numeratio atque ordinatio (1, 1—2, 34) et b) Levitarum numeratio, ordinatio, officium (3, 1—4, 49). — 2. Mandata varia (5, 1—9, 14), quorum a) series una ad munditiam castrorum, reditus sacerdotum, zelotypiam, nazaraeos, formulam benedictionis (5, 1—6, 27), b) altera autem ad oblationes principum, candelabrum, consecrationem Levitarum, celebrationem phase (7, 1—9, 14) spectat. — 3. Signa itineris, quae nubes et ignis necnon duae tubae argenteae fuerunt (9, 15—10, 10).

In 2 parte (10, 11—21, 35) iter a Sina usque Moab describitur, idque 1. a Sina usque Cades (10, 11—14, 45): a) profectio exercitus (10, 11—36), b) murmuratio populi carnes desiderantis necnon Mariae et Aaronis Moysi invidentium (11, 1—12, 15), c) missio exploratorum terrae Chanaan, ad quorum relationem seditio turbae facta est, cui Dominus propterea errationem in deserto mandavit (13, 1—14, 45). — 2. Erratio in deserto (15, 1 ad 19, 22). Ex longo hoc tempore pauca dumtaxat notantur, nimirum a) praecepta religiosa de sacrificiis et primitiis, de expiatione peccatorum, de violatione sabbati, de fimbriis palliorum (15, 1—41). b) Vindicatio principatus et sacerdotii Moysis et Aaronis contra tumultuantes et murmurantes (16, 1—17, 13). c) Institutio sacerdotum et Levitarum de oneribus propriis ac de vectigalibus (18, 1—32). d) Declaratio aquae lustralis (19, 1—22). — 3. Iter a Cades usque Moab (20, 1—21, 35). Referuntur a) facta in Cades, scilicet mors Mariae, aqua ex petra producta, responsum regis Edom transitum per terram suam negantis (20, 1—21). b) Facta in itinere, nempe mors Aaron, strages regis Arad, immissio serpentium ignitorum, profectio in Phasga, clades regis Amorrhaeorum nomine Sehon et internecio regis Basan nomine Og (20, 22—21, 35).

In 3 parte (22, 1—36, 13) facta in Moab traduntur, nimirum 1. benedictiones Balaam arioli (22, 1—25, 18), qui a rege Moab nomine Balac vocatus ut Israeli malediceret (22, 1—40) ter ei benedixit simulque prophetavit (22, 41—24, 24), sed Madianitis suggessit ut filios Israel ad fornicationem perducerent, propter quod peccatum Israelitae et Madianitae puniti sunt (24, 25—25, 18). — 2. Mandata Domini (26, 1—36, 13): a) de numeratione Israelitarum eorumque militarium ac Levitarum (26, 1—65). b) De successione et quidem in hereditate paterna atque gubernatione populi (27, 1—23). c) De cultu divino quoad sacrificia et vota (28, 1 ad 30, 17). d) De terra trans Iordanem, nimirum de punitione Madianitarum ac distributione terrae; hic mansiones Israelitarum de Ramesse usque Sinai, de Sinai usque Cades, de Cades usque Moab enumerantur (31, 1—33, 49). e) De terra cis Iordanem, quae describitur et cum urbibus Levitarum ac fugitivorum sorte distribuenda nuntiatur (33, 50—36, 13).

5. **Liber Deuteronomii,** דְּבָרִים aut אֵלֶּה הַדְּבָרִים *Haec sunt verba,* legis repetitionem et inculcationem atque extrema Moysis continet, 34 capitibus constat et in duas partes distribuitur.

In 1 parte (1, 1—30, 20) orationes Moysis litteris mandantur, introductione praemissa (1, 1—5), in qua locus et tempus sermonum indicatur. 1. Admonitio historica (1, 6—4, 43). Moyses a) narrat, quomodo populus montem Horeb reliquerit, in Cades venerit, exploratores terrae miserit et contra Dominum murmuraverit; quomodo Dominus iratus sit, plurimos ab ingressu in terram Chanaan excluserit, pugnam contra Edomitas, Moabitas et Ammonitas prohibuerit, sed Sehon atque Og tradiderit et terras eorum distribuerit, denique Iosue successorem suum constituerit (1, 6 ad 3, 29). b) Adiungit exhortationem congruentem, ut praecepta observent, imaginem non faciant, mercedem tam bonorum quam malorum respiciant, Deum unicum sciant (4, 1—40). c) Separat in terra orientali tres urbes refugii (4, 41—43). — 2. Repetitio legis (4, 44—26, 19). Iterum introductione historica praemissa (4, 44—5, 5) repetuntur a) praecepta generalia, i. e. decalogus iteratur (5, 6—33) et declaratur (6, 1—7, 10) atque inculcatur beneficiis promissis (7, 11—8, 1), afflictionibus et beneficiis exhibitis (8, 2—16), promissionibus implendis (8, 17—9, 5) populo durae cervicis (9, 6—29) a Moyse conservato (10, 1—11) et a Deo dilecto (10, 12—11, 1) et custodito (11, 2—12) atque custodiendo (11, 13—25): concluditur benedictione et maledictione ante

oculos posita (11, 26—32). b) Praecepta specialia erga Deum: idola comminuenda (12, 1—3), Deus in uno loco colendus (12, 4—28), gentes non imitandae (12, 29—32), seductores interficiendi (13, 1—11), urbs idololatris delenda (13, 12—18), gentium ritus fugiendi (14, 1—2), immunda non comedenda (14, 3—21), decimae separandae (14, 22—29), remissio facienda (15, 1—18), primogenita sanctificanda (15, 19—23), festa celebranda (16, 1—17); erga ministros Dei: iudices et reges futuros (16, 18—17, 20), sacerdotes et Levitas (18, 1—8), prophetas (18, 9—22); erga proximum: urbes refugii separandae (19, 1—13), termini non transferendi (19, 14), mendax testis puniendus (19, 15—21), bellum iure gerendum (20, 1—20), quoad homicidium occultum, coniuges et filios, ligno suspensos, quoad beneficentiam et vestem et vineam et agrum, defloration em et adulterium et stuprum quid agendum (21, 1—22, 30); erga populum in variis circumstantiis (23, 1 ad 26, 19). — 3. Inculcatio legis (27, 1—30, 20). a) Post transitum Iordanis lex lapidibus inscribenda (27, 1—8) et maledictiones pronuntiandae (27, 9—26). b) Ante transitum benedictiones (28, 1—14) et maledictiones multiplices gravissimaeque (28, 15—68) annuntiantur atque inter congruas admonitiones foedus renovatur (29, 1—30, 20).

In 2 parte (31, 1—34, 12) extrema Moysis referuntur. a) Decreta novissima de successore et lege (31, 1—13) necnon de cantico (31, 14—32, 47). b) Excessus vitae: Moyses tribubus Israel benedicit (32, 48—33, 29), in montem ascendit, moritur et sepelitur, plangitur ac laudatur (34, 1—12).

Qui minutiorem sacrorum librorum analysim desideraverit, talem in opere meo inveniet quod inscribitur Biblia Sacra Vulgatae Editionis, Oeniponte 1906, Wagner.

PERIODUS III.

AB IOSUE USQUE AD DIVISIONEM REGNI.

In hac periodo de tempore Iosue, iudicum ac regum regni indivisi disserendum est. Fontes principales praesto sunt liber Iosue, Iudicum, Ruth, Samuel, Chronicorum.

a) Liber Iosue iuxta traditionem Iudaeorum atque Ecclesiae occidentalis et sententiam Kaulen (Einleitung II 30 sqq) ab ipso Iosue conscriptus et a filio Aaronis Eleazaro et huius filio Phinees additamentis quibusdam auctus est. Alii (cf. *Seisenberger*, Einführung 304) putant librum a Phinees compositum esse, qui tamen

scripta ab Iosue relicta adhibuerit. Nullo tamen modo cum Pentateucho unicum opus efficit, quod Hexateuchum vocant; nam a) opinio de compositione Pentateuchi a multis propugnata ob rationes et argumenta contraria logice defendi ac demonstrari nequit (pag. 22), atque b) „diversus character linguisticus, scilicet defectus archaismorum in Pentateucho obviorum, diversa scribendi ratio praeprimis in nominibus propriis et stylus“ (*Zschokke,* Historia 163), ostendit librum Iosue ab alio ac scriptore Pentateuchi compositum esse. — Liber Iudicum ex variis scriptis antiquioribus, ut varia scribendi ratio manifestat, concinnatus est idque tempore regum et quidem talium, qui ordini civili ac religioso invigilabant (cf. Id 17, 6; 18, 1 31; 21, 24). Nihil impedit, quominus cum traditione Iudaeorum Samuelem ista scripta mox post electionem ac victoriam Saulis (1 Rg 11, 1—12, 25) collegisse dicamus (*Kaulen,* Einleitung II 36 sq, *Seisenberger,* Einführung 306). — Liber Ruth iuxta traditionem Iudaeorum etiam a Samuele et quidem regnante Davide (cf. 4, 22) scriptus est. Opponunt quidem Kaulen (Einleitung II 41 sq), Seisenberger (Einführung 308) aliique diversitatem stili huius libri ac libri Iudicum; sed hoc argumentum non multum valet, quia Samuel historiam iudicum conscribens antiquiora documenta collegisse dicitur, ergo non propria scribendi ratione usus est. — Liber Samuel, originaliter unus, sed a LXX in duos distinctus, quam distinctionem Vulgata et ab 1518 textus Hebraeus quoque exhibet, post divisionem regni (cf. 1 Rg 27, 6) sed ante interitum regni septentrionalis (qui nondum commemoratur) scriptus est. Auctor ignotus probabiliter scripta antiquiora, praesertim Samuelis, Nathan et Gad prophetarum adhibuit quidem sed retractavit, quia in libro idem scribendi genus observatur (*Kaulen,* Einleitung II 46 sq; *Seisenberger,* Einführung 309 sq). — Liber Chronicorum vel Paralipomenon, etiam originaliter unus, sed a LXX in duos distinctus, quam distinctionem Vulgata et ab 1518 textus Hebraeus quoque exhibet, post exsilium et quidem iuxta traditionem Iudaeorum ab Esdra scriptus est, qui documentis antiquioribus usus est (cf. 1 Par 5, 17; 7, 2; 9, 1; 29, 29; 2 Par 9, 29; 12, 15; 13, 22; 16, 11; 20, 34; 24, 27; 25, 26; 26, 22; 28, 26; 32, 32; 33, 18 sq; *Kaulen,* Einleitung II 63 65 sqq; *Seisenberger,* Einführung 375). — Hi libri enumerati omnino fide digni sunt. Nam α) omnes sunt inspirati, ergo in locis authenticis seu genuinis nihil falsi continere possunt, si hagiographus proprio nomine loquitur vel documenta sua facit (pag. 9 sqq); et β) Liber Iosue aut ab ipso Iosue

aut mox post mortem eius conscriptus, reliqui autem libri ex documentis antiquioribus compositi sunt. Videas plura apud *Kaulen* ib.

b) Dominus Abrahae sollemniter promisit (Gn 15, 18): *Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti* i. e. a rivo seu torrente Aegypti (Nm 34, 5; Ios 15, 4; Is 27, 12) *usque ad fluvium magnum Euphraten*. Regnantibus Davide et Salomone reapse terra posterorum Abrahae a torrente Aegypti usque ad Euphraten patebat (2 Rg 8, 3 sqq, 3 Rg 8, 65; videas Tab. III chartam minorem). Per Iordanem (pag. 69) in partem orientalem et occidentalem divisa est. — Nominatur terra promissa a Domino, terra sancta propter notitiam et cultum veri Dei necnon propter praesentiam eius specialem qua ista terra sanctificata est, terra Hebraeorum vel Israelitarum, terra Chanaan et Palaestina, quia istas partes in quibus Chananaei et Philisthiim habitabant (pag. 53), comprehendit: ponitur pars pro toto (*Dankó*, Historia Vet. Test. XVII sq). — Brevem descriptionem terrae promissae in appendice invenies.

§ 26. De tempore Iosue.

Iosue successor Moysis terram a Domino Abrahae promissam occupavit et tribubus Israel divisit, ante mortem suam foedus renovavit, acta pleraque litteris mandavit.

1. Post mortem Moysis Dominus mandavit, ut Iosue populum per Iordanem in partem occidentalem traduceret, cum omnem terram a deserto usque ad Libanum et ab Euphrate usque ad mare magnum seu mediterraneum ex promissione patriarchis facta posteris Abrahae daturus esset. Iosue igitur per principes populi in castris promulgavit post 3 dies Iordanem traiciendum esse; Rubenitis et Gaditis ac dimidiae tribui Manasse praecepit, ut viri militares iuxta mandatum Moysis (pag. 128) cum ceteris tribubus Iordanem transirent et pugnarent, donec hae quoque terram possiderent, uxores autem et liberi ac iumenta in parte orientali remanerent (Ios 1, 1—18).

a) His dictis duos exploratores misit qui terram et urbem Iericho considerarent. Qui pergentes ingressi sunt in domum mulieris meretricis Rahab (Hebr 11, 31; Iac 2, 25), quae ad murum urbis aedificata itaque exploratoribus opportuna erat. Rahab eos in solario domus sub stipula lini abscondit et viris a rege missis respondit eos iam egressos esse; deinde exploratores iuramento adiuravit, ut propter hoc opus misericordiae ipsa cum patre et matre, cum fratribus et sororibus atque omni possessione eorum servaretur,

quod illi se facturos promiserunt, si cognatio in domum Rahab congregata et funiculus coccineus in fenestra ligatus fuerit. Demisit ergo eos per funem de fenestra, quia porta urbis iam clausa erat, exhortans ut per 3 dies in montanis vicinis se absconderent. Postea exploratores montana reliquerunt et ad Iosue regressi ei cuncta exposuerunt (2, 1—24).

b) Tunc Iosue castra movit omnemque populum ad Iordanem perduxit, ubi per 3 dies morabatur. Iam antea (1, 11) Israelitis nuntiaverat post 3 dies Iordanem traiciendum esse; at exploratores in urbem missi per 3 dies in montanis latere debebant, ita ut transitus retardaretur. Propterea Iosue aliud triduum constituit, quo populus se ad transitum praeparare posset (cf. 1, 11; *Selbst,* Handbuch 528).

Öttli (Iosue) et Steuernagel (Iosue) asserunt 3 dies in 3, 2 eosdem esse ac 3 dies in 1, 11 commemoratos; ergo hos locos capiti 2, cuius historia saltem 5 dies expostulet (Öttli), contrarios esse. Attamen si 3 dies in 3, 2 iidem essent atque illi in 1, 11, iuxta usum loquendi Hebraicum יָמִים in 3, 2 cum articulo coniunctum esse deberet: est autem sine articulo ut in 1, 11; quodsi Öttli articulum a redactore quodam omissum affirmat et triduanam commorationem populi ad Iordanem omnino improbabilem dicit, assertum suum etiam demonstrare debuerat, sed nullum argumentum affert. Quod gratis asseritur gratis negamus, et contradictio evanescit. — Hebraicus textus 3, 1 sq sic verti potest: . . . *venerunt ad Iordanem ipse (Iosue) et omnes filii Israel et pernoctarunt ibi, antequam transirent.* [2] *Post tres autem dies transierunt praecones per castrorum medium* etc. Holzinger (Iosue) hos versiculos inter se discrepare putat: iuxta v. 1 Israelitas ad ripam Iordanis pernoctasse ac mane per Iordanem transiisse, iuxta v. 2 autem tribus diebus ad Iordanem commoratos esse. Sed illud וַיָּלִינוּ non solum *pernoctare* verum etiam *commorari,* καταλύειν, significat (*Buhl,* Handwörterbuch; *Fürst,* Handwörterbuch; *Gesenius,* Thesaurus), quam alteram significationem recte LXX et Vulgata reddiderunt, quia supponere non possumus auctorem vel redactorem in tam arto contextu sibi contradixisse. — Hummelauer (Iosue) dies 3 in utroque loco eosdem intellegit et וַיָּלִינוּ *pernoctarunt* transfert, sed contradictionem adesse negat. Propterea multa supponit quae textus nulla voce indicat, ideoque hic omittimus.

Tribus diebus elapsis praecones in castris promulgarunt quid die sequenti faciendum esset. Populus igitur tempore statuto de tabernaculis egressus est, ut Iordanem transiret; sacerdotes autem arcam portantes ante eum pergebant. Et simulac pedes eorum aquas fluvii tetigerunt, aquae superiores steterunt et iuxta urbem Adom seu Adam (cf. Tab. III) ca 30 *km* ab Iericho distantem (Öttli et Steuernagel) instar montis intumescentes apparebant; aquae autem inferiores in mare mortuum fluxerunt. Processerunt igitur sacerdotes usque in medium fluminis ibique super siccam humum steterunt, usquedum totus populus per alveum Iordanis

transiret. Quo facto duodecim viri de alveo fluvii medio, ubi sacerdotes stabant, iubente Iosue duodecim lapides sumpserunt, ad locum castrorum in humeris portarunt ibique in monumentum miraculi erexerunt. Alios duodecim lapides Iosue in medio Iordanis alveo, ubi sacerdotes stabant, posuit. Denique sacerdotes iussu Domini de alveo fluvii ascenderunt, et aquae Iordanis iterum modo consueto fluebant. Hoc factum est tempore messis, et quidem die 10 mensis 1, i. e. exeunte Martio iuxta computationem hodiernam, atque omnes reges terrae timore maximo percussit (3, 1—5, 1).

Transitus populi Israel per Iordanem miraculum est saltem quoad modum (cf. pag. 103) neque naturaliter explicari potest. Nam α) contra Iericho reperiuntur quidem vada, sed etiam ibi aquae tempore autumnali minimae ca 1 *m* profundae (*Selbst*, Handbuch 530) ac rapidae sunt et ipsis nandi peritis periculosae esse possunt (*Benzinger-Baedeker*, Palästina 155); Israelitae autem cum mulieribus et parvulis et pecoribus per siccum ambularunt (3, 17). β) Verno tempore aquae Iordanis tam copiosae evadunt, ut fluvius circa Iericho generatim 30 *m* latus usque ad 60 *m* se expandat et ca 4 *m* profundus fiat (*Selbst*, Handbuch 530, et *Öttli*, Iosue 135, qui 14 Martii 1891 ipse vidit); isto autem tempore Israelitae fluvium traiecerunt idque sicco pede (3, 15 17). γ) Reges Chanaan persuasissimum habebant Israel tempore messis naturali modo per Iordanem permeare nequire, alioquin antea vada custodissent (Iud 12, 5) et postea propter transitum populi non tanto timore affecti fuissent (Ios 5, 1). — Steuernagel (Iosue 151) aliique miraculum (pag. 7 sq) ex poetica traditione populari declarant; sed haec opinio cum catholica inspirationis notione pugnat: scriptor inspiratus non traditionem quandam popularem proponere voluit, sed proprio nomine loquitur, ergo falsa narrare non potest (pag. 11). Praeterea liber Iosue aut ab ipso Iosue aut mox post mortem eius scriptus est (pag. 135 sq), quando illi qui fluvium transgressi sunt adhuc vivebant; ergo scriptor veritatem dicere debuit, ne statim redargueretur. — Hummelauer (Iosue) ad factum anni 1267 p. Chr. provocans opinatur collem magnum in Iordanem decidisse et aggere vallem occlusisse; retinet tamen miraculum quoad modum, cum Iosue indolem portenti ante distincte descripserit, cum aquae eo ipso momento, quo pedes sacerdotum arcam portantium eas attingebant, defecerint atque iterum fluxerint, quando arca ex alveo recessit.

c) In Galgala, 7 *km* ab Iordane et 2 *km* ab Iericho distante (*Guthe*, Bibelwörterbuch; Tab. III), filii Israel circumcisi sunt, phase celebrarunt, de fructibus terrae Chanaan comederunt; defecitque manna, postquam de fructibus illis comederunt. Ibi Iosue principem exercitus Domini adiutorem accepit (5, 2—16).

d) Iericho urbs primo loco expugnanda erat munita ac diligenter contra populum Israel custodita. Dominus autem ad Iosue dixit: *Ecce dedi* (vel *do*, נָתַתִּי cf Gn 1, 29) *in manu tua Iericho, et regem eius, omnesque fortes viros* (Ios 6, 2), eumque instituit quomodo urbs capienda esset; Iosue vero verba Domini populo promulgavit. Oboedientes Domino Israelitae septem diebus urbem

circumierunt ordine sequenti: praecedebat exercitus armatus, sequebantur septem sacerdotes cum tubis aliique sacerdotes arcam Domini portantes, agmen claudebant ceteri filii Israel. Quolibet priorum sex dierum semel urbem circumierunt; sacerdotes tubis sonos breves edebant, reliqui autem tacebant. Septimo deinde die urbem septies circumierunt: sexies eodem modo ac sex diebus praeteritis; in septimo demum circuitu sacerdotes sonos longiores edebant omnisque populus vociferatione maxima conclamavit. Ad hos sonos et clamores Dominus super arcam habitans muros evertit, et Israelitae urbem intrarunt, unusquisque eo loco in quo stabat. Et occiderunt omnes homines excepta Rahab et cognatione eius cunc-

Fig. 33. Locus antiquae Iericho. (Phot. Bonfils.

taque animalia; incenderunt quoque urbem (Fig. 33) omnesque res eius exceptis auro et argento ac vasis aeneis et ferreis quae in sacrarium Domini consecrarunt (6, 1—25). Illo tempore Iosue imprecatus est dicens: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et aedificaverit civitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, et in novissimo liberorum ponat portas eius* (6, 26). Quibus verbis aedificationem urbis munitae (cf. 3 Rg 16, 34), non autem urbis non munitae (cf. Ios 18, 21; Iud 3, 13; 2 Rg 10, 5) poena gravissima i. e. morte omnium filiorum prohibuit, quemadmodum Öttli h. l. bene notat. Achan autem de tribu Iuda contra mandatum Domini (6, 18) pulchrum pallium coccineum

(LXX ποικίλην, Hebr. *Babylonium*), ducentos siclos argenti (= 480 *M*) regulamque auream quinquaginta siclorum (= 2250 *M*, cf. *Kortleitner*, Archaeologia 253) e spoliis abstulit et in tabernaculo suo abscondit (7, 21).

Textus originalis capitis 6 et versiones eius in pluribus corruptae videntur; supra sententiam probabiliorem expressimus. Conferas commentarios huius capitis ab Öttli et Hummelauer editos. — Muri Iericho corruerunt non propter terrae motum neque propter suffossiones occultas (cf. *Öttli* h. l.), non propter sonum tubarum neque clamorem populi neque conquassationem circumeuntium (cf. *Selbst*, Handbuch 534), sed propter voluntatem Domini super arcam habitantis. *Ecce*, inquit (6, 2), *dedi in manu tua Iericho.* Hagiographum non factum naturale sed miraculum Domini describere et proponere voluisse, testatur Öttli (Iosue 144); ergo ex catholica inspirationis notione reapse miraculum fuit (pag. 9 sqq), et opinio quam Bonaccorsi (Questioni bibliche 93) atque Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 522) e Steuernagel (Iosue 151) transcripserunt, videlicet narrationem de expugnatione urbis miraculosa esse traditionem popularem cum veritate rerum non convenientem, retineri nequit, quia hagiographus proprio nomine loquitur et suam sententiam proponit (pag. 11), atque Deus per scriptorem inspiratum loquens nihil admodum a veritate alienum ponere potest (*Leo XIII*, Provid. 61). Praeterea liber Iosue aut ab ipso Iosue aut mox post mortem eius a teste facti immediato conscriptus est; ergo veritatem dicere potuit ac propter alios testes immediatos adhuc viventes dicere debuit (pag. 139). Circuitus iste septuplus Israelitas in fide et exspectatione operis divini exercere (Hebr 11, 30; *Öttli* ib.) atque Ierichontinos ad fidem et deditionem invitare debebat (*Hummelauer*, Iosue 182, qui etiam miraculum agnoscit). — Rahab per fidem servata (Hebr 11, 31) nupsit Salmoni genuitque ei Booz (Mt 1, 5), qui Ruth uxorem duxit (Ruth 4, 9 sqq).

e) Postea Iosue urbem *Hai* ad orientalem plagam Bethel (Tab. III) expugnare voluit. Sed quamquam hostes paucissimi erant, nihilominus Israelitae propter peccatum Achan fugati sunt. Punito autem Achan urbs cum habitatoribus eius deleta est (7, 1—8, 29).

f) Quibus auditis cuncti reges trans Iordanem, qui in montanis et campestribus, in maritimis ac litore maris magni atque iuxta Libanum versabantur, simul congregati sunt, ut contra populum Israel pugnarent. — Habitatores vero urbium *Gabaon*, Caphira, Beroth, Cariathiarim (9, 17; Tab. III), qui non a regibus sed senioribus regebantur (9, 11), callide cogitantes tulerunt sibi panes siccos, utres vinarios scissos atque consutos, calceamenta perantiqua et trita perrexeruntque Galgalam ad Iosue ac pacem petierunt. Interrogati unde venirent, responderunt se ex terra longinqua venire monstrantes cibaria et indumenta sua. Susceperunt igitur Israelitae de cibariis eorum *et os Domini non interrogaverunt* (9, 14). Fecitque Iosue cum iis pacem et inito foedere pollicitus est eos non occisum iri, principes quoque multitudinis Israelitarum iuraverunt iis.

Post tres vero dies initi foederis Israelitae audierunt istos in vicino habitare moveruntque castra et venerunt die tertio in urbes eorum, sed non percusserunt eos, eo quod iurassent iis principes multitudinis in nomine Domini. Ordinarunt tamen, ut ligna caederent aquasque comportarent (9, 1—27).

g) Cum audisset Adonisedec rex *Ierusalem* urbes Iericho et Hai ab Iosue subversas esse et Gabaonitas cum populo Israel pacem iniisse, timuit valde; nam urbs Gabaon erat magna quasi una, כְּאַחַת *ὡσεὶ μία*, urbium regalium omnesque bellatores eius fortissimi. Misit ergo ad reges urbium *Hebron, Ierimoth, Lachis, Eglon* (Tab. III), eos invitans ut secum Gabaonitas expugnarent. Qui omnes cum exercitibus suis ascenderunt et contra Gabaon castrametati sunt. Obsessi autem Gabaonitae per nuntium Iosue rogarunt, ut a Galgala ascenderet ac praesidium ferret. Ascendit igitur Iosue cum toto exercitu audivitque Dominum promittentem: *Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit* (10, 8). Et confidens verbo Domini repente in eos irruit contrivitque plaga magna in Gabaon ac persecutus est eos per viam ascensus Bethhoron et percussit usque Azeca et Maceda (Tab. III). Cumque hostes fugientes in descensu Bethhoron essent, Dominus lapides grandinis super eos misit usque ad Azeca; et multo plures lapidibus grandinis quam gladio Israelitarum mortui sunt (10, 1—11).

Ubi singulae urbes sitae fuerint, accurate dici nequit, ut omnes concedunt; in tabula geographica iuxta sententiam probabilem signatae sunt. — De grandine Hummelauer (Iosue 231 sq) scribit: „Facta plura comperta habemus, quae efficiunt nihil h. l. narrari, quod legibus naturae contradicat, aut certe non potuerit fieri tum, quando Deus viribus naturae uteretur ad insigne portentum efficiendum ... habentur quippe haud raro grandines brevibus intervallis invicem succedentes.... Tractus, ubi erant Hebraei, non attingebat grando; sequebantur hi fugientes hostes, ubi circa hos parumper grando remitteret, rursum insequebantur Hebraei.... Reperta pluries fuere grana grandinis, quae pondere excederent 1 *kilogr.* Dum exercitus Anglorum 1813 iter faceret prope S. Sebastiani urbem, intervenit in loco Roncevalles grando, cuius grana erant instar fabarum, sed etiam instar ovorum gallinarum. Cecidit prope Iliers in Gallia die 15 Maii 1702 grando, cuius grana minima erant duorum pollicum crassitudinis, media aequabant ova gallinarum, maxima viri pugnum. 1818 in insulis Orcadibus cecidere grana grandinis instar ovorum anserum, quae etiam ligneos fenestrarum margines confregere. Homines et equi quandoque grandine interempti esse traduntur. Die 7 Iunii 1894 cecidit Vindobonae Austriae grando tam copiosa, ut in urbis medio iaceret altitudine 43,5 *mm*, efficeretque pondus 50 *kilogr.* pro singulis metris quadratis. In eodem loco plerumque non durat grando plus quam quartam horae partem, quandoque dimidiam horam, perraro aliquanto diutius. Grando non ita raro eodem tempore effunditur in agrum latitudinis 330—1000 *m*. Sed 1788 in Gallia visi sunt simul duo tractus

grandinis, inter quos intercedebat spatium 28—12 *kilom:* quorum unus latitudinis erat 20—12, alter 12—6 *kilom.* Observabatur autem ea grando pervolvi itinere certe 400 *kilom.*" Ex his factis, quae consulto ex Hummelauer desumpsimus, clarescit grandinem a Domino in quinque reges et exercitus eorum missam stricte loquendo non fuisse miraculosam; fuit grando naturalis, utique a providentia divina adducta et forsitan etiam aucta. Miracula ibi dumtaxat statuenda sunt, ubi sacer textus secundum principia hermeneutica aliter explicari nequit (pag. 8). Non omnes hostes grandine occisos esse sequentia manifestant.

Tunc locutus est Iosue coram filiis Israel, soli ac lunae imperans simulque Dominum rogans, ut iuxta mandatum faceret (*Steuernagel* h. l.). Verba eius celeberrima et effectus eorum (10, 12 sq) in libro iustorum seu rectorum i. e. collectione carminum (*Öttli* h. l. *Steuernagel* h. l.) sic referuntur:

Sol in Gibeon subsiste et luna in valle Ajjalon!
Et substitit sol et luna stetit,
Donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.

Stetit igitur sol in medio caeli et non festinavit occumbere spatio unius diei vel quasi die integro, כְּיוֹם תָּמִים. Et non fuit sicut dies iste, כַּיּוֹם הַהוּא, neque ante neque postea ut Dominus voci hominis oboediret (10, 12—14). Dies ille non propter longitudinem quam Vulgata notat, nec propter miraculum inauditum celebratur, sed propterea quod Iosue miraculi modum ac tempus determinavit, et Dominus iuxta vocem eius fecit (cf. *Steuernagel* ad v. 14). Luna crescens post meridiem, decrescens autem ante meridiem simul cum sole in caelo conspicitur (*Öttli* h. l.); ista verba ab Iosue prolata videntur, quando sol in medio caeli versabatur ubi etiam substitit, idque quasi per diem integrum (cf. *Steuernagel* h. l.). Hagiographus miraculum proponit (*Öttli* h. l., *Steuernagel* h. l.); ergo etiam ut miraculum accipiendum est, quia scriptores inspirati ea sola apte infallibili veritate expresserunt quae Deus iussit (pag. 9), Deus vero nihil a veritate alienum proponere potest (pag. 10), si hagiographi proprio nomine loquuntur suasque sententias proferunt (pag. 11). — Notandum autem est scriptores inspiratos in rebus physicis non „intimam adspectabilium rerum constitutionem" sed ea quae sub sensus cadunt, „quae visibiliter apparent" secutos esse (*Leo XIII.,* Provid. 55), quare hic textus non de reali sed apparenti institione solis et lunae explicandus est. Quomodo Deus talem apparentiam in ista terrae parte produxerit nescimus. Maxime probabilis videtur sententia illorum qui miraculosa repercussione seu remissione radiorum solis et lunae

eam productam esse censent (cf. *Selbst*, Handbuch 542; *Schöpfer*, Geschichte 258).

Öttli et Steuernagel profitentur quidem, quemadmodum supra annotavimus, hagiographum de miraculo loqui, quod tamen ipsi ut protestantes (pag. 8) negant ideoque vario modo explicant. Öttli (ad v. 13) asserit hagiographum illud carminis antiqui dictum supra citatum per errorem ut eventum obiectivum et miraculosum intellexisse ac proposuisse; e contrario Steuernagel (Iosue 151) affirmat factum naturale in phantasia et traditione populari miraculosum redditum atque in illo carmine antiquo necnon in textu libri Iosue ut tale consignatum esse, quam opinionem Bonaccorsi (Questioni bibliche 93) refert quin eam vituperet. Protestantes inspirationem supernaturalem Sacrae Scripturae negantes (pag. 9) utique asserere possunt hagiographos errores proposuisse; ex doctrina autem Leonis XIII divinae litterae ab omni omnino errore immunes sunt (pag. 10 sqq).

Diffuse de hoc miraculo Hummelauer (Iosue 237—248) agit, cuius opinionem breviter exscribimus: „Duplici ratione, inquit, potest dies unus fieri dies duo: primum, quando diurna lux horis pluribus excedit durationem diei naturalis; secundo, quando intra limites durationis unius diei naturalis habetur bis transitus a tenebris ad lucem. Illud prius portentum Gabaone evenisse nequaquam e textibus eruitur. Obest Ios 10, 13 illud *sicut dies completus*. Dies completus habetur, quando lux diurna consueto tempore perseverat: quod tempus ubi illa excesserit, habetur dies longior die completo (Iosue 237).... Dum igitur textus minime efficiunt illum diem naturalem fuisse solito longiorem, iisdem textibus plane sufficit opinio, illum diem eo effectum esse instar dierum duorum, quod in eo fuerit bis transitus a tenebris ad lucem. Immanis illa, quae v. 11 describitur, grando comites habuerit necesse est spissas tenebras, quae omnem praecluderent ad tempus lucem. Ergo illa die primum ortus est sol mane, dein ingruentibus illis tenebris et die nequaquam de more completa festinavit abire; rursum ad vocem Iosue retulit pedem, stetit ubi ante steterat, tandem consueto plane tempore et die naturali de more completo occubuit. Hominibus illis, qui res naturales secundum externam apparentiam diiudicabant et exprimebant, bis illo die sol et ortus est et occubuit, ille dies illis factus est duo dies (Iosue 238).... Antequam horrenda illa et plane portentosa grando in terram effunderetur, omnia densissimis tenebris occupabantur, ut neque Amorrhaei fugae viam, neque Hebraei fugientes hostes cernere possent. Secundum apparentiam occubuerat sol, ingruerat nox, nox utique praecox, quam fortasse magicis artibus ad eripiendos neci Amorrhaeos effectam putabant Hebraei; nam magicas artes esse Hebraei experientia compertum habebant (cf. Ex 7, 11 sq 22; 8, 7 18). Quid Iosue? Norat Iahven et viribus naturae et magicis artibus esse valentiorem, posse eas artes cohibere, repellere noctem, revocare diem talem, qualis momento ante fuisset, ut non solum super Gabaon sol, sed super Aialon luna rursum conspiceretur. Petiit. Petita Iahve praestitit, attenuatis tenebris, discissis nubibus: iterum comparuere sol et luna. Videbantur post discessum rediisse astra, dum revera recedebant nubes, quae astra antea obscuraverant. Nihil mutatum in lucis duratione naturali, quae abunde satis futura erat ad hostes octo circiter horarum itinere persequendos (Iosue 243).... Dices, his videri tolli miraculum, quod omnes sibi visi sunt Ios 10, 12 sqq deprehendere. Annon mirabile exstitit illud, ut, quo momento Iosue verba pronuntiaverit, eodem lux Hebraeis rederit? Quod omniscientiae argumentum est et divinae plane providentiae"

(Iosue 244). — Contra hanc expositionem opponimus: α) Hummelauer supponit grandinem cum tam spissis tenebris coniunctam fuisse, ut nec quinque reges et exercitus eorum viam fugae nec Hebraei fugientes hostes cernere possent; in textu tamen nihil horum legimus. β) Unum diem in duos dies fieri, quando intra limites unius diei naturalis bis transitus a tenebris ad lucem habetur, omnino falsum est: talis dies manet dies unus. In Eccli 46, 5 vero legimus: οὐχὶ ἐν χειρὶ αὐτοῦ ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος, καὶ μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο; γ) Sensus v. 13 *Stetit itaque sol in medio caeli et non festinavit occumbere quasi die integro* seu *completo* iuxta usum loquendi et contextum hic est: solem qui tunc in medio caeli stabat, quasi per 12 horas ibi mansisse, ita ut dies ille saltem 18, secundum Steuernagel quasi 24 horas duraret (cf. *Öttli* h. l.; *Steuernagel* h. l.). δ) Etiam Holzinger ad vv. 13b 14 inculcat „singulare omnino miraculum astronomicum" narrari; atqui discindi nubes et iterum apparere solem non est miraculum astronomicum: ergo.

Ex aliorum opinionibus sequentes adducimus: Iosue illud tantum rogasse Dominum, ut ante occasum solis victoriam plenam daret (ita Maimonides aliique, cf. *Hummelauer,* Iosue 240); a Domino novum quoddam luminare creatum esse quod speciem solis imitaretur (*Reinke,* Beiträge VIII 229 sqq); Dominum non solum cursum apparentem sed etiam realem terrae inhibuisse (cf. *Zschokke,* Historia 161, qui tamen ipse opticum phaenomenon in Palaestina tantum observatum recte accipit); Dominum motum solis impedivisse. Verumtamen prima explicatio cum textibus Scripturae supra citatis conciliari nequit; secunda demonstrari nequit; ad tertiam et quartam concedendum quidem est „posse Deum per omnipotentiam efficere, quidquid sapienter fieri possit" (*Hummelauer,* Iosue 248): sed tam stupenda miracula non supponenda sunt, quia textus alia quoque ratione bene explicari possunt, et sol circa terram non movetur quod nunc omnes profitentur. Verum est S. Congregationem S. Officii die 25 Febr. 1616 contra Galilei sententiam: solem esse centrum mundi ideoque sine motu locali, ut haereticam; et alteram: terram non esse centrum mundi sed moveri tam circa solem quam circa semetipsam, ut erroneam in fide declarasse. At notentur: Congregationes Romanae non sunt infallibiles (Bibelkritik 199); die 25 Sept. 1822 S. Officium illud decretum implicite revocavit; saeculo XVI et ineunte XVII sententia, quam S. Congregatio tuebatur, inter doctos communis erat neque rationibus Galilei refutari potuit (*Schanz* in Wetzer und Weltes Kirchenlexikon V 29 sq). Ergo non est mirabile, quod consultores et assessores S. Officii inter motum realem et apparentem non satis distinxerint. „A litterali et veluti obvio sensu minime discedendum docet Leo XIII (Provid. 41 43), nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere": talis ratio vel necessitas saeculo XVI et XVII non aderat, quare theologi sensum obvium retinebant.

Miraculo patrato Iosue cum omni Israel in castra Galgalae reversus est, quemadmodum in 10, 15 textus Hebraici ac Latini legimus; LXX autem hunc v. recte omiserunt, quia contextui contrarius est. Rogaverat enim Iosue Dominum miraculum, ut hostes persequi posset, quod in vv. sequentibus fecisse scribitur. Percussit omnes qui effugere nequiverant; quinque reges quoque in spelunca urbis Maceda latentes interfecit (10, 16—27).

h) Cepit quoque et vastavit urbes *Maceda, Lebna, Lachis, Gazer, Eglon, Hebron, Dabir* (Tab. III). Postquam autem omnem terram

australem uno impetu Domino auxiliante occupavit, in Galgalam reversus est (10, 28—43).

i) Quae cum audisset Iabin rex urbis *Asor*, quae tunc inter omnia regna septentrionalia principatum tenebat, convocavit reges ceteros ut contra Israel pugnarent. Domini enim sententia erat, ut corda eorum indurarentur (pag. 99 sq) nec ullam clementiam mererentur sed perirent. Convenerunt igitur omnes reges isti ad aquas Merom. Dixitque Dominus ad Iosue: *Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel: equos eorum subnervabis, et currus igne combures* (11, 6); namque noluit Dominus, ut filii Israel in curribus et equis confiderent. Venit igitur Iosue ad aquas Merom, irruit in hostes et percussit eos; subnervavit equos eorum currusque combussit. Cepit quoque ac delevit omnes per circuitum urbes iis exceptis quae in collibus erant itaque populo Israel utiles esse poterant: unam tantum Asor munitissimam incendit. Multo tempore i. e. ca 7 annis (cf. Ios 14, 7 10 coll. Nm 10, 11; 13, 7 sqq) Iosue contra reges septentrionales pugnavit, sed tandem totam terram cepit, quievitque proelium (11, 1—23).

k) Tunc Iosue iuxta praeceptum Moysis (Dt 11, 29; 27, 1 ad 28, 68) in monte Ebal de lapidibus impolitis altare aedificavit et sacrificia obtulit. Scripsit etiam in lapidibus ibi erectis et calce levigatis legem Moysis i. e. declarationem decalogi Dt 6, 1—7, 11, ut Hummelauer (Iosue 208) censet, non totum Deuteronomium, ut Holzinger (Iosue 29) cum multis aliis (cf. Hummelauer ibi) putat. Populus autem stabat ex utraque parte arcae in conspectu sacerdotum qui arcam foederis portabant: iuxta Garizim stabant Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Ioseph, Beniamin; iuxta Ebal Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan, Nephthali (Tab. III et Fig. 34). Quibus ita dispositis omnia verba benedictionis et maledictionis lecta sunt, quemadmodum Moyses mandaverat (Ios 8, 30—35). — Narratio horum gestorum post relationem expugnationis Hai collocatur; sed tunc neque australis neque septentrionalis Chanaan occupata erat; ergo talis caerimonia in Sichem vix possibilis fuit: quare cum pluribus aliis (cf. *Öttli*, Iosue 151) hoc post occupationem totius terrae factum esse iudicamus. Caerimoniam istam Iosue usque ad finem vitae suae distulisse, uti quidam putarunt, cuilibet improbabile videbitur qui textus supra citatos comparaverit.

Hic obiectiones quaedam diluendae sunt, videlicet: α) „expugnatio Chanaan per tribus Hebraeas cum flumine effusi sanguinis innocentis coniuncta erat“ (*Delitzsch*, Babel und Bibel II 32). Reponimus primo



Fig. 34. Nabulus inter Garizim et Ebal (ubi Sichem erat).

temporibus antiquis rationem belli gerendi generatim crudelem fuisse, quod Delitzsch (ibi) confitetur scribens: „Certe, ratio belli gerendi Babyloniorum-Assyriorum crudelis, interdum barbarica fuit.“ Et Adonibezec summitatibus manuum ac pedum caesis dixit: *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus* (Iud 1, 6 sq). Servi autem Benadad regis Syriae dixerunt: *Ecce, audivimus quod reges domus Israel clementes sint* (3 Rg 20, 31). Secundo auctor inspiratus testatur Deum Abrahae revelasse posteros eius 400 annos in Aegypto manere ac postea in Chanaan reverti debere hanc causam adiungens: *necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus* (Gn 15, 16); ergo Deus longum tempus patienter iniquitates Chananaeorum sustinuit, antequam eos severe puniret. Tertio idem auctor inspiratus narrat: *Non fuit civitas quae se traderet filiis Israel, praeter Hevaeum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum* (pag. 99 sq), *et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent* (Ios 11, 19 sq). „Affirmat textus, inquit Hummelauer (Iosue 265), ruinae rationem non fuisse divinam aliquam voluntatem, quae dociles pariter atque indociles abiiceret Chananaeos, sed fuisse eorum indurationem; Chananaeis etiam patuisse divinae misericordiae aditum. Sc., si Hebraeorum sacris accedebant, aequis cum reliquis Hebraeis iuribus continebantur, fiebant veri Israelitae omniumque promissionum participes.“ — β) In libro Iosue duae series locorum exhibentur: in una Iosue decurrentibus 7 annis omnes urbes expugnasse, reges et habitatores urbium occidisse, terram vastasse dicitur (cf. 10, 40 ad 43; 11, 16—23; 21, 41—43; 18, 1; 14, 1 sqq); in altera singulae tribus Israel pedetentim habitatores regionum variarum superasse, immo nonnullos in medio suo reliquisse asseruntur (cf. 13, 13; 14, 6—15; 15, 14—19; 16, 10). Ita Koch (Das zwanzigste Jahrhundert, 1906, 521 sq); quasi eadem iam Steuernagel (Iosue 132 sqq 149) scripserat. Nihilominus contradictio vera deest. Nam „nulla relationum asserit, ait Öttli (Iosue 165), primas istas occupationes terram perfecte in potestatem Israelitarum redigisse et habitatores veteres possessione eius penitus exturbasse.“ Iosue ipse 23, 4 circa finem vitae multas nationes superesse testatur, quam assertionem comparatio Ios 12, 1—24 et Iud 1, 7 confirmat. Nam ibi reges 31 dumtaxat ab Iosue devicti narrantur, hic autem reges 70 numerantur (cf. *Öttli*, Richter 225). Etiam iuxta tabulas in Tell el-Amarna inventas ca 1400 a. Chr. in Chanaan multi reguli fuerunt, qui verbo tantum non revera Pharaonibus Aegyptiis subiecti erant et ab Habiri i. e. (probabiliter) ab Hebraeis impugnabantur (*Guthe*, Geschichte 20 sq 43). Decurrentibus 7 annis Chananaei urbes et regiones ab Israelitis occupatas quidem sed nondum habitatas iterum intrare potuerunt, ita ut denuo debellandi essent (cf. 10, 36—38 coll. 15, 14—19 et Iud 1, 10—15). — γ) Quaedam facta in libro Iosue ante mortem eius evenisse, in libro autem Iudicum post mortem eius accidisse referuntur. Non quidem victoria ex Iabin rege Asor reportata, quia facta Ios 11, 1 sqq atque Iud 4, 1 sqq diversa sunt (cf. *Öttli*, Richter 235), sed expugnatio urbium Hebron et Dabir (Ios 15, 14—19 et 63 coll. Iud 1, 10—15 et 21) necnon urbis Lesem (Ios 19, 47 coll. Iud 18, 1 sqq). Respondemus: ista facta aut in libro Iudicum per recapitulationem narrata aut in librum Iosue postea inserta sunt sive ex ipso libro Iudicum sive ex fonte eius (cf. *Budde*, Richter 2; *Öttli*, Richter 218). Similiter de narratione mortis Iosue ac generationis bonae iudicandum est, quae Iud 2, 6—10 et Ios 24, 29—31 exhibetur. — δ) Guthe (Geschichte 56 sqq) cum multis aliis affirmat terram

Chanaan a filiis Israel occupatam quidem esse sed alio prorsus modo quam in libro Iosue descriptum habemus. At hanc assertionem neque ex Sacra Scriptura neque ex alio documento historico probare potest; auctoritas vero libri Iosue (pag. 135 sq), libri inspirati (pag. 8 sq) talis est, ut istam descriptionem occupationis pro vera habere et possimus et debeamus.

2. Terra Chanaan generatim occupata (pag. 148) Dominus Iosue praecepit, ut eam filiis Israel divideret (13, 1—7). Videas Tab. III, ubi partes tribuum signatae sunt.

a) Primo quidem tribubus Ruben et Gad ac dimidiae Manasse distributionem terrae orientalis a Moyse factam confirmavit, quia conditioni adiectae steterant (cf. pag. 128 et Ios 22, 1 sqq). Acceperunt igitur *Ruben* terram ab Arnon usque ad Bethsimoth, Hesebon, Eleale inclusive; *Gad* vero terram inter Betharan, Iazer, Mahanaim; *dimidia Manasse* denique terram a Mahanaim usque ad Hermon (13, 8—33).

b) Deinde in Galgala simul cum Eleazaro et principibus Israel (14, 1—5) tribubus Iuda et Ephraim ac dimidiae Manasse partes sorte assignavit. Sortitae sunt autem *Iuda* regionem inter mare mortuum, Cades, torrentem Aegypti, mare mediterraneum, Ierusalem (Tab. II): urbem Hebron *Caleb* accepit (14, 6—15, 63); *Ephraim* vero terram inter Iordanem, Iericho, mare mediterraneum, rivum Cana, Sichem (16, 1—10); demum *dimidia Manasse* partem inter fluvium Iordanem, urbem Sichem, rivum Cana, ac tribum Issachar (17, 1—18).

c) Postquam filii Israel tabernaculum testimonii in Silo fixerunt, Iosue ad reliquas septem tribus dixit: *Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?* Et misit de singulis tribubus ternos viros qui terram circumirent et describerent. Quibus ad se reversis terram descriptam istis tribubus sorte distribuit (18, 1—10). Acceperunt igitur *Beniamin* terram inter Iudam et Ephraim (18, 11 ad 28); *Simeon* partem australem possessionis Iuda, quia haec maior erat (19, 1—9); *Zabulon* regionem inter mare Cenereth et mare mediterraneum (19, 10—16); *Issachar* terram inter Iordanem, Iezrael, Tabor (19, 17—23); *Aser* regionem inter Carmelum et Tyrum (19, 24—31); *Nephthali* terram inter Iordanem et mare Cenereth, Zabulon et Aser, Libanum (19, 32—39); *Dan* partem inter Beniamin, Iuda, mare, Ephraim (19, 40—48). — Distributione absoluta *Iosue* urbem Thamnath Saraa in monte Ephraim recepit, in qua usque ad mortem habitavit (19, 49—51). Videas quae pag. 150 de eo dicuntur.

Plura loca, quibus fines sortium tribuum in libro Iosue circumscribuntur, nobis ignota sunt; supra fines modo generali indicantur, specialiora in commentariis libri Iosue exponuntur.

d) Denique 6 urbes *fugitivorum:* Cedes in Nephthali, Sichem in Ephraim, Hebron in Iuda, Bosor in Ruben, Ramoth Galaad in Gad, Gaulon in Manasse (20, 1—9) necnon 48 urbes *Levitarum* constituit (21, 1—43), atque tribus Ruben et Gad cum dimidia Manasse in partes suas orientales dimisit, qui ad Iordanem altare magnum erigebant testimonium communionis tribuum orientalium et occidentalium (22, 1—34).

Fig. 35. Sepulcrum Ioseph. (Phot. Bouſils.)

3. Post distributionem terrae Iosue multo tempore (23, 1) in urbe sua habitavit. Quia haec phrasis *multo tempore* in 11, 18 annos ca 7 significat, Iosue post divisionem partium Chanaan annos 7, non vero 10 vel 18 vel 23 vixisse probabile ducimus. Ante mortem populum in *Sichem* (Fig. 34, pag. 147) convocavit, ad observantiam legis bonis et malis praenuntiatis hortabatur ac denique foedus renovavit. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam (23, 1—24, 28).

Et mortuus est Iosue 110 annorum ac sepultus in finibus possessionis suae anno ca 1381 a. Chr.; ossa Ioseph quoque in Sichem condita sunt, in parte agri quem Iacob a filiis Hemor emerat (Gn 33, 19; Fig. 35); demum etiam Eleazar filius Aaron mortuus

et in Gabaath Phinees in monte Ephraim sepultus est (24, 29—33).

4. **Liber Iosue** יְהוֹשֻׁעַ, quem ab Iosue compositum et a Phinees auctum diximus, occupationem et divisionem terrae Chanaan ab Iosue peractam continet, 24 capitibus constat et in duas partes dividitur, quibus appendix additur.

In 1 parte (1, 1—12, 24) occupatio terrae narratur, et quidem 1. praeparatio varia (1, 1—5, 16): mandata successori Moysis et principibus populi data (1, 1—18), exploratores in terram missi (2, 1—24), transitus populi per Iordanem (3, 1—5, 1) et commoratio in Galgala (5, 2—16). — 2. Expugnatio ipsa (6, 1 ad 12, 24): a) Iericho deletur (6, 1—27). b) Hai occupatur, postquam Israelitae propter peccatum Achan superati fuerunt (7, 1 ad 8, 29). c) Benedictiones et maledictiones pronuntiantur (8, 30 ad 35). d) Gabaonitae Israelitas decipientes salvantur quidem sed ministerio mancipantur (9, 1—27). e) Reges reliqui percutiuntur, et quidem plagarum australium grandi miraculo patrato (10, 1—43) necnon plagarum septentrionalium (11, 1—23). f) Tabula caesorum regum orientalium et occidentalium affigitur (12, 1—24).

In 2 parte (13, 1—22, 34) divisio terrae mandatur (13, 1—7) et describitur, nempe 1. terrae orientalis (13, 8—33), deinde 2. terrae occidentalis (14, 1—19, 51), demum 3. in utraque urbes fugitivorum et Levitarum separantur (20, 1—21, 43), quibus factis Ruben et Gad et dimidia Manasse in partes suas dimittuntur (22, 1—34). In appendice ultima gesta Iosue, nimirum exhortatio populi (23, 1—16) ac percussio foederis (24, 1—28), mors Iosue, sepultura eius et ossium Ioseph, mors et sepultura Eleazari (24, 19—33) narrantur.

Quo consilio liber Iosue conscriptus sit, ex contextu elucet: hagiographus demonstrare voluit, quomodo Deus promissa sua persolverit.

§ 27. De tempore Iudicum.

1. Mortuo Iosue *seniores* aetate ac dignitate *longo tempore* (*Öttli,* Iosue 204) i. e. probabiliter ca 7 annis (Ios 11, 18 et 23, 1; cf. *Öttli,* Richter 227 sq) post eum vixerunt, omnesque filii Israel Domino servierunt (Ios 24, 31). Congregata est autem omnis ista generatio ad patres suos ca 1374 a. Chr., et surrexerunt alii, qui Dominum Deum patrum suorum relinquebant deosque gentium adorabant, quas contra mandatum Domini non deleverant (Iud 1, 1 ad 2, 5). Colebant igitur *Bá'al* i. e. deum solis atque *'Aštóreth*

i. e. deam lunae, qui in variis locis a Chananaeis aliisque populis honorabantur, quare hagiographus nomina in plurali adhibuit scribens Israelitas *Baalim et Astaroth* servisse (2, 10—13; *Nowack,* Richter 18; *Buhl,* Handwörterbuch; *Guthe,* Bibelwörterbuch).

2. Hoc tempore *idololatria* Michae et Danitarum necnon *flagitium* Gabaanitarum acciderunt (*Schöpfer*, Geschichte 261; *Selbst*, Handbuch 587 sq; *Zschokke,* Historia 171). Nam hagiographus notat illo tempore non fuisse regem in Israel (17, 6; 1 18, 31; 21, 24), vixisse autem tam Ionathan nepotem Moysis (18, 30) quam Phinees

Fig. 36. Fontes Iordanis. (Phot. Bonfils.)

nepotem Aaronis (20, 28): Iosuen vero in neutra narratione commemorat.

a) Vir quidam in monte Ephraim habitans, nomine Michas, in domo sua idolum constituit et Ionathan filium Gersam filii Moysis sacerdotem idoli conduxit. Hoc idolum et hunc sacerdotem 600 Danitae, qui urbem Lais ad fontes Iordanis (Fig. 36) sitam expugnare volebant, secum sumpserunt. Percusserunt autem populum urbis Lais quiescentem et securum; urbem incenderunt, iterum exstruxerunt, nomine patris sui *Dan* vocarunt (pag. 149) ibique idolum et Ionathan ac filios eius sacerdotes habuerunt *usque ad diem captivitatis suae* vel potius *terrae,* גְּלוּת הָאָרֶץ. *Mansitque apud eos*

idolum Michae omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo (17, 1 ad 18, 31).

In hodierno textu Hebraico 18, 30 pro מֹשֶׁה legimus מְנַשֶּׁה cum נ suspenso quod alteram lectionem indicat (*Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 27), quae altera lectio scil. מֹשֶׁה nunc ab omnibus genuina habetur. — Pro גָּלוּת הָאָרֶץ *captivitatis terrae* cum Houbigant (Notae criticae in Vet. Test., Francofurti 1777), Kaulen (Einleitung II 37) aliisque גָּלִית הָאָרוֹן *captivitatis arcae* (cf. 1 Rg 4, 21) emendamus, quia textus ita emendatus non solum cum verbis immediate sequentibus verum etiam cum historia regum Saulis, Davidis, Salomonis congruit, qui nulla ratione permisissent, ut in urbe Dan idolum et sacerdotes eius exsisterent. Plura apud Hummelauer (Iudicum 310 sqq) invenies.

b) Flagitium habitatorum urbis *Gabaa* in tribu Beniamin (Tab. III) tale fuit, ut Israelitae conclamarent: *Numquam res talis facta est in Israel ex eo die, quo ascenderunt patres nostri de Aegypto usque in praesens tempus* (19, 1—30). Itaque egressi omnes filii Israel congregabantur quasi vir unus de Dan usque Bersabee ac de terra orientali et convenerunt in *Maspha* in tribu Beniamin. Postularunt autem a Beniamitis, ut habitatores Gabaa morti traderentur. At Beniamitae urbi Gabaa auxilium ferebant atque bis contra reliquas tribus feliciter pugnabant, sed tandem sic caesi sunt ut 600 tantum viri remanerent. Habitatores *Iabes Galaad* (Tab. III) quoque percussi sunt, quia ad proelium non convenerant. Postquam filii Israel providerunt ne tribus Beniamin exstingueretur, in tabernacula sua reversi sunt (20, 1—21, 24).

Nonnulli protestantes (cf. *Öttli,* Richter 301 sq) auctoritatem historicam huius narrationis aut omnino aut ex parte negarunt eamque tempore exsilii ex odio Beniamitarum et Saulis confictam dixerunt. Attamen totus contextus ostendit non Beniamitas qua tales sed Beniamitas cum Gabaanitis flagitiosis conspirantes odio habitos fuisse. Insuper nullus Israelita contribulibus suis affinxisset flagitium tam enorme, conspirationem tam dedecorosam, raptum virginum ad sanctuarium perpetratum et approbatum! Et si non historicum factum sed fictio tantum cuiusdam Israelitae fuisset, populus Israel fictionem talem numquam sacris libris adiunxisset, neque Oseas (9, 9; 10, 9) contra populum Israel prophetans ad istud flagitium provocare potuisset.

3. Quotiescumque filii Israel diis alienis serviebant, Deus eos gentibus servos tradidit; quotiescumque vero gemitus eorum ad Dominum perveniebant, per *iudices* ex servitute eos liberavit. Sed postquam iudex mortuus est, iterum deos alienos sequebantur et peiora faciebant quam patres eorum (2, 14—3, 4). Iudices, שֹׁפְטִים, illi viri nominantur qui inter Iosue ducem et Saul regem populum Israel a tyrannide gentium vindicabant et parta victoria „summum magistratum gerebant et ius dicere solebant“ (*Gesenius,* Thesaurus ad שָׁפַט = iudicavit, punivit, rexit); Livius (38, 37, 2;

30, 7, 5; 34, 61, 15) testatur summos Poenorum magistratus quoque *sufetes* appellatos fuisse. Iudices Hebraeorum erant duces extraordinarii aut omnium aut nonnullarum tribuum a Deo ad liberationem subiugatarum excitati, quin tamen gloria et iure regis gauderent (1 Rg 8, 11 sqq; cf. *Zschokke*, Historia 171; *Selbst*, Handbuch 555).

a) Itaque filii Israel serviebant Baalim et Astaroth, idcirco Dominus in potestatem Chusan Rasathaim *regis Mesopotamiae* eos tradidit, cui 8 annis serviebant. Et cum ad Dominum clamarent, iis *Othoniel* fratrem Caleb minorem suscitavit, qui Chusan Rasathaim oppressit; quievitque terra 40 annis, et mortuus est Othoniel (3, 5—11).

b) Recidentes autem filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini et Eglon *regi Moab* traditi sunt, cui 18 annis servierunt. Postea clamaverunt ad Dominum, et excitavit iis salvatorem *Aod*, qui regem interfecit et Moabitas percussit; et quievit terra 80 annis (3, 12—30). Quod Aod regem Moabitarum ex insidiis interfecit, iuxta rationem belligerandi antiquam (pag. 148) non ad normam legis christianae exponendum est (cf. *Öttli*, Richter 234; *Selbst*, Handbuch 558).

c) Post hunc fuit *Samgar*, qui 600 viros de *Philisthiim* vomere vel potius stimulo arantis percussit (3, 31). Hoc non naturali modo sed virtute Dei eum patrare potuisse patet (*Selbst*, Handbuch 559; cf. *Öttli*, Richter 234).

d) Cum Israelitae iterum malum facerent, Deus in manus Iabin *regis Asor* (pag. 146) eos tradidit, qui 900 currus falcatos et ducem exercitus Sisaram habebat. Post 20 annos servitutis gravissimae Deus per prophetidem ac iudicem *Debboram* mandavit, ut *Barac* exercitum in montem Tabor (Tab. III, Fig. 37) duceret ibique contra Iabin pugnaret; Barac hac tantum conditione se ad oboediendum paratum declaravit, si Debbora quoque illuc proficisceretur. Venerunt igitur ambo cum exercitu convocato in montem Tabor. Quod cum audisset Sisara, princeps exercitus regis Asor, statim currus falcatos omnemque exercitum ad torrentem Cison (Tab. III) congregavit. Tunc Debbora ad Barac dixit: *Surge, haec est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus* (4, 14). Descendit itaque Barac cum exercitu de monte, Dominus autem exercitum Sisarae perterruit, ita ut Israelitae eum facile superare et usque Haroseth (Tab. III) persequi possent. Sisara fugiens tabernaculum Iahel uxoris Haber Cinaei intravit et

ab ea primum quidem lacte recreatus atque pallio opertus, sed deinde clavo tabernaculi per tempora transverberatus est. Quo viso Debbora et Barac canticum triumphale cecinerunt; quievitque terra 40 annis (4, 1—5, 32).

De facto Iahel Öttli (Richter 246) similiter ac de facto Aod iudicat; Zschokke (Historia 172) autem scribit: „Factum eius alio sub respectu considerandum est; momento illo quo Sisara tabernaculum eius ingressus est, ipsa quidem eum tueri fors intenderat, dein autem pugna theocratica cognita et antiquae cum populo Dei amicitiae memor, hostem communem dolo, cuivis in bello licito, immo etiam divinitus excitata, de medio tollere

Fig. 37. Mons Tabor.

sibi proposuit. Intentione (laudabili) eius commendata, eam tamen non ab omni culpa in electione mediorum absolvendam esse censent alii", quibuscum consentimus.

e) At iterum peccarunt filii Israel contra Dominum, qui eos idcirco *Madianitis* tradidit. Ab his per 7 annos valde oppressi et humiliati clamaverunt ad Dominum, ut liberarentur. Dominus misit prius prophetam qui eos propter inoboedientiam increparet, deinde vero angelum suum qui *Gedeonem* admonuit, ut filios Israel e manu Madianitarum liberaret, atque cunctantem miraculo corroboravit, quatenus cibos allatos igne e petra egrediente consumpsit simulque evanuit (6, 1—24). Illa nocte Gedeon iussu Domini aram Baal destruxit nemusque succidit, et super altare Domino aedificatum

holocaustum obtulit. Ioas pater Gedeonis, qui possessor arae ac nemoris erat, civibus Gedeonem occidere volentibus respondit: *si Deus est (Baal), vindicet se de eo, qui suffodit aram eius* (6, 25—32). Propter hoc Gedeon vocabatur *Ierobaal*, יְרֻבַּעַל = יְרַב בַּעַל i. e. Baal est pugnator (*Fürst,* Handwörterbuch), vel = יָרָב בַּעַל i. e. pugnator contra Baal (*Buhl,* Handwörterbuch).

Itaque Madian et Amalec ceterique populi orientales congregati venerunt in vallem Iezrael (Tab. III). Spiritus autem Domini Gedeonem induit, qui tribus Manasse, Aser, Zabulon et Nephthali convocavit. Iterum miraculo duplici in vellere patrato corroboratus iussu Domini 22000 formidolosos statim domum remisit atque ex 10000 qui non timidi erant, postea 300 viros fortissimos elegit, reliquos etiam in tabernacula remisit. Istis 300 viris Dominus castra Madianitarum tradidit, ne Israel glorians dicere posset: *Meis viribus liberatus sum* (7, 2). Fugientes hostes viri tribuum Nephthali, Aser et Manasse persequebantur; tribus autem Ephraim nunc a Gedeone vocata aquas Iordanis occupavit duosque principes Madianitarum Oreb et Zeb interfecit, sed cum Gedeone iurgavit quod initio proelii non vocata esset (6, 33—8, 3). Gedeon cum 300 viris Iordanem transivit, hostes percussit duosque principes Zebee et Salmana interfecit; regnum sibi oblatum recusavit dicens: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus* (8, 23), petivit tamen inaures aureas fecitque ephod quod in civitate sua collocavit. Ephod numquam simulacrum sed semper vestem sacerdotalem significat (*Öttli,* Richter 258; *Fürst,* Handwörterbuch), quam Gedeon confecit „non superstitionis agendae causa, sed ut illud (ephod) veri Dei cultui inserviret ad altare Iahve Schalom 6, 24“ (*Hummelauer,* Iudicum 176). Quievit autem terra toto tempore quo Gedeon iudicavit, nimirum 40 annis (8, 4—32).

Nowack (Iudices 81) et plures alii cum Gesenio (Thesaurus 135) asserunt per ephod Id 8, 27 sine controversia simulacrum significari „probabiliter ita dictum ab amictu aureo argenteove“ (*Gesenius,* Thesaurus 135); Buhl (Handwörterbuch) tamen illud assertum „valde incertum“ iudicat: et revera Id 17, 5; 18, 14 17 sq 20 ephod a simulacris bene distinguitur. Idcirco Öttli (Richter 258) putat originaliter aliam vocem simulacrum indicantem Id 8, 27 positam et postea cum ephod commutatam fuisse; sed haec opinio critice probari nequit. Contra omnes qui Gedeonem simulacrum erexisse dicunt, valent quae Hummelauer (Iudicum 176) scribit: „Parum probabile censet Wellhausen, pag. 250, Gedeonem pro victoria tam insigni Dei beneficio accepta illico non alias solvisse gratias, quam ut idololatriae scelus committeret . . . censemus aliquod ipsius Gedeonis peccatum ex hoc textu non demonstrari. Etenim v. 28 dicitur terra quievisse tota reliqua Gedeonis vita; v. 29 sqq narratur Gedeon ad multam

senectutem vixisse plurimosque genuisse filios, quae in Vet. Test. vitae religiose actae praemia recenseri consuevere; v. 33 nonnisi eo demortuo Israelitae in idololatriam relapsi esse narrantur; v. 35 uti Hebr 11, 32 absolute Gedeon laudatur." Hagiographi seu potius Deus eos inspirans Gedeonem absolute laudare non potuisset, si contra praeceptum legis simulacrum erexisset; ergo haec opinio falsa est. — Quodsi quaeramus, quare Gedeon ephod confecerit et in urbe sua collocaverit, Hummelauer (Iudicum 177) cum aliis bene respondet: „Ratio autem praecipua, cur hoc ephod confecerit Gedeon, ea videtur fuisse, ut esset monumentum victoriae Dei ope a se reportatae: ita iam rabbini. Altera, ut per illud consuleret Deum, non ipse (Theodoret), sed pro ipso pontifex." — *Fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam* (8, 27), quem locum Bonfrerius sic declarat: „Crediderim ideo dici fornicatos Israelitas post hunc ephodem vel in eo, non quod ei divinos honores tribuerint, sed quod, postquam Gedeone mortuo ad idololatriam reversi sunt, idolorum sacerdotes et ministri hoc ephode usi sint ad impia sacrificia et cultus sacrilegos, quae res propter vestis istius praestantiam et nonnullam forte ante in animis hominum excitatam eiusdem vestis religionem mirum in modum idololatriam aluerit et auxerit." Gedeoni autem et omni domui eius ephod in ruinam factum esse dicit, „quia familia eius et posteritate occasione illius ephodis exstincta et deleta, illius nomen et memoria, quae in posteris vivere debuisset, propemodum exstincta est" Has explicationes Bonfrerii Hummelauer (Iudicum 176 sq) quoque adoptat.

Postquam Gedeon mortuus est, Israelitae Dominum iterum reliquerunt et Baal sibi deum elegerunt neque cum domo Gedeonis misericordiam fecerunt. Gedeon enim de uxoribus pluribus 70 filios atque de concubina Sichemitide unum filium nomine Abimelech reliquerat. Hic a Sichemitis adiutus omnes fratres, excepto minimo Ioatham, super unum lapidem occidit et deinde rex Sichem constitutus est. Quibus auditis Ioatham de vertice montis Garizim (Fig. 3, pag. 30) Sichemitis fabula (Exegetica 10) arborum rhamnum regem sibi eligentium sortem futuram indicavit et postea aufugit. Reapse Sichemitae graviter puniti et Abimelech occisus est, postquam 3 annis in Israel regnavit (8, 33—9, 57). — Abimelech non fuit iudex sensu stricto seu proprio: nam iudices a Deo suscitabantur, Abimelech a Sichemitis rex constitutus est; iudices tribus Israel ab inimicis liberabant, Abimelech fratres et subditos male tractavit. Historia eius cum historia Gedeonis uti complementum coniuncta est (cf. *Hummelauer,* Iudicum 190; *Öttli,* Richter 265).

f) Post Abimelech surrexit *dux* in Israel *Thola,* qui Israelem 23 annis iudicavit (10, 1 sq).

g) Huic successit *Iair* Galaadites qui per 22 annos filios Israel iudicavit (10, 3—5).

h) Filii autem Israel peccatis veteribus nova iungentes servierunt Baalim et Astaroth et diis Syriae ac Sidonis et Moab et

filiorum Ammon et Philisthiim, dimiseruntque Dominum neque eum coluerunt. Propterea Dominus tradidit eos *Philisthiim et Ammonitis*, a quibus per 18 annos vehementer oppressi sunt. Clamantes ad Dominum et peccatum suum confitentes receperunt quidem divinum responsum: *ite, et invocate deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiae* (10, 14), sed nihilominus omnia idola de finibus suis proiecerunt ac Domino Deo servierunt, qui iterum eorum misertus est. — Venerunt igitur Ammonitae in Galaad, et castrametati sunt Israelitae in Maspha iuxta Ramoth Galaad. Qui maiores natu ad *Iephte* Galaaditem e terra sua eiectum miserunt rogantes, ut Ammonitas debellaret et postea princeps Israelitarum in terra orientali habitantium esset. Iephte cum maioribus natu Maspham profectus, conditione a populo accepta, Ammonitas verbis pacificis ad mores meliores perducere volebat; at hi verbis eius acquiscere noluerunt. *Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini*, et circuivit terram se ad pugnam expediens ac vovit votum Domino dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino*, יְהוָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עֹלָה, *καὶ ἔσται τῷ κυρίῳ· ἀνοίσω αὐτὸν ὁλοκαύτωμα* (11, 30 sq). Et tradidit Dominus filios Ammon in manus Iephte ita ut plaga magna nimis humiliarentur. Revertenti autem in Maspha domum suam occurrit unigenita filia cum tympanis et choris. Qua visa scidit vestimenta sua et dixit: *Heu me filia mea decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero* (11, 35). Filia generosa statim respondit se ad implendum votum paratam esse, hoc solum petens: *Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis* (11, 37). Annuens precibus filiam duobus mensibus dimisit, quibus expletis *fecit ei sicut voverat, quae ignorabat virum* (11, 39). Exinde mos increbuit, ut quolibet anno filiae Israel convenirent et filiam Iephte quattuor diebus plangerent (10, 6—11, 40).

Quid fecit Iephte filiae suae unigenitae? sunt duae sententiae: ex priore eam morti tradidit, ex altera eam ad virginitatem servandam obligavit. Priorem multo probabiliorem iudicamus ob rationes sequentes: *α*) magistri Iudaeorum antiquiores, Iosephus Flavius, Sancti Patres et interpretes usque ad Nicolaum Lyranum † 1340 istam sententiam tenuerunt. *β*) Plerique interpretes recentiores tam catholici quam acatholici eam retinent ac defendunt;

ex catholicis: Hummelauer, Lagrange, Neteler, Schöpfer, Selbst, Vigouroux, Zapletal aliique; ex acatholicis: Budde, Nowack, Öttli, Reuss et alii. γ) Usus loquendi et contextus eam commendant. Nam primo quidem legimus Iephte filiae suae fecisse *sicut voverat.* Voverat autem iuxta textum Hebraicum supra exscriptum: *et sit Domino, et offeram eum holocaustum.* Verba generalia *sit Domino* verbis sequentibus *offeram eum holocaustum* magis determinantur; atqui „holocaustum est quod totum offertur Deo et sacro igne consumitur" (*S. Hieronymus* in Ez XLV citatus a *Gesenio,* Thesaurus 1029); ergo voluit Iephte primum sibi occurrentem eodem modo Domino consecrare quo Abraham filium suum offerre volebat (Gn 22, 2 sqq), videlicet occidendo et concremando eum. Dixerunt quidem *et ... et,* ו ... ו disiunctive accipiendum esse: aut sit Domino, si fuerit homo, aut offeram eum holocaustum, si fuerit bestia. Sed Gesenius (Thesaurus 395) notat: „ו etiam disiunctive poni pro *aut* ... id magnopere coercendum et vix uno probabili exemplo nititur"; idem Winer (Realwörterbuch I 541 sq), Nowack (Iudices 108) et Öttli (Richter 209) affirmant, et Versiones antiquae hoc loco commonstrant. Secundo filia Iephte ante impletionem voti duobus mensibus virginitatem plangere voluit, quod indicat ipsam mori debuisse; alioquin tota vita sua illam plangere potuisset (*Öttli,* Richter 271).

Alteram sententiam Nicolaus Lyranus ex magistris Iudaeorum iunioribus hausit et inter recentiores interpretes catholicos Cornely, Holzammer, Hoonacker, Kaulen, Schäfer, Stolberg, Ubaldi, Zschokke aliique a Zschokke (Historia 174) citati adhuc retinent. At huic sententiae difficultates gravissimae obstant neque argumenta exegetice valida suffragantur. Difficultates sunt hae: α) supponunt filiam Iephte coetui virginum tabernaculo servientium aggregatam itaque ad virginitatem servandam obligatam fuisse. Verum tamen verum. Ne unico quidem textu demonstrare possunt iam illo tempore ad tabernaculum coetum mulierum ministrantium fuisse. Et supposito hoc coetu nulla ratione probari potest illas mulieres tabernaculo inservientes virginitatem servare debuisse. Erant uxorati Levitae, sacerdotes, nazaraei; quomodo igitur istae mulieres ad virginitatem servandam obligatae dici possunt? „Samson, Samuel aliique, quos Deo consecratos novimus, uxores duxerunt; Iudith et Anna prophetissa fuere viduae; Beata Virgo ea consecratione, quominus nuberet, non est prohibita; ne unicum quidem exstat exemplum virginis, ne dicam viri adolescentis, perpetuam virginitatem profitentis" (*Hummelauer,* Iudicum 232). Perpetua virginitas, vita caelebs in Vet. Test. erat res omnino inaudita; sacrificia autem humana inter gentes, quibuscum Israelitae conversabantur, erant usitata (pag. 72): ergo propter circumstantias historicas (Exegetica 47 sqq) Iephte oblationem, non vero virginitatem occurrentis sibi hominis intendisse praesumendus est. β) Patroni huius sententiae illud ו disiunctive sumere aut *offerre holocaustum* improprie intellegere debent; sed ו significationem disiunctivam non habet (supra) et וְהַעֲלִיתִהוּ

עוֹלָה semper oblationem holocausti proprie dicti significat (cf. *Fürst*, Handwörterbuch; *Budde*, Iudices 85): ergo usus loquendi biblicus primum principium hermeneuticum (Exegetica 31 sqq) isti sententiae contrarius est. γ) Patroni huius sententiae explicare nequeunt, quare filia Iephte ante impletionem voti virginitatem suam plangere voluerit, cum id postea quoque facere potuerit (pag. 159). δ) Denique consensus versionum, magistrorum Iudaeorum, Patrum et interpretum antiquorum necnon recentiorum catholicorum et acatholicorum gravissima semper manebit difficultas. — Argumenta congesta exegetice invalida inveniuntur. Dicunt: α) filia Iephte virginitatem, non mortem suam cum sodalibus plangit; bene, non quod mori sed quod ut virgo mori debeat plangit: „Gravius ipsa morte ferebat virgo posteritate praecludi, qua ad Messiae tempora pertingeret“ (*Hummelauer*, Iudicum 234). β) Hagiographus non scribit virginem immolatam fuisse; utique scribit, licet implicite, asserens Iephten fecisse *ei sicut voverat* (pag. 158): „Scriptura divina effectum rei non prodidit, sed refugit parricidii mentionem“ (*S. Ambrosius*, De virg. 2); noluit sacrificium istud abominabile explicite narrare. γ) Effectus voti verbis illis describitur *quae ignorabat virum*, scilicet toto tempore vitae suae; at ut verba eam virginem permansisse signarent, constructio Hebraica haec esse deberet וְלֹא יָדְעָה אִישׁ, reapse autem legimus וְהִיא לֹא־יָדְעָה אִישׁ, quae constructio indicat filiam Iephte illo tempore, quo ei pater fecit sicut voverat, virginem fuisse, quin futurum innuat (*Budde*, Iudicum 88). δ) Omnes versiones antiquae 11, 40 ita reddunt ut filiae Israel quotannis ad filiam Iephte plangendam convenisse dicantur, sed textus Hebraicus etiam significare potest eas convenisse, ut eam adhuc viventem celebrarent, laudarent ac consolarentur; concedimus textum Hebraicum absolute consideratum duplici modo intellegi posse, at comparatio cum voto Iephte, cuius sensus certus est, ostendit sensum in versionibus antiquis expressum probabiliorem esse. ε) Sacrificium humanum festo annuo celebratum esse repugnat; at hagiographus non dicit virgines convenientes sacrificium humanum celebrasse, sed filiam Iephte generosam planxisse vel laudasse, quorum neutrum repugnat. ζ) Quomodo vir, in quem Spiritus Domini venerat, tale votum emittere et implere potuit? Respondemus: Spiritus Domini in Iephte venerat, ut populum Israel per eum de inimicis liberaret, non ut singulos actus eius dirigeret, quemadmodum plerique interpretes antiquiores ac recentiores docent; tempus iudicum erat tempus bellorum et apostasiarum, ipse Iephte autem e domo sua eiectus erat dux virorum inopum et latrocinantium (11, 3); ergo probabilissime non valde peritus in lege Domini; etiam Saul filium suum occidere volebat (1 Rg 14, 44), et Mesa rex Moab primogenitum revera holocaustum obtulit (4 Rg 3, 4 27); hominem in lege non eruditum potuit exemplum Abrahae (Gn 22, 2 sqq) perturbare. η) Quare in Scriptura humanum hoc sacrificium non vituperatur, et Iephte diserte 1 Rg 12, 11; Eccli 46, 13 sq; Hebr 11, 32 sq laudatur? Respondemus: in Scriptura alia quoque facta certo mala narrantur quin vituperentur (cf. Gn 38, 12 sqq); in locis vero citatis Iephte generatim laudatur, sed sacrificium eius tacetur; ceterum tam pater quam filia ex ignorantia atque animo generoso ideoque laudabili votum impleverunt (cf. Iud 11, 35 sqq; *Hummelauer*, Iudicum 233 sq). ϑ) Quare sacerdotes et praesertim summus pontifex impletionem huius voti non impedierunt? Reponimus: textus clare asserit Iephte filiam suam immolasse (pag. 159), interventum vero sacerdotum omnino tacet, quapropter in hac re nihil certi dicere sed suspicari tantum possumus. Winer (Realwörterbuch I 541) citat targum ad locum: „(fuit statutum in Israel) ut non ascendere faceret vir filium suum aut filiam suam in holocaustum, sicut fecit Iephta, et non consuluit Pinchas

sacerdotem; et si consuluisset Pinchas sacerdotem, redemisset eam pecunia." Conferas quoque quae 18, 30 et 20, 28 coll. 21, 15 sqq scripta sunt. — Hummelauer (Iudicum 233 235) de patronis huius sententiae acerbe dicit: „Adversarii ideas christianas in Vet. Test. transferentes effingunt monstrum quoddam, quod caput leonis praefert, sed desinit in piscem" atque cum Reuss concludit: „Admiraberis, quomodo textum clarum torqueant interpretes, ut filiam Iephte perpetuae assignent virginitati. Quam torturam vocamus, ea ubique gentium iam est abolita, praeterquam apud exegetas."

Gunkel (Genesis 218) aliique protestantes (cf. *Beer-Guthe,* Bibelwörterbuch 294; *Öttli,* Richter 272) narrationem de immolatione filiae Iephte mythum aetiologicum declararunt; sed Öttli hanc declarationem merito reprobat, quia cum auctoritate libri Iudicum (pag. 135 sq) pugnat. Nullius quoque „valoris est comparatio huius facti biblici cum immolatione Iphigeniae (= Ἰεφτι γενεία) per Agamemnonem (*Euripides,* Iphig. Taur. 17 sqq), quamvis in hac fabula mactatio vera filiae desit, nam Diana impii sacrificii mactationem suffecta cerva impedivisse fertur, et cum mytho de Idomeneo, qui victor rediens filium suum immolavit (*Servius* ad Virg. Aeneid. 3, 121; 11, 264)." Ita Zschokke in Historia 174 iuxta Winer (Realwörterbuch I 541).

Tunc filii Ephraim ad Iephte venerunt, increparunt eum quod ad pugnam non vocati essent et volebant domum eius incendere. Iephte respondit Ephraemitas a se vocatos fuisse sed venire noluisse, ergo nunc nullam causam inimicitiarum adesse. Cum acquiescere nollent, ab Israelitis orientalibus impugnati et devicti sunt. Qui autem ab oriente per Iordanem in occidentem fugere tentabant, ad vada Iordanis compulsi sunt ut nomen שִׁבֹּלֶת *spica* vel *flumen* pronuntiarent; et omnes qui iuxta pronuntiationem Ephraimiticam סִבֹּלֶת pronuntiabant, statim iugulati sunt (12, 1—6; *Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch). — Iudicavit itaque Iephte Israelem 6 annis et mortuus est (12, 7).

Öttli (Richter 272) cum Kuenen auctoritatem historicam huius narrationis contra Wellhausen defendit, quae ex notione catholica inspirationis (pag. 9 sqq) necessario sequitur.

i) Post Iephte *Abesan* de Bethlehem 7 annis Israel iudicavit; mortuusque ac sepultus est in Bethlehem (12, 8—10).

k) Cui successit *Ahialon,* qui 10 annis Israel iudicavit (12, 11 12).

l) Post hunc *Abdon* 8 annis Israel iudicavit (12, 13—15).

In diebus unius horum iudicum (cf. Ruth 1, 1 coll. 4, 21 sq) fames in terra Chanaan facta est. Propterea *Elimelech* cum uxore Noemi ac duobus filiis *Mahalon* et *Chelion* de Bethlehem in regionem Moabitidem abiit. Mortuo Elimelech duo filii eius uxores Moabitidas acceperunt, quarum una *Orpha,* altera *Ruth* nominabatur. Post 10 annos etiam Mahalon et Chelion mortui sunt, remansitque Noemi sola (1, 1—5). — Quae audiens quod Dominus Israelitas respexerit

et escas iis tribuerit, Bethlehem redire voluit rogavitque nurus se comitantes, ut in domum matris reverterentur; Orpha reversa est, Ruth vero dixit: *ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus.* Venit ergo Noemi cum Ruth in Bethlehem, quando hordea metebantur (1, 6 ad 22). — Quae cum ita essent, Ruth iuxta morem illius temporis in agrum exiit, ut post metentes colligeret spicas. Accidit autem ut ager, in quem Ruth venit, ad *Booz* virum potentem et divitem ac consanguineum mortui Elimelech pertineret; hic ager ab oriente urbis Bethlehem, a qua ca 2 *km* distat, monstratur (*Benzinger-Baedeker*, Palästina 126; Fig. 38). Benigne a messoribus et ab

Fig. 38. Ager Booz. (Phot. Bonfils.)

ipso Booz tractata suadente Noemi Ruth eum rogavit, ut iuxta ius propinquitatis uxor duceretur (2, 1—3, 18). — Ascendit igitur Booz ad portam urbis, ut cum viro de hac re loqueretur, qui defuncto Mahalon propinquior erat quam ipse. Cum ille coram testibus iuri suo cederet, Booz duxit Ruth uxorem, quae sic proavia David facta est. Nam Booz genuit Obed, Obed autem genuit Isai patrem David (4, 1—22). Haec fuit merces magnanimi istius consilii: *Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus.*

Hummelauer (Ruth 402 sq) notat: „Ruth Moabitis iis usa, quae gentilibus praesto erant, gratiis in ecclesiam Israelitarum recepta et mater benedictionum effecta est ... Populo suo pie relicto, populo Dei accensetur;

sacris gentilibus abdicatis sub alas Dei Israel recipitur . . . pietate legis magistra, socrui atque defuncto marito potius quam sibi coniugium leviratus exposcit et impetrat atque ex eo semen regium, immo divinum obtinet."

Contra Wellhausen, qui hanc narrationem historicam esse negavit, Öttli (Ruth 214 sq) optime notat nullo tempore ab Israelita regi celeberrimo proaviam ex populo Moabitarum, quem populus Israel aversabatur, affingi potuisse; et si quis contra veritatem ei talem proaviam affingere voluisset, totus populus istam fictionem neque credidisset neque sacris libris inseruisset.

m) Rursumque filii Israel in conspectu Domini malum fecerunt, quare *Philisthiim* traditi sunt, quibus 40 annis serviebant (13, 1). Perveneruntque in tantam desperationem libertatis recuperandae, ut viri Iuda dicerent: *Nescis quod Philisthiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti?* (15, 11). Ex qua desperatione Deus per *Samsonem* eos eripere voluit (cf. *Öttli*, Richter 282).

α) Iam ante nativitatem matri patrique nazaraeus Dei et salvator Israel annuntiatus Samson crescebat, et Spiritus Domini erat cum eo (13, 2—25).

β) Descendens cum patre et matre ad Philisthiim, ut mulierem Philisthaeam sibi desponsaret, in via catulum leonis dilaceravit nihil omnino in manu habens sed a Spiritu Domini confortatus. Post aliquod temporis spatium iterum cum patre et matre ad Philisthiim descendit, ut illam mulierem uxorem duceret. In via ad cadaver leonis videndum declinavit, et ecce examen apum ac favus mellis in ore eius erat; quem sumens comedit ipse deditque parentibus suis, quibus tamen non indicavit, quod leonem occidisset et in ore eius favum invenisset (14, 1—9).

In textu non asseruntur apes in carnibus computrescentibus, quas fugiunt, habitasse, multo minus ex carnibus excrevisse; neque asseruntur bestiae carnes leonis occisi devorasse: asseritur potius cadaver aestu solis exsiccatum (*Öttli*, Richter 275; *Budde*, Iudices 99). Teste Selbst (Handbuch 579) in deserto Arabiae iam infra 24 horas cadavera hominum et brutorum exsiccantur et corporibus medicatis similia evadunt; inter sponsalia et nuptias etiam tempore antiquo saepe menses plures praeterierunt, quapropter non mirandum est, quod rediens favum mellis invenerit.

γ) In convivio nuptiali 30 sodalibus suis iuxta morem orientalem problema proposuit, ut illud intra 7 dies convivii solverent, videlicet: *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo* (14, 14). Qui cum illud solvere nequirent ideoque 30 sindones et tunicas Samsoni dare deberent, per mulierem ex eo solutionem elicuerunt et dixerunt; *Quid dulcius melle, et quid fortius leone?* Quibus respondit: *Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis*

propositionem meam (14, 18). Irruit itaque Spiritus Domini in eum, descenditque Ascalonem et percussit 30 viros, quorum vestes iuxta conventionem iis dedit, qui problema solverant. Et ascendens in domum patris uxorem reliquit, quae alii nupsit (14, 10—20).

δ) Quod cum audisset Samson, cepit 300 vulpes, iunxit caudam unius ad caudam alterius, ligavit in medio caudarum duarum facem ardentem dimisitque ita vulpes. Hae discurrentes segetes, vineas, oliveta Philisthinorum incenderunt. Philisthiim auctorem et causam huius facti cognoscentes uxorem Samsonis ac patrem mulieris combusserunt. Quam ob rem Samson ingenti plaga eos percussit, abiit in terram Iuda habitavitque ibi in spelunca (15, 1—8).

Budde, Nowack, Öttli hoc loco affirmant Samsonem vulpes proprie dictas cepisse; Hummelauer (h. l.) autem canes aureos (schakal, chacal, sciacal) intellegit, et Buhl (Handwörterbuch) concedit vocem שׁוּעָל tam vulpem quam canem aureum significare posse. Bene Gesenius (Thesaurus) scribit: „Vulpium autem nomine in vita communi etiam thoes, θῶας, sive hi sint canes aurei . . . sive canes syriaci . . . complexi esse videntur Hebraei et reliqui Orientales, quum externa specie sibi invicem similes sint hae bestiae et non raro confundantur. . . . In nonnullis Vet. Test. locis utrumvis horum animalium genus fere aequo iure accipi potest . . . sed thoes potius in historia Simsonis Id 15, 4 (vulpes enim non sine difficultate vivi capiuntur). . . . Utriusque autem generis animalia in Palaestina frequentia sunt.“ Eiusdem sententiae etiam Fürst (Handwörterbuch) est. Hummelauer (h. l.) cum Caietano notat in textu non dici Samsonem omnes simul emisisse; „uti binas ceperat, ita binas colligebat, emittebat; diversis e locis in diversos agros, hinc etiam diverso tempore emittebat.“ Ceterum non ignotum est canes aureos gregatim vivere nec difficile capi posse.

ε) Philisthiim igitur ascenderunt et castrametati sunt in loco qui postea *Lechi* i. e. maxilla appellatus est, ut Samsonem ligarent. Hoc cognoscentes tria milia virorum Iuda Samsonem duobus funibus novis ligarunt et ad Lechi duxerunt. Ibi Spiritus Domini in eum irruit, et funes facti sunt sicut lina igne consumpta; arreptaque Samson maxilla asini recenti mille viros percussit. Quibus finitis maxillam de manu proiecit et nomen loci illius *Ramathlechi* i. e. elevationem maxillae vocavit. Sitiensque valde ad Dominum clamavit, qui molarem vel potius cavum, מַכְתֵּשׁ, i. e. mortarium in *maxilla*, לְחִי, aperuit, ita ut aquae egrederentur. Idcirco fons ille *Fons invocantis* in *maxilla* vocatus est (15, 9—20).

Ubi *Ramathlechi* fuerit omnino nos latet, quod quasi omnes commentatores textus profitentur. Nowack (h. l.) et Budde (h. l.) opinantur in ista narratione mythum localem contineri: videlicet manifesto fuisse in regione illa nobis ignota elevationem seu petram quandam maxillae asini similem et in quodam cavo petrae fontem, quem fontem et petram populus fabuloso hoc modo declaraverit. At quo iure affirmare possunt in regione

nobis ignota manifesto petram fuisse similem maxillae asini, cum hagiographus nulla voce hoc indicet neque elevatio talis hucusque inventa sit? tacemus declarationem istam mythicam cum catholica inspirationis notione pugnare (pag. 9 sqq). De versione Latina Vercellone (Variae Lectiones II 137) scribit: „*molarem dentem in maxilla asini.* Haud negare possumus hanc esse genuinam Hieronymi interpretationem, qui quum existimaret aquam ex ipsa mandibula profluxisse, quod alii quoque fere omnes veteres censuerunt, vocem *asini* adiecit; cui suffragantur syrus et arabs. At vero hanc vocem hebraeus, graecus et chaldaeus non habent: non enim ex molari maxillae, sed ex rupis foramine latens aquae fons emanavit." Fontem non ex dente seu cavo maxillae asini prorupisse, sed ex cavo petrae quae *maxilla* vocabatur, Ghiringhello (Praelect. de libr. hist. ant. foed. 135) bene verbis demonstravit „quibus fons ille *invocantis* nomine donatus usque ad scriptoris aetatem dicitur scaturiisse בלחי *in maxilla*, quod absurdum nisi de loco ita nuncupato interpreteris." Paucis: collis seu elevatio illa, in qua Philisthiim castrametati et a Samsone maxilla percussi sunt, in quam Samson etiam maxillam asini proiecit, nominabatur *maxilla* vel *elevatio maxillae*, non propter similitudinem aliquam, sed propter factum istud duplex. Et in mortario vel foramine quodam illius *elevationis maxillae* precibus Samsonis aquae scaturierunt; neque hic ab hagiographo affirmatur mortarium elevationis foramini maxillae asini simile fuisse. Clare autem docet hagiographus victoriam Samsonis et fontem egredientem a Domino concessa esse (15, 14 19).

ζ) Postea *Gazam* (Tab. III) profectus et ad meretricem ingressus est. Philisthiim haec audientes insidiabantur ei in porta urbis et volebant eum mane occidere. Samson vero media nocte surrexit, ambas portae fores cum postibus et sera apprehendit, humeris suis imposuit et in verticem montis portavit (16, 1—3), qui ante, עַל־פְּנֵי, Hebron est (Budde, Nowack, Öttli h. l.), non iuxta Gazam, ut Hummelauer h. l. cum aliis putat. Nowack (Iudices 131) cum Stade comprehendere nequit, quomodo Samson insidiantibus Philisthiim fores et postes et seram auferre potuerit. Sed respondemus cum Öttli (Richter 279) et Hummelauer (Iudicum 277 sq) custodes primo quidem ob tenebras non bene perspexisse quid in porta fieret, deinde autem stupore ac timore perculsos insectationem egredientis omisisse.

η) Dalilae mulieris Philisthaeae amore insaniens secretum roboris sui manifestavit dicens: *Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia nazaraeus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meae: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines* (16, 17). Dominus iusserat, ne novacula caput Samsonis tangeret (13, 5), eratque cum eo quamdiu mandatum observabat; revelans autem Samson secretum roboris sui mulieri, cuius voluntatem pessimam optime cognovit (16, 9 12 14), erat causa voluntaria ut mandatum Domini viola-

retur. Propterea Dominus eum reliquit, postquam *septem crines* i. e. cincinni (Zöpfe, tresses, trecce) rasi fuerunt; Philisthiim vero eum apprehenderunt, oculis privarunt, catenis vinxerunt atque in carcere urbis Gaza *molere fecerunt* (16, 4—21), quod officium captivorum, servorum ancillarumque erat. Quomodo molae trusatiles sint constructae, figura 39 monstrat.



Fig. 39. Molae trusatiles (coniunctae, disiunctae).

ϑ) Post aliquod temporis spatium, quando capilli eius iam renasci coeperant, principes et populus Philisthinorum convenerunt, ut deum suum Dagon (videas o) sacrificiis et conviviis celebrarent, quod Samsonem sibi tradidisset. Domus autem convivii erat plena virorum ac mulierum nobiliorum; in tecto quoque eius erant circiter tria milia utriusque sexus. Adduxerunt igitur Samsonem ad ludendum et statuerunt eum inter duas columnas, quibus domus innitebatur. Ipse autem invocato Domino ambas columnas apprehendit et concussit, ita ut domus super omnes principes et ceteram multitudinem caderet: *multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.* Sepultus est in sepulcro patris sui, postquam per 20 annos Israel iudicavit (16, 22—31).

Öttli (Richter 282) bene contra alios protestantes observavit Samsonem non esse personam mythicam sed historicam, quae victoriis sine auxilio humano et sine armis sed in Spiritu Domini reportatis iacentem Israelitarum animum (pag. 163) excitavit, itaque reapse liberator populi sui exstitit. — Quod ad domum duabus columnis innitentem attinet, Selbst (Handbuch 584 sq) Plinium (Hist. nat. 36, 15) citat, ubi simile quid narratur.

n) *Heli* summus sacerdos, populum Israel 40 annis iudicans (1 Rg 4, 18), fuit vir bonus sed nimis indulgens. Nimis indulgens. Filii eius Ophni et Phinees erant *filii Belial* i. e. homines nequam (בְּלִיַּעַל = inutilitas, nequitia) Israelitas a sacrificiis retrahentes et ad peccata attrahentes (1 Rg 2, 2—17 22). Heli autem haec audiens non punivit eos uti decebat, sed dixit tantummodo: *Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Nolite filii mei: non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini* (2, 23—25). Fuit vir bonus. Cum enim Dominus prius per prophetam quendam (2, 27—36), deinde per Samuelem ei poenam gravissimam indulgentiae indixisset, plena cum resignatione respondit: *Dominus est: quod bonum est in oculis eius faciat* (3, 1—18). — Illo tempore

Philisthiim convenerunt contra populum Israel, qui caesus est; propterea arcam foederis de Silo in castra adduxit comitantibus Ophni et Phinees. Sed Israel iterum caesus, *arca Dei capta,* Ophni et Phinees occisi sunt; Heli quoque haec audiens de sella cecidit et fractis cervicibus mortuus est (4, 1—22).

o) *Samuel* ab Anna matre precibus impetratus et Domino oblatus (1 Rg 1, 1—2, 11) vivente Heli Domino ministrabat (2, 18 ad 21) omnibusque placebat (2, 26); mortuo autem Heli iudex populi erat. Quo iudicante arca Domini restituta, Israel ad Dominum conversus, Philisthiim humiliati sunt.

In oblatione Samuelis Anna orasse et dixisse scribitur: [1] *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo:* [5] *. . . donec sterilis peperit plurimos: et quae multos habebat filios, infirmata est.* [6] *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit* [10] *. . . et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui* (2, 1—10). Annam hoc canticum cantasse Budde (Samuel 13), Klostermann (Samuel 4), Nowack (Samuel 9) aliique protestantes negant; iuxta Budde in cantico victoria Domini et populi eius de impiis et ethnicis reportanda, iuxta Nowack auxilium Domini Israelitis contra hostes praestitum celebratur, iuxta ambo canticum longe post mortem Samuelis compositum et propter v. 5 sq falso intellectos cum historia Annae et Samuelis coniunctum est. — Ad probandam istam assertionem a variis varia argumenta afferuntur, quae tamen non multum valent, nimirum α) in v. 10 *rex* commemoratur, qui tunc nondum constitutus erat. Respondemus: Bickell (Carmina 198), Cheyne (Origin of the Psalter 57), Grimm (Euphemistic Liturgical Appendixes 3), Klostermann (Samuel 5) putant ultima verba v. 10 esse appendicem liturgicam, quae opinio omnino acceptari potest, si appendix ab inspirato quodam scriptore adiecta supponatur; Budde (Samuel 13 17) asserit *regem* et *Christum* in v. 10 nominatum esse Messiam venturum; Hummelauer (1 Regum 45) scribit: „Institutio *regni* praenuntiata Dt 17, 14 sqq, eiusque tempus et modus approximative definita erant: ‚Cum ingressus fueris terram . . . habitaverisque in illa, . . . eum constitues (regem), quem Dominus Deus tuus elegerit.‘ Unde haud dubium est, quin magna tunc Hebraei eius institutionis exspectatione tenerentur, tantoque maiori quanto longiori iam post occupatam terram sanctam tempore regni institutio differebatur. Hinc enim Id 8, 22 sq regnum Gedeoni obtulisse leguntur. Dices vocem *christi* primum in nostro cantico inveniri; verum, quia rex instituendus fuerat praenuntiatus, ergo eum etiam christum i. e. unctum esse oportebat.“ Qualibet harum sententiarum vis argumenti primi eliditur, quod etiam Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 559) et Zapletal (Alttestamentliches 111) contra authentiam cantici Annae produxerunt. β) In v. 6 resurrectio mortuorum supponitur, quae fides posteriore tempore nata est. Verumtamen persuasionem resurrectionis mortuorum posteriore tempore natam esse ex sacris libris demonstrari nequit. γ) Phrases cantici in Psalmis quoque inveniuntur. Verum est; sed inde logice non sequitur canticum Annae tempore Psalmistarum compositum esse. „Id solum sequitur, ait Hummelauer (1 Regum 44), multos in Psalmis reperiri pios sensus, quos Samuele doctore hauserit David, quos ipse Samuel cum lacte veluti materno imbiberit.“ δ) Circumstantiae in cantico suppositae aliae sunt atque historia Annae. Huic assertioni Nowack (Samuel 9)

oppono assertionem Hummelauer (1 Regum 44 sq): in cantico nihil reperiri quod Anna non aptissime pronuntiare potuerit; potuisse Annam etiam uti cantico iam antea occasione partae cuiusdam victoriae composito: „nam certe non dedecebat Annam carmine aliunde petito uti, cum non dedecuerit Mariam canticum Magnificat ad imitationem quamdam cantici Annae effingere.“ ε) Cantico isto contextus interrumpitur (*Nowack*, Samuel 9). Hoc iudicium mere subiectivum esse examen textus Hebraici ac versionum ostendit. — Propter testimonium scriptoris inspirati (pag. 9) cum Hummelauer (ibi) tenemus Annam reapse orationem 2, 1—10 litteris consignatam pronuntiasse. Si quis cum Zapletal (Alttestamentliches 112) et Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 559), qui a Klostermann (Samuel 4) dependent, statuere voluerit Annam oratione prosaica locutam fuisse, hagiographum vero cogitationes et affectus eius poetice ad sensum reddidisse: non est vituperandus, cum Evangelistae quoque orationes Domini non ad litteram sed ad sensum tradant, ut ex comparatione Evangeliorum constat, atque in libro Iob simile quid occurrat (cf § 28, n. III).

α) Philisthiim arcam Domini captam Azotum duxerunt atque iuxta deum suum *Dagon* (Fig. 40) in templo statuerunt. Quia autem Dagon bis in terram deiciebatur et Azotii morbo affligebantur, arca prius in Geth ac postea in Accaron ducta est: at has quoque urbes Dominus eodem morbo afflixit. Eapropter Philisthiim post 7 menses arcam in plaustrum novum miserunt, ad quod duas vaccas lactantes iuxerant quae in agrum Iosue *Bethsamitae* ierunt ibique steterunt. Bethsamitae arcam videntes gaudebant, ligna plaustri conciderunt, vaccas holocaustum obtulerunt, arcam vero super lapide grandi deposuerunt. *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini: et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis* (6, 19). Luxeruntque Bethsamitae et rogarunt habitatores Cariathiarim, ut arcam Domini auferrent, qui eam in domum Abinadab intulerunt (5, 1—7, 1).

Fig. 40. Dagon. (Caelatura Assyria.) (Parisiis, Louvre.)

Septuaginta 6, 19 sic transtulerunt: καὶ οὐκ ἠσμένισαν i. e. non laetabantur (*Passow*, Handwörterbuch; *Biel*, Thesaurus) οἱ υἱοὶ Ἰεχονίου ἐν τοῖς ἀνδράσιν Βαιθσάμυς, ὅτι εἶδαν κιβωτὸν κυρίου· καὶ ἐπάταξεν ἐν αὐτοῖς ἑβδομήκοντα ἄνδρας καὶ πεντήκοντα χιλιάδας ἀνδρῶν. Hanc lectionem cum Budde (Samuel 46) aliisque omnino praeferimus, quia melius cum contextu congruit: Bethsamitae in genere laetabantur arcam videntes (6, 13), filii autem Iechoniae non laetabantur arcam videntes, idcirco Deus 70 viros ex iis percussit; textus Hebraicus huius loci certo corruptus est (*Budde*, Samuel 46. *Klostermann*, Samuel 21. *Nowack*, Samuel 30), Vulgatam quoque in rebus nonnullis minus accuratam esse Leo XIII (Provid. 33; cf. Exegeticam 125 sq) docuit. Quod ad ultima verba πεντήκοντα χιλιάδας ἀνδρῶν attinet, quae etiam in aliis versionibus atque in textu Hebraico

leguntur, Budde, Klostermann, Nowack mox citati et Hummelauer (1 Regum 83) ea glossam delendam declarant; „eruditi omnes fatentur in sacro textu nequaquam quinquaginta millia et septuaginta homines Bethsamitas interemptos dici, quod aliunde incredibile esset“ (*Vercellone*, Variantes Lectiones II 207), quare Selbst (Handbuch 603) cum aliis pro *chamischim 'eleph isch* = 50000 viri emendandum putat *chamischa 'aluphim* = 5 praefecti, quae opinio valde plausibilis est. Etiam mors 75 virorum Bethsamitas terrere debuit.

β) Ex die, quo arca Dei in Cariathiarim manebat, 20 anni transierunt quibus Samuel continuo et constanter populum monebat, ut Baalim et Astaroth auferrent atque Domino soli servirent, si de manu Philisthiim liberari vellent. Populus magis ac magis Samueli oboediebat, ita ut anno 20 *omnis domus Israel post Dominum requiesceret* vel potius ad Dominum converteretur (7, 2—4; *Hummelauer*, 1 Regum 86). Convenerunt autem Israelitae vocante Samuele in Masphath seu Maspha Beniamin (Tab. III), *hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et ieiunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Iudicavitque Samuel filios Israel in Masphat* (7, 5 sq). Hummelauer (1 Regum 87) Lapide citat, quocum Budde (Samuel 49) consentit: „Ecce hic tres actus poenitentiae: sc. contritio significata in effusione aquae: confessio, cum dicunt: *Peccavimus Domino;* satisfactio, cum ieiunant.“ Illo die Samuel officio iudicis fungens populo ius dixit.

Hummelauer (1 Regum 88) affirmat illo die Samuelem iudicem factum esse; melius tamen Budde (Samuel 49), Klostermann (Samuel 23), Nowack (Samuel 33) *iudicavit* = *ius dixit* intellegunt.

γ) Quando Philisthiim audiebant filios Israel in Maspha congregatos esse, statim ascenderunt eos oppugnaturi; qui timentes ad Samuelem dixerunt, ut pro se apud Dominum intercederet. Tollens igitur Samuel agnum lactentem unum obtulit eum holocaustum et clamavit ad Dominum, ut populum Israel de manu Philisthiim salvaret. Dum adhuc sacrificium offerebat, Philisthiim iam appropinquarunt; at Dominus fragore magno contra eos intonuit itaque exterruit, ut ab Israel caederentur. *Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos, cunctis diebus Samuelis* (7, 13). Redditae sunt quoque Israeli urbes, quas Philisthiim tulerant. Iudicavit autem Samuel populum Israel ca 30 anni (7, 7—17).

Nowack (Samuel 31) multique alii, inter eos etiam Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 558), asserunt 7, 13 sequentibus contradicere. Etenim iuxta 10, 5 et 13, 3 in terra Israel fuisse praefectum

Philisthiim et iuxta 14, 52 fuisse *bellum potens adversum Philisthaeos omnibus diebus Saul.* Verumtamen in 10, 5 et 13, 3 non praefectus, sed monumentum seu cippus Philisthiim in terra Israel fuisse dicitur (*Hummelauer,* 1 Regum 113 sq 134. *Klostermann,* Samuel 31 40. *Thenius-Löhr,* Samuel 47 54). Etiam Buhl (Handwörterbuch ad נְצִיב) concedit istis locis hunc sensum subesse posse; Hummelauer (1 Regum 113 sq) vero recte scribit: „Certe non intelligitur h. l. (10, 5) praesidium, locus enim describitur in latere seu ad radicem collis atque in ipso civitatis ingressu situs: at Philisthaei sane collocassent praesidium aut in vertice collis aut intra urbem. 2 Rg 8, 6 utique intelligitur dux seu praefectus. . . . Sed hoc loco . . . describitur locus non ex persona aliqua, quae facile istinc alio poterat secedere, sed ex re aliqua fixa permanenti. Adde descriptionem hic loci adhiberi, non ut Saul doceatur, ubi sit Gabaa eiusque sanctuarium, sed ut ipsum quodammodo punctum discat, ubi sibi occursuri sint prophetae: tale punctum per ducem describi non poterat." Neque 14, 52 sensui 7, 13 expresso contradicit. Nam ista phrasis *cunctis diebus Samuelis* pertinet ad *facta est itaque manus Domini super Philisthaeos,* non autem ad priorem sententiam *nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel;* et sensus est: cunctis diebus Samuelis pro Israel ad Dominum clamantis (7, 8 sq; 12, 19 sq) Philisthiim adverso Marte pugnarunt (7, 14; 14, 1 sqq; 17, 1 sqq; 18, 27), mortuo autem Samuele praevaluerunt (25, 1 coll. 28, 1 sqq): ita etiam Klostermann (Samuel 24) locum interpretatur. — Hummelauer (1 Regum 90) contra 7, 13 citat 13, 19 sqq, iuxta quos providentibus Philisthiim nullus Israelita, excepto Saule et Ionatha ensim vel lanceam habebat. Verumtamen Budde (Samuel 89) et Nowack (Samuel 60) recte notant istos versus originaliter non in hoc loco insertos fuisse; nam quomodo populus Israel contra Ammonitas pugnare (11, 1 sqq) et a Saule contra Philisthiim convocari (13, 3 sqq) potuit, si reapse nullus arma habebat? isti versus probabiliter ex alio loco in hunc contextum venerunt. — Sensus igitur verborum 7, 13—17 talis est: quamdiu Samuel Israelem *iudicabat,* Philisthiim non apposuerunt ut venirent in terminos Israel; et quamdiu *vivebat,* manus Domini contra eos fuit. At 7, 15 asseritur Samuel iudicasse Israelem *cunctis diebus vitae suae:* quid ergo? Budde (Samuel 51) censet haec verba originaliter hic non scripta fuisse, quia sequentibus contradicunt quibus *rex* Saul a Deo *constitutus* (9, 26—10, 27) et *iudex* Samuel *recessisse* (12, 1 sqq) narratur. — Quae cum ita sint, duos fontes sibi contradicentes supponere non debemus.

Nowack (Samuel 31) putat Samuelem aliter ac reliquos iudices proponi. Respondemus: notae essentiales iudicis (pag. 153) in quolibet istorum 14 virorum inveniuntur; notae accidentales autem diversae esse potuerunt et reapse fuerunt, quod comparatio Gedeonis, Iephte, Samsonis, Heli et Samuelis ostendit.

3. In fine huius paragraphi chronologia temporis iudicum tractanda est. Proponimus igitur primo annos quibus filii Israel servierunt aut quieverunt; inquiremus deinde quomodo hi numeri cum numero 3 Rg 6, 1 signato conciliari possint; determinabimus denique annos quibus iudices a. Chr. populum electum iudicarunt.

Servierunt		Quieverunt	
regi Mesopotamiae . . .	8 annis	iudice Othoniele . . .	40 annis
regi Moab	18 annis	iudice Aod	80 annis
Philisthiim		iudice Samgar	
regi Asor	20 annis	iudice Debbora et Barac	40 annis
Madianitis	7 annis	iudice Gedeon	40 annis
		rege Abimelech	3 annis
		iudice Thola	23 annis
		iudice Iair	22 annis
Philisthiim et Ammonitis	18 annis	iudice Iephte	6 annis
		iudice Abesan	7 annis
		iudice Ahialon	10 annis
		iudice Abdon	8 annis
Philisthiim	40 annis	iudice Samson	20 annis
Philisthiim		iudice Heli	40 annis
Philisthiim		iudice Samuel . . .	ca 30 annis
Summa	111 annis	Summa	369 annis

Si annos, quibus Israelitae gentibus servierunt, annis addimus, quibus iudices singuli Israelem iudicarunt, invenimus a prima servitute usque ad primum regem 480 annos praeteriisse. Legimus vero 3 Rg 6, 1 aedificationem templi inchoatam fuisse anno 4 regni Salomonis, qui annus 480 ab exitu populi Israel de Aegypto fuit. Quodsi annos 4 Salomonis, 40 Davidis, 40 Saulis (§ 28), 7 seniorum (pag. 151), 14 Iosue (pag. 150), 40 Moysis = annos 145 deducimus a 480, remanent 335 tantum anni aetatis iudicum. Quomodo haec differentia explicari potest? Textus ipse solutionem huius quaestionis nobis insinuat. Nam α) si cc. 19—21 excipiamus, in quibus flagitium Gabaanitarum et punitio Beniamitarum narrantur, in reliquo libro Iudicum numquam totus populus seu omnes filii Israel commemorantur. β) Bella in terra vel orientali vel occidentali et quidem aut in septentrione aut in meridie gesta scribuntur. γ) Non singuli iudices, sed Samgar, Abimelech, Thola, Iair, Abesan, Ahialon, Abdon (Samuel), iudici antea nominato successisse dicuntur. Ex quibus inferimus nonnullas servitutes nonnullosque iudices partim eodem tempore in diversis terrae regionibus fuisse, atque omnes servitutes populi et potestates iudicum simul sumptas spatium 335 annorum replesse (cf. 11, 26).

Quia populus Israel ca 1395 a. Chr. terram Chanaan intravit (pag. 129), Iosue ca 1381 (pag. 150) et seniores ca 1374 (pag. 151) probabiliter mortui sunt, 335 anni iudicum a ca 1374—1039 a. Chr. tatuendi sunt; haec computatio cum iis bene convenit quae pag. 95 ex documentis Aegyptiis protulimus.

Quot annis Samuel Israelem iudicaverit, sacrae litterae non clare docent. A morte Heli usque ad cladem Philisthiim 20 anni praeterierunt (1 Rg 7, 2), quibus certo plures addendi sunt, quia 1 Rg 7, 16 legimus: *ibat per*

singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Masphath, et iudicabat Israelem in supradictis locis. Probabiliter ca 30 annis populum iudicavit. — Alias computationes aetatum iudicum (cf. *Budde,* Richter XVII sqq; *Nowack,* Iudices XVIII sqq; *Ötzli,* Richter 210 sqq) omittimus, quia neque critice neque hermeneutice probari possunt; e. g. opinio: hagiographum non historicos sed systematicos quosdam numeros ponere voluisse, cum usu loquendi et contextu pugnat.

§ 28. De tempore Regum.

In hac paragrapho tempus trium regum regni indivisi, videlicet Saulis, Davidis et Salomonis, pertractabimus.

I. De rege Saule.

Hagiographus historiam regis Saulis ante reiectionem (1 Rg 8, 1 ad 15, 35) atque post eam (16, 1—31, 13) nobis proponit.

1. Cum Samuel senuisset i. e. annum c. 60 complesset (supra), atque filii eius Ioel et Abia, quos adiutores assumpserat, iudicando non aequitatem causae servarent sed maius suum commodum observarent, necnon rex Ammonitarum contra Israelitas progrederetur (1 Rg 12, 12), universi seniores Israel ad Samuelem in Ramatha seu Rama (Tab. III) venerunt eique dixerunt: *constitue nobis regem, ut iudicet nos, sicut et universae habent nationes* (8, 1—5). Haec petitio Samueli et ipso Domino displicuit (8, 6 sq): displicuit non in se, nam „institutio regis teste ipso Deo (Dt 17, 14 sq) futura erat exoptanda ad ‚possessionem' terrae sanctae in tuto ponendam. Rex uniturus erat circa se totum robur nationis ad repellendas gentes circumhabitantes. Iudices id nonnisi imperfecte praestiterant; nam fere post singulos iudices res publica Iudaeorum collapsa erat. Regia successione stabilita perduraturum erat centrum politici roboris. Iudicibus quandoque nonnisi paucae tribus adhaeserant: rex sibi iure suo vindicaturus erat tribuum universarum obsequium" (*Hummelauer,* 1 Regum 98). Displicuit autem propter circumstantias. Etenim *α*) Israelitae nolebant regem vicarium regis invisibilis, sed regem qualem universae nationes habebant; sicut antea Deum verum reliquerant et deos falsos coluerant, ita tunc regem Dominum abiecerunt et regem iuxta mores gentium ceterarum voluerunt (1 Rg 8, 7 sq). Nam postquam Samuel iussu Domini senioribus *ius regis* annuntiavit (8, 9—18), responderunt: *rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes: et iudicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis* (8, 19 sq). Similiter Klostermann (Samuel 25). *β*) Appropinquante rege Ammonitarum non auxilio Domini sed

fortitudine regis humani confidebant. „Imminente iam rege Naas seniores Samueli dicunt: ‚Ecce tu senuisti', non iam idoneus es populo ad certamen ducendo, quasi Samuel antehac in robore brachii sui salvasset Israel. Ita revera ‚abiiciunt' Samuelem, verum non ipsum solum, sed cum ipso Deum" (*Hummelauer,* 1 Regum 99). Quia igitur petitio in se non erat contra voluntatem Domini, Samuel regem quidem constituere (8, 22; 10, 24; 11, 14), sed etiam peccatum populi vituperare (10, 18 sq; 12, 17 sqq) simulque populum admonere debuit, ut Domino in veritate et ex toto corde serviret, ne cum rege periret (12, 20—25).

Nowack (Samuel 31) et cum eo Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 558) aliique asserunt in cc. 8—12 diversas rationes assignari, cur populus Israel regem postulaverit: in 9, 1—10, 16 et 11, 1—15 angustias temporis seu bella imminentia; in 8, 1—22; 10, 18 sq; 12, 1—25 autem adversam populi voluntatem. At haec assertio falsa est. In capite 11 utique legimus illo tempore Ammonitas bellum contra Israelitas decrevisse; ex 9, 16 coll. 13, 5 etiam colligere debemus Philisthiim ad oppugnandos Israelitas se praeparasse (cf. pag. 170): sed haec facta etiam 12, 12 et 8, 20 insinuantur. Bella imminentia erant occasio, in qua causa vera i. e. adversa populi voluntas revelata est. Ergo omnes consequentiae, quae ex duplici eaque diversa relatione contra axiopistiam narrationis deducuntur, sententiae futiles commenticiaeque sunt.

a) Illo tempore in Gabaa (10, 26; Tab. III) erat vir quidam ca 30 annorum (vide e) nomine Saul, שָׁאוּל, i. e. petitus (*Fürst,* Handwörterbuch), quem pater Cis cum servo asinas quaerere iusserat. Veniens igitur in urbem quandam, ubi tunc Samuel versabatur, forsitan Bethlehem (*Selbst,* Handbuch 607), a propheta iussu Domini princeps populi electi unctus et tribus praenuntiatis signis talis demonstratus est: iuxta *sepulchrum Rachelis* duos viros reperit dicentes asinas inventas esse, iuxta *quercum Thabor* nobis ignotam tres viros ad Bethel ascendentes invenit qui ei duos panes dederunt, iuxta *monumentum Philisthinorum* (pag. 170) gregem prophetarum obvium habuit quibuscum prophetavit i. e. Spiritu Dei actus carmina cantavit; unde in proverbium tractum est *Num et Saul inter prophetas?* Domum reversus regnum sibi promissum celavit, quia et Samuel hanc rem a servo absconderat (9, 1 ad 10, 16).

Quod Saul 30 annos natus *ab humero et sursum eminebat super omnem populum* (9, 2), non mirabile est. Nam anno 1896 Vindobonae Americanus quidam 21 annos natus populo se ostendebat, qui 2,45 *m* longus fuit (*Selbst,* Handbuch 622). — De sepulcro Rachelis 10, 2 scribitur: *Cum abieris hodie a me, invenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicentque tibi.* Ex quibus verbis Nowack (Samuel 45) cum aliis colligit sepulcrum Rachelis, quod iuxta Gn 35, 19 sq;

48, 7 (cf. pag. 76) ab austro urbis Ierusalem erat, a septentrione eius fuisse; et haec „duplex traditio“ in charta geographica a Fischer et Guthe delineata (Leipzig, sine anno) signatur. Attamen 1 Rg 10, 2 quoque de Bethlehem explicari potest. Hummelauer (1 Regum 112) textum sic exponit: „Illud sepulcrum haud longe abest a Bethlehem, *in finibus Beniamin* i. e. *prope* fines Beniamin (cf. supra pag. 149), nam hunc quoque sensum praepositio ב habet, et locus Sauli describitur per illud, quod ipse prae ceteris norat, suae tribus fines“; Klostermann (Samuel 30) pro בְּגִבְעָה בִּנְיָמִן *in finibus Beniamin* emendat מִגִּבְעַת בִּנְיָמִן *ex Gibea Beniamin:* utraque explicatio cum Gn 35, 19 sq; 48, 7 bene congruit. Hummelauer (1 Regum 112), cuius explicatio probabilior videtur, adiungit: „Obiicitur Ir 31, 15: ‚Vox in excelso (LXX et Mt 2, 18: in Rama) audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel‘; ergo, inquiunt, Rachel prope Ramam Beniamin sepulta erat. Sed Rachelis lamentatio non e sepulcro resonat, sed ex loco in quo ipsa praesens adest posteris iamiam in exsilium deducendis. . . . Insuper vox hebr. cum Vulgata verti potest ‚in excelso‘, ut Rachel supponatur de colle quodam filiorum miseriam contemplans. . . . Certe, quod Matthaeus textum applicaverit caedi innocentium in Bethlehem factae, indicat intimiorem aliquem inter Rachel et Bethlehemitas exstitisse nexum, qui alius esse non potest a situ sepulchri.“

b) Samueli et Sauli Deus revelaverat, quem regem populi sui elegisset; voluit autem etiam populo electionem suam revelare (cf. *Selbst,* Handbuch 610). Propterea Samuel populum in Maspha congregavit, petitionem regis vituperavit (pag. 173) et designationem personae ad sortem revocavit. Cecidit autem sors in Saul, qui ad sarcinas (non *domi,* ut sola Vulgata habet) absconditus erat. A Deo manifestatus et a populo adductus stetit in medio eius altior universo populo ab humero et sursum. Et clamavit populus: *Vivat rex;* at quidam filii Belial (pag. 166) dixerunt: *Num salvare nos poterit iste?* neque munera ei attulerunt, quod Saul dissimulabat. Locutus est autem Samuel populo *legem regni* et scripsit in libro reposuitque coram Domino ac dimisit singulos in domum suam. Saul quoque in domum suam abiit et cum eo viri fortes (non *pars exercitus,* ut Vulgata habet), quorum corda Deus tetigerat (10, 17—27).

c) Post unum quasi mensem (11, 1; Nowack et Budde h. l.) Ammonitae (pag. 172) contra *Iabes Galaad* (Tab. III) pugnare coeperunt. Quod cum Sauli nuntiatum esset, regali sua potestate utens effecit, ut Israelitae hucusque timidi et ancipites *quasi vir unus* egrederentur (pag. 172). Coacto igitur exercitu magno Ammonitas percussit ac dispersit et habitatores Iabes Galaad liberavit. Qua victoria parta populus filios Belial Saulem despicientes (supra) interficere volebat. Sed Saul magnanimus respondit: *Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel* (11, 13); Samuel vero populum in Galgala perduxit, ubi Saul ab

omnibus rex agnitus, Dominus sacrificiis honoratus, totus populus laetatus est (11, 1—15).

Schäfers (Biblische Zeitschrift 1907, 126 sqq 130 sqq) cum protestantibus quos citat, asserit de electione regis Saulis duas adesse relationes quae sibi contradicant neque conciliari possint. At haec assertio iam a priori non vera apparet. Nam scriptores inspirati ad quos etiam scriptor libri Samuelis pertinebat (pag. 8) „ea omnia eaque sola quae ipse (Deus) iuberet" et recte mente conceperunt et recte conscribere voluerunt et apte infallibili veritate expresserunt (*Leo XIII.*, Provid. 61). Deum vero de eadem re duas relationes secum pugnantes quae conciliari nequeant per hagiographum litteris consignare voluisse improbabilissimum est. Hagiographus nulla voce indicat se aliorum tantum relationes conservare et tradere velle; e contrario ipse proprio nomine loquitur (pag. 11), uti totus contextus indicat. Nihil interest, quod traditionibus et documentis aetatis suae usus sit (pag. 136); si enim hagiographi non indicant se aliorum dumtaxat narrationes memoriae prodere velle; si ipsi potius narrant, elocutiones eorum errores vel contradictiones internas (Exegetica 115 sq) continere non possunt (pag. 11). A posteriori quoque assertio non vera apparet. Si quis locos supra citatos comparat et iuxta usum loquendi explicat, inveniet veram contradictionem non adesse i. e. idem praedicatum de eodem subiecto simul et sub eodem respectu non affirmari atque negari (Exegetica 114). Apparentes et formales contradictiones in Scriptura statui posse omnes concedunt (Exegetica 114 118).

d) Stabilito ita regno Saulis Samuel in eodem loco et eadem occasione ab officio iudicis recessit (*Hummelauer,* 1 Regum 125, aliique antiquiores ac recentiores interpretes). Prius tamen innocentiam suam testatam esse voluit et populum peccati arguit quod imminente incursione Ammonitarum regem postulasset. Quam accusationem Dominus tonitruis ac pluviis tempore messis tritici alioquin non consuetis confirmavit. Populo timenti et peccatum suum confitenti Samuel intercessionem suam promisit, sed etiam mandavit, ut praecepta Domini observaret ne cum rege periret (12, 1—25).

e) *Filius unius anni,* בֶּן־שָׁנָה, *erat Saul cum regnare coepisset, duobus autem annis,* וּשְׁתֵּי שָׁנִים, *regnavit super Israel* (13, 1). Hunc versum, quem LXX omittunt, cum multis aliis (e. g. Hummelauer, Klostermann, Thenius-Löhr h. l.; cf. et *Selbst,* Handbuch 612) corruptum iudicamus. Iuxta anonymum in hexaplis (cod. holmesianus 82 et 158; cf. *Vercellone,* Variae Lectiones II 231) erat Saul *υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν* cum regnare coepisset, et teste S. Paulo (Act 13, 21) *ἔτη τεσσεράκοντα* regnavit. Quare putamus in textu Hebraico originaliter ל שנים i. e. *30 annorum* et מ שנים i. e. *40 annis* scriptum fuisse; postea vero מ = 40 in ב = 2 atque ל = 30 in א = 1 a librariis dormitantibus mutatum esse; ל in א mutato etiam

שנים in שנה mutatum et א ut superfluum omissum est. — Regnavit ergo Saul ab anno ca 1039 (pag. 171) usque ca 999 a. Chr.

Sunt aliae quoque explicationes. α) Chaldaeus reddit: *Sicut filius anni, in quo non sunt culpae,* erat *Saul;* similiter Symmachus: υἱὸς ὡς ἐνιαύσιος Σαούλ (cf. *Vercellone*, Variae Lectiones II 231). β) Notissima est antiquorum (e. g. Gregorii M., Petri Dam., Lyrani, Tostati) explicatio: Saulem regnare incipientem habuisse innocentiam pueri unius anni atque in ista innocentia per duos annos permansisse. γ) Syrus reddit: *Cum anno uno vel duobus regnasset Saul in regno suo super Israel, elegit sibi Saul* etc. (cf. v. 2). δ) Vercellone (Variae Lectiones II 232) opinionem Ghiringhello (Praelect. 254) adoptat et declarat: „iam annum Saul expleverat, ex quo primum rex fuerat creatus (per duos autem annos regnavit), cum satellitium sibi delegit." Sed contra has opiniones notamus principium hermeneuticum contextus (Exegetica 37 sqq) postulare, ut eandem phrasim in 13, 1 ratione eadem explicemus qua in 2 Rg 2, 10; 5, 4; 3 Rg 14, 21 etc. ab omnibus exegetis intellegitur, videlicet de annis in principio ac fine regiminis.

f) Postquam Samuel ab officio iudicis recessit et antequam Saul a Deo reiectus est, liber Iudicum compositus videtur (pag. 136).

Liber Iudicum, שֹׁפְטִים, historiam populi Israel a morte Iosue usque ad mortem Samsonis describit, 21 capitibus constat et in tres partes distribuitur, quibus introductio praemissa et appendix adiecta est. In introductione (1, 1—3, 4) hagiographus refert quomodo Israelitae plerique Chananaeos non deleverint (1, 1—2, 5) atque ab iis ad idololatriam seducti, a Domino puniti et a iudicibus liberati sint (2, 6—3, 4).

In 1 parte (3, 5—5, 32) quattuor iudices priores eorumque facta recenset: 1. Othonielis opprimentis regem Mesopotamiae (3, 5—11), Aod percutientis Moabitas (3, 12—30), Samgar ferientis Philisthiim (3, 31). 2. Debborae et Barac Sisaram ducem regis Asor devincentium (4, 1—5, 32).

In 2 parte (6, 1—10, 5) tres alios iudices eorumque facta narrat: 1. Gedeonis Madianitas superantis et Abimelech regnum occupantis (6, 1—9, 57). 2. Tholae et Iairi (10, 1—5).

In 3 parte (10, 6—16, 31) quinque iudices posteriores eorumque facta tradit: 1. Iephte Galaaditis Ammonitas vincentis ac filiam unigenitam offerentis necnon Ephraimitas punientis (10, 6 ad 12, 7). 2. Abesan, Ahialon, Abdon (12, 8—15). 3. Samsonis in vita ac morte Philisthiim oppugnantis (13, 1—16, 31). In appendice idololatria Michae et Danitarum (17, 1—18, 31) atque flagitium Gabaanitarum et conspiratio Beniamitarum eorumque poena (19, 1—21, 24) proditur.

Finis libri Iudicum manifestus est. Samuel populo Israel ex historia demonstrare voluit, quales sortes eius futurae sint, si

Domino servierit (1 Rg 12, 24), qualesque si in malitia perseveraverit (1 Rg 12, 25).

g) Saul pugnavit contra omnes hostes populi Israel: contra Moabitas, Ammonitas, Edomitas, reges Soba, Philisthiim, Amalecitas; et quocumque se verterat, superabat (14, 47 sq). Propter proelia continua quemcumque virum fortem et ad proelium aptum sibi sociabat (14, 52). Duo proelia hagiographus diffusius describit, quia in istis sortes familiae et personae Saulis decisae sunt, scilicet proelium contra Philisthiim et proelium contra Amalecitas.

α) Proelium contra Philisthiim, quod 13, 2—14, 46 narratur, non statim post victoriam de Ammonitis reportatam (pag. 174), sed post plures annos commissum est. Nam quando Saul Ammonitas percussit, erat 30 annorum (pag. 175); quando autem Philisthiim fugavit, filius eius Ionathas iam erat dux partis exercitus (13, 2) fortis et animosus (14, 1—14) iudiciique liberioris (14, 29 sq). Ante pugnam Saul in Galgala exsistens iuxta praeceptum Samuelis (13, 8) et Domini (13, 13 sq) *septem diebus* exspectavit quidem, sed adhuc ante adventum Samuelis (10, 8) holocaustum et sacrificium pacificum offerre volebat, quia viderat quod populus dilaberetur, et quia timebat, ne ante adventum Samuelis pugnandum esset. Holocausto sed nondum pacifico oblato (13, 9; *Klostermann* h. l.) Samuel venit atque Sauli se excusanti respondit: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum: et praecepit ei Dominus ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quae praecepit Dominus* (13, 13 sq). Si Saul uti Abraham (pag. 72) firmiter verbo Domini adhaesisset et adventum Samuelis exspectasset, quamquam circumstantiae temporis et ratio contrarium suadebant, regnum aeternum obtinuisset; quia vero praeceptum Domini neglegens iudicium rationis et oculorum secutus est, *stulte* egit atque regnum pro posteritate non autem pro persona sua perdidit (cf. *Klostermann*, Samuel 42). „Adverte, scribit Hummelauer (1 Regum 138 sq), eum nusquam commissi ea in re peccati gravis accusari. . . . At, si non admiserit, num non fuit poena severior? Non fuit. Nam Sauli, non quod suum iam erat, auferebat Deus, sed ab ulteriori tantum conferendo beneficio temperabat. Non est autem iniustum, vel ob parvum naevum a magno

beneficio conferendo abstinere." — Ascendit autem Samuel de Galgala in Gabaa Beniamin, „ut interesset pugnae ibidem, uti interfuerat Masphae" (*Hummelauer,* 1 Regum 139). In qua pugna Saul iterum stulte egit ita ut Ionathas morti exponeretur, populus praeceptum Domini violaret, plaga Philisthiim minueretur. Ionathas enim et armiger eius omnipotentiae Dei confidentes ca 20 Philisthaeos percusserunt, Dominus autem terrae motu (14, 15; Budde, Klostermann, Nowack h. l. contra Hummelauer h. l.) omnes Philisthiim perturbavit. Haec videns Saul populum adiuravit dicens: *Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis* (14, 24). Populus oboediens non manducavit panem, at tandem nimis defatigatus tulit oves et boves et vitulos mactavitque eos atque comedit cum sanguine, quod Dominus prohibuerat (Gn 9, 4; Lv 3, 17); Ionathas vero mandatum patris nesciens iam antea paululum mellis gustaverat et a Saule occisus esset, nisi populus restitisset; Philisthaeorum denique plaga minor evasit, quia populus Israel defatigatus erat, neque Saul Domino non respondente eos persequi voluit (14, 1—46).

β) Proelium contra Amalecitas (15, 1—35) non subito post cladem Philisthiim a Deo mandatum videtur, quia alioquin iterata Saulis inoboedientia vix comprehendi posset. Mandavit autem Dominus Sauli per Samuelem, ut omnes Amalecitas Israeli inimicissimos (pag. 115) deleret neve ex rebus eorum aliquid concupisceret. Saul debellavit quidem Amalecitas, pepercit tamen regi Agag conservavitque omnia bona et pulchra. Et revertens a pugna in urbe Carmeli ex austro Hebron sita sibi fornicem triumphalem erexit (15, 12; Budde, Hummelauer, Nowack h. l.), descendens autem Galgalam Domino de praeda Amalecitarum holocaustum obtulit. Illuc Samuel iussu Domini pervenit et regem sibi occurrentem increpuit, quod contra voluntatem Dei animalia praedam abegerit; cumque Saul opponeret meliora pecorum et armentorum adducta esse ut Domino immolarentur, Samuel respondit: *Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae: et auscultare magis quam offerre adipem arietum. . . . Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex* (15, 22 sq). Quibus dictis Samuel abire volebat, Saul vero oram pallii eius apprehendit, quae scissa est; et ait Samuel: *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro Triumphator in Israel non parcet, et poenitudine non flectetur: neque enim homo*

est ut agat poenitentiam (15, 28 sq). Hac sententia Saul regno privatus annuntiatur; sed „nota hanc Saulis condemnationem suaviori quo fieri potuit modo esse effectui mandatam: non enim regni iacturam supervixit. Sicut prima unctione Saulis regnum non est perfecte stabilitum sed subsequente per sortes electione et per populum agnitione, sic hac privata Samuelis obiurgatione non est Saul regno depositus: Samuel v. 31 Saulem ‚coram senioribus populi honorans' ostendit se illum adhuc pro legitimo habere rege; item David, Sauli constanter ut ‚christo Domini' honorem tribuens" (*Hummelauer,* 1 Regum 139 161). Postquam igitur Samuel Saulem coram senioribus populi honoravit atque Agag regem Amalecitarum occidit, in Ramatha seu Rama reversus est neque amplius invisit Saulem a Domino proiectum (15, 31—35).

Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 558) affirmat in 13, 2—14 atque 15, 1—35 adesse duas easque diversas relationes eiusdem reiectionis Saulis. Haec affirmatio iam apud Thenius-Löhr (Samuel XII) et Nowack (Samuel 58 72) aliisque protestantibus legitur, sed falsa est, ut Hummelauer (1 Regum 139) quoque notavit. Nam Samuel 13, 13 sq posteritatem Saulis a regno exclusam, 15, 23 sqq vero personam Saulis a Deo reiectam pronuntiavit: ergo non eadem reiectio Saulis sed diversae res in istis capitibus referuntur. „Non privat Saulem Deus h. l. (notat Hummelauer ad 13, 13) regno collato, id enim nonnisi 15, 28 pronuntiatur, sed non extendit regnum ad Saulis posteritatem, cui nequaquam antehac illud fuerat promissum." — Budde (Samuel 113) inter 15, 35 et 19, 23 adesse contradictionem inexplicabilem statuit. Nam 19, 23 sq legimus Saulem coram Samuele prophetasse; 15, 35 autem scriptum est: *Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suae.* Sed רָאָה non solum *vidit* significat verum etiam „*visit, visitavit* aliquem, adiit eum visendi et salutandi causa" (*Gesenius,* Thesaurus, et *Buhl,* Handwörterbuch, qui 2 Rg 13, 5; 4 Rg 8, 29; 2 Par 22, 6 citant). Antequam quis inter duos locos contradictionem statuit inexplicabilem, lexicon Hebraicum inspiciat.

2. Mandante Domino Samuel in urbem Bethlehem perrexit ibique *David,* octavum filium Isai, qui gregem pascebat, *in medio fratrum eius* (16, 13) unxit; et ab illo die Spiritus Domini in David directus est (16, 1—13).

Nowack (Samuel 79) inter 16, 10 et 17, 14 contradictionem invenit: iuxta 16, 10 sq David fuit octavus filius Isai; in 17, 13 sq quattuor dumtaxat filii enumerantur. At secundum praecepta logica nulla adest contradictio vera (cf. Exegeticam 114 sqq). Nam 16, 6 sqq Eliab primogenitus, Abinadab secundogenitus, Samma tertiogenitus cum quattuor reliquis ad Samuelem introducti ac denique minimus David de grege adductus narratur; 17, 13 sq autem tres filii maiores iique primogenitus Eliab, secundogenitus Abinadab, tertiogenitus Samma in proelium profecti ac David minimus gregem patris pascens describuntur, quae descriptio cum 16, 6 sqq omnino congruit; quattuor reliqui in 17, 13 sq tacentur, ex quo silentio iuxta praecepta logica (cf. *Gutberlet,* Logik und Erkenntnißtheorie 126)

non sequitur eos non exstitisse. Ceterum in textu Hebraico omnibusque versionibus (exceptis LXX manuscriptis plurimis) 7, 12 diserte Isai octo filios habuisse scribitur. — Idem Nowack (Samuel 81) asserit inter 16, 13 et 17, 28 quoque contradictionem adesse; sed vana est assertio. Etenim 16, 13 David utique a Samuele *in medio fratrum eius* (ita communiter versiones et commentatores) unctus dicitur, hagiographus vero nulla voce indicat Samuelem significationem unctionis fratribus vel patri Davidis declarasse. Unctio varia significare potuit: ungebantur enim sacerdotes, prophetae, reges et alii (*Winer*, Realwörterbuch II 357 sq); praerogativum aliquod Davidis primogenitum suspicatum esse verba eius 17, 28 *ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui* innuere videntur; minimum fratrem gregem pascentem a Deo regem populi Israel creatum esse eo minus suspicari potuit quo occultior reiectio Saulis permansit (pag. 179). — Nowack (Samuel 79) et Budde (Samuel 114) cum Wellhausen affirmant unctionem Davidis 16, 1—13 narratam esse fictam, ne in hac re Saul (cf. 10, 1) Davidem (cf. 2 Rg 5, 3) antecedere videretur; sed ista affirmatio neque cum divina (pag. 9 sqq) neque cum humana (pag. 136) auctoritate libri Samuelis conciliari potest.



Fig. 41. Leo rugiens in Susa repraesentatus. (Parisiis, Louvre.)

a) Virtute Spiritus accepti David Philisthaeum Goliath occidit, spiritum malum Saulis fugabat, res bellicas optime gerebat.

α) Illo tempore Philisthiim inter Socho et Azeca (Tab. III), Israelitae autem in vicina valle terebinthi (*Benzinger-Baedeker*, Palästina 19 146; *Riess*, Geographie 20) castrametati sunt. Vir Philisthaeus nomine *Goliath* Israelitis saepius proponebat, ut unum eligerent, qui in certamine singulari cum eo inito pugnam decerneret. Sed Saul atque exercitus eius videntes et audientes Philisthaeum tremebant et timebant valde: fuit enim Goliath 2,925 *m* altus, cuius lorica 81,85 *kg* et ferrum hastae 9,822 *kg* explevit. Quare nemo invitationem eius acceptare ausus est, licet Saul victori divitias magnas, filiam propriam et vacationem tributi perpetuam pro domo patris eius promitteret. Tunc David a patre cum cibis ad tres fratres (pag. 179) missus Sauli ad pugnandum cum Goliath se obtulit. Saul stupebat quidem ac putabat puerum bellatori in armis exercitatissimo resistere non posse; asserenti autem Davidi se iam rugientem et rapientem leonem (Fig. 41) vel ursum suffocasse vestimenta et

arma sua commodavit. At David armatus incedere non poterat, quia armis non assuetus erat; idcirco ea deposuit et in adiutorio Domini confidens funda et lapide percussit ac gladio eius detruncavit hostem itaque omnes Philisthiim superavit, quos fugientes exercitus Israel persecutus est et cecidit. Regrediens David ab Abner, principe exercitus (14, 50), ad regem adductus et ab eo de progenie sua interrogatus, cum Ionatha autem amicitia intima iunctus est; postea caput Goliath in Ierusalem attulit, arma eius in tabernaculo suo posuit (17, 1—18, 4).

Goliath *altitudinis sex cubitorum et palmi* fuisse scribitur (17, 4). Cubitus in minorem (Aegyptium) = 0,450 *m* atque maiorem (Babylonium) = 0,525 *m* dividebatur; in descriptione arcae Noe (pag. 37) cubitum Babylonium (cf. Comment. in Genesim 135), hic vero Aegyptium adhibitum esse cum multis aliis censemus. Fuit ergo Goliath 0,450 × 6 = 2,7 *m* + 1 palmum = 0,225 *m* (*Kortleitner,* Archaeologia 258 sq) altus. Pondus loricae 5000 siclorum, ferri hastae 600 siclorum erat: 1 siclus = 16,37 *gr* (*Benzinger,* Archaeologie 187). Altitudo 2,925 *m* pro illo tempore non est admirabilis. Anno 1878 iuxta Selbst (Handbuch 622) vir 2,83 *m* altus vixit; ibidem homines nostri temporis 2,68 et 2,57 et 2,45 *m* alti enumerantur. — David testatur: *veniebat leo, vel ursus, ... et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos* (17, 34 sq): idem modus pugnandi in imaginibus Assyriis repraesentatur (*Delitzsch,* Babel und Bibel I 17). Et Hummelauer ad textum Vulgatae notat (1 Regum 179): „non agitur de bestia suffocanda, sed baculo confícienda; ita hodiedum aliquando Arabes leonem conficiunt." Videas Fig. 42; est caelatura palatii Darii Persepoli exsistentis, qua pugna regis cum monocerote repraesentatur. — Notetur hic interim: David vocatur quidem נער i. e. *puer* vel *adolescens* (17, 33 42), sed talis qui iam leonem et ursum occidit atque vestimentis et armis Saulis indutus est (17, 36 38 sq). „Recte advertunt . . . Davidem tunc non ita tenerae aetatis puerum fuisse, quod Sauli, qui altior esset universo populo ab humeris et sursum, in mentem venerit suis illum vestibus induere, quodque David non vestium amplitudinem, sed solam consuetudinem excusaverit" (*Hummelauer,* 1 Regum 179). — Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 583) provocans ad 2 Rg 21, 19 putat Goliath non a Davide sed ab Elchanan occisum fuisse, quod iam Thenius-Löhr (Samuel 196), Nowack (Samuel 240), Budde (Samuel 312) affirmarant; sed videamus textus. Legimus 1 Par 20, 5: *Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthaeos, in quo percussit Adeodatus* (Hebraice *Elchanan*) *filius Saltus* (Hebraice *Iair*) *Bethlehemites fratrem Goliath Gethaei, cuius hastae lignum erat quasi liciatorium texentium.* Similiter 2 Rg 21, 19: *Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthaeos, in quo percussit Adeodatus* (Elchanan) *filius Saltus* (Iair) *polymitarius*

Fig. 42.
Rex cum monocerote pugnat.

Bethlehemites Goliath Gethaeum, cuius hastile hastae erat quasi liciatorium texentium. Hunc alterum textum non incorruptum esse etiam Thenius-Löhr, Nowack, Budde confitentur; ergo ex 1 Par 20, 5 loco parallelo corrigendus est, quare Klostermann (Samuel 238) et Hummelauer (2 Regum 426) *polymitarius* omittunt et *fratrem* addunt. Itaque Elchanan *fratrem* illius Goliath, quem David occiderat, percussit. Budde (l. c.) praecipue ex verbis *hastile hastae erat quasi liciatorium texentium* quae tam 1 Rg 17, 7 quam 2 Rg 21, 19 leguntur infert utrumque textum de una eademque persona intellegi debere; sed talis conclusio iuxta praecepta logica falsa est. Quid inde solum sequatur, Hummelauer (l. c.) indicat: „idem 1 Rg 17, 7 de hasta Goliath dicitur — par nobile fratrum."

β) Post celebrem istam victoriam David cum fratribus suis Bethlehem reversus est (ita et *Hummelauer,* 1 Regum 169 171); Saul autem spiritu malo exagitabatur (16, 14) i. e. animi tristitia, suspicione, iracundia, quae reiectionem eius divinam (pag. 179) quasi naturaliter sequebatur. Propterea consilio servorum suorum permotus Davidem filium Isai Bethlehemitem *scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis,* quocum Dominus erat (16, 18), ad se vocavit fecitque eum armigerum suum (16, 15—22). Et *quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. recedebat enim ab eo spiritus malus* (16, 23). Musica tristitiam animi et iracundiam levari factis comprobatur.

Legimus 16, 14: *Spiritus autem Domini recessit a Saul et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.* Ad hunc textum Hummelauer inter alia scribit: „Certum est Saulem in eum incidisse statum, qui ex opinione hominum illius aevi daemoni tamquam auctori principali adscriberetur. Certum item est Saulem de facto in eo statu fuisse, in quo daemonis tentationibus solito magis pateret. Totus erat in cogitationibus suspicionis, invidiae, violentiae, tristitiae, desperationis. Regem alterum suo iam loco unctum esse suspicabatur et, ille quis esset ignorans, ab omnibus sibi et ubique timebat. . . . Quo in mentis statu in varia et gravia scelera instigante diabolo abreptus est, qualia erant Davidis nex iterato attentata et sacerdotum in Nobe interfectio. Utrum vero in eo mentis statu aliquid fuerit possessionis daemoniacae aut totum fuerit morbida quaedam conditio ex vitiosis illis affectibus oborta, non liquet. . . . Si morbum animi supponas, facillime explicatur influxus musices; si daemonis possessionem, oportebit sonis et magis etiam verbis a Davide editis vim exorcismi affinem vindicare." — *Spiritus malus* vocatur *Domini* vel *a Domino,* quia „eo permittente et disponente" (*Hummelauer,* 1 Regum 168 cum aliis) Saulem exagitabat. — Notetur hic Davidem iam notum esse ut virum fortissimum et bellicosum et a Domino adiutum.

γ) Egrediebatur quoque David; et in omnibus, ad quae a Saule mittebatur, prudenter agebat, quapropter militibus praefectus est (18, 5). Porro quando victoria quadam de Philisthiim reportata cum rege Saul reversus est, de universis urbibus Israel mulieres egre-

diebantur cantantes et dicentes: *Percussit Saul mille, et David decem millia* (18, 6 sq). Iratusque Saul valde dixit: *Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum.* Et ab illo die Saul Davidem non rectis oculis aspiciebat (18, 8 sq).

Quae hic narrantur non statim post caedem Goliath accidisse et Hummelauer (1 Regum 187) concedit. „Hinc etiam patet, inquit, longius hos omnes eventus occupasse tempus, cum prius David caeso Philisthaeo sit domum reversus, dein aliquanto post a rege psaltes accersitus, bellicis expeditionibus adhibitus et militari honore insignitus. Non absonum videtur his omnibus aliquot assignare annos: secus ne decenti quidem veri superlatione potuisset dici interemisse decem milia." Nihil interest quod hoc bellum contra Philisthiim in Scriptura diffusius non narretur; hagiographus enim 14, 52 generalem litteris mandaverat notam: *Erat autem bellum potens adversum Philisthaeos omnibus diebus Saul.*

Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 558 583) id repetit quod iam Budde (Samuel 114), Nowack (Samuel 79), Thenius-Löhr (Samuel XII) scripserant, nimirum in 16, 14—23 et 17, 1—18, 5 duas et quidem diversas, inter se discrepantes relationes contineri, quomodo David ad regem Saulem venerit. Reapse primo aspectu ita videtur. Iuxta 16, 14—23 ad Saulem adductus est ut vir iam notus et fortissimus et bellicosus factusque est psaltes et armiger regis; iuxta 17, 1 sqq autem puer vel adolescens nondum notus neque armis assuetus ante Saulem stetit eique post occisionem Goliath progeniem suam indicavit. Sed omnes difficultates evanescunt, si duas istas narrationes secundum contextum psychologicum non chronologicum (Exegetica 45 sq) coniunctas dicamus, quemadmodum in Evangelio S. Matthaei narrationes saepissime coniunguntur (cf. introductiones atque commentarios recentiores). Secundum contextum chronologicum 16, 1—13 deinde 17, 1—18, 4, postea 16, 14—23 et 18, 5—9 nectenda erant; quia vero hagiographus 16, 13 notaverat *Spiritum Domini* post unctionem in David venisse, subito narrare voluit *Spiritum Domini* a Saule recessisse et propterea Davidem, quocum Dominus erat (16, 18), ad regem vocatum esse (cf. *Hummelauer*, 1 Regum 183, ubi aliae quoque solutiones exhibentur). Sic omnia bene componi possunt, ut iam supra notavimus: David iuvenis quidem Sauli aliisque ignotus neque armis assuetus, sed leonem et ursum interficiens atque vestimenta et arma Saulis induens post caedem Philisthaei regi progeniem suam indicat ac Bethlehem revertitur; ut vir fortissimus et bellicosus atque musicus iam notus ad regem melancholicum vocatur fitque psaltes et armiger eius; qua armiger Saulis egreditur et in bello bene se gerit ac laudatur magis quam rex itaque invidiam eius excitat. — Contra hanc expositionem quis obicere poterit 17, 15 legi: *abiit David, et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem;* sed audiamus Hummelauer (1 Regum 175 sq): „Versio recepta, ait, utique suggerit nexum cum 16, 21 ubi Saul dicitur Davidem secum retinuisse. Sed is nexus textui hebr. necessario non inest... David *ibat:* quo, non enuntiatur, quia illud ex immediate praecedentibus facile suppletur, ubi eadem voce dicebantur fratres *ivisse post* Saul; neque dicitur ad quid, quia id v. 17 sq effertur, sc. ad commeatum fratribus ministrandum; *et redibat,* hicque additur terminus a quo, *a Saul,* et ratio propter quam, *ut pasceret gregem.* Ergo ex hoc versu non potest sumi argumentum, cap. 17 narrata obtigisse post narrata cap. 16." Illud 17, 12 *David autem erat filius viri Ephra-*

thaei, de quo supra dictum est, de Bethlehem Iuda, nullam difficultatem affert, quia ad 16, 1 referri potest et in officiali editione Vulgatae reapse refertur; in Hebraico simpliciter scriptum est: ... *Ephrathaei huius de Bethlehem Iuda,* Syrus autem aliique etiam *huius* omittunt.

b) Spiritu malo (pag. 182) agitatus Saul Davidem primo lancea configere volebat (18, 10—12), deinde tribunum 1000 virorum creavit ut eum amoveret (18, 13—16), filias suas quoque ei promisit, si fortiter contra inimicos Israelis pugnaret, quod David contra desiderium Saulis etiam fecit (18, 17—30). Videns igitur rex se hoc modo nihil proficere, filio ac servis suis mandavit, ut Davidem occiderent (19, 1—7), iterum lancea eum configere volebat (19, 8—10), denique satellites misit qui eum interficerent (19, 11—17): fugit ergo David ad Samuelem in Ramatha. At illuc quoque Saul ter lictores misit; et cum illi inter prophetas prophetarent (pag. 173), ipse in Ramatha perrexit, verum etiam prophetavit, unde proverbium exivit: *Num et Saul inter prophetas?* (19, 18—24.)

Contra omnes istos catholicos et acatholicos qui asserunt ortum proverbii citati in 10, 12 et 19, 24 diversa ratione explicari, verba Hummelauer (1 Regum 196) afferimus: „Proverbium, ait, tum non primum formatum est (cf. 10, 12), sed confirmatum. Tamen, cum primum eo homines tantum expresserant admirationem, quod tam obscurus homo Saul prophetis accessisset, nunc exprimebant admirationem, quod rex prophetis infensior et quandoque spiritus mali influxibus subiectus divinum quid pateretur.“ Non unum factum bis et quidem diverso modo narratur, sed duo facta similia traduntur, quae in diversis circumstantiis temporis ac personarum evenerunt. Conferas quae pag. 75 scripta sunt.

c) De Ramatha David fugit in *Nobe* iuxta Anathoth, ubi a summo sacerdote Achimelech panes et gladium Goliath, quem tabernaculo dedicaverat, recepit (20, 1—21, 9); inde fugit (conferas Tab. III) in urbem *Geth* (21, 10—15) et in speluncam *Odollam,* ubi parentes et fratres aliique viri ca 400 se cum eo coniunxerunt (22, 1 sq). Patrem matremque in terram Moab duxit (22, 3 sq), ipse vero cum viris suis hortante Gad propheta in terram *Iuda* profectus est (22, 5). Cumque Saul 85 sacerdotes interficiebat et urbem Nobe percutiebat, filius Achimelechi nomine Abiathar cum *ephod* (23, 6 et pag. 156) ad David venit (22, 6—23). Qui urbem Ceila liberavit (23, 1—6), in desertum *Ziph* fugit (23, 7—18) atque in deserto *Maon* a Deo e manibus Saulis liberatus (23, 19—28), demum in *Engaddi* (Fig. 43) regi reconciliatus est (24, 1—23).

Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 583 sq) asserit sacerdotes in Nobe simulacrum (Gottesbild) habuisse; at videas quae pag. 156 de *ephod* dictum est. Asserit quoque Saulem bis in spelunca dormientem

a Davide repertum sed non occisum fuisse. Koch textus 1 Rg 24, 4; 26, 5 vix perlegit, alioquin hos errores non conscripsisset; videas commentarios ad locos citatos.

d) Mortuus autem est *Samuel* et sepultus in Ramatha (25, 1), postquam librum Ruth conscripsit (pag. 136).

Liber Ruth, רות, historiam proaviae David enarrat, 4 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—22) describit hagiographus, quomodo Ruth Moabitis, nurus Elimelech, populo ac Deo Israel adhaeserit et cum Noemi Bethlehem venerit.

Fig. 43. Mons Engaddi. (Phot. Bonfils.)

In 2 parte (2, 1—4, 22) narrat, quomodo Ruth gratiam Booz invenerit (2, 1—23), cum eo nuptias celebraverit (3, 1—4, 12) et proavia David evaserit (4, 13—22).

Finis libri est progeniem Davidis ostendere simulque innuere ne Moabitas quidem a beneficiis populi electi exclusos esse, si Deo Israel adhaereant.

e) Consurgens autem David in desertum *Pharan* (Tab. II) descendit ibique cum Nabal et Abigail de cibariis tractavit (25, 1—44); in desertum *Ziph* reversus iterum Sauli reconciliatus est (26, 1—25). Denique ut securitatem et requiem inveniret, cum 600 viris ad regem civitatis *Geth* profectus est et ab eo urbem *Siceleg* donatam accepit. Saul vero *non addidit ultra quaerere eum* (27, 1—12).

Secundum Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 584) David Nabalem percussit; at textus 1 Rg 25, 38 sq et commentatores Nabalem a Domino percussum dicunt: Koch forsitan textum non inspexit.

f) Et venerunt Philisthiim in *Sunam* vel Sunem in tribu Issachar, quare Saul cum exercitu suo in *Gelboe* (Tab. III) castrametatus est. At conspiciens castra Philisthiim valde timebat consuluitque Dominum, qui tamen neque per somnia neque per sacerdotes neque per prophetas respondit. Propterea ille rex, qui magos et ariolos de terra eraserat (28, 3 9), habitu mutato una cum duobus servis ad mulierem pythonicam in *Endor* latitantem perrexit petens ut Samuelem vocaret. Samuel revera apparens Saulem increpuit ac certiorem fecit regnum ad David transiturum (pag. 178), castra Israel in manus Philisthiim tradenda, ipsum et filios crastino die morituros esse. Quibus auditis rex timore perterritus in terram cecidit; tamen a muliere et duobus servis coactus surrexit, comedit et eadem nocte ad exercitum rediit (28, 1—25). Die altero Philisthiim Israelitas percusserunt et fugarunt, tres quoque filios Saulis occiderunt; rex in tantis angustiis positus in gladium incubuit, quod postea etiam armiger fecit (31, 1—6). Amalecita quidam Sauli mortuo diadema et armillam abstulit (2 Rg 1, 10 coll. 1 Rg 31, 8 sqq). Die sequenti Philisthiim interfectos spoliarunt, caput et arma Saulis in terram suam miserunt, corpus autem eius et corpora filiorum in muro urbis Bethsan suspenderunt. Quod cum audissent habitatores Iabes Galaad, tota nocte ambularunt, cadavera de muro tulerunt, in Iabes Galaad combusserunt et ossa eorum in nemore sepeliverunt (31, 7—13).

De Samuele Eccli 46, 23 legimus: *Et post hoc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Usus loquendi ostendit in hoc loco Deum inspirantem de vera prophetia Samuelis loqui (cf. *Zöckler,* Die Apokryphen 344); ergo concludimus Samuelem reapse cum Saule locutum esse, sed mulieri dumtaxat non Sauli apparuisse visibilem (cf. 1 Rg 28, 13 sq). Plures de hac re apud Hummelauer (1 Regum 248 sqq), Nowack (Samuel 137 sq), Budde (Samuel 178 sq) opiniones collectae inveniuntur. — Habitatores Iabes Galaad gratos se praebuerunt quod a Saule liberati fuerant (pag. 174). Multos interpretes id commovit quod corpora combusta et ossa sepulta dicantur (cf. 1 Par 10, 12. 2 Rg 21, 12 sqq), cum Iudaei corpora ceteroquin non comburerent. Hummelauer (1 Regum 263) putat ideo factum esse „quod carnium putrefactio iam ulterius processerat, quam ut corpus more Iudaico condiri posset, unde etiam solae carnes combustae sunt, non ossa“: explicatio bona. Nowack (Samuel 147), Budde (Samuel 192), alii cum Klostermann (Samuel 128 sq) pro וַיִּשְׂרְפוּ אֹתָם, *et combusserunt ea,* legunt וַיִּסְפְּדוּ לָהֶם, *et planxerunt eos;* Thenius-Löhr autem hanc textus mutationem reprobant cum sarcasmo scribentes: „Angesichts dieser Textbehandlung wäre es

noch einfacher, wir schrieben uns die Quellen gleich ganz und gar selbst.“ Profecto mutatio ista dura videtur, quia in fine capitis sequitur: *et ieiunaverunt septem diebus.* — 1 Par 10, 13 sq hagiographus historiam Saulis sic concludit: *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod praevaricatus sit mandatum Domini quod praeceperat* (1 Rg 15, 3), *et non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino: propter quod interfecit eum, et transtulit regnum eius ad David filium Isai* (cf. 1 Rg 28, 16—18).

g) Interim David, quem rex urbis Geth secum sumere volebat, reliqui autem principes Philisthiim reverti iusserant (29, 1—11), Amalecitas incendiarios urbis suae Siceleg percussit, senioribus Iuda munera misit (30, 1—31) et duos dies in Siceleg habitavit (2 Rg 1, 1). Die tertio Amalecita de castris Saulis ad Davidem perveniens ei diadema et armillam obtulit narravitque quomodo casu Saulem hastae innixum invenisset atque rogatus occidisset. David Amalecitam interfici iussit, Saulem vero et Ionatham lacrimis sinceroque comploratu prosecutus est (2 Rg 1, 2—27).

Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 558) affirmat duas adesse relationes mortis Saulis contrarias, quod iam Budde (Samuel 193), Nowack (Samuel 148 sq), alii affirmarunt. Sed rationes a Budde congestae nihil probant, videlicet: α) in 1 Rg 31, 4 Saul a semetipso, in 2 Rg 1, 10 ab Amalecita interfectus dicitur. At videamus, quis loquatur: in priore loco hagiographus proprio nomine narrat, ergo narratio eius vera sit oportet (pag. 9); in altero autem loco hagiographus diserte testatur Amalecitam ita narrasse, quin narrationem eius approbet; ergo narratio falsa esse potest (pag. 11 sq) immo debet, quia narrationi ipsius hagiographi contradicit. Hanc narrationem „vel ex integro vel utique magna ex parte“ confictam esse Hummelauer (2 Regum 265 sq) etiam eo probat quod Amalecita se *casu* in montem Gelboe venisse dicat, dum Saul pugnando exhaustus lancea nixus subsistebat: „assertio parum probabilis, ait, ut homo neutrius partis in eum praecise locum se ingesserit, circa quem utraque pars acerrime dimicaret.“ β) In 1 Rg 31, 3 sagittarii, in 2 Rg 1, 6 currus et equites Sauli appropinquasse referuntur. Respondemus: illa relatio est scriptoris inspirati, ergo falsa esse nequit; haec autem Amalecitae, quam ipse Budde „valde improbabilem“ iudicat. γ) In 1 Rg 31, 3 Saul vulneratus, in 2 Rg 1, 9 in angustiis positus scribitur. Tacemus illic hagiographum, hic vero Amalecitam loqui et hoc solum notamus sensum lectionis 1 Rg 31, 3 non certum esse; Thenius-Löhr et Nowack hunc quoque locum de angustia, non de vulneratione interpretantur. δ) In 1 Rg 31, 9 sq a Philisthiim, in 2 Rg 1, 10 ab Amalecita Saul spoliatus dicitur. At in illo loco arma Saulis die proelium sequenti a Philisthiim ablata narrantur; diadema et armillam iuxta hunc locum Amelecita abstulit noctis probabiliter tempore: ergo nulla adest vera contradictio (cf. Exegeticam 114). ε) Iuxta 2 Rg 1, 15 Amalecita iussu Davidis a puero eius percussus est; 4, 10 vero David asserit: *tenui, et occidi eum,* scilicet manu propria, uti Budde addit. Sed inspiciat grammaticas. Secundum Schultz-Feichtinger (Lateinische Sprachlehre, Wien 1896, § 255) pro *eum occidi iussit* etiam dici potest *eum occidit;* quae locutio in Hebraica quoque lingua occurrit (*Gesenius-*

Kautzsch, Grammatik § 144, n) et hic contextu postulatur (cf. 4, 11 sq). *Uriam Hethaeum percussisti gladio,* dixit Dominus ad Davidem (12, 9), licet David propria manu eum non percusserit (11, 6—24).

II. De rege David.

David triginta annorum erat, quando regnare incepit, atque 40 annis ab ca 999 usque ca 959 a. Chr. (pag. 176) regnavit: in Hebron septem annis et sex mensibus in Iudam, in Ierusalem vero triginta tribus annis in omnem Israel et Iudam (2 Rg 5, 4 sq). Proponitur autem ab hagiographo ut rex iustus et ut rex poenitens.

1. Post mortem Saulis David Dominum consuluit, utrum ab urbe Siceleg in unam de civitatibus Iuda ascendere deberet necne, et iussu Domini cum viris suis in *Hebron* ascendit. Veneruntque viri Iuda et unxerunt ibi David, ut regnaret in Iudam (2 Rg 2, 1—4).

a) Cumque audisset David viros Iabes Galaad corpora Saulis et filiorum eius sepelivisse, ad eos nuntios misit qui gratiam redderent (2 Rg 2, 5—7). Abner autem, princeps exercitus Saulis, tulit Isboseth filium Saulis et duxit eum in Mahanaim (Tab. III; Vulgata vertit *per castra*) constituitque eum regem reliquarum tribuum; quadraginta annorum erat Isboseth, quando regnare coepit, et duobus annis in Israel regnavit (2 Rg 2, 8—11). Postquam vero tam Abner quam Isboseth contra voluntatem Davidis occisi sunt (2 Rg 2, 12—4, 12), venerunt omnes tribus Israel ad Davidem in Hebron unxeruntque eum regem totius populi Israel (2 Rg 5, 1—5; 1 Par 11, 1—3).

b) His gestis David et omnes viri eius in *Iebus* seu *Ierusalem* (pag. 53 67 sq) profecti sunt, ut eam expugnarent. Urbs vero tam munita erat, ut caeci et claudi eam defendere possent (2 Rg 5, 6; Hummelauer et Budde ad h. l.). Nihilominus David arcem Sion cepit, in ea habitavit eamque Civitatem David vocavit atque magis munivit (2 Rg 5, 6—10; 1 Par 11, 4—9). De monte et arce Sion in appendice huius operis plura dicturus sum.

c) Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David qui ei gratularentur necnon ligna cedrina (Fig. 44) et artifices lapidum lignorumque, ut ei domum regiam aedificarent (2 Rg 5, 11; 1 Par 14, 1).

d) Audientes vero Philisthiim David regem universi Israelis unctum esse, bis contra eum ascenderunt, sed bis ab eo percussi sunt. *Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, et Dominus dedit pavorem eius super omnes gentes* (1 Par 14, 8—17; 2 Rg 5, 17—25).

Fig. 44. Cedri Libani.

e) In urbe Ierusalem David non solum sibi domos aedificavit, verum etiam pro arca Dei *tabernaculum* novum tetendit (1 Par 15, 1; 2 Rg 6, 17). Tabernaculum a Moyse exstructum (pag. 117) primum in Galgala (Ios 5, 10; 14, 6), deinde in Silo (Ios 18, 1; Id 21, 19; 1 Rg 1, 3 sqq), postea in Nobe (1 Rg 21, 1), denique in Gabaon (1 Par 16, 39; 21, 29; 3 Rg 3, 4) tetenderunt; *arca* vero e Silo in terram Philisthiim indeque in Cariathiarim venit (pag. 168) neque Saule regnante requisita est (1 Par 13, 3; Benzinger, Kittel, Öttli ad h. l.), quod Davidi displicuit. Idcirco congregavit cunctum populum et ascendit cum eo Cariathiarim, ut arcam Dei in Ierusalem adduceret. Tulerunt igitur arcam de domo Abinadab et imposuerunt super plaustrum novum; Oza et Ahio, filii Abinadab, plaustrum minabant, David autem et omnis populus coram Domino ludebant omni virtute in canticis, in citharis et psalteriis et tympanis et cymbalis et tubis. Cum vero ad aream Chidon pervenissent, boves vestigio fallente arcam declinabant, quare Oza manum extendit et arcam tenuit; propter quam temeritatem a Domino percussus iuxta arcam obiit. Hac de causa David tristitia et timore affectus arcam non in civitatem suam, sed in domum Obededom Gethaei extra civitatem David habitantis introduxit ibique tribus mensibus reliquit (1 Par 13, 1—14; 2 Rg 6, 1—11). Audiens tamen Dominum propter arcam domui Obededom benedicere, iterum universum Israel congregavit iubens sacerdotes et Levitas sanctificari et arcam iuxta praeceptum Domini et Moysis (Nm 7, 9; 10, 17) a Levitis portari. Cumque Levitae arcam portantes sex passus progressi erant, quin aliquid adversi accideret, 7 boves et 7 arietes immolabantur. Et deduxerunt Israelitae arcam foederis in tabernaculum praeparatum cum iubilo, tubis et cymbalis et nablis et citharis concrepantes; David autem totis viribus ante Dominum saltabat et ludebat, ab uxore sua Michol ideo despectus sed etiam vindicatus. Arca in tabernaculo collocata sacrificia obtulit, populo benedixit, universis cibaria distribuit ac denique singulos in domum suam dimisit (1 Par 15, 1—16, 3; 2 Rg 6, 12—23). Simul constituit Levitas qui coram arca in Sion aliosque qui coram tabernaculo in Gabaon ministrarent, ubi Sadoc et reliqui sacerdotes super altare holocautomatis Domino holocausta offerre debebant (1 Par 16, 4—43).

Oza a Domino occisus est, *eo quod tetigisset arcam* (1 Par 13, 10), quod Dominus sub mortis poena prohibuerat (Nm 4, 15). Inoboedientia et irreverentia Ozae ex defectu vivae fidei provenit (cf. *Klostermann*, Samuel 152; *Selbst*, Handbuch 656). Klostermann (ibi) putat Ozam iuxta arcam in plaustro sedisse; sed reliqui interpretes merito hanc textus interpretationem non valde probabilem iudicant. — *Obededom* iuxta Selbst

(Handbuch 657) aliosque Levita fuit (1 Par 16, 38) neque ab urbe Philisthaea Geth, sed ab urbe Levitica Geth-Remmon in tribu Dan (Ios 21, 24 sq) *Gethaeus* nominatur; plerique tamen protestantes putant illum fuisse alienigenam inter Israelitas habitantem, et David ideo fortasse in domum eius arcam introduxisse, „ut si quae praeterea ex arcae praesentia accideret calamitas, ea non Israelitam sed alienigenam affligeret" (*Hummelauer*, 2 Regum 312): at improbabile est Davidem videntem quomodo Dominus irreverentem tractationem arcae castigaret, eam alienigenae, non Levitae custodiendam tradidisse. — Post primos 6 passus (*Thenius-Löhr*, Samuel 142), non post quoslibet 6 passus, uti quidam putarunt, 7 boves et 7 arietes oblati sunt. — Illo tempore duo sacerdotes summi fuerunt: *Abiathar* ex progenie Ithamar (pag. 94) qui cum ephod ad David fugerat (1 Rg 14, 3; 21, 1; 22, 9—23; 30, 7) atque *Sadoc* ex progenie Eleazar (pag. 94) quem Saul post trucidationem sacerdotum Nobe (1 Rg 22, 11 sqq) summum sacerdotem constituerat (1 Par 16, 39; 6, 4—8 50—53), quos David in officio et dignitate confirmavit (1 Par 15, 11; 2 Rg 8, 17; 15, 24 sqq; 17, 15; 19, 11; 20, 25). Putant Hummelauer (1 Paralipomenon 285), Selbst (Handbuch 596) aliique Abiathar et filium eius Achimelech (2 Rg 8, 17; 1 Par 24, 3 6 31) in Sion non in Gabaon sacerdotes fuisse; cum tamen certum sit ea „quaecunque lege mandarentur fieri apud sanctuarium, in altari holocaustorum vel thymiamatis, eadem omnia praestanda fuisse Gabaone, non Sione" (*Hummelauer* l. c.; cf. pag. 190): Abiathar et filium eius etiam Gabaone officio functos esse dicamus. Cum vero Abiathar partes Adoniae adiuvaret (3 Rg 1, 7—25; 2, 22), Salomon eum honore privavit (3 Rg 2, 26 sq). — Tam narratio 2 Rg 6, 1—23 quam relatio 1 Par 13, 1—14; 15, 1—16, 43 inspirata est, ergo falsa vel contradictoria esse nequit (pag. 8 sqq); etiam Öttli (Chronik 54) contra Wellhausen aliosque defendit ambas narrationes conciliari posse: in illa magis civilia, in hac magis religiosa momenta considerata atque electa fuisse.

f) Post haec David victorias victoriis cumulavit. Percussit enim Philisthiim (2 Rg 8, 1; 1 Par 18, 1) et Moabitas, ex quibus duas partes occidit et unam servavit ac tributarium fecit (2 Rg 8, 2; 1 Par 18, 2); vicit etiam Adarezer regem Soba atque Damascenos auxiliantes posuitque in Damasco praesidium et fecit Syriam tributariam: arma aurea et aes plurimum in Ierusalem portavit ibique cum auro et argento aliarum gentium subiectarum necnon cum vasis aureis et argenteis et aeneis quae Thou rex Emath congratulans miserat, Domino dedicavit (2 Rg 8, 3—12; 1 Par 18, 3— 11). Etiam Idumaeos percussit sibique tributarios reddidit et in terra eorum praesidium posuit (2 Rg 8, 13 sq; 1 Par 18, 12 sq). Fugavit quoque Ammonitas et auxiliantes Syros (2 Rg 10, 1—14; 1 Par 19, 1—15) atque iterum devicit et subiecit Syros congregatos (2 Rg 10, 15—19; 1 Par 19, 16—19).

Mirabile videtur quod David Moabitas, quibuscum hucusque coniunctus fuerat (pag. 185 et 184), debellavit et tam crudeliter tractavit. Interpretes tum catholici tum acatholici consentientes dicunt Davidem certo gravissimam habuisse causam, quam hagiographi non indicant. Quod

autem ad crudelitatem pertinet, recte Hummelauer (2 Regum 327) notat: „Poena haec (qua scil. duas ex tribus partibus occidit) non ita atrox erat, qua aetate non raro armatus quisque necaretur.“ Videas quae pag. 148 dicta sunt. — Victorias supra descriptas possibiles fuisse nunc documentis profanis demonstrare possumus, quae reges Assyriae et Pharaones Aegypti illo tempore debilitatos nobis ostendunt (cf. *Selbst*, Handbuch 663).

g) Inter istas victorias, et quidem ante victoriam de Ammonitis reportatam, David erga domum Saulis valde benignum se exhibuit. Nam claudo filio Ionathae, nomine Miphiboseth, universam Saulis possessionem donavit et servum Saulis Sibam cum tota familia sua servum eius constituit, cibos quoque de mensa regali comedendos dedit (2 Rg 9, 1—13). Circa idem tempus (cf. 2 Rg 21, 7) utique septem viros familiae Saulis Gabaonitis crucifigendos tradidit, sed hoc tantum consilio, ut Deus propter facinus Saulis offensus et terram fame trium annorum plectens propitiaretur. Corpora autem crucifixorum cum ossibus Saulis et Ionathae de Iabes Galaad allatis honorifice in sepulcro Cis patris Saulis sepelivit (2 Rg 21, 1—14).

2. David victoriis clarus atque misericordia familiae Saulis exhibita Deo hominibusque gratus in gravia peccata lapsus est, sed poenas graves a Deo inflictas tam heroica poenitentia ac resignatione in voluntatem divinam pertulit, ut ab hagiographis semel iterumque exemplar boni regis proponeretur (cf. 3 Rg 11, 4; 14, 8; 15, 3 sqq 11; 4 Rg 14, 3; 16, 2; 18, 3; 22, 2).

a) Ammonitae fugati (pag. 191) urbem suam Rabba seu Rabbath (Tab. III) ingressi, et Ioab Ierosolyma reversus erat (2 Rg 10, 14; 1 Par 19, 15). Anno autem sequenti David Ioab cum exercitu ad expugnandam Rabbath misit, ipse vero Ierosolymis mansit, cum Bethsabee, uxore Uriae, adulterium commisit, Uriam improbus ac detestabilis occidit et Bethsabee uxorem accepit, quae ei filium peperit (2 Rg 11, 1—27).

α) Propter haec peccata a Nathan propheta correptus poenitentiam egit atque mox primam poenam, videlicet mortem pueri nati, cuius vitam ieiuniis et obsecrationibus servare voluerat, magnanimus sustinuit. Mortuo enim puero de terra surrexit et mutata veste domum Domini ingressus adoravit (2 Rg 12, 1—23).

Secundum 1 Par 3, 5 coll. 2 Rg 5, 14 Bethsabee Davidi quattuor filios peperit, nimirum Samua (seu Simmaa), Sobab, Nathan, *Salomon*. Quibus consideratis patet Salomonem quarto genitum non secundo genitum fuisse, quemadmodum quis ex 2 Rg 12, 24 inferre poterat. — Ad faciliorem narrationum sequentium intellectum filios et uxores Davidis ab hagiographis enumeratos hic ascribimus.

Filii David de

Michol	Achinoam	Abigail	Maacha	Haggith	Abital	Egla	Bethsabee
	Amnon	Cheleab	Absalom et Thamar	Adonias	Saphathia	Iethraam	
				Samua	Sobab	Nathan	Salomon

Praeter hos et filios concubinarum (1 Par 3, 9) hagiographus (1 Par 3, 6—8; 2 Rg 5, 15 sq) novem alios enumerat, videlicet Iebahar, Elisua, Eliphaleth I, Noge, Nepheg, Iaphia, Elisama, Elioda, Eliphaleth II; non indicat autem quam matrem habuerint. Videas 1 Rg 18, 27; 25, 44 et 2 Rg 3, 13 sqq; 6, 23; 1 Rg 25, 42 sq; 2 Rg 3, 2—5; 5, 14—16; 1 Par 3, 1—8. *Nathan* filius David cum Nathan propheta (2 Rg 7, 1 sqq; 12, 1 sqq) non confundendus est. — Hi filii David *sacerdotes erant*, כֹּהֲנִים הָיוּ (2 Rg 8, 18). Thenius-Löhr (Samuel 150), Nowack (Samuel 185), Budde (Samuel 243 sq) cum Gesenio (Thesaurus 663 sq) asserunt filios David sacerdotes sensu proprio fuisse; at Hummelauer (2 Regum 333) recte notat: „Pro certo teneri debet neque David religiosissimum regem neque Salomonem passuros fuisse, quemquam Aarone non progenitum sacerdotium usurpare.... Circumstantia, quod isti *sacerdotes regis* semper praeter sacerdotes Dei seu pontifices recenseantur, ostendit officium a dignitate pontificali fuisse alienum.“ Et re vera כֹּהֵן, participium inusitati kal כָּהַן *astare* (*Buhl*, Handwörterbuch), tam Deo quam regi astantem seu ministrantem significare potest (*Fürst*, Handwörterbuch). Nomen כֹּהֵן hic alteram habere significationem non solum omnes versiones antiquae excepta Vulgata verum etiam locus parallelus 1 Par 18, 17 demonstrat, ubi legimus: *porro filii David, primi ad manum regis*, הָרִאשֹׁנִים יַד הַמֶּלֶךְ. Ergo filii David non sacerdotes Dei, sed primi ministri regis fuerunt (*Fürst*, Handwörterbuch; *Klostermann*, Samuel 167 sq; etiam *Buhl*, Handwörterbuch, favet; *Vercellone*, Variae Lectiones II 356 sqq, Gesenium bene refellit).

β) Ammonitis devictis (2 Rg 12, 26—31; 1 Par 20, 1—3) cum *Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis* (2 Rg 7, 1 9; 1 Par 17, 8), sed ante nativitatem Salomonis (2 Rg 7, 12; 1 Par 17, 11; 22, 8 sq; *Hummelauer*, 2 Regum 320) David Domino templum aedificare volebat quod consilium Nathan propheta approbavit sed Deus reprobavit per eundem Nathan regi annuntians: *non poteris aedificare domum nomini meo . . . filius, qui nascetur tibi . . . Ipse aedificabit domum nomini meo* (1 Par 22, 8 sqq). Remunerans vero bonam voluntatem Dominus servo suo David thronum seu regnum sempiternum promisit, pro qua promissione David humiles egit gratias (2 Rg 7, 1—29; 1 Par 17, 1—27; 22, 7—10; 28, 2—7).

Haec narratio iuxta contextum psychologicum (pag. 183) cum narratione traductionis arcae coniuncta est; at loci supra citati demonstrant eam chronologice post alteram victoriam de Ammonitis reportatam esse collocandam. — Legimus 2 Rg 12, 31: *populum quoque eius* (urbis Rabbath) *adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta: divisitque cultris, et traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon.* Nowack (Samuel 198) textum masorethicum sic reddit: „populum autem, qui in ea erat, abduxit et posuit ad seras, ad ferreas dolabras et ad ferreas

ascias et iussit eum in formis laterum laborare: sic fecit etc."; etiam Klostermann (Samuel 184) textum mutatum de angariis interpretatur, cui Budde (Samuel 258 sq) favet. Hoc modo utique omnis evanescit difficultas. At 1 Par 20, 3 sensum in Vulgata expressum confirmat (*Bertheau*, Chronik 173; *Öttli*, Chronik 59), nisi hunc quoque locum cum Benzinger (Chronik 61) et Kittel (Chronik 79) mutemus; Hummelauer (2 Regum 356) sensum Vulgatae retinet, sed notat: „Noli tamen existimare in omnem Ammonitarum nationem animadversum esse tam crudeliter. Agitur de viris armatis in civitatibus munitis deprehensis iisque verisimiliter nequaquam universis. . . . Iam si David nonnisi eas poenas Ammonitis inflixit quas ipsi priores Hebraeis intulissent (Calm.), legem Vet. Test. implevit ‚oculum pro oculo' etc. (Lv 24, 20)." Similia scribunt Thenius-Löhr (Samuel 160 sq), qui tamen inter duas explicationes dubii haerent. Haneberg (Geschichte der biblischen Offenbarung 236) recte monet virum qui feras bestias et magis feros homines feri temporis, quo res vi gerebantur, refrenavit, non ad mensuram perfectionis saeculi nostri iudicandum esse. Thenius-Löhr (Samuel 160) merito 4 Rg 8, 12; 15, 16; Amos 1, 3 13 citant, quibus in locis immanis antiquorum crudelitas testata habetur (cf. pag. 148). — At quomodo Nathan propheta approbare potuit quod postea nomine Dei reprobare debuit? Respondet Lapide (ad 2 Rg 17, 3): „Prophetae subinde loquuntur ex instinctu non Dei, sed iudicii et spiritus proprii, immo propter usum prophetiae putant se loqui ex spiritu Dei, cum loquantur ex suo: tumque errare possunt et quandoque errant, uti docet Theodor. hic et S. Gregor. homil. 1 in Ezech. ac S. Thomas 2, 2, q. 171, art. 5." Vercellone (Variae Lectiones II 347) citat S. Ephrem I 403 scribentem: „Homo scilicet, quod humana primum ratio dictabat, exposuit; idem propheta, divino afflatus spiritu, quod antea laudaverat, damnavit." — Rationem ob quam Dominus noluerit, ut David templum aedificaret, ipse David tam Salomoni (1 Par 22, 8 sqq) quam populo (1 Par 28, 3 sqq) indicavit asserens: *factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti: non poteris aedificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me: filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: . . . Ipse aedificabit domum nomini meo.* Ad haec verba Lapide (ad 2 Rg 7, 5) observat: „Volitum votumque Davidis de fabricando templo quoad rem probavit laudavitque Deus ut religiosum et pium sanctumque, sed non quoad personam. Noluit enim illud a Davide fabricari, sed a Salomone. Causa assignatur 1 Par 22, 8 scilicet quod David continuus in bellis multum effuderat sanguinis: quare indecens erat ut David tanto hominum sanguine cruentatis manibus fabricaret Deo purissimo, mansuetissimo, sanctissimo et clementissimo domum sive templum. Idipsum ergo voluit fieri a Salomone, qui pace fruens fuit rex pacificus, ideoque typus Christi, qui venit in mundum totus mitis et benignus, ut Ecclesiam fidelium Deo exstrueret eamque in pace gubernaret." Cum verbis Davidis bene conciliari possunt verba Salomonis ad Hiram regem Tyri dicta: *Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit aedificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: et non est satan, neque occursus malus* (3 Rg 5, 3 sq). Si ratio ista in 2 Rg 7, 4 sqq; 1 Par 17, 3 sqq non expresse adducitur, iuxta praecepta logica non sequitur eam additamentum serius insertum esse, ut Benzinger (Chronik 64) et Kittel (Chronik 83) affirmant; auctor inspiratus libri Paralipomenon, qui etiam naturaliter axiopistos est (pag. 136), testatur Davidem bis illam rationem a Deo sibi manifestatam attulisse: ergo credere debemus Davidem

reapse ita narrasse (pag. 9 sqq); Davidem falsa dixisse improbabile est. Bertheau (Chronik 187 sq) et Öttli (Chronik 63) censent ista verba hoc tantum nuntiare velle: Davidi bellis implicato tempus templi aedificandi defuisse: sed Dominus iam dederat ei *requiem undique ab universis inimicis suis* (2 Rg 7, 1) cum de templo exstruendo cogitabat, et loquitur de sanguine iam effuso (1 Par 22, 8; 28, 3). Hummelauer (1 Paralipomenon 288 et 321) putat „David praeter bella cap. 18—20 gessisse bella aliqua non necessaria, Iahvae non probata ideoque certe minus aequa et reprehensione digna" ac propter ea a Deo prohibitum fuisse quominus templum aedificaret; at haec opinio nullo textu biblico nulloque documento profano demonstrari potest.

γ) Filium quartum, quem Bethsabee genuit, David nominavit *Salomon*, שְׁלֹמֹה, i. e. pacificum, Irenaeum, Fridericum, Friedrich (*Gesenius,* Thesaurus), quia Dominus dixerat: *faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: et ob hanc causam Pacificus,* שְׁלֹמֹה, *vocabitur: et pacem,* וְשָׁלוֹם, *et otium dabo in Israel cunctis* (deest *cunctis* in Hebraico et Graeco) *diebus eius* (1 Par 22, 9). Dominus autem Salomonem dilexit et per Nathan eum *Iedidia,* יְדִידְיָהּ, i. e. dilectum (יָדִיד) Iahve (*Gesenius,* Thesaurus) seu *Amabilem Domino* vocavit (2 Rg 12, 25; Lapide et Hummelauer h. l.).

Plures protestantes (*Thenius-Löhr,* Samuel 159; *Nowack,* Samuel 197; *Budde,* Samuel 257 sq) textum ita mutant ut sit sensus: et traditus est Salomon prophetae Nathan erudiendus et vocatus est Iedidia propter verbum Domini. „Ast correctio nullo nititur critico fundamento" (*Hummelauer,* 2 Regum 354). Thenius-Löhr (l. c.) asserunt Vulgatam habere *Misitque eum in manu Nathan;* verumtamen illud *eum* invenitur quidem in sex codicibus et antiquioribus editionibus (*Vercellone,* Variae Lectiones II 370), in aliis vero codicibus atque editionibus Sixti V et Clementis VIII deest (cf. meam editionem Bibliae Sacrae).

δ) Aliae duae poenae, quas David luebat, fuerunt scelus primogeniti Amnonis (pag. 193) cum Thamar sorore Absalomis perpetratum (2 Rg 13, 1—22); furor Absalomis qua Amnonem post biennium interfecit et exsilium in quod Absalom propterea ire debuit (2 Rg 13, 23—39).

ε) Absalom ab Ioab post triennium (2 Rg 13, 38) de exsilio reductus et post biennium (2 Rg 14, 28) cum rege reconciliatus (2 Rg 14, 1—33) post 4 annos (2 Rg 15, 7) seditionem fecit, in qua David plurima patiebatur, quae quartam poenam constituunt.

Clementina, quacum Hebraeus et Graecus conveniunt, 2 Rg 15, 7 habet: *Post quadraginta autem annos,* quam lectionem Vercellone (Var. Lect. II 382 sq) cum aliis defendit. Putant autem istos 40 annos numerandos esse a tempore quo Iudaei regem petierunt vel a caede Goliath vel a caede sacerdotum in Nobe vel a morte Saulis vel a prima unctione Davidis vel a nativitate Absalomis (cf. *Lapide* ad h. l.). Sed haec omnia arbitraria sunt; Thenius-Löhr (Samuel 170) recte notant in his casibus terminum a quo ascribendum fuisse. Contextus (cf. 2 Rg 13, 23 38;

14, 28 coll. 15, 7) ostendit annos a reconciliatione Absalomis cum rege numerandos et pro אַרְבָּעִים שָׁנָה *quadraginta annos* legendum esse אַרְבַּע שָׁנִים *quattuor annos*, quemadmodum Sixtina, plus quam 20 manuscripta Latina (cf. *Vercellone* l. c.), Luciana recensio versionis Graecae, Syrus et alii habent (Budde, Hummelauer, Klostermann, Nowack, Thenius-Löhr ad h. l.).

Facta igitur coniuratione valida Absalom copias de Hebron ad Ierusalem adduxit, ita ut David fugere deberet. Relictis decem mulieribus concubinis rex cum amicis suis de urbe egressus torrentem *Cedron* transivit ad Iordanem profecturus (2 Rg 15, 1—23). Volebant etiam Sadoc et Abiathar sacerdotes necnon Levitae arcam Domini portantes regem sequi; David vero arcam in urbem reportari iussit: *si invenero gratiam in oculis Domini,* inquiens, *reducet me, et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi: Non places: praesto sum, faciat quod bonum est coram se* (2 Rg 15, 25 sq). Insuper mandavit sacerdotibus, ut sibi in campestribus Iordani consistenti per Achimaas filium Sadoc et per Ionathas filium Abiathar nuntiarent quae Absalom in urbe gereret. Reversi sunt ergo sacerdotes cum arca in urbem manseruntque ibi. *Porro David ascendebat Clivum olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et operto capite, sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans* (2 Rg 15, 30). Cum autem rex audiret etiam consiliarium suum (2 Rg 15, 12) Achitophel in coniuratione cum Absalom esse, dixit: *Infatua, quaeso, Domine consilium Achitophel* (2 Rg 15, 31). *Consilium* enim *Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi siquis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom* (2 Rg 16, 23). Cumque ascenderet David summitatem montis, ecce occurrit ei alius consiliarius et amicus (2 Rg 16, 16 sqq; 17, 5 sqq) nomine *Chusai;* hunc in urbem misit, ut cum Absalom dolose ageret atque consilium Achitophel dissiparet. *Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem* (2 Rg 15, 24—37). David verticem montis olivarum pertransivit et a *Siba* servo Miphibosethi (pag. 192) in Ierusalem remanentis cibaria suscepit eique pro hac devotione omnes possessiones Miphibosethi donavit (2 Rg 16, 1—4). E contrario *Semei*, vir de cognatione domus Saul, regi maledicebat clamans: *Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, et dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui, et ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es* (2 Rg 16, 7 sq). Mittebat quoque lapides contra David servosque eius et spargebat terram. Male-

dicere regi erat facinus morte puniendum (Ex 22, 28; 2 Rg 19, 18—23; 3 Rg 2, 8 sq; 21, 10), quare Abisai frater Ioabi et filius Sarviae sororis David (1 Par 2, 16) caput Semei amputare volebat; sed David respondit: *dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim praecepit ei ut malediceret David: . . . Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quaerit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum ut maledicat iuxta praeceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum*

Fig. 45. Vallis Cedron et Mons olivarum. (Phot. Bonfils.)

pro maledictione hac hodierna (2 Rg 16, 10 sqq). Venit itaque David et amici eius in campestria Iordanis ibique refocillati sunt (2 Rg 16, 5—14).

Ab oriente urbis Ierusalem (Tab. III) sita est *vallis Cedron* (vallis Iosaphat, wadi Sitti Mariam) atque *Mons olivarum*. In valle, per quam tempore pluviarum *torrens Cedron* fluit, conspiciuntur (Fig. 45): monimentum Absalom (a sinistra) de quo mox loquemur, sepulcrum Iacobi Apostoli (in medio) et sepulcrum Zachariae (a dextra); vallis olim profundior erat quam nunc est. Mons olivarum quattuor culmina habet quorum summum 818 *m* altum est. Ad clivum eius videtur *Gethsemane* et ecclesia S. Magdalenae Russorum necnon ecclesia et monasterium monacharum Carmelitarum (*Benzinger-Baedeker*, Palästina 87 sqq; *Meyers Reisebücher*, Palästina 146 sqq; *Guthe*, Bibelwörterbuch 299 sqq).

Absalom urbem Ierusalem ingressus consulente Achitophel thorum patris foedavit itaque Davidem gravissime offendit (*Hummelauer,* 2 Regum 389 cum aliis), quod Deus permisit, ut peccatum Davidis puniretur (2 Rg 12, 11 sq). Postea Achitophel ab Absalom petiit, ut sibi statim duodecim milia virorum concederet, quibuscum fugientes omnes capere ac Davidem occidere posset; si Absalom hoc consilium secutus esset, David periisset. At providente Deo factum est, ut Absalomi consilium Chusai (pag. 196) qui blanditiis et assentationibus amicitiam eius collegerat magis placeret, itaque David servaretur. Chusai enim Absalomi persuasit, ut prius totum populum a Dan usque Bersabee congregaret et deinde ipse in medio populi contra Davidem et amicos eius progrederetur omnesque perderet, quod superbus Absalom et viri Israel approbarunt. Hoc modo David in terram orientalem fugere ibique ad bellum se praeparare potuit. Nam Chusai omnia sacerdotibus Sadoc et Abiathar nuntiavit qui filios suos (pag. 196) ad Davidem miserunt rogantes ut subito Iordanem transgrederetur; Achitophel autem offensus simulque mala ex neglecto suo consilio consequentia praevidens in urbem suam abiit et disposita domo se suspendit. David igitur in *Castra* seu Mahanaim (Tab. III) venit, Absalom quoque Iordanem transgressus est. Et factum est proelium in saltu Ephraim non longe ab urbe Mahanaim distanti (*Hummelauer,* 2 Regum 397), in quo inimici Davidis devicti, atque Absalom transfossus et in fovea grandi sepultus est maximo acervo lapidum super eum congesto. Audiens David, qui in Mahanaim remanserat, contra voluntatem suam Absalom occisum esse, contristatus est valde, flevit et dixit: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?* (2 Rg 16, 15 ad 18, 33.)

Legimus 2 Rg 18, 18: *Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, et hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absalom, usque ad hanc diem.* Cum 2 Rg 14, 27 narretur Absalom tres filios et unam filiam genuisse, concludere debemus istos liberos tempore erectionis monimenti aut nondum natos aut iam mortuos fuisse (*Lapide* ad 2 Rg 18, 18). Hummelauer (2 Regum 400) scribit: „*Titulus* idem, quod lapis sepulcralis, Gen. 35, 20. *Vallis regis* antiquitus vocabatur *Vallis Save,* Gen. 14, 17; ... eratque illa vallis haud procul a Salem seu Ierusalem, Gen. 14, 18 21. Putant esse partem vallis Cedron; Iosephus affirmat duobus stadiis distare Hierosolymis." Et antea: „Huius porro tituli ideo videtur hic inductus sermo, ut ostendatur, quam aliter Absalomi contigerit, quam ipse secum antea meditabatur" *Manus,* יד, etiam monimentum sepulcrale significat (*Gesenius,* Thesaurus), forsitan quia istis monumentis manus insculpta erat (*Gesenius* ibi; *Nowack,* Samuel 224). Ergo Absalom in celebri *Valle regis*

(pag. 67 sq) sibi sepulcrum praeparaverat, sed in fovea saltus Ephraim subter acervum lapidum sepultus est. Klostermann (Samuel 215) textum mutat et asserit, non Absalomem sibi sed Davidem Absalomi in Valle regis monimentum erexisse; Budde (Samuel 284 sq) hanc opinionem laudat et adiungit Davidem fortasse ossa Absalomis ex saltu Ephraim in istud monimentum transtulisse. At mutatio textus valde improbabilis apparet, si testes criticos inspicimus. Monimentum seu sepulcrum Absalom, quod nunc in valle Cedron videtur (pag. 197), certo ornamenta temporis recentioris exhibet; ipsa spelunca vero de petra excisa sed nunc obruta antiqua esse potest (cf. pag. 76). — De lamentatione Davidis Lapide h. l. scribit: „Flebat David mortem non tam praesentem quam aeternam Absalomi, quod in flagranti delicto parricidii occisus foret; unde metuebat, imo credebat eum esse damnatum. . . . Denique paternus affectus in filium licet sceleratum urgebat Davidem", et quidem in filium de quo hagiographus testatur: *Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis: a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula* (2 Rg 14, 25).

ζ) David ab Ioab propter luctum et fletum increpatus cessavit plangere filium occisum et revertens in terram occidentalem Semei veniam postulanti mortem remisit et Miphiboseth se excusanti dimidiam partem possessionis Saulis concessit (2 Rg 19, 1—40). Vir autem Iemineus i. e. Beniamita nomine Seba viros Israel iratos seduxit et rebellionem movit, ita ut David in urbem Ierusalem reversus diceret: *Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom* (2 Rg 20, 6); quae rebellio quinta et ultima poena fuit. Ioab rebellionem virorum Israel compressit quidem, verum etiam Amasam quem David loco Ioabi principem exercitus constituerat (2 Rg 19, 13 coll. 20, 4), dolose interfecit (2 Rg 19, 41 ad 20, 22). — Hae fuerunt quinque poenae adulterii et parricidii Davidis.

b) Aliud quoque peccatum David patravit, peccatum videlicet superbiae. *Consurrexit* enim *Satan contra Israel: et concitavit David ut numeraret Israel* (1 Par 21, 1). Ioab, princeps exercitus, regi recensum populi mandanti reposuit quidem: *quare hoc quaerit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?* (1 Par 21, 3), sed David in sententia sua permansit. Egressus est ergo Ioab invitus (1 Par 21, 6) cum principibus militum (2 Rg 24, 4) ut populum numeraret, atque post 9 menses et 20 dies reversus numerum descriptionis regi dedit: 800 000 bellatorum de Israel et 500 000 pugnatorum de Iuda (2 Rg 24, 8 sq) exceptis tribubus Beniamin et Levi, quas non numeraverat (1 Par 21, 6). David vero, cuius cor prae timore poenae infligendae iam palpitabat, dixit ad Dominum: *Peccavi valde in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis* (2 Rg 24, 10). Dominus per Gad

prophetam ei optionem inter famem 3 annorum, fugam 3 mensium, pestilentiam 3 dierum dedit; rex pestilentiam 3 dierum elegit, quibus 70 000 virorum mortui sunt. Cumque angelus Ierusalem quoque percutere vellet, Dominus misericordia motus eum inhibuit; levansque David oculos suos vidit angelum iuxta aream Areuna seu Ornan Iebusaei inter caelum et terram cum gladio evaginato stantem dixitque ad Dominum: *Ego, qui peccavi: ego, qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus vertatur obsecro manus tua in me, et in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur* (1 Par 21, 17). Praecepit autem angelus Domini prophetae Gad, ut Davidem in aream Areuna ascendere ibique altare erigere iuberet. David igitur ascendit, emit aream et boves et ligna 50 siclis, aedificavit altare et obtulit sacrificia; Dominus de caelo ignem super altare holocausti misit (pag. 28), et angelus eius gladium suum in vaginam recondidit, et plaga cohibita est. Et dixit David: *Haec est domus Dei, et hoc altare in holocaustum Israel* (1 Par 22, 1) i. e. hic est locus (cf. 2 Par 3, 1) in quo templum aedificari debet (2 Rg 24, 1—25; 1 Par 21, 1—22, 1).

Quale fuit peccatum quod Deus pestilentia punivit? Respondet Hummelauer (2 Regum 450) cum aliis: „Peccatum erat elationis tam in rege quam in populo"; Selbst (Handbuch 703) bene addit Deum forsitan etiam rebellionem populi contra regem legitimum punivisse. — Secundum 1 Par 21, 5 numerati sunt 1 100 000 bellatorum in Israel et 470 000 pugnatorum in Iuda, qui numerus minus probabilis est quam numerus supra (pag. 199) ex 2 Rg 24, 9 exscriptus: istum numerum corruptum dicamus oportet (cf. pag. 88). In ultima numeratione populi 601 730 viri militares (pag. 127), ergo ca 2 000 000 Israelitae (pag. 87) inventi sunt; Ioab Beniamitis exceptis 1 300 000 viros militares, ergo ca 5 000 000 Israelitas numeravit. Bertheau (Chronik 179) omnino credibile censet iam regnante Davide in illa Palaestina plurimos homines habitasse, ubi tempore posteriore tot habitatores erant quot non crederemus nisi documenta certo fide digna id testarentur. — Vulgata cum Hebraico 2 Rg 24, 13 habet: *aut septem annis veniet tibi fames;* LXX autem reddunt: εἰ ἔλθῃ σοι τρία ἔτη λιμός, quae lectio cum 1 Par 21, 12 *aut tribus annis famem* congruit et a Kittel (Biblia Hebraica h. l.) aliisque recentioribus exegetis genuina iudicatur. — Ceciderunt de filiis Israel 70 000 virorum (2 Rg 24, 15; 1 Par 21, 14). Notant Thenius-Löhr (Samuel 213) de exercitu Carthaginiensi ante Syracusas castrametanti infra tempus breve 100 000 virorum mortuos esse. — Areuna 2 Rg 24, 23 *rex* vocatur, ad quod Lapide scribit: „Fuit Areuna princeps Iebusaeorum . . . fuitque amicus et familiaris Davidis. . . . Hinc Vatab. putat eum fuisse regem Iebusaeorum, antequam Ierusalem a Davide caperetur, qua capta factum Davidi tributarium. Idem docet S. Augustin. serm. 198 de Temp." Hanc expositionem Bertheau (Chronik 182) accipiendam dicit, si textus genuinus est; recentiores tamen plerique textum corruptum putant. — Iuxta 1 Par 21, 23 sqq David Areunae 600 siclos auri, iuxta 2 Rg 24, 22 sqq vero 50 siclos argenti dedit. Si Abraham (Gn 23, 16 sq) pro agro Ephronis 400 siclos argenti dedit, improbabile videtur regem David pro area et bobus et tribulo et iugo 50 siclos argenti

i. e. 120 *M* dumtaxat dedisse; propterea cum Öttli (Chronik 62) putamus aut numerum 2 Rg 24, 24 esse corruptum aut cum Klostermann (Samuel 261) pretium pro bobus solutum intellegi debere, pretium vero loci 600 siclos auri i. e. 27 000 *M* fuisse. 1 siclus argenteus = 2,4 *M*, 1 siclus aureus = 45 *M* (*Kortleitner*, Archaeologia 253). Öttli (Chronik 62) merito sententiam Wellhausen ab Hummelauer (1 Paralipomenon 317) aliisque adoptatam reicit, ex qua numerus 1 Par 21, 25 exaggeratio est.

3. Ultimis annis vitae suae David aedificationem templi praemolitus est, Salomonem regem instituit, cultum ordinavit, principes Israel et filium suum allocutus est, quem secundo regem unxerunt, ac denique cum patribus suis dormivit et in civitate David sepultus est.

a) Primo igitur latomos seu lapicidas artificesque lignorum constituit; aurum et argentum, ferrum et aes ac ligna cedrina congregavit mandans filio suo Salomoni, ut Domino templum aedificaret quod in cunctis regionibus celebraretur (1 Par 22, 2—19).

Öttli (Chronik 79) contra Wellhausen et asseclas eius recte tenet hanc narrationem veram esse; silentium de hac praeparatione aedificationis templi in 2 et 3 libro Regum observatum ut argumentum negativum contra argumentum positivum 1 libri Paralipomenon logice non valet (cf. Exegeticam 120 sq). Ceterum factum quod Salomon aedificationem templi iam 4 anno regni sui inchoare potuit (3 Rg 6, 1) demonstrat iam patrem eius multa praeparasse. Numeri nimis magni, qui in narratione continentur, probabiliter corrupti sunt (cf. pag. 88).

b) Deinde a Bethsabee et Nathan propheta certior factus Adoniam filium suum (pag. 193), cuius partes Abiathar sacerdos et Ioab princeps exercitus adiuvabant, regnum occupare velle, Salomonem cui Sadoc sacerdos et Nathan propheta et robur exercitus adhaerebant, regem ungi et proclamari iussit (3 Rg 1, 1—53; 1 Par 23, 1; *Bertheau*, Chronik 190).

c) Divisit quoque tam sacerdotes quam Levitas in 24 vices seu classes quae iuxta ordinem coram Domino ministrarent; segregavit ex Levitis cantores (4000), ianitores et custodes thesauri (1 Par 23, 2—26, 32).

d) Ordinatis etiam rebus militaribus ac civilibus (1 Par 27, 1—34) principes Israel et Salomonem obtestatus est, ut mandata Domini custodirent atque templum aedificarent, et quidem iuxta formam operis a se Deo illustrante delineatam. Quibus dictis Salomon secundo rex unctus et ab omnibus agnitus est (1 Par 28, 1—29, 25); a patre autem mandatum accepit, ut Ioab et Semei iuste puniret (3 Rg 2, 1—9).

Vulgata 1 Par 28, 19 sic reddit: *Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Ad quem versum Lapide notat: „Deus ergo in tabula descripsit totam ideam templi illamque per manus angeli tradidit Davidi, ut is eamdem traderet Salomoni,

qui iuxta eam templum aedificaret. Similem ideam tabernaculi Deus tradidit Mosi, Exodi 25, 40 *Inspice*, inquit, *et fac secundum exemplar quod tibi in monte* (Sinai) *monstratum est.*" At hoc nimium videtur. Textus Hebraicus obscurus est; in LXX autem legimus: πάντα ἐν γραφῇ χειρὸς κυρίου ἔδωκεν Δαυεὶδ Σαλωμὼν κατὰ τὴν περιγενηθεῖσαν αὐτῷ σύνεσιν τῆς κατεργασίας τοῦ παραδείγματος. Cuius versionis sensus esse videtur, Davidem Salomoni formam templi dedisse, quam docente Deo delineaverat, ut iuxta singularem suam intellegentiam exemplar exsequeretur (cf. *Bertheau*, Chronik 218). — David bis vel ter unctus est (1 Rg 16, 13; 2 Rg 2, 4; 5, 3); ergo non mirum quod Salomon quoque bis unctus sit. — Semei regi maledicens facinus morte luendum perpetravit (pag. 197); Ioab quoque Davidis consanguineus (pag. 197) et amicus fidelis occisione Abneri (2 Rg 3, 21 sqq), Absalomis (2 Rg 18, 14), Amasae (2 Rg 20, 4 sqq) mortem meruit.

Fig. 46. En-Nebi Dâûd.

e) *Et mortuus est* David *in senectute bona, plenus dierum, et divitiis, et gloria* (1 Par 29, 28; cf. 2 Rg 5, 4), *et sepultus est in civitate David* (3 Rg 2, 10). De sepulcro eius S. Petrus ad viros Iudaeos et habitatores Ierusalem dixit *sepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diem* (Act 2, 29). Mohamedani asserunt sepulcrum Davidis intra septa aedificii (Fig. 46) contineri quod *en-Nebi Dâûd* (propheta David) appellatur. Sarcophagus autem, quem Christianis monstrant, non est sepulcrum Davidis sed simulacrum eius; sepulcrum ipsum in concameratione infra istum sarcophagum sita exsistere dicunt at nullum Christianum illuc intrare permittunt (*Meyers Reisebücher*, Palästina 153).

4. A Davide nominatur *Psalterium centum quinquaginta Psalmorum* (*Trid.*, sess. 4 de can. Script.), de quo plura dicenda sunt. Proponemus argumentum et dispositionem totius Psalterii necnon singulorum Psalmorum; inquiremus utrum David Psalmos composuerit necne, quare Psalterium ab ipso nominetur, qui alii Psalmistae fuerint; indicabimus quis et quo consilio is Psalmos collegerit et in quinque libros distribuerit; monstrabimus in quo poesis Hebraeorum consistat.

a) **Liber Psalmorum,** סֵפֶר תְּהִלִּים vel solum תְּהִלִּים aut abbreviatum תִּלִּים, 150 carmina religiosa continet et in duas partes distributus est, quibus prooemium (Ps 1) praemittitur et epilogus (Ps 150) annectitur.

In 1 parte (2—88) Psalmi citius collecti inveniuntur, et quidem 1. series una (2—49) quae constat: a) ex Psalmis David (2—40) et aliorum nimirum *α*) Filiorum Core (41—48) atque *β*) Asaph cantoris (49). — 2. Series altera (50—88), quae constat: a) ex Psalmis David (50—71) et aliorum, videlicet *α*) Asaph cantoris (72—82), *β*) filiorum Core (83—87), Ethan Ezrahitae (88).

In 2 parte (89—149) Psalmi tardius collecti habentur, et quidem 1. series una (89—133) quae exhibet: a) Psalmos separatos (89 ad 109) atque b) coniunctos (110—133) eosque: *α*) Psalmos Alleluia (110—117), *β*) Psalmum unicum *Beati immaculati* (118), *γ*) Cantica graduum (119—133). — 2. Series altera (134—149) quae exhibet: a) Psalmos separatos (134—136) atque b) coniunctos et quidem: *α*) Davidi ascriptos (137—144) et *β*) Psalmos Alleluia (145—149).

Argumentum et dispositionem singulorum Psalmorum breviter dumtaxat exponemus, et quidem ita ut divisio Psalterii in quinque libros cum quinque doxologiis appareat.

1 *Beatus vir.* Sortes hominum: iustorum (1—3) et impiorum (4—6). 2 *Quare fremuerunt.* Victoria Christi: gentes rebellantes (1—3) irridentur a Deo (4—6) et confringuntur a rege (7—9) ni resipiscant (10—13). 3 *Domine, quid multiplicati sunt.* Spes salutis: in tribulatione positus (2 sq) sperat in Deo (4—7^{a}) et invocat eum (7^{b}—9). 4 *Cum invocarem.* Oratio tribulati: tribulatus (2) calumniantes admonet (3—6^{a}) et paventes erigit (6^{b}—10). 5 *Verba mea.* Petitio auxilii: Dominus exoratur (2—4) ut malignos perdat (5—11) et iustos laetificet (12 sq). 6 *Domine, ne in furore.* Gemitus infirmi: conturbatus deprecatur (2—8) et exauditur (9—11). 7 *Domine Deus meus.* Confidentia innocentis: rogat Dominum (2 sq) rectus corde (4—6) appellans iustum iudicem (7—12) et terrens persequentes (13—18). 8 *Domine Dominus noster.* Deus admirabilis: in caelo et in terra (2—4) et praecipue in homine (5—10). 9 *Confitebor tibi.* Laudatio et invocatio: Dominus laudatur (2 sq), quia gentes delevit (4—7); psallitur ei (8—15), quia peccatores comprehendit (16—19); Dominus invocatur (20 sq) contra impios superbientes (1—11 sec. Hebr. Ps 10) iterumque in-

vocatur (12—15) qui gentes delebit (16—18). **10** *In Domino confido.* Spes oppugnati: peccatores sagittas parant (2—4), sed Dominus iuste iudicat (5—8). **11** *Salvum me fac.* Fiducia inopis: a generatione mala (2—5) Dominus inopem custodiet (6—9). **12** *Usquequo Domine.* Deprecatio tribulati: inimicis se exaltantibus (1—5) tribulatus in Domino sperat (6). **13** *Dixit insipiens.* Sors impiorum: eorum vita (1—3) et poena (4—7). **14** *Domine quis habitabit.* Domesticus Dei: est virtutibus ornatus (1—5). **15** *Conserva me.* Hereditas sanctorum: est ipse Deus (1—6) qui suos delectat (7—10). **16** *Exaudi Domine.* Petitio afflicti: igne probatus (1—5) contra inimicos (6—12) Dominum implorat (13—15). **17** *Diligam.* Gratiarum actio: liberatus liberatori suo (2—4) ex omnibus angustiis ereptus (5—20) secundum iustitiam suam (21—27) atque fortitudinem eius (28—46) benedicit (47—51). **18** *Caeli enarrant.* Gloria Dei: enarratur a caelis (2—7) et a lege Domini (8—12); delicta tollenda (13—15). **19** *Exaudiat te.* Oratio pro rege: Israelis vota (2—7) atque subsidium (8—10). **20** *Domine in virtute.* Epinicium regis: Israelitae Dominum laudant (2—8) et regi confidunt (9—14). **21** *Deus Deus meus respice.* Christus patiens: obsecrat ac lamentatur (2—22), glorificat Deum Patrem (23—32). **22** *Dominus regit me.* Rector populi: est pastor bonus (1—4) et hospes liberalis (5 sq). **23** *Domini est terra.* Habitatores Sion: innocentes (1—6) et rex gloriae (7—10). **24** *Ad te Domine.* Preces variae: orans ne confundatur (1—4[a]), viae demonstrentur (4[b]—6), delicta dimittantur (7—18), inimici confundantur (19—22). **25** *Iudica me.* Oratio innocentis: innocentiam suam testatur (1—8), ne cum impiis perdatur (9—12). **26** *Dominus illuminatio.* Salus derelicti: derelictus Deo confidit (1—6) quem implorat (7—14). **27** *Ad te Domine.* Imploratio tribulati: tribulatus ad Dominum clamat (1—5) et ab eo exauditur (6—9). **28** *Afferte Domino.* Vox Domini: honoranda (1 sq) in tonitribus et fulguribus (3—11). **29** *Exaltabo te.* Gratiarum actio: Dominum exaltat (2—6) derelictus et salvatus ab eo (7—13). **30** *In te Domine.* Spes moerentium: Deus protector (2—9) invocatur (10—19) atque benedicitur (20—25). **31** *Beati, quorum remissae.* Remissio peccatorum: quae facta est confitenti (1—5) et in Domino speranti (6—11). **32** *Exultate iusti.* Laus Domini: laudandus Dominus (1—3), quia eius verbum rectum (4—9), consilium aeternum (10—12), oculi omnia videntes sunt (13—19); quia ipse protector noster est (20—22). **33** *Benedicam Dominum.* Redemptor iustorum: Dominus Davidem eripuit (2—11) et omnes se timentes eripiet (12—23). **34** *Iudica Domine.* Adiutor impugnatorum: Dominus exoratur (1—10), ut hostes iniquos (11—18) iudicet et expugnet (19—28). **35** *Dixit iniustus.* Iudex omnium: iniustos (2—5) et rectos corde (6—10) Deus iuste iudicat (11—13). **36** *Noli aemulari.* Felicitas hominum: falsa iniquorum (1—21) ac vera iustorum (22—40). **37** *Domine ne in furore.* Supplicatio patientis: conturbatus corde (2—11) et vexatus a proximis (12—15) Dominum orat (16—23). **38** *Dixi: Custodiam.* Oratio vexati: vexatus propter peccatores silet (2—4), vanitatem humanam considerat (5—7), Dominum exspectat (8—14). **39** *Expectans expectavi.* Preces cruciati: eductus de lacu (2—6) gratias agit (7—12) iterumque afflictus (13—17) Deum implorat (18). **40** *Beatus qui intelligit.* Meditatio aegroti: vir misericors (2—4) ab omnibus derelictus (5—10) misericordiam consequetur (11—13). — Doxologia prima: *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum: fiat, fiat* (14).

41 *Quemadmodum desiderat.* **42** *Iudica me.* Desiderium exsulis: Deum sitit (41, 2—7[a]), auxilium implorat (41, 7[b]—12) et reductionem sperat (42, 1—5). **43** *Deus auribus nostris.* Lamentatio Israelis: Israel a rege et Deo (2—9) repulsus et confusus (10—17) redemptionem sperat (18—26).

44 *Eructavit.* Epithalamium christianum: Christus sponsus (2—9), Ecclesia sponsa (10—16), filii amborum (17 sq). **45** *Deus noster.* Refugium Israelis: Deus in medio eius (2—6) gentes conterit (7—12). **46** *Omnes Gentes.* Rex populorum: ipse omnes gentes subiecit (2—5) et ab eis laudandus est (6—10). **47** *Magnus Dominus.* Sion liberata: in liberatore suo (2—9) laetatur et exsultat (10—15). **48** *Audite haec.* Sortes diversae: omnes audiant (2—5) quod iniusti interibunt (6—13) et iusti redimentur (14—20). **49** *Deus deorum.* Sacrificium acceptum: Deus iudicans (1—6) bonis operibus (7—15) non verbis honoratur (16—23). **50** *Miserere mei.* Poenitentia regis: confitetur peccata (3—11), petit absolutionem (12—14), vult satisfacere (15—21). **51** *Quid gloriaris.* Poena maligni: potens in iniquitate (3—6) destruitur et evellitur (7—9) iusto fructificante (10 sq). **52** *Dixit insipiens.* Sors impiorum: eorum vita (1—4) atque poena (5—7). **53** *Deus in nomine.* Petitio auxilii: tribulatus Deum invocat (3—5) atque in eum sperat laudaturus (6—9). **54** *Exaudi Deus.* Clamor circumventi: conturbatus ab inimicis (2—12), derelictus ab amicissimo (13—16) Domino confidit (17—24). **55** *Miserere mei.* Spes impugnati: est ipse Deus (2—8) videns lacrimas (9—13). **56** *Miserere mei.* Confidentia conculcati: est misericors Deus (2—6) cui psallet (7—12). **57** *Si vere.* Iudices iniqui: eorum iniustitia (2—6) atque interitus (7—12). **58** *Eripe me.* Refugium tribulati: contra insurgentes (2—11) Deus invocatur (12—18). **59** *Deus repulisti.* Imploratio repulsorum: populus conturbatus (3—6[a]) liberationem petit (6[b]—14). **60** *Exaudi Deus.* Oratio pro rege: exauditus a Domino (2—6) deprecatur (7—9). **61** *Nonne Deo.* Anima Deo subiecta: Deus est salvator (2—9), filii hominum sunt vani (10—13). **62** *Deus Deus meus.* Deliciae iusti: iustus in terra deserta (2—8) Deo adhaeret (9—12). **63** *Exaudi Deus.* Conventus malignantium: scrutatur iniquitates (2—7), dissipatur a Deo (8—11). **64** *Te decet.* Gratiarum actio: pro peccatis remissis (2—5) et imbri effuso (6—14). **65** *Iubilate Deo.* Laus Dei: educti in refrigerium (1—12) reddunt vota sua (13—20). **66** *Deus misereatur.* Benedictio Dei: petitur (2 sq) in salutem gentium (4—8). **67** *Exurgat Deus.* Cantus triumphalis: exsurgens Deus (2—7) inimicos dissipavit (8—15) et habitat in Sion (16—19), protegit plebem suam (20—24) benedicentem (25—28) et vincet gentes (29—32) ab eis laudandus (33—36). **68** *Salvum me fac.* Preces patientis: confusus propter zelum Dei (2—13) orat iudicem iustum (14—29) et laudat exauditurum (30—37). **69** *Deus in adiutorium.* Oratio afflicti: Deus inimicos confundat (2—6). **70** *In te Domine speravi.* Iustus patiens: sperat in Domino (1—14) et annuntiabit iustitiam eius (15—24). **71** *Deus iudicium.* Precatio pro rege: rex sit iustus et pacificus (2—7), dominetur in orbe terrarum (8—15), benedicat ac benedicetur (16 sq). — Doxologia secunda: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus: Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum: et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat* (18 sq). — Nota: *Defecerunt laudes David filii Iesse* (20).

72 *Quam bonus.* Iusti et iniusti: vita peccatorum felix (2—11) et innocentium infelix (12—14); finis iniquorum miserabilis (15—23[a]) et piorum gloriosus (23[b]—28). **73** *Ut quid Deus.* Sanctuarium desolatum: dissipatum ab hostibus (1—9), respiciendum a forti Israelis (10—23). **74** *Confitebimur.* Socius Israelis: est omnipotens (2—4), hostes humilians (5—9) et suos exaltans (10 sq). **75** *Notus in Iudaea Deus.* Victoria socii: Dominus potentes confregit (2—9), mansuetos salvavit (10—13). **76** *Voce mea.* Meditatio desolati: positus in tribulatione (2—10) mirabilium Domini recordatur (11—21). **77** *Attendite.* Memoria dierum antiquorum: Israelitae generationem pravam ne imitentur (1—11) sed recordentur itineris per

mare (12—19[a]) ac per desertum (19[b]—41), prodigiorum in Aegypto (42—53) et operum in terra promissa (54—72). **78** *Deus venerunt Gentes.* Salutare Israelis: ob pollutionem hereditatis (1—4) auxilium Dei imploratur (5—13). **79** *Qui regis Israel.* Vinea Sabaoth: Deus virtutum (2—8) suam vineam devastatam (9—14) videat ac visitet (15—20). **80** *Exultate Deo.* Cantus sollemnis: iubilandum Deo (2—7) cuius vox audienda est (8—17). **81** *Deus stetit.* Iudices iniqui: a summo iudice corripiuntur (1—8). **82** *Deus, quis similis.* Confines inimici: volunt Israelem disperdere (2—9), dispereant vero ipsi (10—19). **83** *Quam dilecta tabernacula.* Desiderium exsulis: concupiscit atria Domini (2—8), respiciatur a Deo (9—13). **84** *Benedixisti.* Spes salutis: misericordiam consecuti (2—4) sed iterum afflicti (5—8) sperant salutare Dei (9—14). **85** *Inclina Domine.* Oratio impugnati: inops et pauper (1—7) Deum magnum invocat (8—13) contra persequentes (14—17). **86** *Fundamenta eius.* Civitas Dei: est habitatio omnium (1—7). **87** *Domine Deus salutis.* Preces derelicti: derelictus ad Deum clamat (2 sq) plagis adductus (4—9), lamentatur (10—14) miseriam suam exponens (15—19). **88** *Misericordias Domini.* Promissio divina: Deus misericors et magnus (2—19) promittens Davidi thronum aeternum (20—38) memor sit opprobrii praesentis (39—52). — Doxologia tertia: *Benedictus Dominus in aeternum: fiat, fiat* (53).

89 *Domine, refugium.* Refugium miserabilium: homines deficientes (1—6) propter peccata (7—10) petunt misericordiam Domini (11—17). **90** *Qui habitat.* Refugium hominum: Deus in se sperantes (1—8) proteget et salvabit (9—16). **91** *Bonum est confiteri.* Opera Dei: laudandus est Dominus (2—6) qui peccatores dispergit (7—10) et iustos exaltat (11—16). **92** *Dominus regnavit.* Regnum Dei: firmum et mirabile (1—5). **93** *Deus ultionum.* Ultio Dei: peccatores gloriantes (1—7) et insipientes (8—11) disperdet Deus Israel (12—23). **94** *Venite, exultemus.* Pastor Israelis: honorandus iubilo (1—7) atque oboedientia (8—11). **95** *Cantate Domino.* Iudex omnium: benedicendus ab Israel (1—6), a gentibus (7—10), a caelis et terra (11—13). **96** *Dominus regnavit.* Iudicium Domini: describitur Dominus (1—6) atque iudicium eius (7—12). **97** *Cantate Domino.* Iudex omnium: agnoscendus misericors (1—9[a]) atque iustus (9[b]). **98** *Dominus regnavit.* Iudicium Domini: sanctum in populis (1—3) atque in Israel (4—9). **99** *Iubilate Deo.* Gratiarum actio: pro electione Israelis (2—5). **100** *Misericordiam, et iudicium.* Vita principis: privata (1—4) ac publica (5—8). **101** *Domine exaudi.* Sion aedificanda: clamat Israelita (2 sq) sicut passer solitarius (4—12), ut civitatis destructae misereatur (13—23) immutabilis Dominus (24—29). **102** *Benedic anima.* Iuventus renovata: sanavit infirmitates (1—7) misericors Dominus (8—19) benedicendus ab omnibus creaturis (20—22). **103** *Benedic anima.* Benedictio creatoris: Dominus valde magnificatus est (1—4) terrae fundatione (5—9) ac gubernatione (10—18), creatione lunae et solis (19—24) atque maris (25—27); propter conservationem omnium (28—30) semper glorificandus est (31—35). **104** *Confitemini Domino.* Mirabilia Domini: Dominus benedicendus est (1—5), quia Israeli Chanaan promisit (6—12), patres gubernavit (13—22), in Aegypto prodigia fecit (23—38) atque in deserto (39—41) suosque in hereditatem induxit (42—45). **105** *Confitemini Domino.* Peccata Israelis: misericordia Domini laudetur (1—5), nam peccarunt omnes (6—13), patres in deserto (14—33) atque in terra promissa (34—46), similiterque filii (47). — Doxologia quarta: *Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum: et dicet omnis populus: Fiat, fiat* (48).

106 *Confitemini Domino.* Redemptio Israelis: filii sunt congregati (1—3), in viam rectam deducti (4—9), e vinculis educti (10—16), de infirmitatibus

erepti (17—22), in portum salutis deducti (23—32), misericordiam Domini intellegentes (33—43). **107** *Paratum cor meum.* Laus et petitio: Deus laudatur (2—6), liberatio petitur (7—14). **108** *Deus laudem meam.* Vota expugnati: inimicis suis (2—5) maledictionem variam (6—20), sibi benedictionem precatur (21—31). **109** *Dixit Dominus.* Christus Iesus: rex aeternus (1—3) et sacerdos (4 sq) in gentibus dominabitur (6 sq). **110** *Confitebor tibi.* Beneficia Dei: in genere (1—3) et in specie (4—10). **111** *Beatus vir.* Beatitudo iusti: gloria et divitiae (1—6) et memoria aeterna (7—10). **112** *Laudate pueri.* Respiciens humilia: excelsus super omnes (1—6) pauperes erigit (7—9). **113** *In exitu Israel.* Adiutor Israelis: mirabilis in exitu populi (1—8) Deus vivus (1—18, nova numeratio). **114** *Dilexi.* **115** *Credidi.* Gratiarum actio: liberatus a periculis (114, 1—4) laudat Dominum (114, 5—9) amicum fidelem (115, 10—19). **116** *Laudate Dominum.* Deus omnium laudandus ab omnibus (1 sq). **117** *Confitemini Domino.* Adiutor fidus: Dominus misericors (1—14) cui salvati confitentur (15—29). **118** *Beati immaculati.* Observatio legis: lex discenda est (1—8), nam peccata amovet (9—16), incolae consulit (17—24), moriturum vivificat (25—32), a vanitate liberat (33—40), viam dilatat (41—48), peregrinum consolatur (49—56); lex custodienda est (57—64) nam est bona (65 ad 72), aequa (73—80), vera (81—88), aeterna (89—96), illuminans (97 ad 104), humiliatum laetificans (105—112); lex diligenda est (113—120) plus quam aurum (121—128), nam est mirabilis (129—136), recta (137 ad 144), fundata (145—152), iusta (153—160), pacificans (161—168), observantem adiuvans (169—176). **119** *Ad Dominum.* Lingua dolosa: ab hac psaltes liberari cupit (1—7). **120** *Levavi.* Custodia Domini: certa (1—4) et multiplex (5—8). **121** *Laetatus sum.* Civitas Dei: psaltes gaudens (1 sq) Ierusalem laudat (3—5) eique benedicit (6—9). **122** *Ad te levavi.* Refugium despecti: est misericors Dominus (1—4). **123** *Nisi quia Dominus.* Adiutorium Israelis: est nomen Domini benedicendum (1—8). **124** *Qui confidunt.* Confidentia iustorum: est iustus Dominus (1—5). **125** *In convertendo.* Sors seminantium: gaudia miscenda fletibus (1—6). **126** *Nisi Dominus.* Auxilium Domini: est necessarium (1 sq) atque utile (3—5). **127** *Beati omnes.* Bona iustorum: progenies magna (1—6). **128** *Saepe expugnaverunt.* Confusio inimicorum: imploratur (1—8). **129** *De profundis.* Spes peccatoris: est misericordia Domini copiosa (1—8). **130** *Domine non est exaltatum.* Animus humiliati: sicut cor ablactati (1—3). **131** *Memento Domine David.* Filius David: propter votum David (1—5) in Sion manifestandus (6—10) et propter iuramentum Dei (11—18). **132** *Ecce quam bonum.* Iucunditas fraternitatis: similitudinibus illustratur (1—3). **133** *Ecce nunc benedicite.* Benedictio finalis: petitur et datur (1—3). **134** *Laudate nomen Domini.* Laus Domini: Dominus laudetur (1—3) creator et gubernator mundi (4—7) atque Deus Israel (8—14) prae omnibus diis (15—21). **135** *Confitemini Domino.* Gratiarum actio: pro omnibus mirabilibus (1—9), praecipue pro redemptione Israelis (10—26). In hoc Ps verba *quoniam in aeternum misericordia eius* modo responsorii repetuntur. **136** *Super flumina Babylonis.* Sensus captivorum: in medio Babylonis (1 sq) recordantur Sionis (3—6) ac devovent hostes (7—9). **137** *Confitebor tibi.* Misericordia Domini: magnificata (1—3) et a gentibus agnoscenda est (4—8). **138** *Domine probasti me.* Omniscientia Domini: omnia cognovit Deus (1—12) formans hominem (13—16) cuius iudicia incomprehensibilia sunt (17—24). **139** *Eripe me.* Inimici insidiosi: describuntur (2—8) ac devoventur (9—14). **140** *Domine clamavi.* Oratio dissipatorum: ne corrumpantur ab iniquis (1—7) electi Dominum rogant (8—10). **141** *Voce mea.* Preces periclitantis: tribulatus ad Deum clamat (2 sq) ex angustiis (4 sq)

educi desiderans (6—8). **142** *Domine exaudi orationem.* Obsecratio anxii: obsecratur (1 sq) turbatus spiritu (3 sq) et supplicat (5—8[a]) ut a Spiritu bono deducatur (8[b]—12). **143** *Benedictus Dominus.* Canticum victoris: doctori ac protectori suo (1—8) liberatus psallit (9—15). **144** *Exaltabo te.* Attributa Dei: Deus celebratur (1 sq) magnus (3—6), misericors (7—9), omnipotens (10—13[a]), fidelis (13[b]), gubernans (14—16), iustus (17—21). **145** *Lauda anima.* Adiutor Israelis: non homines (2—4) sed Dominus (5—10). **146** *Laudate Dominum.* **147** *Lauda Ierusalem.* Operatio Domini: sanat contritos corde (146, 1—6), dat escam omnibus (146, 7—11), benedicit Ierosolymis (147, 12—20). **148** *Laudate Dominum.* Redemptor Israelis: laudandus de caelis (1—6) atque de terra (7—14). **149** *Cantate Domino.* Iudicium iustum: exaltatio Israelitarum (1—7) et castigatio gentium (8 sq). **150** *Laudate Dominum.* Doxologia quinta: omni modo Deus laudetur. — Videas meam editionem Bibliae Sacrae Vulgatae editionis, ex qua hanc expositionem argumenti et dispositionis Psalmorum desumpsi.

b) Davidem saltem 4 Psalmos composuisse testimonio Christi et Apostolorum eius probare possumns; eum multo plures composuisse antiquae inscriptiones Hebraicae commonstrant, quapropter Psalterium recte Davidicum vocatur.

α) Christus testatur: *ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum* (Lc 20, 42; Mt 22, 43 sq; Mc 12, 36), ascribit ergo Psalmum 109 saltem quoad verba ista citata Davidi. S. Petrus in medio fratrum ante electionem Matthiae Apostoli dixit: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Iuda. . . . Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: et episcopatum eius accipiat alter* (Act 1, 16 20); quibus verbis Ps 68, 26 et Ps 108, 8 Davidi adiudicat (cf. *Bisping* ad Act 1, 16 sqq). Idem die Pentecostes in oratione ad populum habita affirmavit: *David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi ne commovear: . . . Notas mihi fecisti vias vitae: et replebis me iucunditate cum facie tua* (Act 2, 25—28). Hi versus David ascripti in Ps 15, 8—10 leguntur. Fideles quoque congregati, postquam Petrus et Ioannes a synedrio dimissi ad eos venerunt, orarunt: *Domine, . . . qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt Gentes . . . adversus Christum eius?* (Act 4, 24 sqq), ergo Ps 2, 1 sq David ascripserunt. S. Paulus testatur: *Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum* (Rom 4, 6—8 coll. Ps 31, 1 sq). Item: *Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurva* (Rom 11, 9 sq coll. Ps 68, 23 sq). Demum: *iterum terminat diem quendam, Hodie, in David dicendo, . . . Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra* (Hebr 4, 7 coll. Ps 94, 8). — Haec testimonia non sunt eiusdem pretii. Nam Christus Deus suam sententiam proponens et Spiritus Sanctus per S. Paulum scriptorem inspiratum ac proprio nomine loquentem docens neque errorem proponere neque opinionem aliorum falsam suo loquendi modo confirmare potuerunt ne in illis quidem rebus quae pro salute aeterna hominum indifferentes sunt (pag. 9 sq 12). Christus et

Paulus in toto contextu nulla voce indicant, quod falsae opinioni Iudaeorum se accommodare, errorem eorum utpote indifferentem non corrigere sed transmittere velint; e contrario usus loquendi et contextus ostendunt eos suam ipsorum sententiam expressisse. Petrus vero et fideles congregati non ut scriptores inspirati locuti sunt; ergo testimonium eorum de hac re ad fidem et mores non pertinenti minus valet. — Stricte loquendo tam Christus quam Paulus nonnullos versus tantum Davidi ascripsit; cum tamen Iudaei unanimes integros istos Psalmos 31 68 109 citatos Davidi adiudicarent, Christus et Paulus suo citandi modo sententiam eorum confirmarunt.

3) Sed multo plures Psalmos David composuit. In textu Hebraico sequentes ei assignantur quos iuxta numerationem Hebraicam citamus: 3—9 *(ad quem 10 pertinet)*, 11—32, 34—41, 51—65, 68—70, 86, 101, 103, 108—110, 122, 124, 131, 133, 138—145: ergo septuaginta quattuor. Istae inscriptiones tam antiquae sunt, ut a viris saec. III et II a. Chr. versionem Graecam adornantibus (*Kaulen,* Einleitung I 91; *Strack,* Einleitung 214) non amplius plene intellectae sint (*Strack,* Einleitung 140); ergo pro genuinis et certis habeantur (cf. *Kaulen,* Einleitung II 131), si non peremptoria argumenta eas falsas ostendant. Talia argumenta hucusque nemo protulit. Agnoverunt quidem Frc. Delitzsch 44, Hitzig 14, Ewald et Riehm 10, Baethgen 3 Psalmos Davidicos tantum, Reuss et Frd. Delitzsch nullum omnino: quibus plures alii protestantes (cf. *Strack,* Einleitung 137) et catholicus Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 596) citans Minocchi (Salmi tradotti dal testo originale e commentati, Roma 1905) consentiunt. At examinemus argumenta quae Koch ex libro Minocchi (Storia dei Salmi, letture fatte nel R. Istituto di studi superiori in Firenze durante la Quaresima del 1902, 129) profert. Primo: David fuit bellator non asceta; ergo illi Psalmi, in quibus vir theocratiae et liturgiae ac muneribus sacerdotis intentus loquitur, ab eo compositi esse nequeunt. Reponimus: David bellator fuit, concedimus (pag. 191); asceta non fuit, negamus. Omnia quae hucusque ex sacris Litteris didicimus, Davidem theocratiae et liturgiae et muneribus sacerdotum et ascesi intentum commonstrant (pag. 190 193 201 sqq); immo 2 Rg 23, 1 diserte *egregius psaltes Israel* seu delectabilis in Psalmis Israel, i. e. compositor Psalmorum, carminum religiosorum nominatur (*Nowack,* Samuel 251; cf. et *Budde,* Samuel 315). Secundo: David fuit rex potens, expugnator urbium et terrarum; ergo illi Psalmi, in quibus vir loquitur qui ab inimicis potentissimis persecutionem patitur, accusatur, deridetur, ab amicis derelictus et laqueis miseriae ac mortis involutus est, ab eo compositi esse nequeunt. Verum tamen verum. Ea quae David ante mortem Saulis (pag. 184 sq) atque in seditione Absalomis (pag. 195 sqq) passus est, optime cum istis Psalmis congruunt. Tertio: in Psalmis multae ideae religiosae occurrunt quae longe post Davidem per prophetas productae sunt. At hic demonstratum supponitur quod erat demonstrandum; ergo argumentum iuxta praecepta logica non valet. Aliud argumentum Strack (Einleitung 136) cum aliis affert, nimirum in aliquibus Psalmis Davidi ascriptis consuetudinem sermonis et circumstantias historicas inveniri, quae cum aetate Davidis non conveniant. Hoc lubentes concedimus, simul tamen cum Kaulen (Einleitung II 133 sqq) notamus nobis Psalmos non in forma originali sed mutata (cf. pag. 21 sq) praeiacere; argumentum a Strack allatum nihil aliud probat quam textum praesentem Psalmorum in nonnullis partibus non Davidicum esse. — Praeter istos 74 Psalmos David etiam 3 sequentes composuisse dicitur: 2 (cf. Act 4, 24 sqq), 33 (cf. LXX; *Baethgen,* Psalmen 90; *Keßler,* Psalmen 72), 94 (cf. Hebr 4, 7). Insuper LXX ei assignant: 43 *(sed hic ad 42 pertinet),* 67, 91, 93—99, 104, 137. De Psalmo 72 infra dicetur.

γ) Psalterium recte *Davidicum* nominatur, quia magna pars Psalmorum (77) a Davide descendit, et psalmistae sequentes more et exemplo Davidis carmina sua componebant (*Kaulen,* Einleitung II 132; *Weber-Deinzer,* Einleitung 109). — Psalmistae alii in Hebraicis inscriptionibus hi nominantur, quorum Psalmos iuxta numerationem Hebraicam adducimus; filii Core: 42 *(ad quem 43 pertinet)*, 44—49, 84, 85, 87, Asaph: 50, 73—83, *Salomon:* 72 (at hic potius a Davide est, ut *Seisenberger,* Einführung 314 cum aliis asserit), 127, Eman 88, Ethan 89, Moyses 90. — Reliqui Psalmi in textu Hebraico anonymi sunt.

Nota. Inter numerationem Hebraicam (iuxta quam supra Psalmos citavimus) et Latinam ex LXX desumptam haec differentia est. Psalmos 1—9 Vulgata eadem ratione ac textus Hebraicus numerat; sed cum Ps 9 coniungit Ps 10, quare Ps 11 textus Hebraici in Vulgata Ps 10 signatur ita ut abhinc numeratio Latina uno numero minor sit. Deinde Ps 114 et 115 numerationis Hebraicae in unum Ps 113 numerationis Latinae coniunguntur, sed Ps 116 numerationis Hebraicae in duos Ps 114 et 115 numerationis Latinae dividitur ita ut abhinc numeratio Latina iterum uno numero minor sit. Denique Ps 147 numerationis Hebraicae in duos Ps 146 et 147 numerationis Latinae dividitur, quare Ps 148—150 in textu Hebraico et in Vulgata eadem ratione numerantur. — In hoc opere Psalmi semper iuxta numerationem Latinam citantur, si non diserte contrarium notatur.

c) Psalmi a variis viris ac diversis temporibus collecti sunt (cf. pag. 203); in praesentem hanc formam Psalterium tempore Esdrae et Nehemiae redactum est (*Kaulen,* Einleitung II 132 sq; *Strack,* Einleitung 135 sq). — Divisio Psalterii in quinque libros (cf. pag. 203) iam LXX interpretibus, immo iam scriptori libri Paralipomenon (cf. 1 Par 16, 35 sq coll. Ps 105, 47 sq) nota erat; facta est autem ut Psalterium Pentateucho similis esset: „Lex continet postulata Dei, Psalterium responsa populi" (*Strack,* Einleitung 134; cf. et *Kaulen,* Einleitung II 130).

Utrum tempore Machabaeorum quidam Psalmi compositi et Psalterio inserti sint necne, disputatur. Multi interpretes protestantes Psalmos plures, praesertim 44, 74, 79, 83 numerationis Hebraicae isti tempori adiudicant; alii vero iis contradicunt (*Strack,* Einleitung 137 sq). Seisenberger (Einführung 314 394) cum Knabenbauer aliisque non quidem impossibile sed improbabile censet isto tempore Psalmos Psalterio insertos esse.

d) Poesis Hebraeorum uti poesis Aegyptiorum et Babyloniorum (*Kaulen,* Einleitung II 115) praeter sublimitatem sententiarum et elocutionis parallelismo membrorum constat qui est aequalitas ac similitudo quaedam „ita ut in duobus plerumque membris res rebus, verbis verba quasi demensa et paria respondeant" (*Strack,* Einleitung 131, ex *Lowth,* De sacra poesi Hebraeorum, Oxford 1753).

α) Parallelismus nominatur synonymus, si sententia prioris membri in membro altero vel completur vel aliis verbis repetitur. E. g. Ps 39, 15 (cf. *Baethgen,* Psalmen 114) in quo utraque species habetur:

Confundantur et revereantur simul,
qui quaerunt animam meam, ut auferant eam.
Convertantur retrorsum, et revereantur
qui volunt mihi mala.

Nominatur antitheticus, si sententiae prioris membri in membro altero contraria opponitur. E. g. Prov 10, 20:

Argentum electum, lingua i. e. sermo *iusti*
Cor i. e. intellectus *autem impiorum pro nihilo.*

Nominatur syntheticus, si sententia alterius membri vel rationem vel finem vel consequentiam sententiae membri prioris continet. E. g. Prov. 4, 23:

Omni custodia serva cor tuum,
quia ex ipso vita procedit.

Ps 55, 13: *Quoniam eripuisti animam meam de morte,*
et pedes meos de lapsu:
ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Plerumque 2 membra, saepe etiam 3 vel 4, rarius 5 vel 6 versum efficiunt; 7 membra in Ps 7, 4—6 habentur (cf. *Strack,* Einleitung 132):

Domine Deus meus si feci istud,
si est iniquitas in manibus meis:
Si reddidi retribuentibus mihi mala,
decidam merito ab inimicis meis inanis.
Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat,
et conculcet in terra vitam meam,
et gloriam meam in pulverem deducat.

β) Notentur quaedam proprietates versuum. In pluribus carminibus, praesertim in lamentationibus prius membrum longius, alterum vero brevius est. E. g. Thren 3, 25 sq:

Bonus est Dominus sperantibus in eum,
animae quaerenti illum.
Bonum est praestolari cum silentio
salutare Dei.

In aliis carminibus (Ps 9 sq 25 34 37 111 sq 119 145 numerationis Hebraicae; Prov. 31, 10—31; Thren cc. 1—4; cf. Nah 1, 3—7; Eccli 51, 13—30; *Strack,* Einleitung 130) versus vel

membra versus litteris alphabeti incipiunt quae etiam saepius (in Thren 3 ter, in Ps 119 octies) repetuntur. E. g. Ps 9, 2 sq:

Confitebor, אוֹדֶה, *tibi Domine in toto corde meo:*
narrabo, אֲסַפְּרָה, *omnia mirabilia tua.*
Laetabor, אֶשְׂמְחָה, *et exultabo in te:*
psallam, אֲזַמְּרָה, *nomini tuo Altissime.*

Thren 1, 1 sq:

Quomodo, אֵיכָה, *sedet sola civitas*
plena populo:
facta est quasi vidua
domina Gentium:
princeps provinciarum
facta est sub tributo.

Plorans ploravit, בָּכוֹ תִבְכֶּה, *in nocte,*
et lacrymae eius in maxillis eius:
non est qui consoletur eam
ex omnibus charis eius:
omnes amici eius spreverunt eam,
et facti sunt ei inimici.

Habentur etiam versus extremis syllabis consonantes, e. g. Ps 8, 5 (cf. et Gn 4, 23; Iud 16, 23 sq; 1 Sam 18, 7; Ps 6, 2; 34, 5 sq; 106, 4 sq; Prov 22, 10; 24, 28 sq; 26, 25; Ib 10, 8—11; Thren 5; *Strack,* Einleitung 130):

Quid est homo, quod memor es eius, כִּי־תִזְכְּרֶנּוּ
aut filius hominis, quoniam visitas eum, כִּי תִפְקְדֶנּוּ?

γ) Plures versus saepe in strophas coniunguntur, quae argumento interno atque indiciis externis insinuantur. Talia indicia sunt: responsio i. e. repetitio eiusdem sententiae vel eorundem verborum, e. g. Ps 48, 13 21 *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Concatenatio i. e. si prior stropha eadem sententia vel voce finitur qua altera inchoatur, e. g. Ps 136, 3 4: *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum: Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. — Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Inclusio i. e. si stropha eadem sententia vel voce finitur qua inchoata est, e. g. Ps 77, 53 72: *Et deduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare.... Et pavit eos in innocentia cordis*

sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. Denique ex sententia nonnullorum antiquiorum et recentiorum vox סֶלָה finem strophae significat (cf. *Schöpfer,* Geschichte 470; *Siegfried-Guthe,* Bibelwörterbuch 602). Videas e. g. Ps 77, 4 10 16 numerationis Hebraicae.

δ) Poesis Hebraeorum in lyricam, שִׁיר, atque didacticam, מָשָׁל, dividitur. Poesi lyrica, a Davide exculta, sensus seu affectus exprimuntur: *laudes,* תְּהִלָּה, *gratiarum actiones,* תּוֹדָה, *petitiones,* תְּפִלָּה, *lamentationes,* קִינָה. Poesi didactica, a Salomone exculta, praecepta morum traduntur. Conferas n. III, infra.

Plures antiquiores (Philo, Iosephus, Eusebius Caes., S. Hieronymus, S. Augustinus, cf. *Kaulen,* Einleitung II 119) atque recentiores interpretes (cf. *Strack,* Einleitung 130) affirmarunt poesin Hebraeorum poesi Graecorum similem esse; Bickell, linguarum orientalium praecipue Syriacae peritissimus, in carminibus Hebraeorum metrum Syriacum se invenisse asseruit (cf. Metrices Biblicae regulae exemplis illustratae, Oeniponte 1879; Carmina Vet. Test. metrice, Oeniponte 1882; Dichtungen der Hebraeer, Innsbruck 1882/83). At omnes isti viri non tantum textum masorethicum in multis mutant sed etiam mutando inconstantes sunt, quare Kaulen (Einleitung II 119 sq) et Strack (Einleitung 129 sq) cum aliis istorum sententiam non veri similem ducunt.

Quod ad illos Psalmos attinet, quibus psalmista inimicis mala imprecari videtur (e. g. Ps 34 51 58 68 108), cum Kaulen (Einleitung II 137 sq) notamus: primo, in istis Psalmis auctor inspiratus de inimicis Dei loquitur; secundo, imperfectum Hebraicum ut futurum propheticum verti potest (cf. grammaticam Hebraicam).

Diximus poesin Hebraeorum a Davide et Salomone excultam esse, nam carmina iam antiquiore tempore invenimus: carmen Lamech (Gn 4, 23 sq), maledictionem ac benedictionem Noe (Gn 9, 25—27), benedictionem Isaac (Gn 27, 27—29 39 sq), benedictionem Iacob (Gn 49), canticum Moysis (Ex 15), verbum Domini (Lv 10, 3), forma benedictionis sacerdotalis (Nm 6, 24—26), verba in elevatione et depositione arcae pronuntiata (Nm 10, 35 sq), verba ex libro bellorum Domini (Nm 21, 14 sq), carmen de puteo (Nm 21, 17 sq), carmen triumphale de Hesebon (Nm 21, 27—30), verba Balaam (Nm 23, 7—10 18—24; 24, 3—9 15—24), canticum Moysis (Dt 32), benedictio Moysis (Dt 33), carmen de statione solis (Ios 10, 12 sq), carmen triumphale Debborae et Barac (Iud 5), verba Samsonis (Iud 14, 14 18), verba Philisthinorum (Iud 16, 23 sq), canticum Annae (1 Rg 2), laus Davidis (1 Rg 18, 7).

Praeter opera Lowth et Bickell supra citata etiam sequentia de poesi Hebraeorum inspici possunt: *Castelli,* Della poesia biblica, Firenze 1878; *Neteler,* Grundzüge der hebräischen Metrik der Psalmen, Münster 1879; *Gietmann,* De re metrica Hebraeorum, Friburgi Br. 1880; *Ecker,* Bickells Carmina Vet. Test. metrice. Das neueste Denkmal auf dem Kirchhofe der hebräischen Metrik, 2. Aufl. Münster 1883; idem, Porta Sion, Lexikon zum lateinischen Psalter, Trier 1903; *Ley,* Leitfaden der Metrik der hebräischen Poesie, Halle 1887; *Müller,* Die Grundzüge der ursemitischen Poesie, Wien 1896; idem, Strophenbau und Responsion, Wien 1898; *Zenner,* Die Chorgesänge im Buche der Psalmen, Freiburg i. Br. 1896; *Döller,* Rhythmus, Metrik und Strophik in der biblisch-hebräischen Poesie, Pader-

born 1899; *Schlögl,* De re metrica veterum Hebraeorum, Vindobonae 1899; *König,* Stilistik, Rhetorik, Poetik in Bezug auf die biblische Literatur, Leipzig 1900; *Sievers,* Metrische Studien, Leipzig 1901; *Grimme,* Psalmenprobleme, Freiburg i. Schw. 1902; *Kautzsch,* Die Poesie und die poetischen Bücher des Alten Testaments, Tübingen 1902.

III. De rege Salomone.

Historia populi electi a Salomone usque ad exsilium Babylonicum in libro Regum continetur, qui originaliter unus erat, sed a LXX in duos divisus est, quae divisio in Vulgata et ab 1518 etiam in textu Hebraico adoptata est. Hebraei tradunt Ieremiam prophetam librum Regum conscripsisse, quod Kaulen (Einleitung II 56 sq) et Seisenberger (Einführung 372) valde probabile censent, quia propositio interna et externa libri Regum cum illa libri prophetiarum Ieremiae bene congruit. Ultimi versus (4 Rg 25, 27—30) quibus Evilmerodach rex Babylonis anno 37 transmigrationis Ioachin regem Iuda sublevasse narratur aut ab Ieremia vel Baruch aut ab alio scriptore inspirato serius libro appositi esse possunt (*Seisenberger,* Einführung 372 sq). In libro Regum saepe fontes citantur, videlicet: Liber verborum dierum Salomonis (3 Rg 11, 41), liber sermonum dierum regum Israel (septies decies, 3 Rg 14, 19 et in sequentibus), liber sermonum dierum regum Iuda (quindecies, 3 Rg 14, 29 et in sequentibus). — Hunc quoque librum in locis genuinis fide dignum esse ex indole atque inspiratione (pag. 9 sqq) scriptoris, ex documentis publicis ab ipso adhibitis necnon ex inscriptionibus profanis quae infra citabuntur, patet. Videas plura apud Kaulen (Einleitung II 57 sqq). — Historia Salomonis et regum Iuda etiam in 2 libro Paralipomenon (pag. 136) describitur.

Salomon 40 annis (3 Rg 11, 42; 2 Par 9, 30), ergo ca 959 ad 919 a. Chr. (pag. 188) populum electum regebat. Scriptor libri Regum tam sapientiam quam insipientiam eius litteris mandavit.

1. Mortuo Davide rex Salomon fratrem suum Adoniam, qui iterum (cf. pag. 201) regnum ambiebat, per Banaiam interfecit; sacerdotem Abiathar partes Adoniae adiuvantem (cf. pag. 201) deposuit; principem exercitus Ioab homicidam ac Semei christo Domini maledicentem secundum voluntatem Davidis (pag. 201) etiam occidit: Banaiam vero principem exercitus et Sadoc summum sacerdotem nominavit itaque regnum a patre sibi traditum firmavit (3 Rg 2, 12—46).

Postquam Salomon a Davide rex proclamatus est, Adoniae nuntiavit: *sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur* (3 Rg 1, 52). Nihilominus Adonias Abisag Sunamitidem, quam David senex acceperat (3 Rg

1, 1—4), intercedente Bethsabee, uxorem petiit, ut sibi viam ad thronum pararet; nam qui uxores regis accepit, iuxta ius antiquum heres throni habebatur (cf. 2 Rg 3, 7; 16, 21 sq; 3 Rg 2, 22 sqq; *Thenius,* Könige 18; *Kittel,* Regum 19). Lapide (ad 3 Rg 2, 17) putat Ioab hoc consilium Adoniae suggessisse (cf. 2 Rg 16, 21). Quia igitur Adonias regnum sibi usurpare volebat quod *a Domino* Salomoni constitutum optime sciebat (3 Rg 2, 15), iure occisus est. — Ioab in tabernaculo Domini, ex quo egredi nolebat, a Salomone interfici potuit, quia tabernaculum et altare illi qui per industriam et per insidias proximum suum occiderat ut Ioab (pag. 202), non dedere refugium (Ex 21, 14; *Lapide* ad 3 Rg 2, 31).

a) Quibus peractis Salomon Pharaoni illo tempore in Aegypto dominanti affinitate iunctus est, qua regnum suum adhuc magis stabiliret. Accepit enim filiam eius uxorem et adduxit eam interim in civitatem David, donec domum suam ac domum Domini et murum Ierusalem aedificans compleret (3 Rg 3, 1).

Neque nomen Pharaonis neque nomen filiae eius ab hagiographo indicatur, ideoque commentatores recentiores hanc rem in medio relinquunt. — „Porro licitum fuit hoc matrimonium fidelis cum infideli, tum quia Deus expresse tantum vetuerat Iudaeis ne ducerent in uxores filias Chananaeorum, a quibus maius perversionis et idololatriae periculum, non autem ceterarum gentium, etsi id quoque sibi non placere ob simile periculum satis ostendebat, ut patebit cap. 11, 1, tum quia verisimile est Aegyptiam hanc sponsam Salomonis ad Iudaismum esse conversam, quo facto licitum erat eam ducere“ (*Lapide* ad 3 Rg 3, 1). Etiam Ioseph filiam Putipharis Aegyptii, Moyses filiam Iethro Madianitae, Salmon Rahab Ierichontinam, Booz Ruth Moabitidem acceperat.

b) Deinde in Gabaon (pag. 190) abiit ibique sacrificia obtulit et a Domino per somnium nocte sibi apparente atque optionem inter bona varia eligendi dante cor sapiens postulavit. Et respondit ei Dominus: *Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et haec, quae non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus* (3 Rg 3, 2—15; 2 Par 1, 1—12). Hanc sapientiam Salomon monstravit primum quidem notissimo illo „iudicio Salomonio“ quo causam duarum mulierum de infante litigantium decidit (3 Rg 3, 16—28); deinde administratione regni omnibus subditis pacem et quietem optatam afferenti (3 Rg 4, 1—28); denique 3000 parabolis quas locutus est atque 1005 carminibus quae composuit (3 Rg 4, 29—34). Ex quibus documentis sapientiae Salomonis tria ad nos pervenerunt: Liber Proverbiorum, Canticum Canticorum, Ecclesiastes, de quibus separatim agendum est.

α) **Liber Proverbiorum,** מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה vel solum מִשְׁלֵי, *Παροιμίαι Σαλωμῶντος* vel solum *Παροιμίαι*, continet *ἐπιγράμματα* seu poeticas sententias breviores aut longiores quae ex consideratione legis divinae vel ex experientia haustae norma morum proponuntur, constat 31 capitibus et dividitur in duas partes, quibus introductio praefigitur. In introductione (1, 1—9, 18) argumentum et finis libri indicatur (1, 1—7) atque *sapientia* i. e. cognitio et observatio voluntatis divinae in genere (1, 8—2, 22) necnon in specie (3, 1—9, 18) commendatur utilitate eius enarrata.

In 1 parte (10, 1—24, 34) proverbia citius collecta exhibentur et quidem 1. Parabolae Salomonis (10, 1—22, 16) et 2. verba sapientium (22, 17—24, 34), quae praemisso exordio (22, 17—21) in serie una (22, 22—24, 22) et altera (24, 23—34) consignantur.

In 2 parte (25, 1—31, 31) proverbia tardius collecta continentur et quidem iterum 1. Parabolae Salomonis (25, 1—29, 27) et 2. verba aliorum (30, 1—31, 31) scilicet a) proverbia Agur filii Iakeh (30, 1—33), b) verba Lamuelis regis (31, 1—9), c) laus mulieris fortis (31, 10—31).

Parabolas in libro Proverbiorum Salomoni ascriptas reapse ab ipso dictas esse cum Kaulen (Einleitung II 140 sq) et Strack (Einleitung 141 sq) plurimisque aliis tenemus; collectionem autem omnium istarum parabolarum tempore Ezechiae regis Iuda (Prov 25, 1) factam esse probabile est (*Seisenberger,* Einführung 323; cf. *Strack,* Einleitung 142).

Finis harum parabolarum est: *Ad sciendam sapientiam, et disciplinam: . . . ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia, et intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit: et intelligens, gubernacula* morum suorum *possidebit* (Prov 1, 2 4 sq).

β) **Canticum Canticorum Salomonis,** שִׁיר הַשִּׁירִים, *Ἆισμα ᾀσμάτων* vel solum *Ἆισμα*, coniunctionem deitatis cum humanitate allegorice i. e. similitudine amoris sponsorum et coniugum describit, 8 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—5, 1) amor sponsorum ante nuptias (1, 1—3, 6) atque in nuptiis (3, 7—5, 1) enarratur.

In 2 parte (5, 2—8, 14) amor coniugum et quidem separatorum (5, 2—7, 10) et coniunctorum (7, 11—8, 14) proponitur. — Accuratior analysis in mea editione Bibliae Sacrae Vulgatae editionis exhibetur.

Canticum Canticorum a Salomone compositum esse traditio Hebraica et Christiana testatur atque genus dicendi pulcherrimum

valde probabile reddit. Nonnullae voces, quae posterioris temporis esse videntur, hoc traditionis testimonium infringere nequeunt, quia nemo probare potest illas voces posteriore dumtaxat tempore usitatas fuisse (*Kaulen*, Einleitung II 153; *Seisenberger*, Einführung 327).

Finis est allegorica descriptio coniunctionis quam Deus cum humanitate iniit ante Christum, in Christo et post Christum tam cum tota Ecclesia quam cum singulis hominibus, praesertim cum beatissima Virgine Maria (cf. *Kaulen*, Einleitung II 151 sq). Opinionem Theodori Mopsuesteni ab interpretibus protestantibus repetitam, ex qua in Cantico Canticorum naturalis amor sponsorum et coniugum proprie describeretur, Ecclesia „cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum" (Trid., sess. 4 de usu Sacrorum Librorum) anno 553 in Concilio oecumenico V, Constantinopolitano II, reprobavit. Etiam sensus typicus Cantici Canticorum admitti nequit, quia hic sensus iis tantum locis inesse dicendus est, quibus Scriptura vel Traditio eum ascribunt (cf. Exegeticam 108), quod hic non accidit.

γ) **Ecclesiastes**, קֹהֶלֶת, per modum contionis vanitatem mundi demonstrat et praecepta sapientiae tradit, 12 capitibus constat atque in duas partes dividitur, quibus prologus praemittitur et epilogus adiungitur. In prologo (1, 1—11) ecclesiastes seu contionator docet mundana neque hominem saturare neque permanere.

In 1 parte (1, 12—7, 1) vanitatem mundi demonstrat et quidem 1. Bonorum omnium (1, 12—3, 15). a) Ostendit vanitatem, quatenus terrena *α)* non satiant: neque sapientia humana (1, 12—18) neque oblectamenta (2, 1—11) neque gloria (2, 12—17) neque divitiae (2, 18—26), atque *β)* non manent sed transeunt (3, 1—8). b) Tradit regulam: laetandum in donis Dei (3, 9—15). — 2. Conditionum (3, 16—7, 1). a) Ostendit vanitatem conditionum in genere (3, 16—4, 16) addens mandata Dei colendi (4, 17—5, 6). b) Ostendit vanitatem fortunarum in specie (5, 7—7, 1).

In 2 parte (7, 2—12, 8) praecepta sapientiae tradit eaque a) generalia: melius eligendum (7, 2—9), in varietatibus acquiescendum (7, 10—15), in medio standum (7, 16—25; b) specialia: mulier vitanda (7, 26—30), regi oboediendum (8, 1—9), sors inaequalis toleranda (8, 10—15). gubernatio Dei non scrutanda (8, 16—9, 12), sapientia amplexanda (9, 13—18), stultitia fugienda (10, 1—15), mali praepositi timendi (10, 16—20), misericordia exhibenda (11, 1—8), coram Deo laetandum (11, 9—12, 8). — In

epilogo (12, 9—14) ecclesiastes laudem sapientiae et summam eius proponit: *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo: et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit* (12, 13 sq).

Quod ad auctorem libri Ecclesiastae pertinet, „aiunt Hebraei hunc librum Salomonis esse paenitentiam agentis, quod in sapientia divitiisque confisus per mulieres offenderit Deum“ (*S. Hieronymus* in Eccl. 1). Opponunt quidem contra istam traditionem Hebraeorum linguam Ecclesiastae non solum a lingua Proverbiorum et Cantici Canticorum differre verum etiam Aramaismis repletam esse. At difficultas evanescit, si librum Ecclesiastae posteriore tempore retractatum dicamus (cf. pag. 21 sq). Qua concessione diversitas linguae cum sententia Hebraeorum Hebraicam linguam etiam intellegentium bene conciliatur (cf. *Kaulen*, Einleitung II 145 sqq).

Finis auctoris ex ipso libro elucet: vult docere quomodo homo inter vanitates huius mundi se gerere debeat.

c) Decrevit igitur Salomon Domino templum, sibi autem palatium aedificare (2 Par 2, 1). Quo consilio cum Hiram rege Tyri (pag. 188) pactionem fecit, ut ab eo ligna et lapides acciperet; elegit quoque operarios plurimos qui ligna ac lapides praepararent (3 Rg 5, 1—18; 2 Par 2, 2—18). Anno 480 egressionis filiorum Israel de Aegypto, anno 4 regni sui et quidem mense Zio i. e. mense 2 Salomon in monte Moria (pag. 72), qui David demonstratus fuerat (pag. 200), templum aedificare coepit (2 Par 3, 1 sq; 3 Rg 6, 1) atque anno 11 regni sui et quidem mense Bul i. e. mense 8 complevit (3 Rg 6, 37 sq). Deinde annis 13 palatium regium aedificavit, quod domum „saltus Libani“ vocatam, porticum columnarum, porticum solii, domum regis ac domum filiae Pharaonis comprehendebat (3 Rg 7, 1—12). Decurrentibus his 13 annis Hiram artifex, sapientia et doctrina plenus, quem Hiram rex Tyri Salomoni miserat, templum ornavit et supellectilem confecit (3 Rg 7, 13—51; 2 Par 4, 1—22; 3, 13 sq). Omnibus completis Salomon cuncta quae David voverat, argentum et aurum et universa vasa, in thesauris domus Domini reposuit (3 Rg 7, 51; 2 Par 5, 1) atque templum dedicavit, et quidem mense Ethanim i. e. mense 7 (3 Rg 8, 2) anni 20 post inchoationem operis expleto (3 Rg 9, 1 10 coll. 2 Par 7, 1 12). Arca de tabernaculo a Davide exstructo in templum translata gloria Domini domum implevit, et Salomon oratione

pulcherrima Deum laudavit ac deprecatus est. Cumque complesset fundens preces cunctis videntibus ignis de caelo descendit et holocausta ac victimas devoravit: *et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, et laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius* (2 Par 7, 1—3); rex autem et omnis populus Domino sacrificia plurima obtulerunt. Qui Salomoni iterum (cf. pag. 215) apparuit promittens bona, si rex et populus Deo oboedientes, comminans mala, si inoboedientes fuerint (3 Rg 8, 1—9, 9; 2 Par 5, 2—7, 22).

Fig. 47. Murus ad quem Iudaei lamentantur. (Phot. Bonfils.)

Quibusdam mirum visum est, quod etiam Salomon ligna et lapides collegerit, licet iam David talia coacervasset (pag. 201); at pro templo et substructionibus eius (cf. *Selbst*, Handbuch 714) necnon pro palatio regio reapse copiosi lapides et ligna necessaria erant (cf. 3 Rg 7, 9—12). Keppler (Wanderfahrten 311) cum aliis censet grandiores lapides illius muri Ierosolymitani 48 *m* longi et 18 *m* alti, ad quem Iudaei qualibet feria VI et quolibet festo sollemniore post horam 4 pomeridianam lamentantur (Fig. 47), a Salomone adhibitos fuisse: unus eorum 4 *m*, alius 5 *m* longus est. Conferas Benzinger-Baedeker (Palästina 57 sq). — De templo Salomonis in parte altera plura dicentur. — De tempore dedicationis templi variae sunt sententiae. Bertheau (Chronik 258) putat Salomonem templum mense 7 anni 11 regni sui dedicasse; haec opinio iam apud Lapide (ad 3 Rg 8, 2) reperitur, qui tamen aliam quoque affert, dedicationem scilicet mense 7 anni 12 celebratam esse. Sed contextus (3 Rg 6, 37 sq coll. 3 Rg

7, 1; 9, 1 10; 2 Par 7, 1 12) omnino indicat Salomonem expletis post inchoationem operis 20 annis templum dedicasse. Mirabile videri potest Salomonem dedicationem templi iam anno 7 completi tantum distulisse; sed hagiographus causam quoque dilationis innuit (3 Rg 7, 1 coll. 7, 13 sq 51), nimirum confectionem ornamentorum et supellectilis templi nondum perfectam (cf. *Thenius*, Könige 125). — Plurima sacrificia Salomon obtulisse scribitur (3 Rg 8, 63 sqq; 2 Par 7, 5 sqq); at non omnes partes victimarum concrematae sed plures illis distributae sunt, qui ex populo numeroso (pag. 200) ad dedicationem templi convenerant (cf. *Selbst*, Handbuch 722). — Legimus 3 Rg 9, 11 sqq: *tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in Terra Galilaeae. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida, quae dederat ei Salomon, et non placuerunt ei, et ait: Haecine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas Terram chabul, usque in diem hanc. Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri.* In 2 Par 8, 2 contra legimus: *civitates, quas dederat Hiram Salomoni, aedificavit, et habitare ibi fecit filios Israel.* Itaque scriptor libri Regum narrat Salomonem ab Hiram rege Tyri 120 talenta aurea i. e. 16 200 000 *M* (*Kortleitner*, Archaeologia 253) accepisse commodata, pro quibus ei 20 oppida regno eius adiacentia dare volebat; sed oppida regi Hiram ita displicuerunt, ut ab eo כָּבוּל, i. e. tamquam nihilum (— כְּהָבוּל, i. e. sicut id quod evanuit; cf. *Gesenius*, Thesaurus), nominatae sint. Quod Salomon ab Hiram non solum ligna et lapides et operarios, verum etiam aurum postulaverit, ei non mirum videbitur qui consideraverit Salomonem 20 annos aedificationi magnifici templi et palatii impendisse atque postea plures urbes exstruxisse vel munivisse (cf. lit. d et *Thenius*, Könige 146); manifestum quoque est, quare Salomon pro lignis et lapidibus cibaria (3 Rg 5, 11) et pro auro oppida dare voluerit. At quomodo scriptor libri Paralipomenon asserere potuit Hiram Salomoni oppida seu civitates dedisse? Benzinger (Chronik 93), Bertheau (Chronik 277), Kittel (Chronik 119 sq), Öttli (Chronik 93) aliique affirmant scriptorem libri Paralipomenon traditionem posteriorem litteris mandasse qua traditio prior in libro Regum signata in contrarium versa est; affirmant in 3 Rg 9, 11 sqq veram, in 2 Par 8, 2 falsam relationem contineri. Reponimus: si scriptor inspiratus libri Paralipomenon aliquo modo indicaret se traditionem inventam conservare tantum, non vero approbare velle, ista opinio admitti posset; attamen usus loquendi et contextus docent hagiographum proprio nomine loqui atque suam sententiam proferre, ergo relatio eius propter inspirationem falsa esse nequit (pag. 9 sqq), sed vera esse debet. Ceterum duae relationes facile conciliari possunt. Nam ex iis quae Hiram de oppidis a Salomone sibi oblatis dixerat, concludere possumus (cf. *Klostermann*, Könige 328) Hiram oppida Salomoni dedisse vel reddidisse, quod in Paralipomenis diserte notatur; duae relationes non contrariae sed invicem supplentes sunt: quod in una tacetur quidem, at non expresse negatur, in altera suppletur. Illa 120 talenta aurea Salomon serius reddere potuit (cf. 3 Rg 9, 28; 10, 14 sqq).

d) Postquam Salomon domum Domini domumque suam et murum Ierusalem complevit (3 Rg 9, 15; 2 Par 8, 1), *Emath Suba* vel Hamath Zoba (Tab. I et III) occupavit, atque urbes munitissimas in Emath et Palmyram in deserto aedificavit. In terra Chanaan quoque urbes aedificavit, nempe Heser, Mageddo, Gazer (quam Pharao ceperat et filiae suae dotem dederat), Bethhoron superiorem

et inferiorem, Baalath; alias vero munivit: quaecumque ei placuerunt, aedificavit in Ierusalem et in Libano et in universa terra potestatis suae (3 Rg 9, 15—19; 2 Par 8, 1—6). „Magnificavit opera sua, aedificavit sibi domos et plantavit vineas, fecit hortos et pomaria et consevit ea cuncti generis arboribus et extruxit sibi piscinas aquarum, ut irrigaret silvam lignorum germinantium" (Eccl 2, 4 sqq; cf. pag. 218).

Diximus Salomonem Palmyram in deserto, intra Damascum et Euphraten (Tab. I), aedificasse. Etenim 2 Par 8, 4 Salomon תַּדְמֹר exstruxisse scribitur; haec lectio certa, ut omnes concedunt, et sensus eius clarus est, nam Tadmor Palmyram significat (cf. *Buhl,* Handwörterbuch; *Gesenius,* Thesaurus 345). In 3 Rg 9, 18 autem in textu תמר quidem scriptum (k^{e}thibh) est, sed a criticis Hebraeis תדמר legendum (k^{e}rê) notatur; ergo lectio incerta est. Secundum praecepta hermeneutica (Exegetica 43 sq) loci paralleli minus clari et certi ex locis magis claris et certis explicentur oportet, quare textus Hebraicus 3 Rg 9, 18 iuxta 2 Par 8, 4 et versiones antiquas corrigendus et intellegendus est (cf. *Bertheau,* Chronik 277 sq). Cui interpretationi nihil obstat. Nam David in Damasco praesidium posuerat (pag. 191), et nullus hagiographus narrat Salomonem Damasci non dominatum fuisse; ut dominus Damasci autem potuit Palmyram aedificare. 3 Rg 11, 23 legimus quidem Razon in Damasco regem constitutum cunctisque diebus Salomonis adversarium Israelis fuisse; at contextus (3 Rg 11, 9 14 23 26) ostendit hoc post et propter peccatum Salomonis a Domino permissum atque provisum esse. Benzinger (Regum 68) cum aliis opinatur in 3 Rg 9, 18 Tamar legendum et Kurnub in australi parte Palaestinae (Tab. III) intellegendam esse, scriptorem vero Paralipomenon ex hac urbe finxisse Tadmor = Palmyram „in maiorem gloriam Salomonis"; at haec opinio non solum cum inspiratione pugnat (pag. 9 sqq) verum etiam solidis omnino caret argumentis (cf. *Bertheau* l. c.; *Klostermann,* Könige 329). Schöpfer (Geschichte 297) absolute negat Palmyram intellegendam esse, cum regnum Salomonis illuc certo non patuerit, sed sententiam suam nullo argumento confirmat; quodsi asserit in textu Hebraico 3 Rg 9, 18 legi Tadmor et correctionem Tamar annotari, non accurate loquitur: nam scriptum est תמר et legendum notatur תדמר (vide supra). — Ab occidente urbis Bethlehem et quidem a sepulcro Rachelis 1 hora distantes monstrantur 4 fontes et 3 lacus qui Salomonii nominantur (Fig. 48, pag. 222). Lacus I seu supremus 116 *m* longus, 69 –72 *m* latus, summum 7,6 *m* altus est; lacus II seu medius a primo 49 *m* distans et in loco ca 6 *m* depressiore exsistens 129 *m* longus, 48—76 *m* latus, summum 12 *m* altus est; lacus III et pulcherrimus a medio 48 *m* distans et in loco ca 6 *m* depressiore exsistens 177 *m* longus, 45—63 *m* latus, summum 15 *m* altus est. Anno 1865 restaurati sunt (cf. *Benzinger-Baedeker,* Palästina 128). Lacus originales seu primitivi Salomoni ascribuntur „neque adest ratio hanc traditionem addubitandi" (*Meyers Reisebücher,* Palästina 160).

e) Omnes ex Chananaeis relictos sibi tributarios fecit, ministeria sacerdotum et Levitarum iuxta dispositionem Davidis constituit, classem quoque in Asiongaber ad sinum Aelaniticum (Tab. II et III) ornavit servosque suos cum servis regis Hiram nauticis et maris

gnaris in Ophir et Tharsis misit qui illinc aurum, argentum, gemmas et ligna pretiosa, ebur, simias et pavos afferebant (3 Rg 9, 20—28; 10, 11 sq 22; 2 Par 8, 17 sq; 9, 10 sq 21).

Ubi *Ophir* fuerit, utrum in Arabia an in Africa vel India, omnino incertum est. Videas commentarios in 3 Regum et 2 Paralipomenon supra iam saepius citatos. *Tharsis* in Hispania Baetica fuit (cf. pag. 53; Comment. in Genesim 188; *Guthe,* Bibelwörterbuch). — Ex Asiongaber naves Salomonis in Tharsis Hispaniae ire non potuerunt, uti patet; ergo dicendum est aut nomen Tharsis aliam urbem significare aut servos Salomonis cum servis Hiram ex Ioppe in Hispaniam profectos esse. Videas historiam Ionae prophetae infra pag. 237 sqq.



Fig. 48. Lacus et fontes Salomonis. (Phot. Bonfils.)

f) Regina Saba audiens famam Salomonis venit, ut aenigmatibus eum tentaret, qui ad omnia respondit quae interrogaverat. Vehementer igitur tum sapientiam tum divitias eius admirans professa est: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, et super sapientia tua: et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia et opera tua, quam rumor, quem audivi. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam* (3 Rg 10, 6 sqq). Datis acceptisque muneribus in terram suam in Arabia sitam rediit (3 Rg 10, 1—29; 2 Par 9, 1—28).

In descriptione divitiarum Salomonis hyperbolas quasdam (cf. Exegeticam 9 sq) occurrere manifestum est; e. g. *Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum: et cedrorum praebuit multitudinem quasi sycomoros, quae nascuntur in campestribus* (3 Rg 10, 27). *Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur* (2 Par 9, 20). Utrum omnes numeri qui in textibus supra citatis notantur, genuini sint necne, alia quaestio est (cf. pag. 88); nonnulli nimii esse videntur, uti plerique interpretes recentiores censent.

2. Hagiographus qui sapientiam Salomonis celebravit, etiam insipientiam et poenas eius memoriae tradit.

a) Salomon multis iisque alienigenis mulieribus ardentissimo amore copulatus est. *Fueruntque ei uxores quasi reginae septingentae, et concubinae trecentae* (3 Rg 11, 3), et quidem *de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum* (3 Rg 11, 2). Et re vera cum iam senex esset, cor eius per istas mulieres depravatum est. Aedificavit enim diis mulierum suarum fana et colebat eos; *nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius* (3 Rg 11, 1—8).

Hanc Salomonis insipientiam scriptor inspiratus Paralipomenon tacet, at non negat; Deus inspirans tam in libro Regum quam in libro Paralipomenon loquens (pag. 8 sqq) sibi contradicere nequit. — Mons ille, in quo Salomon diis alienis fana erexerat (3 Rg 11, 7; 4 Rg 23, 13), ab austro montis olivarum (pag. 197) monstratur et *Mons offensionis* appellatur (cf. *Benzinger-Baedeker,* Palästina 98).

b) Idcirco Dominus iratus Salomoni praedixit regnum hucusque indivisum post mortem eius in duo regna scindendum esse (3 Rg 11, 9—13) atque tres adversarios ei excitavit: Adad Idumaeum, Razon Damascenum, Ieroboam Ephrathaeum (3 Rg 11, 14—40).

In 3 Rg 11, 13 32 36 posteri Salomonis in *una* tribu regnaturi praenuntiantur, iuxta 11, 31 autem Ieroboam ex 12 partibus pallii prophetae Ahiae 10 sibi sumere debuit, ergo *duae* pro posteris Salomonis remanserunt. Hagiographum in tam arto contextu sibi contradixisse neque ad contradictionem animadvertisse non verisimile est. Quam ob rem Thenius (Könige 176) citans 3 Rg 12, 20 sq; 4 Rg 17, 18 asserit tribum Iudam et Beniamin uti unam tribum consideratam esse, quam declarationem iam Lapide (ad 3 Rg 11, 13) ex Caietano adduxerat. Tribus Levi, quae inter 12 tribus non numerabatur (pag. 118 sq 127) etiam posteris Salomonis adhaerebat (2 Par 11, 13 sqq). Selbst (Handbuch 746) putat tribum Simeon quoque cum tribu Iuda coniunctam mansisse (cf. pag. 149), tribum vero Manasse (pag. 149) uti duplicem numeratam esse. — Adad Idumaeus Davide Idumaeam subiugante in Aegyptum fugit, sed postea in patriam reversus et a Deo propter peccatum Salomonis adversarius eius excitatus est atque in Edom regnavit (3 Rg 11, 14—22; *Klostermann,* Könige 340). Razon fugerat, quando David Adarezer regem Soba debellavit, factus princeps latronum et a Deo propter peccatum Salomonis

adversarius eius excitatus in Damasco regnavit (3 Rg 11, 23–25; *Klostermann*, Könige 340 sq). Ieroboam Ephrathaeus, servus Salomonis, cui Dominus per prophetam Ahiam regnum 10 tribuum promiserat, tertius adversarius Salomonis fuit; fugit autem in Aegyptum mansitque ibi usque ad mortem regis, ne ab eo occideretur (3 Rg 11, 26—40).

c) Dormivitque Salomon cum patribus suis et sepultus est in civitate David (3 Rg 11, 41—43; cf. pag. 202).

Notissima est controversia doctorum de quaestione, utrum Salomon paenitentiam egerit et salvatus sit necne. Alii affirmant, alii negant (cf. *Lapide* ad 3 Rg 11, 13). Probabilior nobis videtur sententia, quae tenet eum paenitentiam egisse et salvatum esse, ob rationes sequentes: α) Deus *propter David patrem* Salomonis regnum vivente Salomone scindere noluit (3 Rg 11, 12), ex quo forsitan inferre possumus Deum Salomoni *propter David patrem* eius donum paenitentiae concessisse. β) Deus Davidi dixit: *Ego ero ei* (Salomoni) *in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo* (2 Rg 7, 14 sq). Propter hanc misericordiam Dei salutem aeternam Salomonis sperare possumus. γ) Hebraei librum Ecclesiastae a poenitente Salomone conscriptum esse tradunt (pag. 218). δ) Improbabile est virum illum, cuius sapientia *sapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum* praecedebat, et qui erat *sapientior cunctis hominibus* (3 Rg 4, 30 sq; Eccl 1, 16), in errore suo permansisse.

3. Tempore Salomonio liber Iob conscriptus est, uti nunc ob elegantiam linguae multi viri docti concedunt (*Kaulen*, Einleitung II 125; *Seisenberger*, Einführung 333 sq; cf. et *Strack*, Einleitung 145 sq).

Liber Iob, אִיּוֹב, *Ἰώβ*, quaestionem solvit quare homo malis crucietur, 42 capitibus constat et in duas partes dividitur quae introductione et conclusione conectuntur. In introductione (1, 1—3, 26) a) historia Iobi pii et recti (1, 1—5), gravissime tentati (1, 6—2, 10) et ab amicis visitati (2, 11—13) narratur atque b) quaestio solvenda proponitur quare homo crucietur malis (3, 1—26).

In 1 parte (4, 1—31, 40) respondetur hominem non semper ad punienda peccata malis cruciari. 1. Iob et amici eius investigant num mala semper ex peccatis proveniant (4, 1—14, 22). a) Loquuntur Eliphaz et Iob: prior affirmat factis (4, 7—11) et verbo abscondito (4, 12—21) sententiam suam demonstrans illamque in Iob transferens (5, 1—7), ut Dominum deprecetur (5, 8—16) neve increpationem reprobet (5, 17—27). Alter negat declarans calamitatem peccatis graviorem (6, 1—13), accusans amicos (6, 14—30) et invocans Deum (7, 1—10) cum amaritudine (7, 11—21). b) Loquuntur Baldad et Iob: prior etiam affirmat ob Dei iustitiam

(8, 1—7) et patrum eloquia (8, 8—22). Alter iterum negat agnoscens Deum sapientem et fortem (9, 1—18) atque iustum (9, 19—35), investigans causam malorum (10, 1—22). c) Loquuntur Sophar et Iob: prior affirmat quoque dicens Deum sapientem et potentem (11, 1—12), Iob vero iniquum (11, 13—20). Alter negat tertio deridens sapientiam amicorum (12, 1—13, 19) et appellans Dei misericordiam (13, 20—14, 22). — 2. Iob et amici eius investigant num mala ex peccatis propriis proveniant (15, 1—21, 34). a) Loquuntur Eliphaz et Iob: prior vocat Iob iniquum (15, 1—19) et describit sortem iniquorum (15, 20—35). Alter se innocentem dicit arguens consolatores onerosos (16, 1—19) et contestans Deum conscium (16, 20—17, 16). b) Loquuntur Baldad et Iob: prior vocat Iob impium depingens finem iniqui (18, 1—21). Alter flet iudicium non aequum (19, 1—22) et sperat resurrectionem (19, 23—29). c) Loquuntur Sophar et Iob: prior vocat Iob hypocritam (20, 1—17) et enarrat poenas peccatorum occultorum (20, 18—29). Alter refellit sententias iniquas (21, 1—6) ex sorte impiorum (21, 7—16) inaequali (21, 17—34). — 3. Iob et amici eius investigant num mala ex peccatis occultis proveniant (22, 1—31, 40). a) Loquuntur Eliphaz et Iob: prior affingit Iob crimina gravissima (22, 1—20) et invitat eum ad salutarem paenitentiam (22, 21—30). Alter se purum declarat (23, 1—17) proponens felicitatem iniquorum (24, 1—25). b) Loquuntur Baldad et Iob: prior de iustitia Iob dubitat (25, 1—6). Alter se defendit laudans Dei fortitudinem et sapientiam (26, 1—14), nolens deserere iustitiam (27, 1—23), quae est sapientia (28, 1—11) abscondita ac pretiosissima (28, 12—28), comparans bona priora (29, 1—25) cum praesentibus malis (30, 1—31), suamque virtutem per partes enarrans (31, 1—40).

In 2 parte (32, 1—42, 6) respondetur hominem etiam ad purgandam virtutem malis cruciari. 1. Respondet Eliu (32, 1 ad 37, 24) et quidem a) amicis Iob condemnantibus eorum prudentiam cavillans (32, 1—22). b) Iobo se iustificanti exponens mala erudire (33, 1—18) et dolores increpare (33, 19—33); mala semper iuste infligi (34, 1—9), cum Deus iustus sit (34, 10—35, 8) et superbiam aversetur (35, 9—16); mala robiginem superbiae tollere (36, 1—21); Deum excelsum (36, 22—37, 13) humiliter colendum esse (37, 14 ad 24). — 2. Respondet Deus (38, 1—42, 6) et quidem a) in genere. Extollit magnitudinem suam producens opera mirabilia Iobo ignota et impossibilia (38, 1—39, 30) itaque os eius claudit (39, 1—35). b) In specie. Describit duas creaturas (40, 1—9)

nempe *behemoth* = hippopotamum (40, 10—19) et *leviathan* = crocodilum (40, 20—28), regem filiorum superbiae (41, 1—25) itaque Iobum ad paenitentem humilitatem perducit (42, 1—6). In conclusione (42, 7—16) hagiographus tradit, quomodo Deus a) amicis Iobi propitiatus sit (42, 7—9) atque b) ipsi Iobo benedixerit (42, 10—16).

Finis libri Iob ex hac analysi elucet: hagiographus altercatione dialogorum vult docere Deum in homines mala immittere non solum ut peccata eorum puniat, verum etiam ut virtutem a maculis quibusdam purget.

Quod ad sensum et interpretationem dialogorum attinet, haec notentur. a) Liber Iob inspiratus est, ideoque credere debemus Iob et amicos eius quoad substantiam ea dixisse quae in libro referuntur (pag. 8 sqq). Hagiographos in genere sermones aliorum non ad verbum et litteram referre comparatio sermonum Domini ab Evangelistis relatorum ostendit; scriptorem libri Iob in specie dialogos non ad verbum referre oratio ligata seu poetica manifestat, quia improbabile est Iob morbo gravissimo i. e. elephantiasi afflictum (2, 7 sq) et amicos eius dolore oppressos (2, 12 sq) tam elegantes composuisse versus. b) Ea quae hagiographi ut ab aliis pronuntiata referunt, generatim loquendo vera aut falsa esse possunt. Certo vera sunt, quae a Deo vel legatis divinis aut dicuntur aut approbantur (pag. 11). Qui ergo ex libro Iob textum citare vult, prius videat, quis in illo loquatur, et utrum pronuntiatum Iobi vel amicorum eius a Deo vel hagiographo approbetur necne.

PERIODUS IV.

A DIVISIONE REGNI USQUE AD EXSILIUM BABYLONICUM.

Salomone ca 919 a. Chr. mortuo (pag. 214) decem tribus in Sichem (pag. 147) Roboam filium eius rogarunt, ut durissimum iugum a patre sibi impositum imminueret; hic tamen spreto seniorum consilio preces tribuum repudiavit, quare Aduram tributa exigentem lapidarunt et Ieroboam ex Aegypto reversum regem constituerunt. Roboam in Ierusalem fugit tribumque Iuda-Beniamin (pag. 223) congregavit, ut reliquas tribus debellaret; sed Dominus per prophetam Semeiam bellum prohibuit ac declaravit a se (cf. pag. 223) divisionem regni factam esse (3 Rg 12, 1—24). Fuerunt igitur abhinc duo regna: regnum septentrionale 10 tribuum, quod nomen antiquum *Israel* retinebat, et regnum meridionale 2 tribuum, quod a potiore *Iuda* nominabatur. Tractabimus primo historiam regni Israel, deinde

captivitatem Assyriam, denique historiam regni Iuda. Pauca dumtaxat in sacris Litteris de hac periodo narrantur, et quidem talia quae monstrant, quomodo reges et populi erga Deum se gesserint. — Ad regnum Israel et Iuda Deus multos prophetas misit. *Propheta,* נָבִיא, *προφήτης*, ille nominatur qui Deo movente et illustrante loquebatur atque operabatur, peccatores corripiens, bonos exhortans, poenas aut praemia vel consilia divina praenuntians, ut notitia et cultus veri Dei conservaretur aut restitueretur. Missionem, praedicationem et vaticinia sua (pag. 8) saepe miraculis variis (pag. 7 sq et 102 sq) comprobarunt. Plura de munere prophetico in parte altera tradentur.

§ 29. De regno Israel.

A regno condito usque ad captivitatem Assyriam, i. e. ab anno ca 919 usque ad 722 a. Chr., undeviginti reges in Israel dominabantur; nomina illorum qui auctores novae dynastiae fuerunt, litteris cursivis impressimus.

1. *Ieroboam I* regnavit 22 annis. Deus per prophetam Ahiam ei dixerat: *Te autem assumam, et regnabis super omnia, quae desiderat anima tua, erisque rex super Israel. Si igitur audieris omnia, quae praecepero tibi, et ambulaveris in viis meis, et feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea et praecepta mea, sicut fecit David servus meus: ero tecum, et aedificabo tibi domum fidelem, quomodo aedificavi David domum, et tradam tibi Israel* (3 Rg 11, 37 sq). At Ieroboam primum Sichem (cf. pag. 149) sedem regni habens fecit duos vitulos aureos (cf. pag. 117), quorum unum in *Bethel* (Fig. 49, pag. 228) alterum in *Dan* ad fontes Iordanis (cf. pag. 152): ergo unum in meridie alterum in septentrione regni sui (cf. Tab. III) posuit, ne decem tribus ad templum Salomonium ascenderent et ad domum David reverterentur (3 Rg 12, 25—32). A qua impietate neque prophetia neque triplici miraculo viri Dei de Iuda venientis neque morte mira illi viro propter inoboedientiam a Domino illata reductus est (3 Rg 12, 33—13, 34). Quapropter Dominus per Ahiam prophetam regi tunc in Thersa vel Thirza habitanti eversionem domus suae et captivitatem populi Israel praedixit (3 Rg 14, 1—20).

2. Nadab, filius Ieroboam, 2 annis regnavit *et ambulavit in viis patris sui, et in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Baasa autem, filius Ahiae de domo Issachar, interfecit regem Nadab ac totam domum Ieroboam iuxta prophetiam Ahiae Silonitis (3 Rg 15, 25—31).

3. *Baasa* in Thersa 24 annis regnavit, semper cum Asa rege Iuda bellum gerens, *ambulavitque in via Ieroboam, et in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Hac de causa Dominus per prophetam Iehu ipsi quoque eversionem domus suae praenuntiavit (3 Rg 15, 32—16, 7).

4. Ela, filius Baasa, in Thersa 2 annis regnavit et erat pravus uti pater eius. Zambri autem, dux mediae partis equitum, occidit tam regem quam totam domum Baasa iuxta vaticinium prophetae Iehu (3 Rg 16, 8—14).

5. *Zambri* in Thersa 7 diebus regnavit *ambulans in via Ieroboam, et in peccato eius, quo fecit peccare Israel.* Amri vero, prin-

Fig. 49. Locus antiquae Bethel. (Phot. Bonfils.)

ceps militiae Israel, obsidebat Thersam. Cumque Zambri vidisset urbem expugnandam esse, palatium ingressus est et cum domo regia se succendit (3 Rg 16, 15—20).

6. *Amri* regnavit 12 annis, et quidem 6 annis in Thersa et 6 in Samaria, quam caput regni constituerat. Prioribus 4 annis Thebni imperii aemulum habebat. *Ambulavitque in omni via Ieroboam filii Nabat, et in peccatis eius, quibus peccare fecerat Israel;* immo nequior erat quam omnes reges antecedentes (3 Rg 16, 21—28).

7. Achab, filius Amri, in Samaria 22 annis regnavit et erat peior quam omnes reges ante eum. *Nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Ieroboam filii Nabat: insuper duxit uxorem Iezabel filiam*

Ethbaal regis Sidoniorum. Et aedificavit pro Baal templum cum altari, pro Aštoreth autem lucum (cf. pag. 151 sq) atque adorabat Baal et serviebat ei (3 Rg 16, 29—33).

a) Ipso regnante Hiel de Bethel aedificavit *Iericho:* in Abiram primitivo suo fundavit eam et in Segub novissimo suo portas eius posuit, quemadmodum Iosue (pag. 140) praedixerat (3 Rg 16, 34).

b) Impietati regis ac reginae propheta *Elias* de Thisbe in Galaad (Tab. III) zelo cultus veri Dei ardentissimo incensus se opposuit. Isti enim non tantum cultum Baal et Aštoreth pro-

Fig. 50. Mons Carmeli. (Phot. Bonfils.)

movebant, sed etiam altaria Domini destruxerunt et prophetas eius occiderunt, ita ut Elias solus remaneret (3 Rg 18, 13 22; 19, 10 14). Propterea hic prohibuit, quominus 3 annis et 6 mensibus pluvia vel ros terram irrigaret. Ipse prius ad torrentem Carith (forsitan illum qui a Mahanaim in Iordanem influit; cf. Tab. III et *Fischer-Guthe*, Wandkarte von Palästina) a corvis, deinde in Sarepta inter Tyrum et Sidonem (Tab. III) a vidua alebatur, cuius filium resuscitavit. Tanta autem erat siccitas et fames terrae, ut rex Achab et dispensator domus eius Abdias pro iumentis herbas quaererent. Rex ita emollitus et ab Elia increpatus universum populum, 450 prophetas Baal et 400 prophetas lucorum Aštoreth

in monte Carmeli (Tab. III et Fig. 50, pag. 229) congregavit atque post sacrificium Eliae igne caelesti combustum et professionem populi spectantis: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus,* permisit ut omnes prophetae illi ad torrentem Cison (Tab. III) occiderentur. Quibus patratis per orationem Eliae pluvia abundans terram sitientem irrigavit (3 Rg 17, 1—18, 46).

Abdias testatur (3 Rg 18, 13) a se centum prophetas Domini, quinquagenos et quinquagenos in speluncis absconditos ac sustentatos esse, quando Iezabel prophetas interficiebat. Elias autem ter (3 Rg 18, 22; 19, 10 14) asserit se solum remansisse, quin populus vel Deus ei contradiceret. Ergo concludere debemus illos 100 prophetas detectos atque occisos esse (cf. *Thenius,* Könige 224). Hagiographum secum pugnare vel in v. 22 iam oblitum esse quod in v. 13 narraverat, ut Benzinger (Könige 110), Kittel (Könige 146) et alii sine ullo argumento asserunt, omnino falsum est. Nam etiamsi quis inspirationem (pag. 9 sqq) praetermittere velit, tamen concedere debet scriptorem libri Regum in toto contextu narrationum suarum se non tam stupidum monstrare ut ne crassas quidem contradictiones animadvertere vel pro legentibus dissolvere potuerit. Quod postea (c. 20) prophetae Domini commemorantur, antecedenti narrationi non contrarium est. Nam Elias de illo tempore loquitur quo in Carmelo et Horeb commorabatur; quae autem in c. 20 narrantur, post reditum Eliae ex Sinaitide acciderunt. Ad contradictionem veram requiritur ut idem praedicatum de eodem subiecto simul affirmetur et negetur sub eodem respectu (Exegetica 114), docent logici. Ut contradictionem defendere possit Benzinger (Könige 110), cum aliis prophetas illos plurimos appellat, quos Achab ante bellum Syrum congregavit (3 Rg 22, 6 sqq). At illi ca 400 viri pseudoprophetae erant (Lapide ad 3 Rg 22, 6), de quibus verus propheta Michaeas filius Iemla ad Achab dixit: *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt,* quam assertionem eventus probavit (3 Rg 22, 23 sqq). — Non solum Iacobus Apostolus (Ep. 5, 17), verum etiam Christus Dominus (Lc 4, 25) testatur caelum *annis tribus, et mensibus sex* clausum fuisse; in 3 Rg 18, 1 sqq autem legimus iam *anno tertio* Eliam iussu Domini ab Achab congregationem populi et prophetarum falsorum postulavisse. Contradictio apparens (Exegetica 114) evanescit, si *annum tertium* ab illo tempore numeramus, quo Elias torrentem Carith reliquit et Sareptam abiit (cf. *Bisping* ad Lc 4, 25). — In Fig. 50 pars montis Carmeli cum monasterio Carmelitarum (ad sinistram) et pharo (ad dextram) conspicitur. — Secundum 3 Rg 18, 19 Elias tam prophetas Baal quam Aštoreth congregari iussit; secundum 3 Rg 19, 1 Achab uxori universos prophetas ab Elia occisos nuntiavit: ergo 3 Rg 18, 22 40 etiam prophetae lucorum Aštoreth intellegendi sunt, licet non explicite nominentur.

Iratam Iezabel Elias fugiens venit in Bersabee perrexitque in desertum (Tab. II) iter unius diei. Ibi ab angelo Domini pane et aqua confortatus *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb* (3 Rg 19, 8) et pernoctavit in spelunca. Domino autem interroganti quid faceret, respondit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum,*

quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quaerunt animam meam ut auferant eam (3 Rg 19, 10 14). Quo responso Elias tum iram et maestitiam ob scelera et impunitatem Israelis conceptam tum solitudinem suam manifestavit (*Lapide* ad 3 Rg 19, 11; *Thenius,* Könige 232). Unde Dominus ei visione monstravit non solum fortiter sed etiam suaviter homines castigandos esse simulque revelavit septem milia virorum relicta esse qui ante Baal genua non curvaverunt (*Lapide* l. c.). Deinde misit eum per desertum in Damascum (cf. *Thenius,* Könige 234) ut Hazael regem Syriae et Iehu regem Israel, Elisaeum autem prophetam ungeret per quos impietas Israelis vindicanda esset. Elias sic recreatus et eruditus fecit quod sibi a Domino imperatum erat (3 Rg 19, 1—21).

Mons *Horeb-Sinai* (pag. 95 116 123) a Bersabee 350 *km* distat (*Selbst,* Handbuch 772; cf. *Lapide* ad 3 Rg 19, 8). „Unde patet eum metu, pavore, moerore et angore perculsum vagabundum incessisse, huc illucque divertendo, quo eum voluntas ferebat, non autem rectum tenuisse iter" (*Lapide* l. c.; *Selbst* l. c.; similiter *Klostermann,* Könige 371). Benzinger (Könige 112) et Kittel (Könige 152) immerito inferunt scriptorem „obscuras ideas" de distantia montis Horeb habuisse (cf. *Klostermann* l. c.). Uti Moyses (pag. 117) ita Elias 40 diebus et noctibus ieiunavit (*Lapide* l. c.; *Selbst* l. c.; *Klostermann* l. c.). — Deus neque in vento vehementi neque in terrae motu neque in igne, sed in sibilo aurae subtilis fuit. „Spiritus hic lenis simul erat subtilis et acer. Deus enim Deique sapientia et providentia operatur et castigat tam fortiter quam suaviter. Igitur Deus hac visione non volebat Eliae zelum vindictae improbare sed moderari dumtaxat, ut non fieret ex ira et perturbatione animi, qualis erat in Elia, sed ex lenitate et amore iustitiae. Unde mox eidem vindictae rationem et modum praescribit, scilicet ut ungat in regem Hazael et Iehu ac Elisaeum in prophetam, ut ipsi eandem peragant" (*Lapide* ad 3 Rg 19, 11, ubi alias quoque interpretationes affert quae tamen minus in contextum quadrare videntur; cf. *Kittel,* Könige 152). — S. Paulus ad Romanos (11, 2 sqq) scribit: *An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? . . . Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt.* — Scriptura non narrat Hazaelem et Iehu ab Elia unctos esse, quare Selbst (Handbuch 773) cum aliis (cf. *Lapide* ad 3 Rg 19, 13) putat Eliam non immediate eos unxisse: Hazael ab Eliseo designatus (4 Rg 8, 11 sqq) et Iehu a discipulo Elisei unctus est (4 Rg 9, 1 sqq). Alii vero (cf. *Lapide* ad 3 Rg 19, 13; *Kittel,* Könige 153; *Klostermann,* Könige 373) melius dicunt omnes tres, scilicet Hazaelem et Iehu et Eliseum ab Elia unctos esse, quemadmodum Deus mandaverat. Quod Iehu postea a discipulo Elisei unctus asseratur, non obstat; nam Saul et David quoque (pag. 173 sq 180 sqq) bis uncti sunt (*Lapide* l. c.).

Reversus Elias regi Achab qui auxiliante Domino Benadad regem Damasci Syriae in montibus percusserat (3 Rg 20, 1—21) et in campestribus fugaverat (3 Rg 20, 22—30), sed postea contra volun-

tatem divinam cum ipso foedus pepigerat (3 Rg 20, 31—43) atque vineam Naboth Iezrahelitae ab Iezabel lapidati possederat, poenam congruentem praedixit: *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. . . . Et dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia. . . . Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel* (21, 1—29).

c) Anno 854 a. Chr. Achab (A-ḥa-ab-bu Sir-'i-la-ai) cum rege Damasci Benadad (Bir-'idri) apud Ḳarḳar ad Orontem (Tab. I) contra regem Assyriorum Salmanassar II infeliciter pugnavit quin tamen subiugaretur, quod in annalibus regis Salmanassar II (*Schrader-Zimmern-Winkler*, Keilinschriften 42 sq; *Ieremias*, Das Alte Testament 504 512 sq), non autem in libro Regum descriptum est. Anno autem 3 post foedus cum Benadad factum Achab cum Iosaphat rege Iuda Ramoth Galaad (Tab. III) patri suo ablatam et a Benadad nondum restitutam (cf. 3 Rg 20, 34) recuperare voluit. Falsi prophetae (pag. 230) 400 numero victoriam, sed verus Domini propheta Michaeas filius Iemla (non Michaeas Morasthites, qui librum scripsit) necem regi praedixit quam sagitta graviter vulneratus subiit. Cumque currus eius in piscina Samariae lavabatur, *linxerunt canes sanguinem eius* (3 Rg 22, 1—40).

8. Ochozias, filius Achab, 2 annis regnavit et *ambulavit in via patris sui et matris suae, et in via Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* Adoravit Baal (3 Rg 22, 52—54) misitque aegrotus nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron. Quapropter Elias prius nuntiis, deinde ipsi regi mortem annuntiavit, quae praedictio impleta est (4 Rg 1, 1—18).

Elias nuntiis regiis ad Beelzebub missis mortem regis praedixit, duos vero principes quinquagenarios, qui impietati Ochoziae Eliam castigare volentis consentiebant (*Lapide* ad 4 Rg 1, 9; *Thenius*, Könige 268), igne necavit, tertio autem quinquagenario misericordiam supplicanti pepercit et cum eo ad regem descendit. Deum ignem de caelo mittentem duos priores iuste punivisse patet.

9. Ioram, frater Ochoziae, 12 annis regnavit. Fuit quidem malus, sed non sicut pater et mater eius: tulit enim statuas Baal quas pater eius fecerat. *Verumtamen in peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, adhaesit, nec recessit ab eis* (4 Rg 3, 1—3).

a) Mesa, rex Moabitarum, qui hucusque regibus Israel tributum solverant (pag. 191 et monumentum Mesae; cf. Fig. 51), mortuo Achab et regnante Ochozia, tributum negavit (4 Rg 1, 1; 3, 4 sq).

Quapropter Ioram cum Iosaphat rege Iuda et cum rege Edom per desertum Idumaeae contra Moab perrexit, ut regem Mesam devinceret. Cumque tres reges et exercitus eorum inopia aquae laborarent, mandante Eliseo propheta in alveo torrentis (Salicum, cf. Tab. III) foveas multas fecerunt, in quas tempore sacrificii matutini aquae copiosae venerunt. Moabitae sole ex adverso aquarum orto aquas quasi sanguinem rubras videntes putabant tres reges contra se pugnasse. Venientes vero in castra Israel ipsi fugati, civitates destructae et terra devastata est. Mesa in urbe sua (Kir Moab) gravi obsidione pressus filium primogenitum super murum holocaustum obtulit: *et facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, et reversi sunt in terram suam* (4 Rg 3, 4—27).

Fig. 51. Monumentum Mesae ex Dibon.
Parisiis, Louvre. (Phot. Giraudon.)

Tres reges per desertum Idumaeae proficisci et terram Moab (pag. 122) ab austro oppugnare volebant, non autem a septentrione, quia ibi inter duos hostes, Moabitas et Syros Ramoth Galaad tenentes (pag. 232), positi fuissent. Putarunt probabiliter se in torrente Salicum aquas sufficientes inventuros esse. — Eliseus praedixit: *Non videbitis ventum, neque pluviam: et alveus iste* torrentis Salicum *replebitur aquis, et bibetis vos, et familiae vestrae, et iumenta vestra* (4 Rg 3, 17). Opinatur Thenius (Könige 281) in partibus orientalibus pluviam cecidisse indeque aquas venisse, quam opinionem admittere possumus: fuit igitur miraculum quoad modum (pag. 103), quia abundantia aquarum ab Eliseo praedicta et Domino ascripta erat (cf. 4 Rg 3, 15 sqq). Quod Moabitae aquas quasi sanguinem rubras vidernt, non solum Thenius (Könige 282) et Kittel

(Regum 195) verum etiam Lapide (ad 4 Rg 3, 22) naturaliter declarat. „Et reflexione radiorum solis matutini, inquit, qui ob vapores nocturnos per quos transparebant, rubri videbantur.... Non ergo vere rubrae erant aquae, sed ob radiorum reflexionem rubrae apparebant.“ — Primogenitum suum Mesa immolavit, tum ut deum placaret sibique propitium redderet tum ut Israelitas obsidentes commiseratione afficeret, qui reapse crudeli hoc facinore tam indignati quam regis miserti obsidionem solverunt (*Lapide* ad 4 Rg 3, 27 cum pluribus aliis). Regem a deo suo placato adiutum Israelitis praevaluisse, ut Kittel (Regum 196), Benzinger (Regum 135) aliique putant, cum contextu pugnat. — Quae in monumento lapideo Mesae 1868 in Dibon (Tab. III) invento et nunc Parisiis asservato narrantur, cum Biblia perfecte conveniunt. Ibi enim narrantur Moabitae regnantibus Amri et Achab oppressi ac tributarii, regnante autem Iehu in proelio felices fuisse; quae regnante Ioram acciderunt, tacentur (cf. *Ieremias*, Das Alte Testament 540 sqq; *Beer-Guthe*, Bibelwörterbuch 430; *Selbst*, Handbuch 782 sq).

b) Eliseus, filius Saphat de Abelmeula (Abel Mehula, cf. Tab. III), ab Elia propheta unctus (pag. 231) et minister ascitus (3 Rg 19, 16 19 sqq; 4 Rg 3, 11) magistrum suum per aquas Iordanis iuxta Iericho divisas secutus est, eum curru igneo equis igneis vecto in caelum ferri vidit ac duplicem spiritum eius accepit (4 Rg 2, 1—12). Quo spiritu aquas Iordanis divisit ideoque a discipulis Eliae successor eius agnitus est (4 Rg 2, 13—15), prophetavit (4 Rg 2, 16—18), fontem aquarum iuxta urbem Iericho sanavit (4 Rg 2, 19—22; cf. Fig. 52 cum nota infra posita), pueros 42 nequam urbis Bethel punivit (4 Rg 2, 23—25), oleum viduae auxit (4 Rg 4, 1—7), Sunamitidi filium impetravit ac resuscitavit (4 Rg 4, 8—37), amaritudinem coctionis abstulit (4 Rg 4, 38—41), panes multiplicavit (4 Rg 4, 42—44), Naaman leprosum mundavit servumque suum lepra affecit (4 Rg 5, 1—27), ferrum natare fecit (4 Rg 6, 1—7), regi Israel insidias regis Damasci Syriae indicavit Syrosque excaecavit (4 Rg 6, 8—23), frumenti abundantiam et increduli punitionem praedixit (4 Rg 6, 24—7, 20), famem septennem prophetavit (4 Rg 8, 1—6), Benadad regem Syrorum moriturum atque Hazael pro eo regnaturum et Israelitas oppressurum praenuntiavit (4 Rg 8, 7—15), per unum discipulorum suorum Iehu regem Israel unxit (4 Rg 9, 1—13).

Omnes illi qui prophetias et miracula aut omnino negant aut saltem horrent (pag. 8), has narrationes naturaliter declarare vel, si hoc impossibile est, fabulosas dicere debent. Sed Vatic. (sess. III, cap. 3, can. 4) definivit miracula possibilia esse (cf. pag. 8); hagiographus autem proprio nomine loquitur suasque sententias profert neque ullo modo indicat se aliorum dumtaxat relationes conservare velle quin eas suas faciat vel approbet: ergo narrationes fabulosae esse nequeunt (pag. 9 sqq). Non officit, quod traditionibus discipulorum prophetae usus sit, quemadmodum pag. 10 ostendimus. Cum facta ab hagiographo narrata naturaliter de-

clarari non possint (*Selbst*, Handbuch 780 sq), vera miracula (pag. 102 sq) accipiamus oportet (pag. 8).

De bina divisione aquarum Iordanis conferantur quae pag. 139 scripta sunt. -- Utrum fons cuius aquas pessimas Eliseus sale immisso bonas reddidit ille sit quem Christiani *„fontem* vel *puteum Elisei“* vocant (Ain es-Sultân; cf. *Benzinger-Baedeker*, Palästina 151) an alius, nihil interest. — Eliseus Eliam rogavit: *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus* (4 Rg 2, 9), i. e. sicut primogenitus duplicem recipit portionem hereditatis paternae, ceteri vero filii unam dumtaxat (Dt 21, 17), ita ego quasi primogenitus tuus duplicem portionem spiritus tui, ceteri autem discipuli tui unam tantum accipiant. Sic iam Lapide (ad 4 Rg 2, 9) cum aliis antiquioribus, quem Thenius (Könige 273), Kittel (Regum 188), Benzinger (Regum 131)

Fig. 52. Fons Elisei iuxta antiquam Iericho. (Phot. Bonfils.)

aliique sequuntur. — Currus et equi non vere ignei fuerunt sed speciem tantum ignis habuerunt (*Lapide* ad 4 Rg 2, 11; cf. *Thenius*, Könige 273). Ignis „animum igneum“ seu studium ardens Eliae significavit (*S. Chrysostomus*, Hom. 1 de Elia; *Lapide* ad 4 Rg 2, 11; *Thenius*, Könige 273). Kittel (Regum 188 sq) currum et equos solis mythologicos indicatos putat; at Deus per hagiographum loquens (pag. 9 sqq) hos non intellexit, ut contextus probat. — Eliam nondum mortuum sed in locum amoenum translatum ut Henoch (Comment. in Genesim 124 sq) iterum venturum esse Scriptura (Mt 17, 10—12; Mal 4, 5 sq; Eccli 48, 1—15; cf. Apc 11, 3 sqq) clare docet. Plura apud Lapide (ad 4 Rg 2, 11) invenies. — Eliseus exclamavit: *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga eius* (4 Rg 2, 12). Elias enim zelo et oratione sua Israelem magis iuvabat quam magna curruum et equitum multitudo (*Lapide* ad 4 Rg 2, 12; *Klostermann*, Könige 396;

Thenius, Könige 274). Alia non mala explicatio est: Elias uti currus Israelem portavit et defendit, uti auriga eum gubernavit (cf. *Selbst*, Handbuch 779; *Lapide* l. c.).

c) Ioram cum Ochozia rege Iuda Ramoth Galaad (pag. 232) ab Hazael rege Damasci Syriae (4 Rg 8, 15) recuperavit quidem sed in proelio graviter vulneratus est, quare in Iezrahel rediit, ut a vulneribus curaretur, ibique ab Ochozia visitatus est (4 Rg 8, 28 sq; 9, 14 sqq). Iehu igitur rex Israel unctus (pag. 231) in Iezrahel ascendens occidit in agro Naboth Ioram regem Israel, percussit quoque Ochoziam regem Iuda et ingrediens Iezrahel impiissimam Iezabel de fenestra praecipitari iussit cuius carnes canes comederunt, quemadmodum Dominus per Eliam (pag. 232) et per Eliseum (4 Rg 9, 6 sqq) praedixerat (4 Rg 9, 14—37).

Fig. 53. Legati Iehu regi Salmanassar II tributum offerunt. Londini, Mus. Brit. (secundum Layard).

10. *Iehu* 28 annis regnavit et interfecit iuxta voluntatem Domini totam domum Achab, fratres Ochoziae regis Iuda et prophetas Baal ideoque promissionem divinam accepit filios suos usque ad quartam generationem regnaturos esse; *verumtamen a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, et in Dan* (4 Rg 10, 1—31). Propterea Dominus, quem Israelis taedere coeperat, permisit ut Salmanassar II rex Assyriorum Iehu tributarium faceret, quod inscriptionibus et imaginibus (Fig. 53) obelisci in Nimrud inventi discimus (cf. *Ieremias*, Das Alte Testament 514 sqq; *Selbst*, Handbuch 791 sq), atque Hazael rex Damasci iuxta prophetiam Elisei (pag. 234) Israelem in universis finibus eius, ab Iordane usque ad plagam orientalem et ab Arnon usque ad Basan (Tab. III), percuteret (4 Rg 10, 32—36).

11. Ioachaz, filius Iehu, 17 annis regnavit *secutusque est peccata Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* Idcirco Dominus iratus eo regnante Israelem regibus Damasci Syriae Hazael et filio eius Benadad tradidit, qui ita eum attriverunt ut 50 equites, 10 currus, 10000 peditum dumtaxat remanerent. Deprecatusque est

Ioachaz Dominum, qui angustiae Israelis misertus populo *salvatorem* misit, videlicet regem Ioas ac praesertim regem Ieroboam II (4 Rg 13, 1—9). Quod Ieremias (Das Alte Testament 517) cum Winckler (Geschichte Israels 154) asserit illum salvatorem fuisse regem Assyriorum, Kittel (Regum 257) et Benzinger (Regum 162) ob contextum (4 Rg 13, 17 sqq 14, 25 sqq) recte repudiant.

12. Ioas, filius Ioachaz, 16 annis regnavit et *non declinavit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* Nihilominus ex commiseratione Domini et iuxta praedictionem Elisei morientis ter Benadad regem Damasci percussit recuperavitque urbes patri suo a Syris ereptas (4 Rg 13, 10—25). Quod omnes interpretes rationalistae narrationem, qua mortuus ossa Elisei tangens revixisse dicitur, fabulosam dicere debeant patet (pag. 8). Qui tamen possibilitatem miraculorum cum Vatic. concedit et inspirationis notionem catholicam (pag. 9 sqq) retinet, narrationem veram habebit.

13. Ieroboam II, filius Ioas, 41 annis regnavit. *Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* Quia tamen Dominus afflictionem valde amaram Israelis videns misericordia motus erat, ipse terminos Israel restituit quales erant quando Ieroboam I rex constitutus est, *iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Ionam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quae est in Opher* (4 Rg 14, 23—29). Habitabantque filii Israel in tabernaculis suis quieti et securi sicut antea. Verumtamen non recesserunt a peccatis pristinis (4 Rg 13, 5 sq), quare Deus prophetas *Amos* et *Osee* ad eos misit qui peccata arguerent ac poenas praenuntiarent.

Nullam adesse rationem cur Ieroboam terminos Israel antiquos restituisse negetur etiam Kittel (Regum 262) profitetur; Benzinger (Regum 165) Ieroboam II recte maximum regum Israel appellat. Illa verba *restituit Damascum, et Emath Iudae in Israel,* לִיהוּדָה בְּיִשְׂרָאֵל (4 Rg 14, 28) significant, Ieroboam II Damascum et Hemath quae Salomone regnante ad Iuda pertinebant regno Israel restituisse (cf. *Thenius*, Könige 359; *Lapide* ad 4 Rg 14, 28). Plures alii לִיהוּדָה delendum censent; at lectio difficilior retinenda est (Bibelkritik 178).

a) *Ionas,* filius Amathi de Gethhepher in tribu Zabulon (4 Rg 14, 25; Ion 1, 1 coll. Ios 19, 13), qui restitutionem terminorum Israelis priscorum praedixerat (supra) itaque apud Israelem magnam habebat auctoritatem, praedicatione sua habitatores civitatis magnae *Ninives* (pag. 54; Tab. I, charta minor) ad paenitentiam perduxit atque libro conscripto contribulibus suis veritates maximi momenti inculcavit. Unam eandemque esse personam quae restitu-

tionem terminorum Israelis praedixit ac Ninivitis praedicasse narratur catholici et acatholici interpretes fatentur (*Knabenbauer,* Ionas 357; *Marti,* Ionas 241 cum plurimis antiquioribus et recentioribus).

α) Dominus Ionae praecepit, ut in Niniven iret ibique paenitentiam praedicaret; Ionas vero in *Ioppen* (Fig. 54) descendit, ut in Tharsis (pag. 222) fugeret (Ion 1, 1—3). Rationem fugae ipse indicat ad Deum dicens *propter hoc praeoccupavi ut fugerem in Tharsis. scio enim quia tu Deus clemens, et misericors es, patiens, et multae miserationis, et ignoscens super malitia* (Ion 4, 2). Ionas igitur, statim ac mandatum Ninivitis praedicandi accepit praevidit

Fig. 54. Ioppe seu Iâfâ hodierna. (Phot. Bonfils.)

Deum pro sua clementia paenitentibus misericordiam et indulgentiam exhibiturum esse, quam gratiam Ninivitis invidebat (*Knabenbauer,* Ionas 386; *Orelli,* Iona 100). Ninivitae enim populum Israel tributarium fecerant (pag. 236) erantque conversi ac conservati pro populo Israel impaenitenti (pag. 237) vicini periculosi.

Kaulen (Einleitung II 239 sq) cum S. Hieronymo aliisque antiquioribus putat Ionam non tam Ninivitis salutem invidisse quam Israelis condemnationem timuisse: quae sententia a priore non multum recedit. Weber-Deinzer (Einleitung 229) cum multis antiquioribus exegetis (cf. *Knabenbauer,* Ionas 386) opinantur Ionam timuisse ne paenitentibus Ninivitis mendax appareret atque de auctoritate prophetarum Domini actum esset. At haec opinio improbabilis est. Nam praedictio Ionae *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (Ion 3, 4) conditionata erat: si paeni-

tentiam egeritis ad quam Deus per praedicationem meam vos invitat (cf. Ion 3, 2), urbs conservabitur; si autem impaenitentes permanseritis, Ninive subvertetur. Ergo in neutro casu Ionas propheta mendax apparere vel auctoritas Domini frangi potuit.

Ionas igitur naulo soluto in navem ingressus in inferiores partes descendit et sopore gravi dormiebat. Dominus autem ventum tam vehementem ac tempestatem tam magnam misit, ut navis pereclitaretur, singuli nautae ad deos suos clamarent et gubernator Ionam quoque ad orandum excitaret (Ion 1, 4—6). Sorte significatus Ionas nautis nuntiavit, quare haec tempestas venerit, postulavitque ab iis ut se in mare mitterent quod inviti quidem sed necessitate coacti fecerunt: *et stetit mare a fervore suo* (Ion 1, 7 ad 15). Ionas a pisce grandi, quem Dominus praeparaverat, devoratus erat *in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus.* Et oravit de ventre piscis ad Dominum Deum suum, cuius iussu piscis Ionam in aridam evomuit (Ion 2, 1—11). Iterum a Domino missus abiit quidem in Niniven, quae *erat civitas magna itinere trium dierum,* et in eam ingrediens *itinere diei unius* praedicavit: *Adhuc quadraginta* (non *tres* ut LXX soli habent) *dies, et Ninive subvertetur* (pag. 238); sed postquam in tota civitate paenitentiam praedicavit, ex ea egressus ad plagam orientalem sibi umbraculum fecit seditque in umbra donec videret quid accideret civitati. Ninivitae autem crediderunt et clamabant ad Deum atque saccis induti ieiunabant tam homines quam iumenta. Et respiciens Dominus ad opera (fidem, ieiunium, orationem, conversionem, fiduciam) eorum misericordia motus civitati pepercit. Quod cum Ionas diebus 40 elapsis videret afflictione magna afflictus lamentabatur et a Domino mortem petiit dicens: *melior est mihi mors quam vita,* ob eam rationem quam pag. 238 indicavimus. Dominus hoc tantum respondit: *Putasne bene irasceris tu* (Ion 3, 1—4, 4), qua interrogatione ad deliberandum eum inducere volebat. Quia vero Ionas in amaritudine animae suae permanebat, Dominus Deus plantam produxit obumbrantem, de qua Ionas valde laetabatur; deinde providit vermem plantam ita laedentem ut exaresceret. Orto sole et flante vento calido atque urenti Ionas aestuans iterum mortem petiit ac Domino interroganti respondit se propter plantam arefactam bene iratum esse idque ad mortem. Tunc dixit Dominus: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret. quae sub una nocte nata est, et sub una nocte periit. Et ego non parcam Ninive civitati magnae, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram*

suam, et iumenta multa? (Ion 4, 5—11). Ex quibus verbis propheta concludere debuit se non bene irasci, Dominum autem recte civitati pepercisse.

Ninive quattuor urbes, scilicet Ninâ, Rᵉhoboth ʿIr, Chale, Resen comprehendens (pag. 54) *itinere trium dierum* fuisse scribitur. Reapse diametros civitatis iuxta Herodotum (5, 53) et Diodorum Siculum (2, 3) iter unius diei, ambitus vero iuxta eundem Diodorum Siculum (2, 3) aliosque 480 stadia seu iter trium dierum erat, quae testimonia effossionibus in Ninive factis confirmantur. Eapropter Knabenbauer (Ionas 380 sq) cum multis aliis ista verba *itinere trium dierum* de ambitu civitatis intellegit; melius tamen Orelli (Iona 99) ob contextum censet ista verba tempus significare quo Ionas indigebat, ut in quattuor civitatis magnae urbibus earumque partibus paenitentiam praedicare posset. Sequitur enim prophetam in civitatem *itinere diei unius* introisse et paenitentiam praedicasse. Finis missionis divinae postulabat, ut Ionas non via recta per civitatem ambularet, sed fora et vicos et compita circumiret, quod iam antiquiores interpretes annotarunt (cf. *Knabenbauer*, Ionas 381). Marti (Iona 254) cum Hitzig (Iona 182) illud *itinere trium dierum* de diametro interpretatur; sed hac interpretatione inter librum Ionae ac testimonia profana sine ulla necessitate, immo contra contextum biblicum, contradictio construitur. — In capite 4 hagiographus prius narrat Ionam ob indulgentiam civitati praestitam afflictum et iratum cum Deo locutum ac leniter ab eo increpatum esse (v. 1—4); postea refert prophetam e civitate egressum sub umbraculo exspectasse quid illi accideret (v. 5). Quomodo haec conciliari possunt? Censemus cum Hitzig (Iona 183) et magistris Iudaeorum versum 5 ut plusquamperfectum accipiendum esse, quod ex grammatica Hebraica omnino licet et omnem difficultatem tollit: Ionas ante diem 40 e civitate egreditur et exitum rei exspectat; die 40 elapso videt Deum civitati pepercisse, irascitur et a Deo semel iterumque corripitur. Marti (Iona 256) versum 5 post 3, 4 ponendum iudicat, quae opinio cum nostra sententia quoad sensum convenit. Knabenbauer (Ionas 387 sq), Nowack (Iona 183), Orelli (Iona 100) e contrario ordinem versuum retinent et versum 5 ut perfectum intellegunt putantes Ionam sperasse civitati saltem serius poenam aliquam infligendam esse. Sed versus 4 huic opinioni non favet.

In libro Ionae veram historiam narrari recentissimi ac doctissimi viri catholici asserunt, quibus et nonnulli acatholici accedunt. Catholici sunt: Cornely (Introductio II, 2, 561 sqq), Danko (Historia Vet. Test. 353 sq), Hagen (Lexicon biblicum II 793 sq), Haneberg (Geschichte der Offenbarung 278 sq), Holzammer (Handbuch 681), Kaulen (Einleitung II 242), Knabenbauer (Ionas 360 sq), Schöpfer (Geschichte 394), Seisenberger (Einführung 340), Selbst (Handbuch 794 sq), Zschokke (Historia 256 sq) plurimique antiquiores; acatholici accedunt: Kennedi (On the book of Ionah, London 1895), Orelli (Iona 96), Weber-Deinzer (Einleitung 230), Zeller, (Biblisches Handwörterbuch 417). Si ergo Rousselle (Storia 416) scribit „magnum numerum exegetarum“ librum Ionae pro simplici parabola habere, non accurate loquitur. Acatholicorum

interpretum recentiorum utique magnus numerus narrationem istam historicam esse negat (cf. *Marti,* Iona 244), non vero catholicorum ex quibus reapse solum Meignan (Les Prophètes d'Israel, Paris 1892) citat. — Argumenta quibus catholici nominati assertionem suam confirmare possunt, sunt sequentia:

1. argumentum est auctoritas Christi testantis Ionam in ventre ceti fuisse typum suum (Exegetica 12 sqq) et Ninivitis signum factum esse, illosque ob praedicationem eius paenitentiam egisse. *Sicut fuit Ionas signum Ninivitis,* inquit: *ita erit et Filius hominis generationi isti* (Lc 11, 30). *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus* (Mt 12, 40). Atqui Christus revera Iudaeis erat signum, revera fuit in corde terrae; ergo concludendum est Ionam quoque revera Ninivitis signum exstitisse ac revera in ventre ceti commoratum esse. *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam,* prosequitur Christus (Mt 12, 41 sq; Lc 11, 31 sq): *quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae. Et ecce plus quam Ionas hic. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam: quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis* (cf. pag. 222), *et ecce plus quam Salomon hic.* „Quibus verbis aperte res vere gesta indicatur" (*Knabenbauer* apud Hagen, Lexicon biblicum II 794). Nam Christus viros Ninivitas in praedicatione paenitentes non solum cum regina austri ad Salomonem veniente (quam acatholici recentiores quoque historicam esse concedunt) comparat, verum etiam de iudicio novissimo loquitur, in quo res non iuxta opiniones et traditiones Iudaeorum, sed iuxta veritatem rei evenient (Mt 25, 31 sqq); Christus non aliorum opinionem (ut nonnulli supponunt sed non probant) sed suam sententiam istis verbis enuntiavit, ut contextus totus demonstrat: ergo asserta eius falsa esse nequeunt (pag. 12). „Impium est atque blasphemum (nisi ignorantia insigni, qua de Incarnationis mysterio tenentur, excusantur critici quidam moderni) asserere Christum Dominum in rebus historicis sui temporis erroribus fuisse obnoxium, neque humanam eius cognitionem limites temporis sui atque populi superare et excedere potuisse" (*Knabenbauer,* Ionas 361). Etiam Weber-Deinzer (Einleitung 230) profitentur ex Mt 12, 39—41 et Lc 11, 29 sq obiectivitatem narrationis libri Ionae necessarie demonstrari. Quod interpretes Hegelianismo addicti (pag. 16) aliter sentire debeant, apparet.

2. argumentum est indoles libri Ionae. „Narratio ita confecta est, ait Knabenbauer (Ionas 360 sq), uti miracula illa in libris historicis relata de Elia et Eliseo aliisque; ergo si illa miracula referuntur uti facta et nequaquam ad allegoriam vel symbolicam docendi rationem trahi possunt, etiam narratio haec eodem stilo eademque simplici assertione conscripta idem genus historicum exhibet."

3. argumentum est consensus unanimis Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, quos Danko (Historia 354) enumerat. Sciebant Patres infideles res quasdam in libro Ionae narratas, praesertim quae ad piscem spectant, deridere (cf. *Knabenbauer,* Ionas 374); nihilominus narrationem historicam esse defenderunt.

4. argumentum est imbecillitas rationum quibus probare conantur narrationem non esse historicam. Primo dicunt (*Hitzig-Steiner,* Iona 173; *Nowack,* Iona 173 sq; *Marti,* Iona 244), si historia esset, plures res aliae notari debuissent: locus nativitatis Ionae, locus ubi a pisce evomitus est, iter eius in Niniven, nomen et tempus regis istius civitatis, fata Ionae et Ninives post conversionem. Respondemus: ex eo quod scriptor quidam plura praetermisit quae nos scire vellemus, iuxta praecepta logica non sequitur ea quae reapse litteris mandavit non historica esse. Scriptor libri Regum e numero actorum Ieroboam II maximi regum Israelis plurima praetermisit; nihilosecius etiam recentissimi interpretes protestantes ea quae de illo litteris mandata sunt historica ducunt. Secundo candide fatentur (*Hitzig-Steiner,* Iona 171 sq; *Marti,* Iona 244) se narrationem historicam esse negare, quia in ea miracula multa continentur. Possibilitatem miraculorum negant, ergo narrationes miracula referentes inter fabulas vel mythos ablegare debent (pag. 8). Possibilitate miraculorum negata Marti (Iona 244) consequenter scribit: „Andererseits trägt das, was er erzählt, unverkennbar einen ungeschichtlichen, märchenhaften Charakter, i. e. ex altera parte ea quae narrat evidenter characterem non historicum, fabulosum habent." Et prosequitur Baudissin (Einleitung 594) atque Hitzig-Steiner (Iona 171) eum exscribens: „Omnia hic miraculosa sunt. Prophetam inoboedientem tempestas premit; sors subito noxium indicat, et tempestas desinit. Statim piscis grandis adest, qui prophetam conservet; Ionas in ventre eius vivus permanet, et piscis eum evomit. Arbor miraculosa unica die exsurgit; vermis et ventus iterum praesto sunt qui effectibus suis Ionam edoceant." Ad haec respondemus in genere.

Vatic. definivit: „Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse ... anathema sit“ (sess. III, cap. 3, can. 4). „Si quis dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit“ (sess. III, cap. 4, can. 3). Quae cum ita sint, ista miracula nullo modo comprobant narrationem non historicam sed fabulosam esse (pag. 10 sq). Respondemus etiam in specie ad singula quae contra characterem historicum libri Ionae obiciuntur.

Hitzig-Steiner (Iona 171 sq) eo offenduntur quod Iahve modo externo ad Ionam locutus sit. At revelatio supernaturalis i. e. manifestatio veritatum per formalem locutionem Dei non impossibilis sed possibilis est (pag. 7). — Iidem ex eo quod reliqui prophetae non in alienam terram ad paenitentiam praedicandam missi sint, concludunt ne Ionam quidem in veritate missum esse ut Ninivitis paenitentiam praedicaret. Sed si reliqui prophetae ad hoc non missi sunt, iuxta praecepta logica non sequitur neque Ionam missum fuisse. Ceterum Hitzig-Steiner (Iona 172) probare conantur prophetas non potuisse recipere mandatum praedicandi in terra aliena; hic valet illud philosophicum: „Qui nimium probat, nihil probat.“ — Quod tempestas exorta sit et sors in Ionam ceciderit, etiam sine miraculo explicare possumus ad providentiam divinam provocantes quae *attingit ... a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap 8, 1). — Quomodo Ionas tempestate orta in parte inferiore navis dormire potuerit, Knabenbauer (Ionas 368) exponit: „causam adoptabimus, Ionam moerore, tristitia, lassitudine et conscientiae stimulis oppressum aliorum societatem fugisse, quaeritasse solitudinem et demum post talem conflictationem internam viribus exhaustis gravi sopore esse sepultum; neque enim supponi potest eum sine vehementioribus animi commotionibus, remorsibus fugam arripuisse; ea autem lucta, eo angore et ipsa viae quam confecerat fatigatione demum somno traditum fuisse, nemo mirabitur; apte monent aliqui etiam discipulos Christi dormivisse *prae tristitia* (Lc 22, 45).“ — Quod ad *piscem* illum *grandem* attinet, plurimi quidem antiquiores putarunt eum balenam (Walfisch) fuisse; sed hanc, „etsi oris hiatu grandi polleat, tamen gula esse angustiore“ iam Lapide aliique antiquiores (cf. *Knabenbauer*, Ionas 373) adverterunt, eamque in mari mediterraneo non commorari Orelli (Iona 98) notat. Quare recentiores (*Kaulen*, Einleitung II 244; *Knabenbauer*, Ionas 373; *Orelli*, Iona 98 aliique) illum piscem recte squalum carchariam seu canem marinum (Haifisch, cane pesce, requin) fuisse iudicant, qui in mari mediterraneo invenitur; 5, 8, 10 *m* et ultra longus est atque integrum virum, etiam armatum, immo equum deglutire et integrum per paucos dies in ventre conservare potest. Hoc factis probatur, quae nullus negat; videas Scheuchzer (Physica sacra, Augustae 1731, tom. IV 2, pag. 1124 sqq), Oken (Allgem. Naturgeschichte, Tierreich III, Stuttgart 1836, 55), Voigt (Lehrbuch der Zoologie, Stuttgart 1837, III 285), Orelli (Iona 98, ubi *Linné* citat), Winer (Realwörterbuch I 374 sq), Selbst (Handbuch 797 sq). His tamen non obstantibus Ionas in ventre squali 3 diebus et 3 noctibus per miraculum pumtaxat vivus permanere potuit (*Knabenbauer*, Ionas 373; *Orelli*, Iona 98;

Nowack, Iona 180; *Marti,* Iona 252; *Selbst,* Handbuch 798). Oken (l. c. 58) narrat quidem nautam anno 1758 in mari mediterraneo a squalo devoratum prodiisse vivum, postquam ille statim occisus fuit (cf. *Winer,* Realwörterbuch I 375; *Selbst,* Handbuch 798); at nullum factum afferri potest hominem 3 diebus et 3 noctibus in ventre squali vivum permansisse: rationes mortis manifestissimae sunt. Verum quidem est phrasim *tribus diebus, et tribus noctibus* iuxta usum loquendi Hebraicum unum diem unamque noctem integram, de ceteris duabus vero partem tantum comprehendere, quod 1 Rg 30, 12 sq; Tob 3, 10 12; Est 4, 16; 5, 1 et praesertim Mt 12, 40 coll. 27, 62 sq; 28, 1 necessarie demonstratur et a Marti (Iona 252) contra contextum negatur (cf. *Knabenbauer,* Ionas 374 sq; *Orelli,* Iona 98): sed ne 37 horis (cf. *Kaulen,* Einleitung II 244; *Zschokke,* Historia 257) quidem sine miraculo in ventre piscis vivere potuit. „At ... cum ex ipsis Christi verbis edoceamur tali typo Christi commorationem apud inferos eiusque resurrectionem a mortuis praefigurari Deum voluisse, ad tantae rei typum merito assumi grande miraculum quis negare audebit?“ (*Knabenbauer,* Ionas 373 sq; similiter *Orelli,* Iona 98; *Weber-Deinzer,* Einleitung 230.) — Quomodo Ninivitae Ionam praedicantem intellegere potuerunt? Orelli (Iona 99) recte Is 36, 11 citat, ex quo elucet linguam Aramaeam (Syram) tam Assyrios quam nonnullos Hebraeos intellexisse, neque linguam Hebraeam Assyriis ignotam fuisse (cf. *Duhm,* Iesaia 238; *Marti,* Iesaia 250). — Ninivitas tam cito credidisse ac paenitentiam egisse non incredibile est. Nam Deus qui conversionem eorum desiderabat, etiam media necessaria seu gratias congruentes tribuebat; insuper sunt qui asserant nautas illos qui Ionam in mare proiecerant Ninivitis miraculum narrasse itaque praedicationi eius fidem conciliasse (cf. *Knabenbauer,* Ionas 382). Si quidam contra librum Ionae citant Is 37, 10 sqq, non logice cogitarunt: liber Ionae refert quidem Ninivitas paenitentiam egisse, at non refert eos in paenitentia permansisse (*Weber-Deinzer,* Einleitung 230). — Hitzig-Steiner (Ionas 172) improbabile censent bruta quoque saccis induta fuisse. Sed ipse Marti (Iona 255) fatetur tale quid tempore antiquo non inauditum esse: videas Herodotum (9, 24), Orelli (Iona 99), Kaulen (Einleitung II 245). — In civitate magna, quattuor urbes comprehendenti, fuisse plus quam 120 000 hominum nescientium quid sit inter dexteram et sinistram, i. e. infantium qui nondum ad usum rationis pervenerant, omnino credibile est. Cum enim generatim loquendo quinta pars hominum tales infantes sint, Ninive ca 600 000 habitatores habuisset (cf. *Orelli,* Iona 101; *Knabenbauer,* Ionas 390): numerus neque fabulosus neque hyperbolicus (*Kaulen,* Einleitung II 245). — Planta *quae sub una nocte nata est, et sub una nocte periit* non hedera nec cucurbita (videas quae *Sixtus V,* Aeternus ille caelestium, de his vocibus narrat; cf. meam editionem Bibliae Sacrae, pag. 153*, lin. 6 sqq), sed קִיקָיוֹן, assyr. *kukkânîtu,* aegypt. *kiki,* i. e. ricinus (*Buhl,* Handwörterbuch). De ricino Gesenius (Thesaurus 1214) e commentario S. Hieronymi inter alia haec adducit: „Est autem genus virgulti vel arbusculae, lata habens folia in modum pampini et umbram densissimam suo trunco se sustinens, quae in Palaestina creberrime nascitur et maxime in arenosis locis mirumque in modum, si sementem in terram ieceris cito confota consurgit in arborem et intra paucos dies quam herbam videras, arbusculam suspicis.“ Deinde Gesenius adiungit: „Rumphius in Herbario Amboinensi t. 4, p. 95 narrat calidioribus diebus, tenui cadente pluvia, in ea (sc. planta ricini) generari erucas nigras magna multitudine, eius folia per unam noctem subito depascentes, ut nudae modo costae supersint, idque se saepius non sine admiratione vidisse.“ Ergo ea quae de verme (singularis collectivus) legimus, non sunt mira-

cula sed effectus naturales a providentia divina utique dispositi, ut hagiographus narrat. Asserens vero Deus istam plantam una nocte *natam* esse, non affirmat eam una nocte tam grandem evasisse ut hominem sedentem obumbrare posset (*Kaulen*, Einleitung II 244).

5. argumentum est infirmitas opinionum contrariarum. Omnes enim suppositioni falsae (pag. 8) innituntur, miracula impossibilia esse (pag. 242), necnon ab ipsis acatholicis impugnantur. Opinio nonnullorum (cf. *Zschokke*, Historia 256): in libro Ionae somnium vel visionem prophetae narrari, nunc obsoleta est. Hitzig-Steiner (Iona 173) docuerunt adesse „puram fictionem, lusum phantasiae ad arbitrium fingentis“; sed hanc sententiam Marti (Iona 246 sq) reicit atque putat hagiographum mythos Graecos et Babylonios et Indicos et Aegyptios adhibuisse et ad scopum suum retractasse. At Nowack (Iona 175) tales „conatus omnino irritos factos“ appellat, quod iam Winer (Realwörterbuch I 596 sq) ostendit. Kleinert et Cheyne (cf. *Marti*, Iona 245) allegoriam intellegunt ac defendunt, quam explicationem Marti aliique recte repudiant, utpote cum textu libri non congruentem. Nowack (Iona 175) affirmat „legendam prophetarum“ nobis praeiacere. Tacemus quod suam assertionem argumentis logice validis non probat, et solum notamus hagiographum proprio nomine loqui et traditionem prophetarum suam facere, uti contextus docet: ergo facta nobis proponere (pag. 9 sqq), quemadmodum ipse Christus narrationem eius intellexit (pag. 241).

Consideratis his omnibus elucet characterem historicum narrationis ab iis tantum negari, qui miracula aut omnino negant aut saltem horrent; elucet quoque hos viros contra auctoritatem Christi ipsius Scripturam explicare neque in suis interpretationibus convenire: quod alius affirmat, alius negat. Qui autem cum Ecclesia catholica possibilitatem miraculorum retinet (pag. 8) et locos istos difficiles cum exegetis catholicis ratione supra indicata explicat, nihil ridiculi in narratione libri Ionae inveniet eamque historicam esse cum multis aliis (pag. 240) profitebitur.

β) **Prophetia Ionae**, יוֹנָה, *Ἰωνᾶς*, binas missiones prophetae narrat, 4 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—2, 11) missio prior continetur. Hagiographus refert a) quomodo Ionas mandatum divinum Ninivitis paenitentiam praedicandi declinare et in Tharsis fugere voluerit, sed propter magnam tempestatem a Domino missam mari traditus sit (1, 1—15); b) quomodo in ventre piscis a Domino praeparati tribus diebus et tribus noctibus manserit, Deum oraverit ac tertia die iussu Domini a pisce evomitus sit (2, 1—11).

In 2 parte (3, 1—4, 11) missio altera describitur. Proponitur propheta a) praedicans Ninivitis paenitentiam, quorum credentium, ieiunantium et orantium Deus misertus est (3, 1—10); b) irascens ob misericordiam et indulgentiam Ninivitis praestitam ideoque a Domino semel iterumque correptus (4, 1—11).

De fine libri interpretes plerique conveniunt: hagiographus Hebraeis monstrare voluit salutem non solum populo electo verum etiam gentibus tribui, si paenitentiam agant; qua nota impaenitentiam habitatorum regni Israel increpuit.

Librum Ionae probabiliter ipse Ionas conscripsit (*Kaulen*, Einleitung II 245). „Solida ratio, cur id negetur, non apparet, confitetur Knabenbauer (Ionas 361). Indicia enim temporis posterioris, quae in lingua aliqui deprehendunt, neque in se adeo certa sunt, neque, si certo tempus posterius indicarent, iam continuo Ionam auctorem excluderent. Quis enim adeo audax est asserere Iudaeos posteriores in libris describendis antiquioribus numquam vel per errorem vel ex consulto formas grammaticales recentiores et vocabula magis recentia et usitata inseruisse.“ Marti (Iona 247), Strack (Einleitung 113) aliique praesertim propter illud Ion 3, 3 *Ninive erat,* הָיְתָה, *civitas magna,* librum prophetae abiudicant; sed argumentum valde infirmum est, quia non constat utrum הָיְתָה iam originaliter scriptum an serius alii formae substitutum sit. Videas plura apud Kaulen (Einleitung II 245) et Knabenbauer (Ionas 361 sq).

b) Iniquitatem atque impaenitentiam populi Israel etiam duo prophetae alii regnante Ieroboam II increpuerunt, videlicet Amos et Osee. *Amos* fuit de pastoribus Thecue (ab austro Bethlehem; Tab. III) et prophetavit in regno Israel regnantibus Ozia rege Iuda atque Ieroboam II rege Israel (1, 1), postquam vaticinium Ionae restitutionem terminorum Israel annuntians iam impletum erat (6, 14; *Strack,* Einleitung 110). — *Osee,* filius Beeri de terra Israel (1, 2; 7, 5), regnantibus Ieroboam II rege Israel atque Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia regibus Iuda (1, 1), ergo post Amos prophetavit (cf. *Strack,* Einleitung 106). — Hos prophetas etiam libros ab ipsis nominatos conscripsisse acatholici quoque concedunt (cf. *Strack*, Einleitung 106 111); finis praedicationis et librorum fuit reductio Israelis ab illa via mala regis Ieroboam I, in qua populus ambulabat et magis magisque perniciei appropinquabat. Videas plura apud Kaulen (Einleitung 229 sqq; 235 sqq).

α) **Prophetia Amos,** עָמוֹס, *Ἀμώς,* vaticinia et visiones symbolicas poenam Israelis indicantes continet, 9 capitibus constat et in duas partes dividitur, quibus praelusio quaedam anteponitur. In hac praelusione (1, 1—2, 16) ultio Domini in Damascum (1, 2—5), in Philisthinos (1, 6—8), in Tyrum (1, 9 sq), in Edom (1, 11 sq), in Ammon (1, 13—15), in Moab (2, 1—3), in Iuda (2, 4 sq), in Israel (2, 6—16) praedicitur.

In 1 parte (3, 1—6, 15) sermones prophetici signati sunt. a) Electio non excusat: Dominus electos propter iniquitates eorum tribulationibus magnis certo visitabit (3, 1—15). b) Idololatria punietur: castigati sed non eruditi gravius castigabuntur (4, 1—13). c) Impaenitentia increpatur: Israel impaenitens proiecta est (5, 1—17), munera impiorum repudiantur (5, 18—27), superbia ac deliciae finientur (6, 1—15).

In 2 parte (7, 1—9, 15) visiones symbolicae referuntur. a) Tres priores: locustae comedentis (7, 1—3), ignis devorantis (7, 4—6), trullae caementarii vel perpendiculi (7, 7—9); adiungitur praedictio poenae Amasiae sacerdoti Bethel et populo Israel infligendae (7, 10—17). b) Quarta visio: uncini vel canistri pomorum (8, 1—3); opprimentibus pauperes calamitas praedicitur (8, 4—14). c) Quinta visio: Domini super altare stantis (9, 1—7); Israel purgabitur ac reducetur (9, 8—15).

β) **Prophetia Osee**, הוֹשֵׁעַ, *Ὡσηέ*, symbolicis actionibus et vaticiniis captivitatem populi praenuntiat, 14 capitibus constat et in duas partes distribuitur.

In 1 parte (1, 1—3, 5) duae actiones symbolicae narrantur. a) Matrimonium unum: propheta iussu Domini uxorem fornicariam accipit, cuius filio filiaeque nomina imponuntur ac mutantur (1, 1—2, 1); haec uxor Israelem significat, quae Deum derelinquit ideoque visitabitur (2, 2—13) sed in solitudine convertetur (2, 14—24). b) Matrimonium alterum: Osee mandante Domino uxorem adulteram sumit ac segregat, quae etiam sortem Israelis significat (3, 1—5).

In 2 parte (4, 1—14, 10) sermones prophetici traduntur. 1. Series una (4, 1—11, 11). Nuntiantur a) peccata populi, nempe corruptio omnimoda propter neglegentiam sacerdotum (4, 1—10), idololatria propter scandalum sacerdotum et principum (4, 11—5, 11), impaenitentia Israelis ab alienis salutem quaerentis neque sincere se convertentis (5, 12—7, 16). b) Poena populi: Israel destruetur (8, 1—14), in captivitatem ducetur (9, 1—9), a Deo abicietur et confundetur (9, 10—10, 8), sed correptus in domibus suis collocabitur (10, 9—11, 11). — 2. Series altera (11, 12—14, 10). a) Peccatum populi: factoris sui oblitus est (11, 12—12, 14). b) Poena eius: populus ingratus peribit (13, 1—14, 1), sed convertetur (14, 2—10).

Utrum duo illa matrimonia „per modum allegoriae proponantur quae propheta in somno vel ecstasi viderit, fecerit, an revera ab ipso gesta sint et in opus externum deducta“, ab antiquo tempore controvertitur. S. Hieronymus et Reinke; ex acatholicis Hävernick, Hengsten-

berg, Hitzig-Steiner, Keil, Maurer, Reuß, Simon, Strack, Wünsche (cf. *Orelli,* Hosea 13; *Strack,* Einleitung 107) allegoriam accipiunt. E contrario plerique Patres et antiquiores interpretes necnon recentiores Kaulen, Knabenbauer, Rohling, Schegg, Schöpfer; ex acatholicis Delitzsch, Duhm, Hofmann, Kurtz, Marti, Nowack, Orelli, Wellhausen (cf. *Knabenbauer,* Osee 23; *Orelli,* Hosea 13; *Strack,* Einleitung 107) matrimonia illa reapse contracta declarant. Merito. Nam propheta „hoc suo matrimonio et liberis in eo susceptis hebetes popularium mentes ad divina consilia perpendenda efficaciter provocare debuit; verum quaenam efficacia ad soporem illum excutiendum adfuisse censebitur, si propheta haec a se visa esse solum verbis proponeret? Nonne propterea prophetae actiones iubentur suscipere externas symbolicas, ut gravi tepore oppressos excitent, ut verbis pondus addant?" Strack (Einleitung 107) cum aliis huic sententiae opponit, quod ista matrimonia fuissent „moraliter reprehendenda"; sed Orelli (Hosea 13) et Marti (Hosea 14) optime respondent: si ista matrimonia „moraliter reprehendenda" sunt, ea nec Deus in visione postulare nec propheta per allegoriam populo proponere potuit. „Neque vero in re imperata aliquid inest, quod ad visionem ut confugiamus suadeat. Nam honestum prorsus est, ut mulier, etsi antea impudica, matrimonium contrahat; et quod prophetae durum est, ut cum tali ineat conubium, id sane non sufficit ut tantum visione rem actam esse dicamus; multa enim et difficilia Deus a suis saepe postulat in aliorum eruditionem et doctrinam" (*Knabenbauer,* Osee 23). Eadem de matrimonio altero dici possunt; videas commentarios supra enumeratos.

14. Zacharias, filius Ieroboam, 6 mensibus regnavit et *non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* Interfectus est a Sellum, et impleta est prophetia Iehu ad Achab loquentis: *Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel* (4 Rg 15, 8—12).

15. *Sellum* 1 mense regnavit et a Manahem occisus est (4 Rg 15, 13—16).

16. *Manahem* 10 annis regnavit et *non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel cunctis diebus eius* (4 Rg 15, 17 sq). Illo regnante rex Assyriorum nomine *Phul* (Fig. 55) in terram Israel venit atque 1000 talenta argenti i. e. ca 6 120 000 *M* (*Kortleitner,* Archaeologia 253) tributum abstulit (4 Rg 15, 19—22). *Phul* (4 Rg 15, 19) eundem esse ac *Theglathphalasar* (4 Rg 15, 29), quod iam 1 Par 5, 26 indicatum reperimus, nunc plerique concedunt. Videas Hommel (Geschichte Babyloniens 648 sqq), Tiele (Babylonisch-assyrische Geschichte 110 sq 226 sq), Schrader-Zimmern-Winckler (Keilinschriften 50), Ieremias (Das Alte Testament 518). Manahem regi Phul tributum dedisse documentis Assyriis confirmatur (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 674; *Winckler,* Keilinschriftliches Textbuch 27).

17. Phaceia, filius Manahem, 2 annis regnavit et *non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* Interfectus est a duce suo Phacee (4 Rg 15, 23—26).

18. *Phacee* 20 annis regnavit et *non recessit a peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel* (4 Rg 15, 27 sq).

a) Phacee cum Rasin rege Damasci contra Achaz regem Iuda bellum gerebat (4 Rg 16, 5). Propterea *Phul-Theglathphalasar,* quem Achaz vocaverat (4 Rg 16, 7 sqq), terram septentrionalem et orientalem regni Israel occupavit et habitatores illarum partium in Assyriam transtulit (4 Rg 15, 29); Osee autem filius Ela regem Israel interfecit (4 Rg 15, 30 sq). Quae hic narrantur, documentis Assyriorum confirmantur (*Winckler,* Keilinschriftliches Textbuch 29 sqq).



Fig. 55. Phul-Theglathphalasar in essedo. Caelatura ex Nimrud (iuxta Layard).

b) Circa hoc tempus liber Samuel, סֵפֶר שְׁמוּאֵל, seu liber I et II Regum scriptus esse videtur (cf. pag. 136). Hagiographus monstrare voluit populum et regem oboedientia felices, inoboedientia infelices fieri (1 Rg 12, 20—25).

α) **Liber primus Samuelis, Quem nos primum Regum dicimus,** שְׁמוּאֵל א, *Βασιλειῶν α,* historiam ultimi iudicis atque primi regis refert, 31 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—7, 17) Samuel ultimus dux describitur. 1. Vita eius privata (1, 1—2, 36) et quidem a) oblatio infantuli. Hagiographus tam Annae tristitiam, afflictionem, orationem (1, 1—19ª) quam gaudium, partum et oblationem pueri, gratiarum actionem (1, 19ᵇ—2, 11ª) narrat. b) Ministerium pueri, qui Domino et hominibus placebat, dum Heli summus sacerdos nimia indulgentia

et filii eius variis peccatis Deum et homines offendebant ac per quendam virum Dei correpti sunt (2, 11[b]—36). — 2. Vita eius publica (3, 1—7, 17). Hagiographus Samuelem nobis proponit a) prophetam Domini, cuius vaticinium de ruina domus Heli (3, 1—21) impletum est (4, 1—22). b) Iudicem populi, quo iudicante arca Domini e terra Philisthiim in Bethsames et Cariathiarim venit (5, 1—7, 1), Israelitae ad Dominum conversi (7, 2—6) et Philisthaei humiliati sunt (7, 7—17).

In 2 parte (8, 1—31, 13) Saul primus rex describitur. 1. Usque ad reiectionem (8, 1—15, 35). Narratur quomodo rex a) petitus (8, 1—22), b) constitutus et quidem a Samuele unctus (9, 1—10, 16) ac populo propositus (10, 17—27), c) post bellum contra Ammonitas feliciter gestum ab omnibus agnitus sit (11, 1 ad 15), quo facto Samuel recessit (12, 1—25); narratur d) quomodo tum familia Saulis (13, 1—14, 52) tum persona eius (15, 1—35) a Domino reiecta et a Samuele relicta sit. — 2. Post reiectionem (16, 1—31, 13). Narratur quomodo Saul a) Davidem a Samuele unctum dilexerit et armigerum suum fecerit (16, 1—23), b) eum invidia commotus (17, 1—18, 9) insecutus sit idque prius magis occulte (18, 10—30), deinde publice (19, 1—27, 12; videas pag. 184 sqq); narratur c) quomodo rex semetipsum occiderit, postquam pythonissam consuluit (28, 1—25) atque proelio a quo David remotus fuerat (29, 1—30, 31) victus est (31, 1—13).

β) **Liber secundus Samuelis, Quem nos secundum Regum dicimus,** ב שְׁמוּאֵל, *Βασιλειῶν β*, historiam Davidis continet, 24 capitibus constat et in duas partes distribuitur.

In 1 parte (1, 1—10, 19) David iustus proponitur. 1. Rex Iuda (1, 1—4, 12). a) Agnoscitur a viris Iuda: deflet occisos (1, 1—27), ungitur rex ac regnat in Hebron (2, 1—7). b) Pugnat contra hostes, et quidem adversante Abner (2, 8—3, 5) atque auxiliante eo (3, 6—4, 12). — Rex Israel (5, 1—10, 19). Accipit a) regnum firmum: capit arcem Sion, aedificat domum regiam, percutit Philisthiim, adducit arcam Domini in civitatem suam (5, 1—6, 23). b) Regnum aeternum: templum aedificare volens promissione filii eximii ac throni sempiterni recreatur (7, 1—29) et victoriis variis clarus fit (8, 1—10, 19).

In 2 parte (11, 1—24, 25) David paenitens proponitur. 1. Peccata eius (11, 1—27): adulterium (11, 1—5), parricidium (11, 6—25), matrimonium (11, 26 sq). — 2. Poenae ipsius (12, 1 ad 20, 26). a) Mors filii primi Bethsabee (12, 1—31). b) Scelus

Amnonis (13, 1—22). c) Furor Absalomis (13, 23—39). d) Seditio Absalomis (14, 1—19, 40). e) Rebellio Sebae (19, 41—20, 26). — 3. Ultima acta (21, 1—24, 25). a) Cruenta facta (21, 1—22). b) Verba ultima: gratiarum actio (22, 1—51) et vaticinatio (23, 1—7). c) Recensus civium: virorum fortium (23, 8—39) et totius populi (24, 1—25).

19. *Osee* 9 annis regnavit. *Fecitque malum coram Domino: sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant* (4 Rg 17, 1 sq). Contra hunc Salmanassar IV rex Assyriorum ascendit fecitque sibi eum tributarium. Cumque Osee ad Sua regem Aegypti nuntios misisset et regi Assyriorum non amplius tributum daret, Salmanassar iterum ascendit et pervagatus omnem terram Israel Samariam 3 annis obsedit. Post 3 annos i. e. 722 a. Chr. successor Salmanassari Sargon nomine (Fig. 56) urbem cepit, regem in carcerem misit et populum in Assyriam transtulit (4 Rg 17, 3—6; 18, 9—11).

Fig. 56. Sargon cum duce. Caelatura ex Khorsabad (iuxta Botta).

De Salmanassar isto (727—722 a. Chr.) non habemus inscriptiones (*Ieremias,* Das Alte Testament 522). — Samaria non a Salmanassar capta est, uti ex textu biblico quis colligere potuerit, sed a successore eius Sargon, quod annales eius testantur (*Winckler,* Keilinschriftliches Textbuch 37). Hic Sargon Is 20, 1 dumtaxat commemoratur; apud alios hagiographos vel apud scriptores profanos non nominatur, quod contra axiopistiam Scripturae invocari potuit, donec Botta 1843 palatium regis Sargon in Khorsabad (Tab. I, charta minor) detexit; nunc Sargon inter notissimos reges Assyriae numeratur (*Döller,* Bibel und Babel 5). — De chronologia regum Israel in fine § 31 loquemur.

§ 30. De captivitate Assyria.

1. De populo Israel bis captivi in Assyriam deportati sunt, scilicet regnante Phul-Theglathphalasar (pag. 249) atque regnante Sargon. Collocati sunt autem (Tab. I) in *Hala* et *Habor* fluviis provinciae *Gozan* (ita LXX) necnon in *civitatibus Medorum* (4 Reg 17, 6).

Habor est ille fluvius qui ad Circesium in Euphraten influit (*Benzinger,* Regum 173; *Kittel,* Regum 274). *Hala* iuxta LXX est fluvius, forsitan unus ex illis qui in Haboram influunt (Tab. I); iuxta alios est regio Mesopotamiae (cf. *Kittel,* Regum 274). Deportatos in Ninive, Ecbatanis et Rages habitasse ex iis elucet quae de Tobia dicentur.

2. In terram et urbes regni Israel rex Assyriorum colonos transtulit, quos tamen leones Domino providente interficiebant. Hac de causa Sargon unum de sacerdotibus in Assyriam adductis remisit qui colonos legitimà Domini doceret. Coloni igitur colebant Dominum Israel, simul tamen idolis suis serviebant (4 Rg 17, 24—41). Ita factum est, ut habitatores terrae Israel, ab urbe principali *Samaritani* nominati, populus mixtus evaserint.

Fig. 57. Pentateuchus Samaritanus et Iakub, summus sacerdos.

Samaritani qui usque ad tempus nostrum (sed 170 personae tantum) permanserunt atque in Nabulus (pag. 147) habitant, in synagoga sua thesaurum magnum custodiunt: Pentateuchum Samaritanum (Fig. 57). Valde probabile est sacerdotem a Sargon missum etiam Pentateuchum ad Samaritanos attulisse. Nam a) ipse missus est, ut populum *legitima Dei terrae* doceret (4 Rg 17, 27): haec autem in Pentateucho descripta sunt (cf. pag. 21 sq 129 sqq). b) Samaritani cum Iudaeis ex captivitate reversis Ierosolymis templum aedificare volebant, cum et ipsi Deum eorum colerent eique immolarent (1 Esr 4, 2): ergo Pentateuchus Samaritanis tunc iam notus erat. c) Ab Iudaeis repulsi inimici eorum facti sunt ac permanserunt (1 Esr 4, 4 sq; Io 4, 9; 8, 48) et qua tales numquam ab iis Pentateuchum assumpsissent (*Seisenberger,* Einführung 51 sq; cf. et *Kaulen,* Einleitung 78 sq).

Samaritani tradunt originale Pentateuchi Samaritani, quod in cista pretiosa custoditur nec cum apographis confundendum est, a nepote vel pronepote Aaronis conscriptum esse, quae tamen traditio ab

omnibus viris doctis repudiatur (*Benzinger-Baedeker,* Palästina 249; *Meyers Reisebücher,* Palästina 177). Alii multi putant Pentateuchum post reditum captivorum, et quidem Nehemiae aut Alexandri M. tempore, ad Samaritanos pervenisse. Cui opinioni cum Seisenberger (Einführung 52) opponimus: a) quare Samaritani Pentateuchum et decurtatum librum Iosue dumtaxat receperunt, non autem reliquos libros historicos et propheticos, qui post reditum captivorum iam collecti erant? b) quare Samaritani Pentateuchum antiquis litteris Hebraicis (Samaritanis) scriptum habent, dum Iudaei de exsilio reversi litteras Assyrias seu quadratas adhibebant? c) Haec quaestio cum illa alia cohaeret, quando Pentateuchus compositus sit (pag. 21 sq). — Pentateuchus Samaritanus, litteris quidem Samaritanis seu antiquis Hebraicis sed lingua Hebraica scriptus, secernendus est a targum Samaritano, i. e. versione Samaritana Pentateuchi non solum litteris verum etiam lingua Samaritana confecta (cf. *Kaulen,* Einleitung 111 sqq; *Strack,* Einleitung 210).

3. Facta Tobiae exponentes prius de libro ac deinde de historia eius agere debemus. Tobias iunior in Latino, Graeco, Chaldaico eodem nomine טוֹבִיָּה *Iahve est bonus* vocatur; Tobias senior vero in Graeco *Τωβεῖτ* seu *Τωβίτ* appellatur: idem quod Chaldaicum טוֹבִי, abbreviatum ex טוֹבִיָּהוּ = טוֹבִיָּה (*Zöckler,* Apokryphen 167): ergo in Vulgata pro utroque recte idem nomen ponitur.

a) **Liber Tobiae,** *Τωβεῖτ,* historiam Tobiae senioris et iunioris necnon Sarae refert, 14 capitibus constat et in tres partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—3, 23) miseria istorum hominum describitur, et quidem a) Tobiae senioris: pius in patria et misericors in captivitate propter pietatem a rege Sennacherib omni possessione sua nudatus (1, 1—23); a proximis autem et cognatis atque uxore increpatus est (1, 24—2, 23), quare Deum mortem rogavit (3, 1—6). b) Sarae filiae Raguelis: ab ancilla *interfectrix septem virorum* vocata Deum rogavit, ut ab opprobrio liberaretur aut de terra tolleretur (3, 7—23).

In 2 parte (3, 24—12, 22) medicina Dei exhibetur. a) Raphael Tobiam iuniorem comitatur (3, 24—6, 22). b) Raphael Saram opprobrio liberat (7, 1—9, 12). c) Raphael Tobiam seniorem curat (10, 1—12, 22).

In 3 parte (13, 1—14, 17) gaudium omnium narratur: canticum et felicitas Tobiae senioris (13, 1—14, 13), felicitas Tobiae iunioris totiusque cognationis (14, 14—17).

Utrum originalis textus fuerit Hebraicus an Chaldaicus, disputatur (*Kaulen,* Einleitung II 76 sq). Probabile ducimus Tobiam seniorem et iuniorem linguae Chaldaicae non assuetos acta sua Hebraico sermone conscripsisse, hagiographum autem posteriorem eorum scripta retractasse et Chaldaice reddidisse (cf. infra); idcirco

S. Hieronymus (Praef. in Tob.) librum Tobiae „Chaldaeo sermone conscriptum“ asserit. Quem unico die in Latinum sermonem transtulit, quod tamen auctoritatem versionis non frangit; S. Hieronymus (l. c.) enim testatur: „Et quia vicina est Chaldaeorum lingua sermoni Hebraico, utriusque linguae peritissimum loquacem reperiens unius dici laborem arripui; et quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario sermonibus Latinis exposui.“

Textum Chaldaicum Neubauer (The Book of Tobit, a Chaldee Text, Oxford 1878) divulgavit. At non constat hunc textum cum originali convenire; Strack (Einleitung 170) et Zöckler (Apokryphen 166) eum secundarium iudicant. — Textus *Hebraeus Fagii* atque *Hebraeus Münsteri* sunt versiones, quarum posterior saec. V p. Chr. secundum exemplar Chaldaicum adornata est (*Kaulen*, Einleitung II 76). Cum ergo textus originalis non praesto sit, ad varias versiones confugere debemus. Sermo Chaldaicus hic non linguam Assyriam-Babyloniam quae in cuneatis inscriptionibus conservata est, sed linguam Aramaicam significat quae tunc in Assyria et Babylonia quoque usitata erat. Videas quae infra in historia Danielis de his linguis notantur.

Praeter versionem Vulgatam ab Hieronymo confectam versio Graeca inspicienda est, cuius tres recensiones exsistunt: 1. recensio codicum Alexandrini et Vaticani, 2. recensio codicis Sinaitici, 3. recensio minusculorum (nempe 44 106 107, sed a 6, 7 sqq tantum). Itala partim cum 2 partim cum 3 recensione; Syriaca partim cum 1 partim cum 3 recensione convenit. Videas plura apud Kaulen (Einleitung II, 76) et Strack (Einleitung 170).

Quod ad auctorem libri Tobiae pertinet, iuxta textum Graecum (12, 20) Raphael Tobiae seniori et iuniori mandavit, ut ea quae ipsis acciderant conscriberent (*γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον*, Vaticanus; *γράψατε πάντα ταῦτα τὰ συμβάντα ὑμῖν*, Sinaiticus). Istos mandatum observasse certum est: reapse in Graeco 1, 3—3, 6 Tobias in prima persona loquitur. Possumus autem cum multis aliis admittere posteriorem quendam hagiographum scripta eorum retractasse, uti supra diximus. Librum Tobiae inspiratum et canonicum esse Trid. (sess. IV, De canonicis Scripturis) atque Vatic. (sess. III, cap. 2, can. 4) definiverunt.

Finis libri Tobiae patet: est commendatio operum misericordiae, pietatis ac patientiae.

b) *Historiam Tobiae* ita breviter referemus ut ea, quae in textu Latino desunt, ex Graeco suppleamus; quae minus accurate reddita (cf. Exegeticam 125) vel intellecta sunt, corrigamus.

Tobias de tribu Nephthali et quidem *ἐκ Θίσβης*, qui locus a loco nativitatis Eliae distinguendus est, *in diebus Salmanasar* vel potius *Ἐνεμεσσάρου* cum uxore Anna ac filio Tobia in captivitatem ductus est (1, 1—11). Supra (pag. 251) diximus Samariam non a Salmanassar sed a *Sargon* captam esse. Doctissimus Bickell monstravit in nomine Graeco *Ἐνεμεσσάρ*, עגמסר, nomen Sargon, סרגן, latere (cf. *Kaulen*, Einleitung II 81). Si iam Phul-Theglathphalasar ex Nephthali captivos duxisse scribitur (pag. 249), non sequitur eum omnes ad unum abduxisse. — Pietatem quam in patria coluerat (1, 4—8), etiam in captivitate conservavit, quare *dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar* vel potius *Ἐνεμεσσάρου* (vide supra), cuius *ἀγοραστής* i. e. obsonator factus est. Cumque agere posset quae vellet, visitabat captivos et veniens in Rages urbem Medorum (Tab. I) credidit per syngraphan indigenti Gabelo 10 talenta argenti = 61200 *M* (*Kortleitner*, Archaeologia 253) ex his quibus a Sargon honoratus fuerat (1, 12—17). Talentum etiam pondus et pecuniam Assyriorum fuisse Schrader-Zimmern-Winckler (Keilinschriften 340 sqq) ostendunt. — Mortuo *Salmanasar* vel potius *Ἐνεμέσσαρ* = Sargon (cf. supra) filius eius *Sennacherib* regnavit, qui filios Israel odio habebat et ab Iudaea fugiens (vide § 31, n. 13) multos occidebat. Hos Tobias occulte quidem sepeliebat sed nihilominus regi indicatus est; ideo ad mortem condemnatus et omnibus facultatibus orbatus cum uxore ac filio aufugit et latebat (1, 18—23), — Post 45 autem dies Sennacherib a filiis suis occisus est (vide § 31, n. 13), et regnavit *Σαχερδονός* = *Asarhaddon* filius eius (Fig. 58, pag. 256). Hic Achiacharon filium Anaelis fratris Tobiae senioris primum suum ministrum constituit: *καὶ ἔταξεν Ἀχιάχαρον τὸν Ἀναὴλ υἱὸν τοῦ ἀδελφοῦ μου ἐπὶ πᾶσαν τὴν ἐκλογιστείαν τῆς βασιλείας αὐτοῦ καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν διοίκησιν . . . Ἀχιάχαρος δὲ ἦν ὁ οἰνοχόος καὶ ἐπὶ τοῦ δακτυλίου καὶ διοικητὴς καὶ ἐκλογιστής, καὶ κατέστησεν αὐτὸν ὁ Σαχερδονὸς υἱὸς ἐκ δευτέρας.* Cuius intercessione Tobias cum suis Niniven reverti potuit omnesque facultates recepit (1, 24 sq). — Die festo Domini, et quidem *τῇ πεντηκοστῇ ἑορτῇ*, audiens Iudaeum iugulatum in platea iacere reliquit prandium paratum et ieiunus corpus ad domum suam portavit atque post occasum solis sepelivit. Eadem nocte, *ἐν αὐτῇ τῇ νυκτί*, sepultura fatigatus et immundus effectus iactavit se in aula seu vestibulo ad parietem et obdormivit. Hirundines autem vel passeres, *στρουθία*, stercora calida super oculos eius iecerunt, ita ut caecus fieret (2, 1—18). Etiamsi Tobias non apertis oculis



Fig. 58. Asarhaddon cum Thirhaka Aegyptio (genuflexo) et Ba'lu Tyrio (stante), in quorum labiis circulus positus est (cf. Is 37, 29). Berolini, Museum (iuxta Luschan).

dormivit, tamen expergefactus oculos fricare itaque stercora calida in eos ingerere et inflammationem oculorum sibi accire potuit (*Zöckler,* Apokryphen169). Iuxta textum Graecum non statim lumen oculorum amisit, sed postquam ad medicos ivit: *καὶ ἐπορεύθην πρὸς ἰατρούς*, inquit, *καὶ οὐκ ὠφέλησάν με*. Iuxta textum Latinum Dominus hanc Tobiae tentationem permisit, *ut posteris daretur exemplum patientiae eius, sicut et sancti Iob* (pag. 91). — Anna uxor Tobiae mercedem manuum suarum hoedum caprarum accepit, quem Tobias furtivum credebat ideoque (iuxta Graecum) reddi iussit (2, 19—23). Quia in textu sacro nullum invenimus indicium

Annam furacem fuisse, cum Zöckler (Apokryphen 170) censemus Tobiam uti alios viros caecos et surdos nimis ac sine causa diffidentem fuisse, quod verba eius (2, 19 sq) insinuare videntur. — Eodem tempore quo Tobias mori volebat (3, 1—6), etiam Sara, filia Raguelis in *Rages* vel potius (cf. 7, 1 coll. 9, 3 6) Ecbatanis, ἐν Ἐκβατάνοις (Tab. I) idem Dominum rogavit, quia interfectrix virorum, quos *Asmodaeus* occiderat, appellata fuerat (3, 7 ad 23). Ἀσμόδαυς seu Ἀσμοδαῖος (cf. *Zöckler,* Apokryphen 171) vel a Persico *aêshma-daeva* (= malus spiritus) vel potius ab Hebraico (pag. 253) שָׁמַד *destruxit* derivandum est (ergo = destructor); in Graeco legimus: Ἀσμόδαυς τὸ πονηρὸν δαιμόνιον ἀπέκτεινεν. Exsistere angelos, et quidem bonos ac malos, eosque hominibus prodesse aut nocere posse, in parte II atque in theologia biblica Nov. Test. demonstrabitur. Recentiores acatholici exsistentiam angelorum bonorum et malorum ex principiis suis negare (cf. pag. 16) ideoque hanc et sequentem de Raphaele narrationem respuere debent.

Tunc Dominus angelum suum Raphaelem misit qui ambo curaret. Tobias enim senior mori cupiens filio suo mandata bellissima, chirographum Gabeli et ducem itineris dedit, qui angelus *Raphael* erat (3, 24—5, 21). Hic Tobiae interroganti respondit: *ego sum Azarias Ananiae magni filius* (5, 18). Quod responsum non fuit mendacium, nam a) „Angelus qui speciem humanam Ananiae (Azariae), hominis ea aetata noti, assumpserat, huius viri personam gerebat“ (*Zschokke,* Historia 239); sicut nos de imagine quadam dicimus: hic est Papa, ille est imperator, ita Raphael imaginem Azariae referens sine mendacio istum se esse affirmare potuit (cf. *Selbst,* Handbuch 817). b) Zöckler (Apokryphen 173) putat angelum se Azariam Ananiae magni filium dicendo nomen Raphaelis symbolice circumscribere voluisse; videas sequentia. c) Denique cum Zschokke (Historia 239), Selbst (Handbuch 817) aliisque responsum angeli hac quoque ratione optima explicari potest. Angelus vocat se *Azariam,* עֲזַרְיָה = *Iahve est auxiliator,* quo nomine munus suum vocabulo *Raphaelis,* רְפָאֵל = *Deus sanat,* expressum indicat; phrasis *Ananiae* (חֲנַנְיָה = *Iahve est benignus) magni* Dominum significat, cuius misericordia et magnitudo in Scriptura toties (pag. 203 sqq 238 sqq) praedicantur; huius Domini misericordis et magni Raphael recte se *filium* appellat, quatenus etiam angeli a Deo creati in oratione sublimiore et ligata filii Dei nominantur (pag. 33). Ergo sive apparentiam sive naturam Raphaelis spectemus, responsum eius cum veritate congruit. Tobias

senior et iunior verba angeli utique falso iuxta sensum proprium et obvium acceperunt; quem errorem Raphael non intendebat sed tamdiu permisit quamdiu necessarium erat, absoluta autem missione sua sustulit. — Secundum textum Graecum Tobias senior Azariae praeter victum pro quolibet die unam *δραχμήν* (Fig. 59) i. e. 60—80 nummos ac pro missione feliciter absoluta supererogationem promisit. Nomen pecuniae Graecum in ceteris textibus non habetur, ergo nullam interpreti difficultatem affert. — Promissione ab Azaria accepta omnibusque praeparatis Tobias iunior cum comite suo profectus est (5, 22—28). De verbis illis quibus Tobias senior uxorem lacrimantem consolatus est: *Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quae circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos* (5, 27), in parte II loquemur. Quod canis domesticus Tobiam secutus sit, in textu Chaldaico et Hebraico necnon in Itala deest; Zöckler (Apokryphen 174) putat lectores nonnullos forsitan offensos fuisse quod Tobias canem domesticum habuerit, ideoque textum omisisse, quamvis Is 56, 10 et Iob 30, 1 simile quid testentur. — Post iter unius diei Raphael et Tobias ad *Tigrim* venerunt ibique manserunt (6, 1). Gunkel (Genesis 7) asserit hic errorem geographicum adesse. Cum enim Ninive ad ripam orientalem Tigris aedificata fuerit, Raphael et Tobias in orientem (Mediam) proficiscentes post iter unius diei non ad Tigrim venire potuerunt. At teste Herodoto (5, 52) etiam Zabas superior et inferior in Tigrim principalem influentes Tigris appellabantur (*Zöckler,* Apokryphen 174). A Ninive autem usque ad Zabam (Tab. I) reapse iter unius diei fuit (cf. pag. 240). Ergo error geographicus non adest. — Tobias ad flumen descendit ut pedes suos lavaret, *et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me.* Raphaele autem mandante piscem apprehendit, in aridam traxit, exenteravit, carnes assavit, cor et iecur et fel seposuit (6, 2—6) quorum virtutem Raphael enarravit (6, 7—9). Piscis in Vulgata quidem *immanis,* in 2 recensione Graeca *μέγας*, in 1 recensione Graeca simpliciter *ἰχθύς* nominatur. Eum non immanem fuisse ex eo colligimus quod Tobias solus eum in siccum trahere potuit. Probabilius non callionymus neque silurus (Wels) neque acipenser sturio (Stör) sed esox (Hecht, luccio, brochet) fuit, qui 1, 5 *m* longus esse et partes humani corporis devorare

Fig. 59. Drachma.

potest. Iuxta 2 recensionem Graecam pedem Tobiae aggressus est; iuxta textum Chaldaeum panem Tobiae devoravit: in nullo autem textu piscis tam magnus asseritur, ut Tobiam integrum devorare potuerit (cf. *Gutberlet,* Tobias 187 sq; *Zöckler,* Apokryphen 174; *Kaulen,* Einleitung II 79; *Selbst,* Handbuch 818). De virtute seu efficacia cordis, iecoris, fellis illius piscis a Raphaele Tobiae explicata haec notamus. Tobias posuit quidem cor et iecur (textus Graecus) super carbones, et daemonium statim aufugit; sed in textu Vulgatae diserte Raphael tunc daemonium apprehendisse et religasse scribitur (8, 2 sq). Tobias linivit oculos patris felle piscis itaque lumen oculorum ei restituit; at Raphael testatur semetipsum iussu Domini Saram a daemonio liberasse et Tobiam quoque curasse (12, 14). Ergo cor et iecur et fel piscis non per se vel absolute istam efficaciam habuerunt, sed quatenus Raphael suam virtutem exercuit, quando Tobias illa adhibebat. Angelus etiam in hac re errorem Tobiae non intendebat quidem sed permittebat, ne ante tempus manifestus fieret (cf. *Selbst,* Handbuch 819). Postea manifestavit veritatem (12, 11). — Raphael Tobiam induxit, ut a Raguele Ecbatanis (ita Graecus, non in Rages, uti Vulgata habet) habitante Saram uxorem peteret neve daemonium timeret iis dumtaxat nocentem qui sunt *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Tobia mandata observante Raphael daemonium Asmodaeum in deserto superioris Aegypti religavit, a Gabelo pecuniam recepit eumque a Rages Ecbatana ad sollemnitatem nuptiarum adduxit (6, 10—9, 12). „Ligavit autem Raphael Asmodaeum in deserto (8, 3) per decretum et potestatem divinam eum detinendo in deserto, ut inde egredi non posset, quod tribus modis fieri potest: *α)* iubendo ex parte Dei, ne se moveat, immo si egrediatur, vi eum ad regressum repellendo; *β)* imprimendo daemoni qualitatem aliquam detentivam v. g. vim permanentem, quae eum loco detineat; *γ)* subtrahendo daemoni concursum suum, qui necessarius est ad motum localem, ut egredi possit. Confer *Reusch,* T. Qr. pag. 422 sq. *Gutberlet,* B. Tob. pag. 191 204 sq.“ Ita Zschokke (Historia 239). Raphaelem eo temporis spatio, quod in Scriptura signatur, ab Ecbatanis in Rages venire et illinc ad Raguelem reverti potuisse testimoniis recentiorum peritorum confirmatur (cf. *Zöckler,* Apokryphen 177 sq). — Postquam Raphael Tobiam iuniorem et Saram Niniven perduxit ac Tobiam seniorem curavit (pag. 256) rogatusque est ut dimidiam partem bonorum allatorum mercedem accipere dignaretur, patri et filio revelavit se

unum ex 7 angelis throno Dei assistentibus esse, dedit iis varia pietatis monita, reversus est in caelum ad Dominum suum (10, 1 ad 12, 22). Doctrinam de 7 angelis throno Dei assistentibus non necessario ex opinionibus Babyloniorum vel Persarum haustam esse debere, uti plures affirmarunt, sed ex principiis religionis populi Hebraici evolutam esse posse Zöckler (Apokryphen 180) quoque profitetur. Quod Raphael tam multis diebus cum Tobia visibilis conversatus sit, mira quidem dignatio fuit, sed minor illa qua *Verbum caro factum est, et* tam multis annis *habitavit in nobis* (Io 1, 14; cf. *Selbst,* Handbuch 823). — Tobias senior 102 annorum (ita Vulgata, 158 Graecus textus) mortuus et sepultus est. Ante mortem interitum Ninive a Domino praedictum (per Ionam prophetam, ut recensio 1 textus Graeci habet) repetiit ideoque filio et nepotibus mandavit, ut post mortem matris Niniven relinquerent. Quod mandatum observans Tobias iunior cum suis Ecbatana reversus est ibique 99 annorum (ita Vulgata, 107 vel 117 vel 127 annorum iuxta recensiones textus Graeci) mortuus et sepultus est (13, 1 ad 14, 17). Secundum recensionem 1 textus Graeci Tobias iunior Niniven a *Ναβουχοδονοσὸρ καὶ Ἀσύηρος* (probabiliter = *Κυαξάρης*) expugnatam audivit, quod possibile est, si Tobias 722 iam natus (1, 9—11) plus quam 117 annis vixit, quia Ninive probabiliter 606 capta est (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 473); secundum recensionem 2 eiusdem textus *Ἀχιάχαρος ὁ βασιλεὺς τῆς Μηδίας* Niniven destruxit. Cum textus non conveniant, et historia eversionis Ninives incerta sit (*Selbst,* Handbuch 824; *Zöckler,* Apokryphen 184; *Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 473), hanc rem in medio relinquere possumus.

In libro Tobiae veram historiam narrari doctissimi ac recentissimi viri catholici defendunt, ex quibus noto: Cornely (Introductio II 1, 378 sq), Danko (Historia Vet. Test. 369), Gutberlet (Tobias 27 sqq), Haneberg (Geschichte 489 sq), Holzammer (Handbuch 694 sq), Kaulen (Einleitung II 78), Schöpfer (Geschichte 497), Selbst (Handbuch 810 sq), Zschokke (Historia 239). Si solidis argumentis demonstrari posset, „hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere“ (pag. 11), characterem historicum narrationis negare possemus. Verumtamen solida ista argumenta desunt. Nam miracula et vaticinia, quae rationalistas commovent, omnino possibilia sunt

(cf. pag. 7 sq), reliquae autem difficultates ab acatholicis contra veritatem historicam narrationis obiectae (cf. *Zöckler*, Apokryphen 162 sqq; *Cornely,* Introductio II 1, 378) evanescunt, si varios libri textus conferamus atque nexum verborum bene consideremus, quemadmodum supra ostendimus. E contrario „veram historiam auctorem tradere voluisse integer liber satis clare docet", inquit Cornely (Introductio II 1, 378) cum Danko (Historia Vet. Test. 369 sq); ergo narrationem eius ut historicam accipere debemus (cf. pag. 9).

Explicationem a catholico Scholz (Tobias, Würzburg 1889) propositam, qui allegoriam messianam-propheticam intellegit, Zöckler (Apokryphen 164 sq) merito repudiat, quia Scholz ad arbitrium verbis sensum subicit quem usu loquendi et contextu demonstrare nequit. Iuxta Scholz significant Tobias senior, Anna, Tobias iunior synagogam Vet. Test.; Sara Ecclesiam Nov. Test., Raguel et uxor eius patrem Ecclesiae, Gabelus Deum Israelis, Raphael Messiam, Ninive gentiles, fel tribulationem quae conversionem adducit, cor et iecur vitam potentiae mundi, canis custodem Israelis. Tales similesque explicationes Zöckler (Apokryphen 165) acerbe sed vere „mystische Spielereien i. e. mysticas ineptias" appellat. — Verum etiam opinio ipsius Zöckler (Apokryphen 164) qui cum aliis protestantibus (e. g. *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes III 175) narrationem fabulam Romanensem („völlig erfundenen und noch dazu märchenhaften Roman") vocat, minime probatur. Innititur enim suppositione falsa miracula et vaticinia impossibilia esse atque difficultates chronologicas et geographicas solvi non posse, neque cum narrationis genere congruit: namque plurimae in libro habentur „notae historicae, genealogicae, chronologicae, geographicae quae ad finem quem auctorem habuisse adversarii nostri supponunt, nihil prorsus conferunt, ab iis vero qui historiam scribunt, afferri solent" (*Cornely,* Introductio II 1, 378 cum *Danko,* Historia Vet. Test. 369 sq).

§ 31. De regno Iuda.

Historia regni Iuda tam exsistente regno Israel quam eo deleto per hagiographos describitur, quam rationem nos quoque observabimus; in fine de chronologia regnorum loquemur.

I. Regnum Iuda exsistente regno Israel.

1. Roboam, filius Salomonis, 17 annis regnavit. Primum quidem bene se gessit muniens urbes, suscipiens sacerdotes et Levitas aliosque pios e regno Israel in regnum Iuda transeuntes (2 Par 11, 5—23). Confirmato autem regno legem Domini reliquit, serviebat cum populo diis alienis perpetrans *omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel* (3 Rg 14, 21—24; 2 Par 12, 1). Propterea Dominus per Semeiam prophetam regi et principibus Iuda praedixit eos in potestatem *Sesac* regis Aegyptiorum (primi dynastiae 22) tradendos esse; sed paeni-

tentia eorum motus poenam mitigans hoc tantum permisit ut Sesac thesauros templi et palatii auferret gentemque Iudaeorum imperio suo iungeret (2 Par 12, 2—12; 3 Rg 14, 25—28). Ex reliquis actis Roboam notant hagiographi eum toto tempore vitae suae cum Ieroboam bellum gessisse (3 Rg 14, 29—31; 2 Par 12, 13—16).

2. Abia (Abiam), filius Roboam, 3 annis regnavit, peccata patris sui perpetravit, *nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius.* Humiliavit tamen Domino auxiliante regnum Israel quod toto tempore vitae suae debellabat (2 Par 13, 1—14, 1; 3 Rg 15, 1—8).

3. Asa, filius Abiae, 41 annis regnavit, fecit rectum *ante conspectum Domini, sicut David pater eius* et abstulit omnes sordes idolorum (3 Rg 15, 9—15; 2 Par 14, 2—5). Aedificavit quoque urbes munitas (2 Par 14, 6 sq), devicit Domino confidens Aethiopes (2 Par 14, 8—15), post quam victoriam a propheta Azaria monitus de praeda Domino sacrificia obtulit et iussit, ut omnes *quaererent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, et in tota anima sua,* quod et promiserunt (2 Par 15, 1—9).

Chronologia libri Paralipomenon difficultates affert. Nam iuxta 14, 1 quievit terra 10 annis, sed iuxta 14, 9 coll. 15, 10 bellum primum anno 15 erat quo de praeda adducta Domino immolarunt. Iuxta 15, 19 et 16, 1 usque ad annum 35 Asae non erat bellum, anno autem 36 rex Israel Baasa contra Iuda ascendit; in 3 Rg 16, 8 vero legimus Baasam iam anno *26* Asae *mortuum* esse et in 3 Rg 15, 16 asseritur inter Asam et Baasam *bellum* fuisse *cunctis diebus eorum.* Scriptores inspiratos in textu originali sibi contradixisse impossibile est (pag. 9), quare cum Bertheau (Chronik 315 sq) et Öttli (Chronik 106) numeros serius corruptos fuisse dicimus et hoc modo corrigimus: Asa non 10 sed 15 annos pace fruebatur, nimirum usque ad primum bellum contra Aethiopes, ex quorum praeda anno 15 sacrificia obtulit; anno autem 16 Asae bellum cum Baasa incohatum est quod postea *cunctis diebus eorum* (3 Rg 15, 16 coll. 2 Par 16, 9) perdurabat (*Bertheau,* Chronik 316). Ergo in 2 Par 14, 1 pro annis 10 ponimus *15,* in 2 Par 15, 19 pro annis 35 ponimus etiam *15,* denique in 2 Par 16, 1 pro 36 annis ponimus *16.* Numeri sic emendati cum 3 libro Regum congruunt. Possumus etiam cum Bertheau (Chronik 315) declarare, quomodo pro 15 atque 16 numeri 35 ac 36 in textum venerint: anni 15 et 16 *regni Asae* sunt anni 35 et 36 *regni Iuda divisi* (pag. 261 sq). Numeros a librariis saepe falso descriptos esse iam pag. 88 notavimus.

Contra Baasa regem Israel pugnaturus Asa non amplius Domino confidebat, sed Benadad regem Damasci Syriae argento et auro sibi socium effecit (3 Rg 15, 16—22; 2 Par 16, 1—6). Propterea Hanani propheta eum increpuit ac bella futura praedixit verbis suis illud inserens: *Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et praebent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.* Rex vero iratus prophetam in nervum misit et nonnullos

ex populo prophetae adhaerentes afflixit (Hebraeus et Graecus), non *plurimos interfecit* ut Vulgata reddit (16, 7—10). Ultimis annis ex pedibus laborans nec in infirmitate Dominum quaesivit sed magis medicorum arte confisus est (2 Par 16, 11—14; 3 Rg 15, 23 sq).

4. Iosaphat, filius Asae, 25 annis regnavit atque *ambulavit in viis David patris sui primis: et non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui* (2 Par 17, 1—6; 3 Rg 22, 41—44). Anno 3 regni sui sacerdotes et Levitas et principes populi cum libro legis Domini in cunctas urbes Iuda misit qui populum erudirent (2 Par 17, 7—9). Quibus de causis Dominus cum eo erat effecitque, ut ab omnibus populis vicinis timeretur, a Philisthiim autem et Arabibus muneribus quoque honoraretur (2 Par 17, 10—19). At cum Achab impio rege Israel pacem habebat (3 Rg 22. 45), immo affinitate coniunctus erat, quatenus primogenito suo Ioram Athaliam filiam Achab et neptem Amri uxorem tradidit (2 Par 18, 1 coll. 22, 2). Egrediens autem cum Achab contra Ramoth Galaad a Deo in proelio quidem servatus sed Ierosolyma reversus per prophetam Iehu graviter increpatus est quod impio auxilium praebuisset (2 Par 18, 2—19, 3; 3 Rg 22, 1—38; cf. pag. 232). Constituit etiam ac monuit iudices (2 Par 19, 4—11). Cumque Moabitae et Ammonitae necnon habitatores montis Seir in Engaddi (Tab. III) bellaturi convenerant, auxilium Domini invocavit qui providit, ut Moabitae et Ammonitae prius contra habitatores Seir, deinde contra semetipsos insurgerent, ita ut Iosaphat et populus eius sine pugna spolia mortuorum colligere et gratias agentes Ierosolyma regredi possent atque iterum pacem haberent (2 Par 20, 1—30).

Talem victoriam servo suo fideli Dominum tribuisse Bertheau (Chronik 332 sqq) et Öttli (Chronik 113) omnino credibile censent, sed Kittel (Chronik 140) et Benzinger (Chronik 107 sq) immerito addubitant, quod ex inspiratione libri (pag. 9 sqq) sequitur. Qui Hegelianismo adhaerent Deumque personalem et transcendentem negant (pag. 16), ob falsam hanc suppositionem utique veritatem narrationis admittere nequeunt. — In 2 Par 20, 26 legimus Iudaeos in valle quadam Domino benedixisse ideoque istum locum *Vallem benedictionis* appellasse. Haec vallis non iuxta Ierusalem sed iuxta locum certaminis quaerenda est, ut v. 25 clare ostendit. — Propheta Ioel (3, 2 12) praedixit Dominum de cunctis gentibus in *valle Iosaphat* iudicaturum esse. Haec vallis iuxta Ierusalem quaerenda est, quemadmodum commentatores Ioelis communiter sentiunt, ergo cum *Valle benedictionis* non debet confundi. „Facile tamen concesseris cum Rup. et Sanct., inquit Knabenbauer (Ioel 237), praeter ipsius nominis significationem hostium devictionem a rege Iosaphat in valle benedictionis olim factam (2 Par 20, 16—26) etiam hinc designationi aptam praebuisse occasionem et felicem in ea contineri allusionem.“ Ex saec. IV p. Chr. vallis Cedron vel saltem pars eius (pag. 197) *vallis Iosaphat* nominatur; sed Ber-

theau (Chronik 336) et Knabenbauer (Ioel 239) cum aliis recte notant vallem Cedron neque in Sacra Scriptura neque ab Iosepho Flavio vallem Iosaphat nominari. Videas plura in commentariis prophetiae Ioelis et in operibus theologiae dogmaticae de iudicio ultimo tractantibus.

Post haec cum Ochozia rege Israel (pag. 232) amicitias fecit et cum eo in Asiongaber ad sinum Aelaniticum (Tab. II) classem aedificavit, qua ex Ophir (pag. 222) aurum afferrent. At Deus propter istas amicitias naves contrivit, uti propheta Eliezer praedixerat (2 Par 20, 35—37; 3 Rg 22, 48 sq). Hac re territus Iosaphat consilium Ochoziae iterum aedificandae classis recusavit quidem (3 Rg 22, 50), sed postea cum Ioram rege Israel et cum rege Edom contra Mesam regem Moab pugnavit (pag. 233). Mortuus denique in Civitate David sepultus est (3 Rg 22, 51; 2 Par 21, 1).

Secundum 3 Rg 22, 48 in *Edom* tunc non erat *rex,* secundum 4 Rg 3, 9 sqq autem *rex Edom* cum Iosaphat contra Mesam egressus est. Ambo loci conciliantur, si dicamus in Edom fuisse quidem regem. at non liberum sed regi Iuda subiectum (cf. *Benzinger,* Regum 126; *Kittel,* Regum 193). Ita clarescit quomodo Iosaphat in Asiongaber classem aedificare atque hagiographus (4 Rg 8, 20) testari potuerit: *In diebus eius* i. e. filii Iosaphat *recessit Edom, ne esset sub Iuda, et constituit sibi regem.* Quando et quomodo Iosaphat sibi Edomitas contra Salomonem rebellantes (pag. 223) subiecerit, nescimus (*Bertheau,* Chronik 337), forsitan post illam victoriam a Deo sibi concessam (pag. 263).

5. Ioram, filius Iosaphat, 8 annis regnavit. *Ambulavitque in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab: filia enim Achab erat uxor eius: et fecit quod malum est in conspectu Domini* (4 Rg 8, 16—19; 2 Par 21, 5—7). Occidit omnes fratres suos et quosdam de principibus populi (2 Par 21, 2—4).

a) Ipso regnante tam Edom quam Lobna (Tab. III) imperium Iuda excusserunt (4 Rg 8, 20—22; 2 Par 21, 8—11). Insuper iuxta prophetiam Eliae Philisthiim et Arabes terram Iuda vastaverunt cunctamque substantiam domus regis necnon uxores et filios eius diripuerunt, ita ut solus Ioachaz minimus natu remaneret (2 Par 21, 12—17). Denique a Domino languore alvi insanabili percussus miserabiliter obiit, sicut idem Elias praedixerat, sepultusque est in Civitate David, sed non in sepulcro regum (2 Par 21, 18—20; 4 Rg 8, 23 sq).

Elias ex 4 Rg 2, 1 coll. 3, 1; 8, 25 iam ante mortem Iosaphat translatus (pag. 235) videtur, quomodo igitur ad Ioram successorem Iosaphat litteras mittere (2 Par 21, 12) potuit? Respondemus: contextu 4 libri Regum non necessarie demonstrari potest Elias iam ante mortem Iosaphat translatus fuisse, quia non constat utrum contextus chronologicus an psychologicus (cf. pag. 183) adsit; si quis autem chronologicum supponere velit, potest dicere Eliam adhuc in terra degentem ut prophetam pec-

cata Ioram praevidisse ac litteras conscripsisse easque discipulo tradidisse qui eas tempore congruente Ioram traderet. Scriptura nullibi asserit illas litteras de caelo venisse (cf. *Bertheau,* Chronik 343 sq; *Öttli,* Chronik 115 sq); eas a posteriore compositas et Eliae affictas esse cum narratione scriptoris inspirati (pag. 9 sqq) pugnat ideoque defendi nequit.

b) *Abdias* propheta contra Edomitas locutus est: *In die cum stares adversus eum* i. e. Iudam, *quando capiebant alieni exercitum eius, et extranei ingrediebantur portas eius, et super Ierusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis* (v. 11). Haec verba cum circumstantiis aetatis Ioram congruunt (cf. *Kaulen,* Einleitung II 239; *Strack,* Einleitung 112), quare Abdiam regnante Ioram brevissimam suam prophetiam edidisse censemus, quam statim exponimus.

Prophetia Abdiae, עֹבַדְיָה, *ὅρασις Ὀβδιού,* sortes Esau et Iacob praedicit, 21 versiculis constat et tres sententias continet, nempe: Esau seu Edomitae perdentur (1—9), quia contra Iacob seu regnum Iuda stabant (10—16), Iacob autem salvabitur (17—21).

6. Ochozias seu Ioachaz, filius Ioram, 1 anno regnavit. *Sed et ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim eius (Athalia) impulit eum ut impie ageret* (2 Par 22, 1—4; 4 Rg 8, 25—27). Qui cum Ioram rege Israel (pag. 232) et cum consanguineis suis ab Iehu occisus est (2 Par 22, 5—9; 4 Rg 8, 28 sq; 9, 27—29; 10, 12—14).

7. Athalia, mater Ochoziae, 6 annis regnavit et omnem stirpem regiam interfecit excepto Ioas, quem Iosaba seu Iosabeth, soror Ochoziae et uxor Ioiadae summi sacerdotis, furata fuerat atque in templo absconderat (2 Par 22, 10—12; 4 Rg 11, 1—3). Anno 7 autem Ioiada puerum 7 annorum Ioas regem proclamavit, Athaliam vero interfecit, de qua re populus laetatus est (2 Par 23, 1—21; 4 Rg 11, 4—21).

8. Ioas, filius Ochoziae, 40 annis regnavit. Vivente Ioiada bonus erat instauravitque templum (2 Par 24, 1—14; 4 Rg 12, 1—16). Eo autem mortuo principibus populi permisit, ut idola colerent, neque prophetas audire volebat; Zachariam sacerdotem, filium Ioiadae, populum de idololatria increpantem, in atrio domus Domini lapidavit dicentem: *Videat Dominus, et requirat* (2 Par 24, 15—22). Reapse iam post annum Hazael rex Syriae in Iudaeam ascendit, cunctos principes populi interfecit omnesque thesauros templi et palatii abstulit. Quibus factis Ioas *in ultionem sanguinis filii Ioiadae* a servis suis occisus et in Civitate David sed non in sepulcris regum sepultus est (2 Par 24, 23—27; 4 Rg 12, 17—21).

Christus Dominus scribis et pharisaeis dixit (Mt 23, 35): *veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare.* Communior est sententia Christum de Zacharia filio Ioiadae loqui, qui „filius *Barachiae* dicitur vel quod Ioiada pontifex binominis fuerit, ut in Scripturis frequens est, vel quod tamquam vir sanctus *Barachias* id est *Benedictus Domini* dicatur: unde Hieronymus testatur in Evangelio Hebraico quo Nazareni utebantur, filium *Ioiadae* vocari" (*Cornelius Iprensis*, Tetrateuchus, ad Mt 23, 35; videas etiam *Bisping* vel *Knabenbauer* vel *Nösgen* ad Mt 23, 35).

Regnante Ioas (*Kaulen,* Einleitung II 232 sqq; cf. *Strack,* Einleitung 108 sq) Ioel prophetavit, cuius prophetia talis est.

Prophetia Ioel, יוֹאֵל, *Ἰωήλ*, causas et fructus paenitentiae exponit, 3 (in Hebraico 4) capitibus constat et in duas partes dispertitur.

In 1 parte (1, 1—2, 17) causae paenitentiae exponuntur, nimirum: a) depopulatio regionis (1, 2—12), propter quam plangendum et ieiunandum (1, 13—20); b) dies Domini terribilis valde (2, 1—11), idcirco paenitentia agenda (2, 12—17).

In 2 parte (2, 18—3, 21) fructus paenitentiae exponuntur, et quidem: a) tempore proximo prosperitas magna (2, 18—27); b) tempore remoto effusio Spiritus (2, 28 sq) et salvatio in die illo magno quo Deus gentes iudicabit (2, 30—3, 21).

9. Amasias, filius Ioas, 29 annis regnavit. *Fecitque bonum in conspectu Domini: verumtamen non in corde perfecto* (2 Par 25, 1 sq; 4 Rg 14, 1—4). Secundum legem Domini servos qui patrem suum occiderant, interfecit, Idumaeos (pag. 264) iterum subiugavit (2 Par 25, 3—13; 4 Rg 14, 5—7). Postea tamen deos ex Idumaea allatos adorabat, prophetae hoc reprehendenti mortem minatus est. Propterea ab Ioas rege Israel devictus et captus et spoliatus, a suis subditis vero occisus est (2 Par 25, 14—28; 4 Rg 14, 8—22).

10. Ozias seu Azarias, filius Amasiae, 52 annis regnavit. *Fecitque quod erat rectum in oculis Domini iuxta omnia, quae fecerat Amasias pater eius* (2 Par 26, 1—4; 4 Rg 15, 1—4). Vivente propheta Zacharia bonus erat, Philisthiim et Arabes et Ammonitas devicit, regno prospiciebat (2 Par 26, 5—15); mortuo autem Zacharia ac regno roborato cor eius elevatum est, Dominum Deum suum neglexit, immo officium sacerdotum sibi arrogavit. Lepra idcirco percussus in domo separata usque ad mortem habitare debuit. Porro Ioathan filius eius palatium regis gubernavit atque populum iudicavit (2 Par 26, 16—23; 4 Rg 15, 5—7).

11. Ioatham vel Ioathan, filius Oziae, 16 annis regnavit. *Fecitque quod rectum erat coram Domino iuxta omnia quae fecerat Ozias pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini.* Munivit regnum et vicit Ammonitas (2 Par 27, 1—9; 4 Rg 15, 32—38).

12. Achaz, filius Ioatham, 16 annis regnavit, *non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater eius: sed ambulavit in viis regum Israel* (2 Par 28, 1 sq; 4 Rg 16, 1—3). Fudit statuas Baalim adolevitque incensum in *Vallebenennom,* בְּגֵיא בֶן־הִנֹּם, atque filios suos combussit iuxta ritum gentium. Sacrificabat quoque et adolebat incensum in excelsis et in collibus et sub omni ligno frondoso (2 Par 28, 3 sq; 4 Rg 16, 3 sq). Vallis Hinnom, גֵּי הִנֹּם, vel vallis filii Hinnom, גֵּיא בֶן־הִנֹּם, vel vallis filiorum Hinnom, גֵּי בְּנֵי הִנֹּם, probabilius a possessore et heredibus eius nominata (*Selbst,* Handbuch 833) ab occidente et austro urbis Ierusalem sita est (Fig. 60, pag. 269; cf. appendicem huius operis et *Guthe,* Bibelwörterbuch 265 299).

Wilke-Grimm (Lexicon Graeco-Latinum Nov. Test. 76) scribunt: „גֵּי הִנֹּם . . . aram. גֵּיהִנָּם . . . *vallis lamentationis,* vocabulo הִנֹּם pro נְהִי *lamentatio* dicto (v. Hilleri Onomastic. coll. Hitzig ad Ir 7, 31; e vulgari opinione הִנֹּם est nomen proprium viri), nomen vallis . . . quae a lamentatione puerulorum brachiis ignitis Molochi i. e. idoli imaginem tauri referentis traditorum sic appellata est. Hunc locum, postquam horrenda sacra a Iosia rege abrogata erant (4 Rg 23, 10), ita abominati sunt Israelitae, ut in eum non solum omnes sordes eicerent, sed etiam cadavera animalium et ultimo supplicio affectos insepultos eo proicerent. Et cum ad cadavera consumenda, ne ex putredine inficeretur aer, semper ignibus opus esset, factum est, ut ille locus diceretur γέεννα τοῦ πυρός et deinde hoc nomen ad illum in infernis locum transferretur, in quo impii homines post fata poenas perpessuri essent.“ Cf. Mt 5, 22 29 sq; 10, 28 etc. — Legimus in 4 Rg 16, 3 *filium suum consecravit, transferens per ignem;* in 2 Par 28, 3 autem *lustravit filios suos in igne.* Nihilominus contradictio iuxta praecepta logica deest, quia ibi non asseritur unus tantum filius immolatus.

Propter hanc impietatem Achaz a Deo Rasin regi Damasci Syriae et Phacee regi Israel traditus est. Qui Ierusalem quidem capere non potuerunt, sed praedam magnam fecerunt (2 Par 28, 5—15; 4 Rg 16, 5 sq.) Achaz auxilium Domini recusans (Is 7, 1—16) regi Assyriorum Theglathphalasar (pag. 249) argentum et aurum misit rogans, ut se a regibus Syriae et Israel liberaret (4 Rg 16, 7 sq; 2 Par 28, 16). Theglathphalasar voluntati eius acquievit quidem: Damascum vastavit et Rasin occidit (4 Rg 16, 9), terram autem septentrionalem et orientalem regni Israel occupavit atque habitatores eius in Assyriam transtulit (4 Rg 15, 29; pag. 249);

postea tamen etiam regnum Iuda afflixit et ab Achaz tributum accepit (2 Par 28, 20 sq). Etiam Idumaei et Philisthiim providente Domino Iudam humiliarant (2 Par 28, 16—19). Sed Achaz his angustiis non melior, e contrario nequior factus est. Mutavit enim cultum divinum iuxta ea quae Damasci viderat quo regi Theglathphalasar occurrerat (4 Rg 16, 10—18; 2 Par 28, 22 sq), confregit vasa domus Dei, clausit ianuas templi fecitque altaria in universis angulis Ierusalem et omnibus urbibus Iuda (2 Par 28, 24 sq; cf. *Öttli,* Chronik 128). Mortuus denique sepultus est quidem in Civitate David, sed non in sepulcris regum (2 Par 28, 26 sq; 4 Rg 16, 19 sq).

Cum unus idemque Deus tum 4 librum Regum tum 2 librum Paralipomenon inspiraverit (pag. 8), inter genuinos textus eorum vera contradictio exsistere nequit; et reapse nulla invenitur, si relationes iuxta usum loquendi et contextum exponantur (cf. pag. 175).

II. Regnum Iuda deleto regno Israel.

13. Ezechias, quo regnante regnum Israel deletum est (4 Rg 18, 9—12; pag. 251 et n. III infra), filius Achaz fuit et 29 annis regnavit. *Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quae fecerat David pater eius* (4 Rg 18, 1—3; 2 Par 29, 1 sq). Dissipavit excelsa, contrivit statuas, succendit lucos confregitque serpentem aeneum quem Moyses fecerat (pag. 121) et Israelitae postea ut deum colebant (4 Rg 18, 4—7). Aperuit ianuas templi, sanctificavit domum, offerebat sacrificia, celebravit phase, providit Levitis alimenta (2 Par 29, 3—31, 21). *Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis, ad quae procedebat, sapienter se agebat* (4 Rg 18, 7). Rebellavit contra regem Assyriorum et non servivit ei; percussit quoque Philisthaeos (4 Rg 18, 7 sq).

Anno 14 Ezechiae Isaias iussu Domini regi graviter aegrotanti prius mortem annuntiavit, sed postea propter orationem eius 15 annos vitae addidit et promissionem suam eo confirmavit quod in horologio Achaz umbram 10 gradibus redire fecit. Cum autem Ezechias sanitati restitutus legatis Merodach Baladan regis Babyloniorum sibi gratulantibus corde elato thesauros suos ostenderet, Isaias ei captivitatem Babylonicam praedixit (4 Rg 20, 1—21; 2 Par 32, 24—33; Is 38, 1—39, 8).

Miraculum (pag. 7 sq) in horologio Achaz patratum simili modo explicari potest quo miraculum stationis solis ac lunae declaravimus (cf. pag. 143 sqq). — *Merodach Baladan* iuxta inscriptiones cuneatas in Babylonia 721—710 atque 704 vel 703 regnavit (*Zimmern-Guthe,* Bibel-

Fig. 60. Vallis Hinnom cum horto regum. (Phot. Bonfils.)

wörterbuch). Vulgata Is 39, 1 recte *M*erodach Baladan, sed 4 Rg 20, 12 *B*erodach Baladan habet. Eandem inconsequentiam iam textus Hebraicus exhibet. In cuneatis inscriptionibus *Marduk-abal-iddina* vocatur.

Post annos plures Sennacherib rex Assyriorum (705—681; cf. pag. 255; Fig. 61) ascendit cepitque urbes Iuda et recepit ab Ezechia 300 talenta argenti = 1836000 *M* ac 30 talenta auri = 5886000 *M* (*Kortleitner,* Archaeologia 253). His non contentus semel iterumque deditionem postulavit; at Ezechias semel iterumque ab Isaia confortatus Domino confidebat qui per angelum suum in castris Assyriorum 185000 percussit, quare Sennacherib Niniven reversus ibique a filiis suis Adramelech et Sarasar occisus est, qui deinde in Armeniam fugerunt; regnavitque pro eo Asarhaddon (pag. 256) filius eius (4 Rg 18, 13—19, 37; 2 Par 32, 1—23; Is 36, 1—37, 38; cf. Tob 1, 18—21).

Fig. 61. Sennacherib. (Caelatura ex Kujundschik.)

In cuneatis inscriptionibus nihil inventum est, quod cum hac relatione pugnaret; Sennacherib a filiis suis occisum esse istis confirmatur (cf. *Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 573). Quodsi in inscriptionibus cuneatis hucusque nonnulla quae in Biblia leguntur, non reperta sunt: ex hoc testimonio negativo non sequitur testimonium positivum Scripturae inspiratae falsum esse (cf. Exegeticam 120 sq). — Hagiographi affirmant angelum Domini in castris Assyriorum 185000 occidisse, qua assertione non excludunt Dominum naturalibus causis, e. g. pestilentia, usum esse. — Secundum locos supra citatos Ezechias anno 14 regni sui a Sennacherib afflictus, postea morbo correptus ac servatus, denique a legatis Merodach Baladan visitatus est. Sed annus 14 Ezechiae fuit *715* a. Chr. (vide n. III infra), Sennacherib autem *705—681,* Merodach Baladan vero 721—710 et 704 vel 703 regnavit: ergo textus biblicus aut non pure conservatus aut saltem non chronologice ordinatus est.

Regnante Ezechia liber prophetiarum Isaiae qui *in diebus Oziae, Ioathan, Achaz, Ezechiae* operabatur (Is 1, 1), necnon liber prophetiarum Michaeae qui *in diebus Ioathan, Achaz, Ezechiae* praedicabat (Mich 1, 1), compositus est.

a) **Prophetia Isaiae,** יְשַׁעְיָהוּ vel יְשַׁעְיָה, *Ἡσαΐας*, comminationes et consolationes continet, 66 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—39, 8) comminationes exhibentur. 1. Vaticinia Isaiae (1, 1—35, 10). a) De Iuda et Ierusalem quibus iudicium Domini et salvatio Emmanuelis annuntiatur. *α)* Iudicium Domini. Propheta praefatur de sceleribus populi (1, 2—9),

de cultu malo et bono (1, 10—20), de iudicio purificante (1, 21—31); describit Sion elevatam (2, 1—5), superbiam populi infractam (2, 6—22), dominatum malum (3, 1—15), mulierum ostentationem et poenam (3, 16—4, 1); monstrat gloriam Sion (4, 2—6) et illustrat per vineam sterilem ac diripiendum (5, 1—7) populi scelera et castigationem (5, 8—30); adiungit narrationem de Domini apparitione et sua missione (6, 1—13). *β)* Salvatio Emmanuelis. Isaias nuntiat: Iuda liberabitur a Syria et Ephraim seu Israel propter Emmanuelem (7, 1—16), sed punietur propter Achaz incredulum (7, 17—25); Syria et Israel poenas luent (8, 1—4), Iuda incredulus quoque (8, 5—10), tamen sanctificantes Deum unum (8, 11—22) in principe pacis regnante laetabuntur (9, 1—7); Israel ab Assyriis multabitur quidem (9, 8—10, 4), sed Assyrii propter insolentiam suam (10, 5—11) consumentur a Domino (10, 12—19) cui reliquiae Israelis innitentur (10, 20—23); ergo Assyrios ne timeat populus (10, 24—34) ex quo egredietur princeps pacis (11, 1—10) colligens dispersos Iuda (11, 11—16) qui salvatorem suum laudabunt (12, 1—6). — b) Contra gentes, quibus poenae praedicuntur. *α)* Contra Babylonem: urbs iussu Domini a Medis destruetur ac desolabitur (13, 1—22); rex eius a Deo Iacob iudicabitur plaudentibus et cantantibus Israelitis (14, 1—23). — *β)* Contra Assyriam: conteretur (14, 24—27). — *γ)* Contra Philisthaeam: prosternetur (14, 28—32). *δ)* Contra Moab: vastabitur (15, 1—9), exorabit regem Sion (16, 1—5), ululabit propter superbiam (16, 6—14). *ε)* Contra Damascum et Ephraim: punientur ambo (17, 1—6), praecipue autem Ephraim (17, 7—11), sed etiam Assyrii vastantes (17, 12—14). *ζ)* Contra Aethiopiam et Aegyptum: Aethiopes terribiles (18, 1—7) et Aegyptii sapientes (19, 1—15) in suam aliorumque salutem (19, 16—25) ab Assyriis castigabuntur (20, 1—6). *η)* Contra Babylonem: a Medis depopulandi (21, 1—10). *ϑ)* Contra Edom (21, 11 sq). *ι)* Contra Arabiam: gloria Cedar auferetur (21, 13—17). *κ)* Contra Ierusalem: praedicitur vastitas civitatis (22, 1—14) et mutatio principis domus (22, 15—25). *λ)* Contra Tyrum: urbs devastabitur (23, 1—14), sed a Domino visitabitur (23, 15—18). — c) De omnium consummatione. *α)* Iudicium universale: orbis terrarum propter peccata habitatorum affligendus est (24, 1—23), Dominus ob exaltationem iustorum et humiliationem impiorum celebratur (25, 1—27, 1), purgati filii Israel in Ierusalem congregabuntur (27, 2– 13). *β)* Salus Sion: Dominus Samariam delebit et Iudam puniet (28, 1—29); Sion circumvallabitur et liberabitur (29, 1—14); consilium populi per-

versum (29, 15—24) et foedus eius inutile est (30, 1—17); misericors Dominus, non Aegyptus, liberabit Sionem (30, 18—31, 9), in qua post calamitatem magnam iustitia et pax regnabit (32, 1—20); Dominus a tribulatis invocatus inimicos iudicabit (33, 1—24). *γ)* Redemptio Israel: Dominus gentes interficiet (34, 1—17), Israelem autem in Sionem reducet (35, 1—10). — 2. Historia Ezechiae (36, 1—39, 8). a) Rex ab Assyriis liberatur (36, 1—37, 38). b) Sanitati restituitur (38, 1—22). c) Ab Isaia rex reprehenditur, et captivitas Babylonia praedicitur (39, 1—8).

In 2 parte (40, 1—66, 24) consolationes continentur. 1. Praeparatio salutis (40, 1—48, 22). a) Vaticinatio, qua tres res principales praenuntiantur. *α)* Reductio Israelis: populus reducetur (40, 1—11) a Domino potenti et sapienti (40, 12—31) qui Cyrum vocat (41, 1—7), Israelem protegit (41, 8—20), ventura annuntiat (41, 21—29), Christum mittet (42, 1—12); Dominus ipse populum caecum propter amorem et gloriam suam (42, 13—43, 13) ex Babylone educet (43, 14—28) et Spiritu Sancto replebit (44, 1—5) ut Deum unicum agnoscat (44, 6—23). *β)* Cyrus christus Domini: Dominus Cyrum elegit salvatorem Israelis (44, 24—45, 8); ne contradicat Israel, quia honorabitur a gentibus Deum unicum agnoscentibus (45, 9—25). *γ)* Ultio Babylonis: idola conterentur, ergo ab iis recedendum (46, 1—13); Babylon propter crudelitatem ac superbiam humiliabitur (47, 1—15). — b) Exhortatio: duritia populi increpatur (48, 1—11), promissio iteratur (48, 12—16), monitio benigna adiungitur (48, 17—22). — 2. Exsecutio salutis (49, 1—57, 21). Describitur a) salvator, et quidem *α)* persona eius: servus Dei missus in salutem omnium gentium in Sion congregandarum (49, 1—26), oboedientia sua vicaria (50, 1—11) omnes generationes salvabit (51, 1—8); fortis Domini cito consolabitur (51, 9—16) Ierusalem venumdatam sed redimendam (51, 17 ad 52, 12). *β)* Opus redemptionis: passio et glorificatio Christi enarratur (52, 13—53, 12); fructus passionis (54, 1—17) large dispertientur (55, 1—13) omnibus gentibus (56, 1—8). — b) Salvandi: principes vitiosi et populus idololatris (56, 9—57, 13) contriti sanabuntur (57, 14—21). — 3. Consummatio salutis (58, 1—66, 24). Exponitur a) natura salutis. *α)* Sanctitas vera: non externe iustis sed proximum ac Deum diligentibus (58, 1—14) et peccata sua sincere confitentibus Spiritus Domini confertur (59, 1—21). *β)* Gloria abundans: in Ierusalem fortitudo gentium congregabitur ac gloria Domini videbitur (60, 1—22). —

b) Largitor salutis. *α)* Unctus Domini: salutem praedicit (61, 1—9). *β)* Propheta Domini: gaudet, exspectat salvatorem, nuntiat redemptionem (61, 10—62, 12). *γ)* Victor Domini: solus salvabit (63, 1—6). — c) Participes salutis. *α)* Desiderio flagrantes: miserationum recordantes gratiam et redemptionem petunt (63, 7—64, 12); Dominus electos redimet ac beatos faciet (65, 1—25). *β)* Illusores Dei: qui abominationibus delectantur ceterosque abiciunt graviter punientur (66, 1—24).

De genuinitate huius libri diffuse tractant qui introductiones in prophetiam Isaiae scripserunt; in theologia biblica haec quaestio breviter dumtaxat agitari potest (pag. 3). Qui plura desiderat, illa opera inspiciat quae mox citabuntur. — Genuinitatem defendunt doctissimi ac recentissimi viri catholici: Cornely (Introductio II 2, 338 sqq), Danko (Historia Vet. Test. 399 sqq), Himpel (Theolog. Quartalschrift 1878), Holzammer (Handbuch 723 sqq), Kaulen (Einleitung II 183 sqq), Knabenbauer (Isaias II 5 sqq), Schöpfer (Geschichte 442 sqq), Seisenberger (Einführung 350 sqq), Selbst (Handbuch 859), Zschokke (Historia 260 sqq), alii; quibuscum consentiunt acatholici: Drechsler, Hävernick, Hengstenberg, Keil, Kleinert, Küper, Nägelsbach, Stier (cf. *Orelli,* Jesaja 133; *Zschokke,* Historia 260), Weber-Deinzer (Einleitung 145 sqq) aliique. Negant vero genuinitatem II partis pluriumque etiam locorum I partis (cf. *Strack,* Einleitung 91 sqq) plurimi acatholici recentiores, ex quibus recentissimos tantum nomino: Cornill (Einleitung 141 sqq), Dillmann-Kittel (Jesaja IX sqq), Duhm (Jesaja V sqq), Marti (Jesaja XIII sqq), Orelli (Jesaja 1 sqq), Strack (Einleitung 91 sqq).

Rousselle (Storia 462) notat multos criticos recentiores Proto-Isaiam, Deutero-Isaiam, Trito-Isaiam distinguere eosque diversis temporibus assignare. Qui hanc assertionem legit neque in litteratura versatus est, probabiliter inde concludit recentiores catholicos quoque ita docere. Rousselle debuerat scribere multos acatholicos viros recentiores illa ratione librum dispertire.

Contra hos cum catholicis et acatholicis supra citatis tenemus Isaiam prophetam totum librum, ergo II quoque partem composuisse, quae sententia sequentibus confirmatur argumentis:

1. argumentum est constans traditio Iudaica et Christiana: usque ad saec. XII p. Chr. nemo genuinitatem libri Isaiae addubitavit (cf. *Weber-Deinzer,* Einleitung 145). Principalis ratio, qua adversarii hoc argumentum infringere volunt, ita proponi potest: si Isaias regnantibus Ozia, Ioathan, Achaz, Ezechia vivens partem II plerosque locos partis I pronuntiasset ac scripsisset, vera vaticinia

agnoscenda essent (cf. *Weber-Deinzer,* Einleitung 146; *Seisenberger,* Einführung 350 sq); atqui vera vaticinia sunt impossibilia (pag. 8): ergo Isaias istas partes conscribere non potuit. Verumtamen vera vaticinia reapse possibilia sunt (pag. 8), ideoque ratio principalis adversariorum nihil probat. Neque plus valet ratio secundaria eorum, videlicet dissimilitudo inter locos vaticinia continentes atque reliquos sermones Isaiae certo genuinos. Nam ista dissimilitudo doctissimos Iudaeos et Christianos non impedivit quominus genuinitatem totius libri retinerent, ergo non est ratio obiective valida vel peremptoria atque evidens; ceterum inter varias libri partes etiam tanta adest similitudo, ut ab ipsis adversariis negari nequeat. Videas plura in operibus Cornely, Kaulen, Knabenbauer supra enumeratis.

2. argumentum est testimonium hagiographorum qui etiam II partem Isaiae ascripserunt. Hagiographos proprio nomine loqui atque suam ipsorum, non vero aliorum sententiam proferre usus loquendi et contextus commonstrant neque a protestantibus negatur: ergo errorem proponere nequiverunt (pag. 12).

Inspiciamus singula testimonia. Eccli 48, 25—27 hagiographus de Isaia dicit: *Isaias propheta magnus, et fidelis in conspectu Dei,* ὁ προφήτης ὁ μέγας καὶ πιστὸς ἐν ὁράσει αὐτοῦ.... *Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum,* ἕως τοῦ αἰῶνος, *ostendit futura et abscondita antequam evenirent.* Ad quae verba Knabenbauer notat: „quae Sapiens effert, referuntur ad secundam partem libri eius, uti praecipue elucet ex eo quod *consolatus* sit *lugentes in Sion* (cf. Is 40, 1; 61, 2) et quod annuntiaverit abscondita antequam evenirent (Is 46, 10). In ea quoque parte potissimum annuntiavit *futura* (Is 42, 19) et vidit *ultima,* novos caelos novamque terram." Etiam Orelli (Jesaja 133) et Zöckler (Apokryphen 348) profitentur Isaiam a Sapiente ob cc. 40—66 ut *magnum* per eminentiam celebrari; Strack (Einleitung 95) denique agnoscit sensum illorum verborum esse: partem II eundem cum I parte habere auctorem. Atqui scriptores inspirati, ad quos docente Trid. (sess. IV, de canon. Script.) etiam Ecclesiasticus pertinet, ea sola infallibili veritate expresserunt quae Deus iussit (pag. 9): ergo Deus ipse, qui in nulla re ne minimum quidem errorem proponere potest (*Leo XIII,* Provid 61), per Ecclesiasticum nobis tradit partem II eundem cum I parte habere auctorem.

In Nov. Test. hos locos invenimus. Mt 3, 3 (cf. Mc 1, 3; Lc 3, 4; Io 1, 23): *Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius.* Citatur Is 40, 3. — Lc 4, 17 sqq: *Et traditus est illi Liber Isaiae prophetae. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* etc. Citatur Is 61, 1 sq. — Mt 8, 17: *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: et aegrotationes nostras portavit.* Citatur Is 53, 4. — Mt 12, 17—21: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae* etc.

Citatur Is 42, 1—4. — Io 12, 38 (cf. Rom 10, 16: *ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Citatur Is 53, 1. — Act 8, 28 30 32 Lucas testatur eunuchum Candacis legisse Isaiam prophetam et quidem locum: *Tamquam ovis ad occisionem ductus est: et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.* Citatur Is 53, 7. — Rom 10, 20 sq: *Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quaerentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.* Citatur Is 65, 1 sq. In his textibus Nov. Test. hagiographi proprio nomine loquentes suamque sententiam proferentes (pag. 9 sqq) utique diserte non totam II partem, multo minus totum librum Isaiae ascribunt. Cum autem Deus inspirans tam per hagiographos Nov. Test. quam per Ecclesiasticum loquens sibi contradicere nequeat sed constare debeat, per Ecclesiasticum vero totam II partem Isaiae adiudicet (pag. 274): etiam loci Nov. Test. eadem ratione intellegendi sunt.

3. argumentum suppeditat narratio Iosephi Flavii. Hic refert (Ant. 11, 1) Cyrum decretum suum ob vaticinia Isaiae sibi ostensa (cf. Is 44, 24—45, 7) promulgasse. Reapse verba decreti: *Haec dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus caeli, et ipse praecepit mihi ut aedificarem ei domum in Ierusalem, quae est in Iudaea* (1 Esr 1, 2) manifeste ad Is 45, 1 13 alludunt: *Haec dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius Gentes, et dorsa regum vertam. . . . Ego suscitavi eum ad iustitiam, et omnes vias eius dirigam: ipse aedificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet* (cf. *Kaulen*, Einleitung II 186; *Zschokke*, Historia 260). Quod argumentum cum antecedentibus coniunctum logice valet.

4. argumentum cum Weber-Deinzer (Einleitung 149) sic formare possumus: quomodo possibile est, quod „magnus ille vir“ qui partem II celeberrimam composuit, omnino „ignotus“ manserit, ut adversarii supponunt, et Iudaei librum eius cum Isaia propheta coniunxerint, si ab ipso non conscriptus fuit? Scriptorem libri ab Iudaeis maxime aestimati ignotum mansisse opusque eius unanimi consensu Iudaeorum per errorem Isaiae tributum esse improbabile atque incredibile est.

b) **Prophetia Michaeae**, מִיכָה, *Μιχαίας*, comminationes, consolationes, admonitiones continet, 7 capitibus constat et in tres partes distribuitur.

In 1 parte (1, 1—3, 12) comminationes continentur. Proponitur a) iudicium Dei: iudicabitur Samaria atque Iuda (1, 1—16). b) Peccata populi: avaritia potentium (2, 1—4), infidelitas populi (2, 5—13), iniustitia principum (3, 1—4), seductio prophetarum (3, 5—8) quibus deletio Sion nuntiatur (3, 9—12).

In 2 parte (4, 1—5, 14) consolationes habentur. a) Civitas Dei erit gloriosa (4, 1—5), quae nunc est dolens et parturiens (4, 6 ad 5, 1). b) Pastoris Dei egressus (5, 2—5) et populus (5, 6—14) notatur.

In 3 parte (6, 1—7, 20) admonitiones adiunguntur. a) Vox Domini: populus ingratus ambulet cum Deo neve in voluntate mala (6, 1—16). b) Vox populi: agnoscit iniquitatem suam iramque Dei portabit, cui preces ac laudes offert (7, 1—20).

14. Manasses, filius Ezechiae, 55 annis regnavit. *Fecitque malum in conspectu Domini* (4 Rg 21, 1 sq; 2 Par 33, 1 sq). Aedificavit enim excelsa quae pater eius destruxerat, erexit aras Baalim, fecit lucos, adorabat astra caeli quibus in duobus atriis templi altaria erexit, combussit filios suos (cf. 2 Par 33, 6 coll. 4 Rg 21, 6 et pag. 267) in *Vallebenennom* (pag. 267), ariolabatur et observabat auguria, fecit pythones et multiplicavit aruspices, posuit quoque idolum in templo Domini; insuper et sanguinem innoxium fundebat multum. Dominus quidem per prophetas ad regem et populum eius locutus est, at illi nolebant audire (4 Rg 21, 3—16; 2 Par 33, 3—10). Idcirco venerunt principes exercitus regis Assyriorum ceperuntque Manassen et vinctum catenis atque compedibus duxerunt Babylonem (2 Par 33, 11). Quot annos Manasses captivus manserit, hagiographus explicite non indicat. Concludit tamen bene Cornely (Introductio II 1, 405) verba 2 Par 33, 11 sq „de diuturna quam de brevi captivitate multo rectius“ intellegenda esse. „Etenim captivitati adscribit conversionem regis; tam perversum autem idololatram paucarum hebdomadarum aerumnis victum esse quis crediderit?“ — Postquam igitur coangustatus est, corde sincero paenitentiam egit deprecatusque est Dominum Deum suum intente (2 Par 33, 13). Oratio eius scripta erat in *sermonibus Hozai* (2 Par 33, 19); sed illa *Oratio Manassae,* quae in editione Clementina post Apocalypsim *„extra scilicet seriem Canonicorum Librorum“* impressa est, a viris doctis non genuina iudicatur. Exauditus Manasses et in regnum suum reductus cognovit *quod Dominus ipse esset Deus.* Et abstulit deos alienos et simulacrum de domo Domini, destruxit aras quas fecerat, instauravit altare Domini, offerebat sacrificia praecepitque populo ut Domino Deo Israel serviret. Aedificavit quoque murum Ierusalem, constituit principes exercitus in cunctis urbibus Iuda munitis, paucis: permansit rex bonus usque ad mortem suam (2 Par 33, 12—20; 4 Rg 21, 17 sq).

Manasse regnante *Nahum* et *Habacuc* prophetarunt (*Kaulen,* Einleitung II 249 sqq), atque Bethulia per *Iudith* liberata est, quod infra demonstrabimus.

a) **Prophetia Nahum**, נַחוּם, *Ναούμ*, Israeli salutem et Ninive interitum nuntiat, 3 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—15) salus Israelis praedicitur: Deus inimicis irascens (1, 1—6), amicis vero favens Israelem liberabit (1, 7—15).

In 2 parte (2, 1—3, 19) interitus Ninives prophetatur. a) Depopulatio: dissipabitur ac diripietur (2, 1—13). b) Culpa gravis: propter fornicationes ut *Alexandria* vel potius Thebae desolabitur (3, 1—19).

Nahum (1, 1) *Elcesaeus,* הָאֶלְקֹשִׁי, nominatur. Patria prophetae Elkosch in Galilaea (*S. Hieronymus,* Prol. in Nahum; *Kaulen,* Einleitung II 249; *Strack,* Einleitung 116), non vero Alkusch ex septentrione Mosul fuisse videtur. — Pro *Alexandria* in 3, 8 cum Hebraico et Graeco *No-Amon* i. e. Thebae (*Buhl,* Handwörterbuch 431; *Wiedemann-Guthe,* Bibelwörterbuch 475) legendum est. No-Amon anno 663 ab Assurbanipale expugnata et spoliata est (*Marti,* Nahum 321).

b) **Prophetia Habacuc,** חֲבַקּוּק, *Ἀμβακούμ*, responsa Dei et Psalmum prophetae continet, 3 capitibus constat et in duas partes dispertitur.

In 1 parte (1, 1—2, 20) responsa Dei exhibentur. a) Iudaei castigabuntur: contra impios Chaldaei suscitabuntur (1, 1—11). b) Chaldaei caedentur: viris scelestis quinquies *vae* praenuntiatur (1, 12—2, 20).

In 2 parte (3, 1—19) Psalmus prophetae continetur. Propheta timuit (3, 2), sed, cum Deus veniat (3, 3—12), in salutem populi (3, 13—17) in Deo Iesu suo exsultat (3, 18 sq).

Utrum Habacuc hanc prophetiam ac librum edens et Habacuc Danieli cibos afferens eadem persona fuerit necne, in § 32 inquiremus.

c) Historiam *Iudith* tractantes prius de libro ipso, deinde de narratione libri loquemur.

α) **Liber Iudith,** *Ἰουδείθ*, obsidionem ac liberationem Bethuliae narrat, 16 capitibus constat et in duas partes dispertitur.

In 1 parte (1, 1—7, 25) Bethulia oppugnata describitur. 1. Holofernes regna occidentalia subiugat (1, 1—3, 15). a) Mittitur a Nabuchodonosor: rex Assyriorum Medos devincens sed ab occidentalibus humiliatus (1, 1—12) consilio capto ducem exercitus sui mittit et instruit (2, 1—6). b) Occupat urbes (2, 7—11) omnes resistentes (2, 12—18) atque se tradentes (3, 1—10), immo deos

omnes exterminaturus (3, 11—15). — 2. Holofernes Bethuliam obsidet (4, 1—7, 25). a) Israelitarum fiducia: muniunt castella (4, 1—7), orant et ieiunant (4, 8—10), exhortatione summi sacerdotis exacuuntur (4, 11—17). b) Holofernis furor. *α)* Tradit Achior ducem Ammonitarum: Achior optime consulens (5, 1—25) magnates offendit (5, 26—6, 6), ab Holoferne exponitur (6, 7—9) et ab Israelitis benigne suscipitur (6, 10—21). *β)* Discruciat Bethuliam: contra urbem parat exercitus (7, 1—5), habitatores aqua privat (7, 6—11) et desperatos reddit (7, 12—25).

In 2 parte (8, 1—16, 31) Bethulia erepta narratur. 1. Liberatio praeparatur (8, 1—12, 9). a) Iudith apud Israelitas: famosissima in omnibus (8, 1—8) interpellat presbyteros (8, 9—34), clamat ad Dominum ut sibi subveniat (9, 1—19), apparet decore incomparabili (10, 1—5), exit e civitate (10, 6—10). b) Iudith apud Holofernem: tenetur ab exploratoribus (10, 11—16), capit Holofernem pulchritudine (10, 17—20), fallit sapientia verborum (11, 1—21), potest libera vivere (12, 1—9). — 2. Liberatio perficitur (12, 10—15, 8). a) Holofernes decollatur: nimia ebrietate sopiti (12, 10—20) caput Iudith abscindit (13, 1—11) atque in Bethulia ostendit (13, 12—21) universis benedicentibus (13, 22—26) et Achior obstupescenti (13, 27—31). b) Assyrii caeduntur: Israelitae suadente Iudith exercitum conturbant (14,1—18), fugientem persequuntur (15, 1—6), ingentes praedas faciunt (15, 7 sq). — 3. Liberatio celebratur (15, 9—16, 31). a) Benedictionibus: totius populi (15, 9—15) atque ipsius Iudith (16, 1—21). b) Factis: holocaustis et votis (16, 22—24), veneratione Iudith (16, 25—30), annua festivitate (16, 31).

De textu huius libri S. Hieronymus (Praef. in Iudith) scribit: „Apud Hebraeos liber Iudith inter hagiographa (*alii* apocrypha) legitur: cuius auctoritas ad roboranda illa quae in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Chaldaeo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur... huic unam lucubratiunculam dedi, magis sensum e sensu quam ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputavi: sola ea quae intelligentia integra in verbis Chaldaeis invenire potui, Latinis expressi.“ Teste igitur S. Hieronymo liber Iudith originaliter lingua Chaldaea seu Aramaea (cf. § 32, de Daniele) conscriptus est, quam sententiam etiam Kaulen (Einleitung II 83) retinet. Quod Zöckler (Apokryphen 188) cum Grätz putat, videlicet Hieronymum forsitan per errorem linguam Hebraeam Chaldaismis

foedatam pro Chaldaea habuisse, etiam Strack (Einleitung 169) improbabile censet; improbabile est etiam Hieronymum versionem Aramaeam cum textu originali confudisse. Dicere autem quis poterit hagiographum lingua Aramaea scribentem documentis lingua Hebraea adornatis usum esse (cf. pag. 253). Iuxta textum Chaldaeum seu Aramaeum nunc perditum tam versio Graeca cui reliquae versiones (Itala quoque) innituntur quam versio Vulgata confecta est. Cumque Hieronymus testetur se „multorum codicum varietatem vitiosissimam" amputasse, contractior textus Vulgatae latiori versionis Graecae praeferendus est; simul tamen notetur S. Hieronymum sensum quidem sed non singula verba reddidisse. Item valde probabile est, uti videbimus, iam exemplaria Aramaea, quibus interpretes usi sunt, corrupta fuisse (cf. *Kaulen*, Einleitung II 84).

Quod ad tempus attinet quo liber Iudith conscriptus est, ea repetimus quae de libro Tobiae diximus (pag. 253): sermone Aramaeo circa exsilium Babylonicum compositus est (*Zschokke*, Historia 292; *Seisenberger*, Einführung 384); documenta vero Hebraea mox post liberationem Bethuliae confecta esse possunt (cf. *Zschokke* l.c.).

β) In libro Iudith veram historiam narrari doctissimi ac recentissimi viri catholici iudicant: Brunengo (Il Nabucodonosor di Giuditta, Roma 1888), Cornely (Introductio II 1, 397 sqq), Danko (Historia Vet. Test. 431), Delattre (Le peuple et l'empire des Mèdes, Bruxelles 1883), Haneberg (Geschichte 491 sqq), Holzammer Handbuch 753), Kaulen (Einleitung II 85 sqq), Neteler (Untersuchung der geschichtl. und der kanon. Geltung des B. Judith, Münster 1886), Palmieri (De veritate historica libri Iudith, Galopiae 1886), Schöpfer (Geschichte 450 sqq), Seisenberger (Einführung 384), Selbst (Handbuch 873 sqq), Zschokke (Historia 291) aliique quos Cornely (Introductio II 1, 400) enumerat. His accedit protestans Wolff (Das Buch Judith als geschichtl. Urkunde verteidigt u. erklärt, Leipzig 1861) qui Niebuhr (Geschichte Assurs u. Babels seit Phul, Berlin 1857) sequitur. Reliqui protestantes cum Luthero historicam auctoritatem libri Iudith negant (cf. *Strack*, Einleitung 169). Immerito. Nam primo notae genealogicae, chronologicae, geographicae, historicae, quae in parabolis biblicis numquam afferuntur, comprobant hagiographum veram historiam, non parabolam tradere voluisse (*Danko*, Historia Vet. Test. 431; *Kaulen*, Einleitung II 85; *Cornely*, Introductio II 1, 400 sq). Secundo tota antiquitas Iudaica atque Christiana narrationem pro vera

historia habuit. Lutherus (Tischreden, edit. Walch. Halle 1743, cap. 59, § 6; cf. *Danko* l. c.) primus fuit qui narrationem libri Iudith „poeticum quoddam commentum" declaravit. Deum per hagiographum narrationem ita composuisse, ut Iudaei et Christiani usque ad saec. XVI consensu unanimi eam veram intellexerint historiam, quamvis ficta tantum fuerit, valde improbabile est (pag. 10). „His omnibus igitur auctorem, si veram historiam tradere noluit, veteratorem dicere cogeremur, qui lectores suos in errorem inducere sibi proposuisset" (*Cornely,* Introductio II 1, 401). Tertio in fine libri (16, 31) legimus: *Dies autem victoriae huius festivitatis, ab Hebraeis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Iudaeis ex illo tempore usque in praesentem diem.* Hoc additamentum non legitur quidem in versione Graeca (iuxta quam reliquae versiones confectae sunt; cf. pag. 279); Hieronymus autem in exemplari suo Aramaeo id invenit et genuinum iudicavit (cf. pag. 278). Quaerimus cum Cornely l. c.: numquid hagiographo dicere licuit „quotannis usque ad suum tempus celebrari fictum festum in memoriam fictae victoriae institutum?" Quarto si quis forsitan illud additamentum genuinum agnoscere renuat, legat 14, 6: *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, et circumcidit carnem praeputii sui, et appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis eius usque in hodiernum diem.* Hic versus etiam in textu Graeco (14, 10) exstat. Quaerimus iterum: numquid inspirato scriptori dicere licuit „ficti Achioris fictos posteros usque ad suam aetatem esse superstites" (*Cornely* l. c.)? numquid Iudaei constanti et unanimi consensu narrationem libri Iudith pro vera historia habuissent, si Ammonitarum dux Achior et posteri eius non revera ad populum Dei appositi fuissent? Quinto contradictiones geographicae et chronologicae et historicae quae inter librum Iudith et documenta profana exsistere dicuntur non verae sed apparentes inveniuntur. Eas non veras esse ex inspiratione libri inferimus. Non est quidem dubium quin Deus parabolas (vide Evangelia) vel historias fictas (cf. pag. 11) inspirare possit; at veracitati Dei inspirantis omnino indignum videtur hominibus narrationem proponere, quae veritati rerum reapse contraria sit. Semper recogitemus oportet hagiographos „ea omnia eaque sola" quae Deus iuberet infallibili veritate expressisse (*Leo XIII,* Provid. 61; vide pag. 9). Eas apparentes esse sequens tractatio monstrabit.

Cum Luthero (supra) narrationem libri Iudith Strack (Einleitung 169) puram fictionem, Zöckler (Apokryphen 186) fabulam Romanensem appellat

et quidem ob contradictiones quae inter librum Iudith et documenta historica exsistere videntur. Si contradictiones apparent, praeprimis textus biblicus critice diiudicandus est. Hoc principium ubique valet (cf. Exegeticam 116), maxime autem in libro Iudith, quia iam S. Hieronymus „multorum codicum varietatem vitiosissimam“ (pag. 278) invenit atque ipse exemplar Aramaeum non ad litteram sed sensum dumtaxat reddidit. Quibus praemissis singulas contradictiones examinemus.

Narratur (1, 1—4) *Arphaxad, Ἀρφαξάδ, rex Medorum,* suo imperio multas gentes subiugasse, urbem munitissimam aedificasse eamque *Ecbatana, Ἐκβάτανα,* appellasse. Herodotus (1, 73 96—102) duos priores reges Medorum *Δηιόκην* atque *Φραόρτην* nominat. Phraortes hic erat filius Deiocae; etiam pater Deiocae teste Herodoto l. c. Phraortes vocabatur. Kaulen (Einleitung II 86) cum Niebuhr, Wolff aliisque censet *Arphaxad* eundem esse ac Phraorten seu Fravartim vel Frawartisch filium Deiocae. Zimmern-Guthe (Bibelwörterbuch 424) asserunt quidem narrationem Herodoti fabulosam esse, at nullum pro sua assertione argumentum afferunt; ergo valet axioma logicum: „quod gratis asseritur, gratis negatur.“ Munitiones Ecbatanorum antiquitus proverbii loco celebratas esse etiam Zöckler (Apokryphen 190) concedit citans Themistoclem (Or. 26), Herodotum (1, 98), Polybium (10, 27).

Très editiones Clementinae in 1, 2 habent: *fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, et in altitudinem cubitorum triginta.* Sed Angelus Rocca, corrector pontificius, ter in exemplaribus Romanae bibliothecae Angelicae declarat legendum esse: *in altitudinem cubitorum septuaginta, et in latitudinem cubitorum triginta,* quae lectio in exemplari primae editionis Clementinae eiusdem bibliothecae typis manu impressis exhibetur. Videas epilogum criticum ad meam editionem Bibliae Sacrae 121*. De cubito pag. 181 locuti sumus.

Contra Arphaxad regem Medorum in campo magno *Ragau* pugnasse dicitur (1, 5 sq) *Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive.* Atqui nullus rex Assyriorum Nabuchodonosor appellabatur. Ergo manifesta adest contradictio. Respondemus: textus nobis traditus documentis Assyriis utique manifeste contradicit; at nemo demonstrare potest etiam in textu originali *Nabuchodonosor* scriptum fuisse. Tenemus cum viris pag. 279 enumeratis librarios apographa conficientes pro nomine minus noto Assyrio nomen notissimum Babylonium posuisse, neque Nabuchodonosor sed *Assurbanipal* legendum esse (cf. *Kaulen,* Einleitung II 86; *Seisenberger,* Einführung 384). Si textum ita emendamus, omnia bene quadrant. Scimus enim iam Theglathphalasar-Phul (745—727 a. Chr.) atque Sargon (722—705) contra Medos pugnasse (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 424), regnante autem

Assurbanipale (669—626) gentes varias contra Assyrios rebellasse (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 48 51). Zöckler (Apokryphen 190) in eo difficultatem invenit quod Assurbanipal (Nabuchodonosor) in provincia Rhagiana ab oriente Ecbatanorum cum Phraorte (Arphaxad) pugnaverit. At ipse confiteri debet non constare illum campum Ragau in quo reges pugnarunt provinciam Rhagianam esse, et Kaulen (Einleitung II 88) cum Wolff pro Raga*u* legendum iudicat Raga*n*. Phraortem ab Assyriis devictum esse Herodotus (1, 102) quoque narrat, et Zöckler (Apokryphen 191) confitetur relationem Herodoti cum narratione libri Iudith conciliari posse. — Quoad occasionem oppugnationis terrarum occidentalium textus Graecus et Latinus Vulgatae non in omnibus conveniunt. Iuxta textum Graecum (1, 7—11) Assurbanipal (Nabuchodonosor) ante bellum cum Phraorte (Arphaxad) gestum legatos ad occidentales misit imperans ut sibi contra regem Medorum auxilium ferrent: iuxta textum autem Latinum (1, 7—11) post victoriam a Phraorte (Arphaxad) reportatam legatos ad occidentales misit ut imperium suum ab iis agnosceretur. Qui textus Vulgatae probabilior videtur, tum quia non multum verisimile est contra regem Medorum omnia regna orientalia atque occidentalia convocata esse, tum quia S. Hieronymus testatur se iuxta exemplar Aramaeum multorum codicum varietatem vitiosissimam abstulisse. Ambo textus in eo conveniunt, quod occidentales regem Assyriorum legatosque eius despexerint. Hoc bene cum documentis profanis congruit, ex quibus constat Assurbanipale regnante dissolutionem regni Assyriorum praeparatam esse, et ipsum Šamaš-šumukin fratrem Assurbanipalis regemque Babyloniae, quocum occidentales conspirabant, contra Assyriam rebellasse (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 48 51). — Plura nomina geographica in istis ac sequentibus versibus corrupta sunt (cf. *Kaulen,* Einleitung II 88, qui cum Wolff consentit), quare ex iis contra veritatem narrationis seria obiectio hauriri nequit. — Assurbanipal (Nabuchodonosor) iratus *Holofernem* principem exercitus sui cum 120 000 peditibus et 12 000 equiti-

Fig. 62. Sagittarii Susis repraesentati. (Parisiis, Louvre.)

bus sagittariis (Fig. 62) in occidentem misit qui omnes nationes sibi subiugaret atque *omnes deos terrae exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quae potuissent Holofernis potentiæ subiugari.* Reapse Holofernes omnes resistentes atque voluntarie se tradentes iuxta mandatum regis pessime tractavit (1, 12—3, 15). Ex eo quod nomen Holofernis (vel *Ὀροφέρνης*) in historia Persarum et Cappadocum (cf. *Holtzmann-Guthe,* Bibelwörterbuch 348) recurrat, iuxta praecepta logica non sequitur illud fuisse Persicum; si autem supponamus nomen Persicum esse, non sequitur Holofernem principem exercitus Assyriorum esse nequivisse: potuit filius principis cuiusdam Persarum esse, qui Assyriis subiecti erant (cf. 1, 7 Graece). Et si phrasis „terram et aquam paratam habere" (2, 7 Graece) apud Persas quidem exstat (*Zöckler,* Apokryphen 192 citans Herodotum 6, 48 sq et Polybium 9, 38), in cuneatis inscriptionibus vero hucusque non inventa est, iterum non sequitur eam apud Assyrios non usitatam fuisse. — Audientes filii Israel quae Holofernes urbibus ac templis gentium fecerat, valde timuerunt ne eadem civitati Ierusalem et templo Domini faceret (4, 1 sq): *ὅτι προσφάτως ἦσαν ἀναβεβηκότες ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας, καὶ νεωστὶ πᾶς ὁ λαὸς συνελέλεκτο τῆς Ἰουδαίας, καὶ τὰ σκεύη καὶ τὸ θυσιαστήριον καὶ ὁ οἶκος ἐκ τῆς βεβηλώσεως ἡγιασμένα ἦν* (4, 3 Graece). Etiam 5, 18 sq (Graece; 5, 22 sq Vulgata) ab Achiore duce Ammonitarum audimus Israelitas ante annos captivos abductos et templum Dei eorum *εἰς ἔδαφος* factum esse (Graece), nuper vero eos ex dispersione reversos esse et in Ierusalem montanisque antea desolatis habitare (Graece). Secundum hos versus historia Iudith post exsilium Babylonicum (*Zöckler,* Apokryphen 196) collocanda videtur; at illo tempore regnum Assyriacum et urbs Ninive non amplius exsistebat: ergo inter hos versus atque initium libri manifesta contradictio apparet. Respondemus primo: ea quae 4, 3 Graece leguntur, in textu Vulgatae iuxta exemplar Aramaeum a S. Hieronymo adornatae omnino desunt; eadem Vulgata in cap. 5 nihil de destructione templi nihilque de deportatione totius populi sed tantum de abductione ac reversione plurimorum loquitur. „Non absonum est admittere, inquit Cornely (Introductio II 1, 405 sq), Manassen qui procul dubio cum multis aliis primoribus regni meridionalis Babyloniae captivus tenebatur, a Sammughe (i. e. Šamaššumukin; cf. pag. 282) rebellionem meditante esse e vinculis dimissum. Qua coniectura verba Achioris optime explicantur. Animadvertas velim secundum 2 Par 33, 14 Manassen e captivitate reducem munivisse

Ierusalem et constituisse principes exercitus in omnibus civitatibus Iudae. Periculum igitur terrae imminebat immediate post eius reditum." Respondemus secundo: si quis verba Achioris *ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος* (5, 18 Graece) genuina retinere voluerit, duplex explicatio praesto est. Cornely (Introductio II 1, 405) scribit: „*εἰς ἔδαφος ἐγενήθη* templum, quando profanatum omnibus patebat: de aedificatione autem ne verbulum quidem legitur." Et Kaulen (Einleitung II 86) addit illud assertum de templo in Bethel destructo intellegi posse. — In toto libro Iudith *rex* ne nominatur quidem, sed summus sacerdos, *ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας*, *Eliacim* seu *Ioacim* omnia gubernat (4, 8 sq 11 sqq; 15, 9); immo 15, 8 (in textu Graeco 4, 8 quoque) *ἡ γερουσία τῶν υἱῶν Ἰσραήλ* i. e. synedrium commemoratur, quocum ea quae in principio libri de regno Assyriorum et urbe Ninives dicuntur, aperte pugnant. Verum tamen verum. *Ἡ γερουσία* non synedrium sed seniores populi (*γερουσία* = *γέροντες*: cf. Nm 11, 16 sqq; 1 Rg 4, 3; 8, 4) significat, uti Vulgata vertens *cum universis presbyteris suis* indicat (*Kaulen*, Einleitung II 88); summus autem sacerdos eo tempore quo Manasses Babylone captivus tenebatur regnum gubernare potuit, quam sententiam antiquiorum ac recentiorum interpretum etiam Zöckler (Apokryphen 186) plausibilem appellat. Quodsi in Par 6, 3 sqq Eliacim inter summos sacerdotes non enumeratur, id in memoriam revocetur quod iam pag. 37 diximus, nimirum in genealogiis saepius membra quaedam omissa esse.

Cornely (Introductio II 1, 402) notat: „Id unum decidere non audemus, utrum etiam expeditionis istius tempore Manasse Babyloniae captivus degerit an paullo antea Ierosolyma quidem sit reversus, sed diuturnis vinculis fractus et pristinorum flagitiorum memor periculoso illo tempore administrationem regni in manibus vicarii sui relinquere maluerit." Idem (Introductio II 1, 405) sentire videtur Eliacim seu Ioacim non summum sacerdotem sed praepositum domus regiae fuisse, et supponit interpretes antiquos phrasim Hebraicam אֲשֶׁר עַל חַבִּית falso de summo sacerdote intellexisse. At Cornely demonstrare nequit in textu originali illam phrasim exstitisse, neque verisimile videtur tam interpretem Graecum quam S. Hieronymum verba originalia non recte intellexisse. Quare plerique antiquiores atque recentiores viri docti retinent istum Eliacim fuisse summum sacerdotem.

Urbs *Bethulia*, *Βαιτουλιά*, *Βαιτουλουά*, *Βετυλουά* (cf. *Swete*, Septuagint, Cambridge 1896) fuit iuxta Dothaim (4, 6 Graece). Utrum a septentrione an ab austro eius (cf. Tab. III) fuerit; utrum in plaga australi hodiernum Sanur an Meselije locum eius occupet, omnino incertum est (*Guthe*, Bibelwörterbuch; cf. *Zöckler*, Apokryphen 194). Ex quo incerto tamen non sequitur Bethuliam

esse urbem fictam; etiam Guthe et Zöckler mox citati censent Bethuliam revera exstitisse, licet alibi non nominetur. „Ceterum etiam in Nov. Test. civitates nominari monemus, quarum nulla memoria in Vet. Test. libris nobis est conservata (Nazareth, Capharnaum etc.). Una civitas, in qua pseudomessias Bar Cocheba per tres annos Romanis legionibus Traiani restitit (Betar vel Bitthar) nec in Vet. nec in Nov. Test. nominatur, neque hodie scitur, num in Iudaea . . . an in Samaria . . . sita fuerit“ (*Cornely,* Introductio II 1, 405). — Quod Holofernes cum 120000 peditibus et 12000 equitibus egressus (pag. 282) in obsidione Bethuliae 120000 pedites et 22000 equites (Vulgata 7, 2) vel 170000 pedites et 12000 equites (Graecus 7, 2) habuisse legatur, non mirum est; augmentum enim a Moabitis, Ammonitis, Philisthaeis etc. venire potuit (*Zöckler,* Apokryphen 198). *De universis* enim *urbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, et electos ad bellum* (3, 8 Vulgata, 3, 6 Graecus). — *Iudith,* יְהוּדִית, in Vulgata 8, 1 una ex posteris *Simeon, filii Ruben,* appellatur; at si cum Graeco pro *Ruben* ponimus *Israel,* contradictio evanescit. Iudith ad tribum Simeon (9, 2) filii Iacobi pertinebat. — Reliquis de salute desperantibus sola Iudith magnum animum ostendebat atque viva fide et fiducia repleta urbem et populum suum e manibus Holofernis exercitusque eius liberavit (8, 9 sqq). Hanc narrationem credibilem esse historia virginis Genabensis (Orléans) Jeanne d'Arc († 30 Maii 1431) probat quae ex actis authenticis simile quid perpetravit. — Secundum Vulgatam (10, 5) Iudith praeter alia *panes, et caseum* secum sumpsit; in Graeco autem legimus ἄρτων καθαρῶν, quae lectio certe probabilior est (cf. 12, 2 sqq 19). — Quod ad modum liberationis attinet, Zöckler (Apokryphen 186) cum Bestmann (Geschichte der christl. Sitte I 265) asserit Iudith ex una parte in observandis caerimoniis leviticis diligentissimam, ex altera parte cupiditate ulciscendi ardentem et artibus meretriciis sollertem et artificiis simulationis astutam ita repraesentari, ut conscientia Christiana offendatur. Reponimus: primo actiones Iudith non iuxta conscientiam Christianam, sed illius temporis diiudicandae sunt (cf. pag. 154). Secundo Iudith nihil illicitum admisit. *Vivit autem ipse Dominus,* inquit, *quoniam custodivit me Angelus eius et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra* (13, 20). Tertio licet callide cum Assyriis sermonem institu-

erit et restrictione mentali usa sit, tamen mendacium proprie dictum in verbis eius non reperitur (cf. *Kaulen*, Einleitung II 90). Quarto Holofernem qui populum Iudaeorum vi opprimere volebat, eo magis fraude perdere potuit, quia tempore antiquo magis quam nostro fraudes ad belli artes pertinebant (cf. *Kaulen* l. c.). Quinto denique si quis putaverit Iudith obiective non quoad omnia excusari posse, narratio tota monstrat eam subiective persuasissimum habuisse electionem talium mediorum sibi licere (cf. pag. 155). — Illa strages exercitus Assyrii in inscriptionibus Assyriis ob rationes patentes non quidem consignata est. Scimus tamen regnum Assyriorum iam regnante Assurbanipale (669—626) conquassatum (pag. 282) elapsis 20 annis (606) deletum esse (*Zimmern-Guthe*, Bibelwörterbuch 51).

Scholz (Commentar zum Buche Judith, Würzburg 1887) etiam hanc narrationem allegorice declaravit, ita ut Iudith Ecclesiam Nov. Test., Achior gentilem conversum, Bethulia terram Israel, Nabuchodonosor regnum Assyriacum-Babylonicum, Holofernes regnum Macedonicum, victoria Iudith victoriam Israelis conversi a gentibus reportatam significet. Quam explicationem antiquis prorsus ignotam Zöckler (Apokryphen 187) recte hypothesim parum idoneam (unhaltbar), conatum vanum, interpretationem coactam appellat (cf. pag. 261).

15. Amon, filius Manassae, 2 annis regnavit. *Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius.... Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater eius.* Interfectus est in domo sua (2 Par 33, 21—25; 4 Rg 21, 19—26).

16. Iosias, filius Amon, 31 annis regnavit. *Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, et ambulavit in viis David patris sui: non declinavit neque ad dextram, neque ad sinistram* (2 Par 34, 1 sq; 4 Rg 22, 1 sq). Anno 12 regni sui Ierusalem et Iudam ab excelsis et lucis, simulacris et sculptilibus mundavit atque ossa sacerdotum eorum in altaribus idolorum combussit. Terram Israel quoque mundavit, quod facere potuit, quia illo tempore reges Assyrii in terris orientalibus occupatissimi erant (videas supra). Contaminavit etiam *Topheth* i. e. locum combustionis in valle Hinnom (pag. 267), ut nemo filium aut filiam deo Moloch immolaret. Anno autem 18 regni sui templum instauravit, qua occasione Helcias sacerdos *Librum legis per manum Moysi* invenit. Rex comminationibus libri perterritus ad prophetidem Oldam misit quae ei respondit istas comminationes esse quidem implendas sed post mortem ipsius. Iosias igitur cum Domino foedus renovavit et phase sollemnissimum celebravit. Contra voluntatem vero Domini cum Nechao rege Aegyptiorum in Charcamis ad Euphraten proficiscenti

pugnare voluit, in Mageddo (Tab. III) a sagittariis vulneratus obiit atque lugentibus omnibus, maxime Ieremia propheta, in Ierusalem sepultus est. *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua iuxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi* (2 Par 34, 3—36, 1; 4 Rg 22, 3—23, 30).

De inventione libri legis sequentia notamus. a) Hagiographi de inventione „codicis originalis" loquuntur (*Ieremias*, Das Alte Testament 548). Scripta quaedam in oblivionem ire et postea inveniri posse facta testantur. In 1 Esr 5, 17—6, 3 legimus decretum Cyri inventum esse; inscriptiones cuneatae inventionem actorum politicorum narrant (*Ieremias*, Das Alte Testament 548); codex Bibliorum „Bassetti Tridentinus" ob pulcherrimas 165 picturas minores pretiosissimus atque „a concilii Tridentini Patribus adhibitus" postea latebat omnibusque viris Scripturae studiosis usque ad annum 1903, quo eum inveni, manebat ignotus (cf. *Katholische Kirchenzeitung*, Salzburg 1903, n. 83); originale bullae Sixti V „Aeternus ille caelestium" ante 22 annos in archivo Vaticano „post diligentem investigationem non repertum" (*Cornely*, Introductio I 465, Parisiis 1885) nunc a Baumgarten inventum est cum plumbo Pontificis et nota magistri cursorum dd. 10 Aprilis 1590, ex qua constat bullam sollemniter promulgatam fuisse (cf. *Biblische Zeitschrift* 1907, 189 sqq), quod nonnulli addubitarunt. — b) Scriptor inspiratus libri Paralipomenon persuasissimum habuit „totum Pentateuchum" in templo inventum esse (*Benzinger*, Regum 190 sq); quid inde sequatur ex pag. 9 sqq inferri potest.

In diebus Iosiae filii Amon regis Iudae Sophonias prophetavit (Soph 1, 1), cuius libri argumentum ac dispositio breviter exponenda sunt.

Prophetia Sophoniae, צְפַנְיָה, *Σοφονίας*, ultionem et salutem Domini praedicit, 3 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—3, 8) ultio Domini praedicatur. a) Iudicans: Dominus omnia congregabit, Iudam et Ierusalem scrutabitur (1, 1—13) in die irae propinqua (1, 14—18). b) Iudicandi: non quaerentes Deum (2, 1—3), Philisthini (2, 4—7), Moabitae et Ammonitae (2, 8—11), Aethiopes (2, 12), Assyrii (2, 13—15), ipsa Ierusalem (3, 1—8).

In 2 parte (3, 9—20) salus Domini nuntiatur: omnes laudabunt (3, 9—13) regem Israel salvantem (3, 14—20).

Utrum Sophonias unus ex posteris regis an alterius *Ezeciae* (1, 1) fuerit dubium est (cf. *Kaulen*, Einleitung II 253; *Strack*, Einleitung 118).

17. Ioachaz vel Sellum (1 Par 3, 15; Ier 22, 11), filius Iosiae, 3 mensibus regnavit. *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quae fecerant patres eius.* A Pharaone Nechao vinctus et in Aegyptum ductus ibi mortuus est (4 Rg 23, 31—34; 2 Par 36, 2—4).

18. Ioakim vel Eliakim, filius Iosiae, 11 annis regnavit *fecitque malum coram Domino Deo suo.* Erat autem tributarius Pharaonis. Ipso regnante Nabuchodonosor, rex Babyloniorum (cf. Fig. 63) tulit omnia a rivo Aegypti usque ad Euphraten quae Pharaonis fuerant; regem vero Iuda cum aliis Iudaeis et vasis templi Babylonem duxit. Ioakim e captivitate a rege Babyloniorum dimissus contra eum rebellavit, sed a Domino immissis latrunculis variis punitus est. Obiit in Ierusalem (2 Par 36, 2—8; 4 Rg 23, 35—24, 7; Dn 1, 1—3; Ir 22, 13—19; 26, 20—23; 36, 1—32; *Selbst,* Handbuch 886 sq; cf. *Bertheau,* Chronik 419 sqq).

Fig. 63.
Heros Babylonius cum leone.

19. Ioachin vel Iechonias, filius Ioakim, 3 mensibus ac 10 diebus regnavit *fecitque malum in conspectu Domini.* Hunc quoque Nabuchodonosor cum viris nobilibus et fortibus et artificibus necnon cum pretiosissimis vasis templi Babylonem deduxit (4 Rg 24, 8—17; 2 Par 36, 9 sq).

20. Sedecias vel Matthanias, filius Iosiae, 11 annis regnavit. *Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Ieremiae prophetae, loquentis ad se ex ore Domini. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiuraverat eum per Deum* (2 Par 36, 11—13; 4 Rg 24, 18—20), quando eum regem instituit (Ez 17, 13). Ieremias monebat Sedeciam, ut regi Babyloniorum serviret itaque gladium et famem et pestem evaderet (Ir 27, 12—22), at ille noluit oboedire. Qua de causa Nabuchodonosor anno 9 regni Sedeciae et quidem mense 10, die 10 mensis ad Ierusalem venit eamque obsidebat (4 Rg 25, 1; Ir 39, 1; 52, 4). Adventante Pharaone Ephree (Ir 44, 30) quem Sedecias vocaverat (cf. Ez 17, 15 sqq) Nabuchodonosor ab Ierusalem quidem recessit, sed fugato exercitu Aegyptio iterum Ierusalem circumvallavit, quemadmodum Ieremias praedixerat propterea in carcerem missus (Ir 37, 1—38, 13). Erat autem civitas obsessa usque ad diem 9 mensis 4 anni 11 Sedeciae praevaluitque fames vehementer (Ir 52, 5 sq; 4 Rg 25, 2 sq). Miseriam acerbissimam dierum illorum Ieremias ipse graphice describit.

Defecerunt prae lacrymis oculi mei,
conturbata sunt viscera mea:
effusum est in terra iecur meum
super contritione filiae populi mei,
cum deficeret parvulus, et lactens
in plateis oppidi. (Thr 2, 11.)

Matribus suis dixerunt:
Ubi est triticum et vinum?
cum deficerent quasi vulnerati
in plateis civitatis:
cum exhalarent animas suas
in sinu matrum suarum. (Thr 2, 12.)

Manus mulierum misericordium
coxerunt filios suos:
facti sunt cibus earum
in contritione filiae populi mei. (Thr 4, 10.)

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te
filia Ierusalem?
cui exaequabo te, et consolabor te
virgo filia Sion?
magna est enim velut mare contritio tua:
quis medebitur tui? (Thr 2, 13.)

Ieremias mandante Domino dixit ad Sedeciam: „Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas haec non succendetur igni: et salvus eris tu, et domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas haec in manus Chaldaeorum, et succendent eam igni: et tu non effugies de manu eorum", at rex Domino non oboedivit (Ir 38, 14—28). Capta est igitur civitas inferior anno 11 Sedeciae, mense 4, die 9 et fugit nocte Sedecias cum bellatoribus suis in campestria Ierichontina, ubi ab exercitu Chaldaeorum comprehensus est. Nabuchodonosor, qui obsidione urbis perdurante in Reblatha seu Ribla (Tab. I) profectus fuerat, filios Sedeciae ad se adducti omnesque nobiles Iuda occidit, ipsum vero Sedeciam caecatum vinxit et Babylonem perduxit (Ir 39, 1—7; 52, 7— 11; 4 Rg 25, 2—7). Mense autem 5, die 7 anni 19 regis Nabuchodonosor i. e. 586 a. Chr. seu anni 11 Sedeciae venit Nabuzardan princeps exercitus Chaldaeorum in Ierusalem et occupavit civitatem superiorem quoque (*Thenius*, Könige

474 sq). Domum Domini et domum regis domosque ceteras combussit et muros urbis destruxit. Habitatores Ierusalem, exceptis pauperibus, necnon thesauros universos Babylonem transtulit. Ieremiam autem prophetam iussu Nabuchodonosor e carcere eduxit ac dedit ei optionem aut Babylonem proficiscendi aut in terra Iuda remanendi, quod alterum propheta elegit (Ir 39, 8—40, 6; 52, 12—29; 4 Rg 25, 8—21). Quamquam Ieremias eos qui captivi in Babyloniam abducendi erant, comitari noluit sed apud pauperes in terra Iuda relinquendos permanere voluit, tamen abducendis quoque providit. Ad illos enim iussu Dei dedit epistulam, in Vulgata libro Baruch adiunctam (vide § 32, 1, c), qua eos hortabatur ne deos aureos et argenteos et lapideos et ligneos quos *in humeris portari* (Fig. 64) viderent, pro veris diis haberent et timerent.



Fig. 64. Dii in humeris portati. Caelatura Assyria (iuxta Layard). (Londini, Mus. Brit.)

Secundum 4 Rg 25, 3; Ir 52, 6 urbs die *nona*, secundum Ir 39, 2 vero die *quinta* mensis 4 anni 11 Sedeciae capta est; sed textus Hebraicus et Graecus etiam Ir 39, 2 die *nona* habet: ergo contradictio in textu Vulgatae tantum exsistit. — In epistula libro 2 Machabaeorum praemissa Iudaei narrant sacerdotes, antequam in captivitatem ducebantur, ignem de altari acceptum in quodam puteo sicco vallis collocasse (1, 19) Ieremiam autem tabernaculum et arcam et altare incensi in spelunca montis Nebo abscondisse (2, 4 sqq). Hagiographus has narrationes Iudaeorum operi suo praemittens eas neque approbat neque reprobat: ergo nescimus utrum verae an falsae sint (cf. pag. 12); nihil tamen impedit, quominus eas pro veris habeamus.

III. De chronologia regnorum Israel et Iuda.

Chronologia regnorum Israel et Iuda ex fontibus, qui nobis nunc praesto sunt, determinari nequit. Nam numeri qui in sacris libris exhibentur, non solum cum documentis profanis non congruunt,

verum etiam inter se pugnant, uti ex tabulis sequentibus elucet. Quae cum ita sint, numeros corruptos dicamus oportet (cf. pag. 88). Quomodo autem emendandi sint, non liquet, uti quilibet in commentariis catholicorum et acatholicorum in librum Regum et librum Paralipomenon conscriptis videre potest. Propterea omnes coniecturas non probabiles omittentes solummodo notamus quid sacrae litterae quidque documenta testentur.

1. Iuxta librum Regum et librum Paralipomenon reges Israel et Iuda a) annis sequentibus regnarunt:

Reges Israel.

1. *Ieroboam I*	regnavit	22	annis
2. Nadab	„	2	„
3. *Baasa*	„	24	„
4. Ela	„	2	„
5. *Zambri*	„	*7*	*diebus*
6. *Amri* (Thebni)	„	12	annis
7. Achab	„	22	„
8. Ochozias	„	2	„
9. **Ioram**	„	12	„
10. *Iehu*	„	28	„
11. Ioachaz	„	17	„
12. Ioas	„	16	„
13. Ieroboam II	„	41	„
14. Zacharias	„	*6*	*mensibus*
15. *Sellum*	„	*1*	*mense*
16. *Manahem*	„	10	annis
17. Phaceia	„	2	„
18. *Phacee*	„	20	„
19. *Osee* (usque 722)	„	9	„

Summa 242 annis

Reges Iuda.

1. Roboam	regnavit	17	annis
2. Abia	„	3	„
3. Asa	„	41	„
4. Iosaphat	„	25	„
5. Ioram	„	8	„
6. **Ochozias**	„	1	anno
7. Athalia	„	6	annis
8. Ioas	„	40	„
9. Amasias	„	29	„
10. Azarias (Ioathan)	„	52	„
11. Ioathan	„	16	„
12. Achaz	„	16	„
13. Ezechias (usque 722)	„	6	„

Summa 260 annis

Idem Ezechias post regnum Israel deletum	regnavit	23	annis
14. Manasses	„	55	„
15. Amon	„	2	„
16. Iosias	„	31	„
17. Ioachaz	„	*3*	*mensibus*
18. Ioakim	„	11	annis
19. Ioachin	„	*3*	*mensibus*
20. Sedecias	„	11	annis

Summa $133\frac{1}{2}$ annis

Ex tabula apparet: α) a divisione regni usque ad necem aequalem *Ioram* regis Israel et *Ochoziae* regis Iuda praeterierunt anni 98 si annos regum Israel, sed anni 95 si annos regum Iuda numeramus. β) A nece aequali regum nominatorum usque ad deletionem regni Israel elapsi sunt anni 144 si annos regum Israel, sed anni 165 si annos regum Iuda computamus. γ) A divisione regni usque ad deletionem regni Israel effluxerunt anni 242 si annos regum Israel, sed 260 si annos regum Iuda addimus. — Tales contradictiones internae (cf. Exegeticam 115) ab inspiratis scriptoribus vel potius ab ipso Deo inspirante in textu originali positas fuisse iuxta ea quae de inspiratione diximus impossibile est (pag. 9 sqq): ergo numeri a librariis corrupti sint necesse est (cf. Exegeticam 116).

b) Iuxta eundem fontem reges Israel et Iuda (quibus intra uncinos annos regiminis addimus) regnare inchoarunt:

Reges Israel.	Reges Iuda.
1. Ieroboam (22) anno 1 Roboami	1. Roboam (17) mortuo Salomone
	2. Abia (3) anno 18 Ieroboami
	3. Asa (41) anno 20 Ieroboami
2. Nadab (2) anno 2 Asae	
3. Baasa (24) anno 3 Asae	
4. Ela (2) anno 26 Asae	
5. Zambri (7 dies) anno 27 Asae	
6. Amri (12) anno 27 Asae	
7. Achab (22) anno 38 Asae	4. Iosaphat (25) anno 4 Achabi
8. Ochozias (2) anno 17 Iosaphati	
9. Ioram (12) anno 18 Iosaphati	5. Ioram (8) anno 5 Iorami *Israel*
10. **Iehu** (28)	6. Ochozias (1) anno 12 Iorami *Israel*
	7. **Athalia** (6)
11. Ioachaz (17) anno 23 Ioas *Iuda*	8. Ioas (40) anno 7 Iehu
12. Ioas (16) anno 37 Ioas *Iuda*	9. Amasias (29) anno 2 Ioas *Israel*
13. Ieroboam II (41) anno 15 Amasiae	10. Azarias (52) anno 27 Ieroboami II
14. Zacharias (6 mens.) anno 38 Azariae	
15. Sellum (1 mens.) anno 39 Azariae	
16. Manahem (10) anno 39 Azariae	
17. Pheceia (2) anno 50 Azariae	
18. Phacee (20) anno 52 Azariae	11. Ioathan (16) anno 2 Phacee
19. Osee (9) anno 12 Achazi	12. Achaz (16) anno 17 Phacee
	13. Ezechias (29) anno 3 Osee

Consideranti hanc tabulam patet non tantum annos regiminis regum fuisse incompletos (cf. pag. 244) sed etiam numeros inter se non bene convenire, quae inconvenientia inspirato scriptori ascribi nequit (pag. 9 sqq), ergo a librariis repetenda est (cf. Exegeticam 116).

2. Ex documentis profanis sequentia constant.

Assyria.	Israel et Iuda.
Assurnaṣirpal 884—860	
Salmanassar II 860—824	devincit 854 Achab (pag. 232) et habet 842 Iehu tributarium (pag. 236).
Samsiasid II 824—811	
Adad-nirari III 811—782	
Salmanassar III 782—772	
Assurdan III 772—754	
Assur-nirari 754—745	
Thiglath-Pileser III = Phul 745—727	habet Manahem 738 tributarium, occupat regnante Phacee 733 terram eius et transfert habitatores in Assyriam (pag. 248 sq).
Salmanassar IV 727—722	facit Osee tributarium, devincit eum et obsidet Samariam (pag. 251).
Sargon 722—705	capit 722 Samariam, transfert Israelitas in Assyriam et mittit colonos in terram Israel (pag. 251 sq).
Sanherib 705—681	pugnat infeliciter contra Ezechiam (pag. 270).
Asarhaddon 680—669	
Assurbanipal 669—626	
Aššur-etil-ilani 625—?	

Assyria.	Israel et Iuda.
Sin-šar-iškun ? —606 quo anno Ninive a *Cyaxare Medo* consentiente Nabopolassar Chaldaeo-Babylonio deleta est (cf. *Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 51 473).	iuxta recensionem 1 textus Graeci Tob 14, 15 Nabuchodonosor filius regis Nabopolassar cum Cyaxare (Assuero) Niniven delevit (pag. 260; cf. *Zöckler,* Apokryphen 184).
Babylonia.	**Iuda.**
Merodach Baladan seu Marduk-abal-iddina II, Chaldaeus, Babyloniam occupavit, ibi 721—710 regnavit quo anno a Sargon devictus atque expulsus est; regnante Sennacherib seu Sanherib 704 vel 703 iterum Babyloniam occupavit sed mox iterum expulsus est (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 105 429 sq).	hic ad Ezechiam litteras et munera misit, postquam audivit eum aegrotasse et convaluisse (pag. 268 sqq).
Nabopolassar Chaldaeus fundavit regnum neo-Babylonium regnavitque 625—604 (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 105).	
Nabuchodonosor seu Nebucadnezar, Nabūkudurri-usur 604—560 (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 105; sed 466 asserunt eum 605—562 regnasse).	pugnat 605 contra Ioakim, 597 contra Ioachin, 588 ad 586 contra Sedeciam (pag. 288 sqq).

Ex documentis profanis haec certa esse videntur: a) Divisio regnorum ca 919 a. Chr. facta est (cf. pag. 95 171 214). b) Ioram et Ochozias iam 842 a. Chr. occisi fuerunt (pag. 292). c) Regnum Israel 722 a. Chr. deletum est (pag. 251). d) Cives regni Iuda 586 a. Chr. captivi ducti sunt, anno scilicet 19 Nabuchodonosor (cf. 4 Rg 25, 8). — Quod numeri biblici corrupti (pag. 291) cum certis his numeris profanis pugnent, non est mirabile; quomodo corrigendi sint non liquet, quod iam in principio tractatus diximus.

PERIODUS V.

AB EXSILIO BABYLONICO USQUE AD CHRISTUM.

Tractabimus de tempore exsilii Babylonici, de reditu Iudaeorum, de historia Israel usque ad Christum. — Fontes praecipui huius periodi sunt scripta prophetarum Ieremiae, Baruch, Danielis, Ezechielis, Aggaei, Zachariae, Malachiae necnon libri 1 et 2 Esdrae, Esther, 1 et 2 Machabaeorum. — Perspicuitatis gratia successores Nabuchodonosor praemittimus. Evilmerodach 560—559, Neriglissar 559—555, Labaši-Marduk 555, Nabūnaid seu Nabonid 555—538, qui filium suum Belsazar socium imperii accepit et 538 a. Chr. a Cyro devictus est (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 105).

§ 32. De tempore exsilii Babylonici.

Proponemus prius ea quae in terra occidentali, deinde ea quae in terra orientali acciderunt.

1. *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, et Ierusalem deserta est,* a) *sedit Ieremias propheta flens, et planxit*

lamentatione hac in Ierusalem, et amaro animo suspirans, et eiulans dixit. Haec nota historica quam Clementina cum LXX *Threnis* praemittit, Sixtina autem prophetiae Ieremiae adiungit (cf. meam editionem Bibliae Sacrae 131*), quamque etiam Strack (Einleitung 153) ex Hebraico translatam censet, traditionem Hebraeorum refert Ieremiam prophetam Threnos idest Lamentationes composuisse, quam traditionem Patres et scriptores Ecclesiae Christianae retinuerunt atque similitudo inter Threnos et prophetiam Ieremiae exsistens confirmat. Paucae illae rationes internae quae a Strack (Einleitung 153) aliisque contra constantem istam traditionem ob-



Fig. 65. Antrum Ieremiae iuxta Ierusalem. (Phot. Bonfils.)

iciuntur, quasi nullius sunt pretii (cf. *Kaulen,* Einleitung 197; *Seisenberger,* Einführung 360 sq). Secundum traditionem quandam localem, utique non certam Ieremias in antro ex septentrione Ierusalem sito atque urbi destructae proximo (Fig. 65) *Lamentationes* composuit (*Benzinger-Baedeker,* Palästina 105).

Threni, idest Lamentationes Ieremiae prophetae, אֵיכָה vel קִינוֹת, *θρῆνοι (Ἱερεμίου),* 5 capitibus constant, quibus propheta a) Ierusalem desolatam deflet (*Quomodo sedet sola civitas:* 1, 1—22), quia est spreta ab amicis (1, 1—4), tradita inimicis (1, 5—11[a]), quae se vilem dicit (1, 11[b]—17) sed iuste castigatam (1, 18 sq) et Dominum

invocat (1, 20—22). — b) Poenam Domini agnoscit (*Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus:* 2, 1—22). Deus inimicus factus (2, 1—5) dissipavit templum (2, 6 sq) et urbem (2, 8—10); propheta conturbatus (2, 11 sq) iniquitatem populi confitetur (2, 13—17) et Sion ad paenitentiam provocat (2, 18—22). — c) Spem redintegrat (*Ego vir videns paupertatem meam:* 3, 1—66). Amaritudinibus repletus (3, 1—18) misericordiarum Domini recordatur (3, 19—39) ac paenitens Deum invocat (3, 40—66). — d) Iniquitatem pandit (*Quomodo obscuratum est aurum:* 4, 1—22). Enarrat peccata populi (4, 1—11), prophetarum et sacerdotum (4, 12—20), praenuntiat poenam Edom (4, 21 sq). — e) Redemptionem implorat (*Recordare Domine quid acciderit nobis:* 5, 1—22). Rogat ut Dominus luctum populi respiciat (5, 1—18) ac laetitiam innovet (5, 19—22).

b) Iudaeis in terra Iuda relictis Nabuchodonosor Godoliam Iudaeum praefecerat. Hic vir bonus contribulibus suis dixit: *Nolite timere servire Chaldaeis, habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis* (Ir 40, 9), voluitque iis prodesse, sed instigante rege Ammonitarum per Ismaelem Iudaeum occisus est. Qua de causa Iudaei vindictam Babyloniorum timentes Ieremiam interrogarunt quid faciendum esset. Propheta vehementer eos hortabatur ut in terra Iuda manerent neve in Aegyptum fugerent, inter alia iussu Domini praenuntians: „Si quiescentes manseritis in terra hac, aedificabo vos, et non destruam; plantabo, et non evellam: iam enim placatus sum super malo quod feci vobis. Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, et eruam de manu eius. . . . Si posueritis faciem vestram ut ingrediamini Aegyptum, et intraveritis ut ibi habitetis: gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in Terra Aegypti: et fames, pro qua estis soliciti, adhaerebit vobis in Aegypto, et ibi moriemini“ (Ir 42, 10 sq 15 sq). Sed Iudaei vocem Domini audire nolentes omnes in Aegyptum fugerunt simulque Ieremiam et Baruch illuc duxerunt. Ieremias in Aegypto positus vastationem Aegypti atque Iudaeis idola colentibus poenas gravissimas prophetavit (Ir 40, 7—44, 30; 4 Rg 25, 22—26); Baruch autem in Babyloniam profectus, ibi anno 5 post destructionem urbis Ierusalem librum scripsit, regi Iechoniae et populo Iudaico eum praelegit. Deinde librum cum vasis templi argenteis a Nabuchodonosor restitutis ac pecunia a captivis collecta ad Ioakim sacerdotem detulit qui illo tempore Ierosolymis habitabat (Baruch 1, 1—9).

c) **Prophetia Baruch**, בָּרוּךְ, *Βαρούχ*, in Vulgata 6 capitibus constat et in duas partes secerni debet.

In 1 parte (1, 1—5, 9) liber ipsius Baruch continetur. Praemissa introductione, qua titulus libri (1, 1 sq), collecta exsulum lectione libri commotorum (1, 3—9), epistula eorum ad Iudaeos Ierosolymis habitantes data (1, 10—14) consignata sunt, sequitur 1. admonitio prophetae. Baruch Iudaeos admonet ut a) peccata confiteantur et quidem in genere (1, 15—2, 10) gratiam petentes (2, 11—18) atque in specie (2, 19—35) misericordiam implorantes (3, 1—8); admonet ut b) sapientiam veram quaerant (3, 9—13), quae non apud homines (3, 14—28) sed apud Deum invenitur (3, 29—38) qui eam in lege manifestavit (4, 1—4). — 2. Consolatio prophetae. Baruch consolatur a) populum Dei: peccans venditus est (4, 5—16) sed paenitens redimetur (4, 17—29). b) Civitatem Dei: filii eius ex inimicis liberabuntur (4, 30—35) ac gloriosi a Deo adducentur (4, 36—5, 9).

In 2 parte (6, 1—72) exemplar epistolae Ieremiae ad abducendos missae (pag. 290) exhibetur. In exordio Ieremias testatur Iudaeos propter peccata in Babyloniam abducendos ibi visuros esse quomodo dii aurei et argentei et lapidei et lignei *ostentantes metum Gentibus* in humeris portentur. *Videte ergo,* inquit, *ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis, et metus vos capiat in ipsis* (6, 1—6). Etenim isti dii sunt opera hominum. *Unde vobis notum sit quia non sunt dii. Non ergo timueritis eos* (6, 7—15[a]). Sunt sicut trabes in domo. *Unde sciatis quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos* (6, 15[b]—22). Sunt sicut mortui. *Scientes itaque ex his quia non sunt dii, ne timeatis eos* (6, 23—28). Retribuere nequeunt. *Quomodo ergo aestimandum est, aut dicendum, illos esse deos?* (6, 29—39.) Ab ipsis Chaldaeis non honorantur. *Quomodo aestimandum, aut dicendum est, illos esse deos?* (6, 40—44.) Neque se neque alios e malis liberare possunt. *Quomodo ergo aestimandum est, aut recipiendum quia dii sunt?* (6, 45—55.) Sibi ceterisque inutiles sunt. *Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos* (6, 56—64). Bestiis miserabiliores sunt. *Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod ne timeatis eos* (6, 65—68). Erunt opprobrium in regione. *Melior est homo iustus, qui non habet simulachra: nam erit longe ab opprobriis* (6, 69—72).

In LXX et aliis versionibus secundum LXX adornatis prophetias Ieremiae sequitur liber Baruch, deinde collocantur Threni, demum ponitur Epistola Ieremiae. — De libro Baruch nunc versiones

tantum exstant, inter quas sola Graeca immediata est, reliquae enim omnes (etiam Latina Vulgatae quam S. Hieronymus non emendavit) e Graeca fluxerunt; Theodotion autem (saec. II p. Chr.) atque Origenes († 254) textum Hebraicum adhuc habebant qui iam aetate S. Hieronymi († 420) deperditus erat (*Kaulen,* Einleitung II 199; *Knabenbauer,* Baruch 435). — Similiter Epistola Ieremiae nunc in LXX et aliis versionibus iuxta LXX adornatis tantum exstat; sed ipsa quoque originaliter Hebraice scripta erat (*Kaulen,* Einleitung II 199 sq; *Knabenbauer,* Baruch 449).

Liber Baruch a notario Ieremiae compositus est. Nam Bar 1, 1 legimus: *Et haec verba libri, quae scripsit Baruch, filius Neriae* qui iuxta Ir 32, 12; 36, 4; 43, 3; 45, 1 socius et notarius Ieremiae fuit. „Atque hac inscriptione declarari verum libelli auctorem certum est, inquit Knabenbauer (Baruch 436). Nam tali libri de se ipso testimonio fides est adhibenda, nisi aliunde ex rationibus internis vel externis aliud clare evincitur." Sed rationes externae inscriptionem libri confirmant. Iudaei enim post reditum ex captivitate Babylonica librum Baruch inter libros sacros retinebant (*S. Epiphanius,* Haer. 8, 6) et saltem usque ad saec. III p. Chr. in synagogis die expiationis legebant (Const. Ap. 5, 20; *Knabenbauer,* Baruch 436); Ecclesia quoque Christiana librum pro opere genuino Baruch notarii Ieremiae habuit et habet (*Kaulen,* Einleitung II 201). Rationes autem internae quae a protestantibus contra genuinitatem afferuntur, logice non valent.

Examinemus eas. a) Iuxta 1, 1 sq Baruch in Babylonia fuit, quod historiae contradicit (ita *Holtzmann-Guthe,* Bibelwörterbuch 72). At contradictio vera reapse non exsistit. Nam Ir 43, 6 testatur quidem Baruch filium Neriae in Aegyptum ductum esse, non autem eum semper ibi mansisse; Ieremias nullo vocabulo negat eum postea in Babyloniam profectum esse. Vera contradictio inter librum Baruch et librum Ieremiae adesset, si Ieremias assereret Baruch in Aegypto mansisse, in Babyloniam non profectum esse (cf. pag. 267). Similiter id quod 1, 8 sq legimus, nimirum Baruch vasa templi argentea a Sedecia confecta in Ierusalem reportasse, reliquis libris sacris non contradicit. Nam reliqui libri hanc rem utique tacent (*Zöckler,* Apokryphen 242 sq), sed eam non negant; contradictio vera (cf. Exegeticam 114) adesset, si reliqui libri istam rem in libro Baruch assertam negarent. Ergo ob istas contradictiones (quae revera non exsistunt) genuinitas libri Baruch negari nequit. — b) Keil, Kneucker, Reuss, Schrader (cf. *Knabenbauer,* Baruch 439 sqq) rationes sequentes adducunt: α) iuxta 1, 3 Baruch verba libri *ad aures Iechoniae filii Ioakim regis Iuda* legit; sed Iechonias carcere inclusus lectioni libri interesse non potuit. β) Iuxta 1, 7 Ierosolymis Ioakim filius Helciae sacerdos erat. γ) In 1, 10 14 ara et templum commemorantur. δ) Iuxta 1, 11 exsules Iudaeos in Palaestina relictos hortantur ut pro rege Nabuchodonosor et filio eius orent, quod incredibile est. ε) In 1, 12 filius Nabuchodonosor vocatur Baltassar. ζ) In 1, 13; 2, 13 18 29; 3, 1 10 exsilium durius describitur quam reapse fuit. Propter has res cum aetate prophetae Baruch non congruentes liber tempori posteriori assignandus est. Respondemus cum Knabenbauer (Baruch 440 sq) ad α) in nullo loco legimus

Iechoniam semper carcere detentum fuisse neque a suis visitari potuisse; ad β) quod Ierosolymis post destructionem urbis sacerdos fuerit non est addubitandum, cum etiam ad colonos Samariae sacerdos Domini missus sit (pag. 252); ad γ) etiam Ieremias (41, 5) de domo Domini et muneribus ibi offerendis loquitur, quamquam antea (39, 8) destructionem urbis narravit. „Ipse enim locus templi locus erat sacer; muri praecipui et fortiores incendio non erant destructi; quare haud erat difficile ita templi ruinas reparare, ut qui remanserant ibi sacrificia offerre et coetus sollemnes peragere possent" (*Knabenbauer* l. c.); ad δ) per Ieremiam (29, 7) ipse Dominus exsulibus dixit: *Et quaerite pacem civitatis* (i. e. Babylonis, cf. v. 4), *ad quam transmigrare vos feci: et orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis;* ad ε) „si negant Nabuchodonosor filium habuisse Baltassar nomine, inquit Knabenbauer (Baruch 440 sq), audacia negandi est quidem admiranda, at nemo adhuc ostendit quo iure negent. . . . Nabuchodonosor diu regnavit; quid igitur improbabile in eo est, filium primogenitum Baltassar mortuum esse ante patrem, ideoque alium scil. Evilmerodach in regno successisse? Nonne etiam fuerunt qui Sargon Is 20, 1 cum alibi non eius fiat mentio expunctum vellent?" (cf. pag. 251); ad ζ) qui locos citatos legerit, nihil inveniet quod cum Ps 136, 1 sqq *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus: cum recordaremur Sion* non optime congruat. Ergo nihil in libro invenitur quod cum tempore exsilii pugnet ideoque eum per errorem prophetae Baruch ascribi demonstret. — c) Zöckler (Apokryphen 240) cum aliis affirmat 1, 15—18 ex Dn 9, 4 sqq sumpta esse. At bene reponit Knabenbauer (Baruch 439 sq): „Sed quaestio est, utrum Daniel a Baruch, an Baruch a Daniel aliqua sit mutuatus. . . . Dillmann, Herzfeld, Ewald contendunt orationem apud Danielem ex illa apud Baruch esse ortam et transumptam." — Sententiam ab Hitzig, Kneucker et Schürer propositam, ex qua liber Baruch post destructionem urbis Romanam scriptus est, Nabuchodonosor et Baltassar Vespasianum et Titum significant(!) etc, etiam Zöckler (Apokryphen 240 sq) repudiat, quia neque cum usu loquendi et contextu neque cum lingua libri originali congruit. Alias sententias acatholicorum improbabiles Knabenbauer (Baruch 439) enumerat.

Epistulam illam quae in Vulgata libro Baruch adiungitur (cf. pag. 296) ab Ieremia scriptam esse traditio Iudaica (cf. 2 Mach 2, 2) atque Christiana (cf. *Kaulen,* Einleitung II 204) testatur. Protestantes quidem omnes hoc negant, at suam opinionem nulla ratione logice valida probare possunt. Omnia quae in epistula leguntur, tam cum libro Ieremiae quam cum documentis Assyriis-Babyloniis optime congruunt. Videas plura apud Kaulen (Einleitung II 203 sq) et Knabenbauer (Baruch 447 sqq).

d) Baruch, notarius Ieremiae (pag. 297), etiam prophetias domini sui collegisse (cf. Ir 51, 64) et appendice (Ir 52, 1—34) auxisse videtur et quidem inter annum 35 et 70 captivitatis Babylonicae, quod Kaulen (Einleitung II 192 sqq) comprobat. Videas et Seisenberger (Einführung 358), Cornely (Introductio II 2, 394 sqq).

Prophetia Ieremiae, יִרְמְיָהוּ, vel יִרְמְיָה, *Ἰερεμίας*, regno Iuda ac gentibus res futuras nuntiat, 52 capitibus constat et in duas partes

dividitur, quibus introductio praemittitur et appendix additur. — In introductione (1, 1—19) missio prophetae narratur, quomodo electus, instructus ac roboratus sit.

In 1 parte (2, 1—45, 5) propheta de Iuda et Ierusalem agit. 1. Vaticinia Ieremiae exhibentur (2, 1—36, 32). a) Peccata populi recensentur et quidem *α)* perfidia stupenda: populus beneficiis cumulatus (2, 1—13) et castigationibus eruditus (2, 14—28) Dominum dereliquit (2, 29—37), at paenitens suscipietur (3, 1—5). *β)* Impaenitentia: populus non convertitur (3, 6—10) licet punitione Israelis edoctus (3, 11—17), Iuda et Israel sanarentur si paeniterent (3, 18—4, 4); propheta contritionem ab Aquilone praenuntiat (4, 5—18) propter malitiam populi (4, 19—5, 9); Iuda serviet alienis quia idolo servivit (5, 10—19) neque Dominum timuit (5, 20—31); quia monitionem Domini non audivit (6, 1—21), vastatori Aquilonis proicietur (6, 22—30). *γ)* Confidentia vana: confidunt templo quod destruetur (7, 1—20), sacrificiis quae polluerunt (7, 21—8, 3), legi Domini quam transgressi sunt (8, 4—22), circumcisioni quam non habuerunt in corde (9, 1—26), diis gentium qui salvare nequeunt (10, 1—25), pacto iurato quod irritum fecerunt (11, 1—23). — b) Iudex populi proponitur isque *α)* infensus malae hereditati quam inimicis dabit donec convertatur (12, 1—17) et populo pessimo quem puniet nisi ab iniquitate conversus fuerit (13, 1—27). *β)* Inexorabilis: preces et victimas non suscipit (14, 1—12), excusationem non accipit (14, 13—18), Ierusalem non respicit (14, 19—15, 9), sed lamentantem prophetam consolatur (15, 10—21). *γ)* Iuste iudicans: grande malum decernit derelinquentibus Dominum quem gentes agnoscent (16, 1—17, 4), confidentibus in homine et non in Domino (17, 5—18), violantibus sabbatum (17, 19—27). *δ)* Certo puniens: propheta populo non paenitenti poenam verbis (18, 1—23) atque actione symbolica (19, 1—13) praemonstrat. — c) Poena populi annuntiatur et quidem *α)* sacerdoti Phassur lamentantem prophetam percutienti (19, 14—20, 18); *β)* regibus Sedeciae, Ioachaz-Sellum, Ioakim, Iechoniae, pastoribus malis (21, 1—23, 8); *γ)* prophetis terram polluentibus, populum decipientibus, mendacium vaticinantibus, verba Domini pervertentibus (23, 9—40); *δ)* omni populo: visione ficorum captivitas Babylonica praemonstratur, post quam cunctae gentes iudicabuntur (24, 1—25, 38); propheta excidium Ierusalem praedicit, quare apprehenditur sed liberatur (26, 1—24); dominium Babylonis in gentibus vicinis et in Iuda annuntiatur (27, 1—22)

confirmaturque morte Hananiae contrarium vaticinantis (28, 1—17) et punitione reliquorum mendaciter prophetantium (29, 1—32). — d) Solatium populi adiungitur. *α)* Israel et Iuda reducentur: liberati erunt populus Dei (30, 1—24). *β)* Foedus novum pangent: cum populo reducto, castigato et erudito Dominus foedus novum feriet (31, 1—40). *γ)* Terram iterum possidebunt: Ieremias iussu Domini agrum emit qua actione possessio iterata terrae praenuntiatur (32, 1—44). *δ)* Civitatem habitabunt: urbs iterum aedificabitur, in qua germen David regnabit (33, 1—26). — e) Ingenium insanabile populi manifestatur. *α)* Populus foedus violat: urbe iam oppugnata et tradenda populus foedus praevaricatur ideoque exemplo Rechabitarum proposito corripitur (34, 1 ad 35, 19). *β)* Rex Ioakim librum Ieremiae comburit: Baruch librum scribit et legit, principes obstupescunt, sed rex librum comburit, Ieremias autem maius dictat (36, 1—32). — 2. Historia Ieremiae narratur (37, 1—45, 5). a) Propheta custoditur. *α)* In carcere inclusus: excidium urbis prophetans prius in ergastulum mittitur sed deinde in vestibulo carceris servatur (37, 1—20). *β)* E lacu lutoso eductus: in lacum proiectus ab Abdemelech educitur et manet in vestibulo carceris (38, 1—28[a]). — b) Propheta dimittitur. *α)* Manet in Iudaea: Ierusalem capta Ieremias cum Godolia, praeposito populi relicti, habitare voluit (38, 28[b]—40, 12). *β)* Vivit in Aegypto: Godolias fiduciae plenus ab Ismahel occiditur; principes Iudaeorum Chaldaeos timent, per prophetam Deum consulunt sed contra voluntatem Dei in Aegyptum fugiunt Ieremiam et Baruch secum ducentes (40, 13—43, 7); Ieremias praedicit vastationem Aegypti (43, 8—13) et Iudaeis pertinaciter idola colentibus poenas gravissimas (44, 1—30); monetur Baruch (45, 1—5).

In 2 parte (46, 1—51, 64) Ieremias contra gentes prophetat. a) Contra gentes generatim et quidem *α)* contra Aegyptum: caedetur in Charcamis (46, 1—12), occupabitur a Nabuchodonosor (46, 13—26), Israel vero salvabitur (46, 27 sq). *β)* Contra Palaestinos: Chaldaei eos vastabunt (47, 1—7). *γ)* Contra Moab: conteretur et confundetur propter superbiam (48, 1—14), vastabitur et humiliabitur propter irrisum Israelis (48, 15—30); plangitur a propheta (48, 31—39) ac restituetur a Domino (48, 40—47). *δ)* Contra Ammon: captivus ducetur sed revertetur (49, 1—6). *ε)* Contra Idumaeam: erit solitudo sempiterna, quia exaltata est, neque salvari poterit (49, 7—22). *ζ)* Contra Damascum: urbs laetitiae derelinquetur (49, 23—27). *η)* Contra Arabiam: habita-

tores Cedar et Asor percutientur (49, 28—33). *δ)* Contra Aelam: ventilabitur sed colligetur (49, 34—39). — b) Contra Babylonem speciatim: a Medis vastabitur (50, 1—5) iussu Domini (50, 6—20), quia templum vastavit (50, 21—32) nec populum Dei dimittere vult (50, 33—46); Deus Medos suscitabit (51, 1—23) ut Babyloni poenas rependat (51, 24—35) et Sionem ulciscatur (51, 36—64). — In appendice narratur a) excidium Ierusalem (52, 1—30) atque b) elevatio regis Ioachin (52, 31—34).

e) Eodem quasi tempore quo Baruch prophetias domini sui collegit, ipse Ieremias librum Regum conscripsit (pag. 214; *Cornely*, Introductio II 1, 293 sqq). Utrum Ieremias in Aegypto, ut nonnulli Patres asserunt, an in Babylonia mortuus sit, quod Iudaeorum tenet traditio (cf. *Kaulen*, Einleitung II 56 188) incertum est et nihil refert.

α) **Liber Regum tertius, Secundum Hebraeos primus Malachim,** מְלָכִים א, *Βασιλειῶν γ*, regnum Salomonis atque regna Iuda et Israel usque ad Iosaphat regem Iuda et Ochoziam regem Israel describit, 22 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—11, 43) regnum Salomonis describitur. 1. Initium regni (1, 1—2, 46). a) Salomon rex declaratur: senescente David (1, 1—4) Adonias regnum occupat (1, 5—10), Bethsabee et Nathan regem interpellant (1, 11—27), Salomon ungitur ac proclamatur rex (1, 28—40), Adonias se subicit (1, 41—53). b) Salomon rex succedit: rite instructus (2, 1—9) mortuo David (2, 10 sq) regnum tenet (2, 12). c) Salomon rex firmatur: Adoniam occidit (2, 13—25), Abiathar eicit (2, 26 sq), Ioab interficit (2, 28—34), successores eorum constituit (2, 35), Semei percutit (2, 36—46). — 2. Gloria regni (3, 1—10, 29). a) Magnificentia regis, et quidem *α)* nuptiae cum filia Pharaonis (3, 1). *β)* Donum sapientiae: Salomon in Gabaon sacrificat (3, 2—4), Dominus apparens ei sapientiam petitam tribuit (3, 5—15ª) quam rex iudicio illo Salomonio demonstrat (3, 15ᵇ—28). *γ)* Administratio regni: enumerantur Salomonis principes (4, 1—6), praefecti (4, 7—19), divitiae et status pacis (4, 20—28), sapientia ac prudentia (4, 29—34). b) Splendor templi, et quidem *α)* aedificatio eius: Salomon cum Hiram rege paciscitur (5, 1—12), operarios eligit (5, 13—18), templum aedificat (6, 1) quod describitur generatim (6, 2—13) et speciatim (6, 14—36) notato tempore (6, 37 sq); domos regias quoque aedificat (7, 1—12); interim per Hiram artificem sapientia plenum (7, 13—39) templum ornat (7, 40—51). *β)* Dedicatio templi: arca in templum infertur

(8, 1—9), gloria Domini apparet (8, 10 sq), Salomon laudat (8, 12—21) ac deprecatur Dominum (8, 22—53), benedicit populo (8, 54—61) atque victimas immolat (8, 62—66); Dominus apparens promittit et comminatur (9, 1—9). c) Salus civitatis, et quidem *α)* confirmatio imperii: Rex urbes munit (9, 10—19), tributarios facit (9, 20 sq), ministros constituit (9, 22 sq), Mello aedificat (9, 24), sacrificia offert (9, 25), classem facit et mittit (9, 26—28). *β)* Celebratio operum: regina Saba venit (10, 1—3), de omnibus vehementer admiratur (10, 4—9), munera dat et accipit (10, 10—13). *γ)* Locupletatio terrae: describuntur reditus annui (10, 14 sq), scuta aurea (10, 16 sq), thronus eburneus (10, 18—20), supellex aurea (10, 21 sq), munera varia (10, 23—25), currus et equites (10, 26), abundantia argenti et cedrorum (10, 27), equi de Aegypto (10, 28 sq). — 3. Finis regni (11, 1—43). a) Peccatum Salomonis: mulieres alienigenas adamat (11, 1—3) ac deos alienos colit (11, 4—8). b) Poena Salomonis: Dominus iratus (11, 9—13) adversarios suscitat Adad Idumaeum (11, 14—22), Razon Damascenum (11, 23—25), Ieroboam Ephrathaeum (11, 26—40). c) Ultima Salomonis (11, 41 ad 43).

In 2 parte regna Iuda et Israel usque ad Iosaphat et Ochoziam describuntur. 1. Bella inter reges (12, 1—16, 28). a) Inter Roboam et Ieroboam. *α)* Divisio regnorum: Roboam in Sichem consilio iuvenum utens preces Israelis repudiat (12, 1—15), quare Israel sibi Ieroboam regem constituit (12, 16—20), cuius impugnationem Deus prohibet (12, 21—24). *β)* Impietas Ieroboam: vitulos et fana facit (12, 25—32), correptus prophetia et miraculo (12, 33 ad 13, 10) atque mira morte prophetae (13, 11—32) non convertitur (13, 33 sq), quare ei domus eversio praedicitur (14, 1—20). *γ)* Imperium Roboam: abominationes Iuda (14, 21—24), direptio thesaurorum per Sesac regem Aegypti (14, 25—28), continuum bellum cum Ieroboam (14, 29—31) notantur. b) Inter successores. *α)* Reges Iuda: Abiam impius cum Ieroboam proeliatur (15, 1—8), Asa pius contra Baasa regem Israel vocat Benadad regem Syriae (15, 9—24). *β)* Reges Israel: Nadab malus cum tota domo Ieroboam a Baasa percutitur (15, 25—31), Baasa peccator ab Iehu propheta castigatur (15, 32—16, 7), Ela pravus cum domo Baasae deletur (16, 8—14), Zambri tyrannus se occidit (16, 15—20), Amri nequam habet Thebni imperii aemulum (16, 21—28). — 2. Pax inter reges (16, 29 ad 22, 54). a) Achab rex Israel. *α)* Elias et Achab: rex impiissimus deo Baal servit (16, 29—33) et aedificationem urbis Iericho

permittit (16, 34); Elias rorem et pluviam prohibet, prius a corvis et deinde a muliere Sarephtana pascitur cuius filium resuscitat (17, 1—24), a rege Achab postulat ut falsos prophetas ad Carmelum congreget, eosque interficit (18, 1—46), fugit ad montem Horeb sed a Deo monitus revertitur et Eliseum asciscit (19, 1—21). *β)* Benadad et Achab: Benadad rex Syriae ab Achab in montibus percutitur (20, 1—21) et in campestribus fugatur (20, 22—30) sed contra voluntatem Dei dimittitur (20, 31—43). *γ)* Naboth et Achab: Naboth regi vineam denegans (21, 1—3) ab Iezabel lapidatur (21, 4—14), Dominus regi ultionem comminatur (21, 15—26) sed ob paenitentiam eius mitigat (21, 27—29). *δ)* Michaeas et Achab: regi Syriam debellaturo (22, 1—5) praedicunt pseudoprophetae victoriam (22, 6—14), Michaeus vero necem (22, 15—28) quam misere subit (22, 29—40). b) Iosaphat rex Iuda pius (22, 41—44) cum Achab et filio Ochozia malo pacem habuit (22, 45—54).

β) **Liber Regum quartus, Secundum Hebraeos Malachim secundus,** מְלָכִים ב, *Βασιλειῶν δ*, regna Israel et Iuda ab Ochozia rege Israel et Ioram rege Iuda atque regnum Iuda solum describit, 25 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—17, 41) regna Israel et Iuda describuntur. 1. Usque ad Iehu (1, 1—8, 29). a) Ochozias rex Israel: aegritudo regis (1, 1 sq), prophetia Eliae (1, 3—8), sors nuntiorum (1, 9—15[a]), mors regis (1, 15[b]—18). b) Ioram rex Israel, quo regnante *α)* Eliseus fit successor Eliae: accipit spiritum duplicem (2, 1—12), dividit aquas (2, 13—15), prophetat (2, 16—18), sanat aquas (2, 19—22), punit pueros (2, 23—25). *β)* Eliseus regi victoriam promittit: Ioram nequam (3, 1—3) cum Iosaphat rege Iuda regem Moab impugnaturus (3, 4—8) a propheta corripitur (3, 9—15[a]), sed iuxta verbum Domini aquas et palmam accipit (3, 15[b]—27). *γ)* Eliseus miracula patrat: oleum auget (4, 1—7), Sunamitidi filium impetrat atque resuscitat (4, 8—38[a]), amaritudinem coctionis aufert (4, 38[b] ad 41), panes multiplicat (4, 42—44), Naaman leprosum mundat (5, 1—19), Giezi servum suum lepra afficit (5, 20—27), ferrum natare facit (6, 1—7). *δ)* Eliseus oracula edit: regi Israel insidias regis Syriae indicat (6, 8—13), milites Syros excaecat (6, 14—23), abundantiam frumenti et punitionem increduli praedicit (6, 24—7, 20), famem septennem prophetat (8, 1—6), Benadad moriturum et Hazael regnaturum nuntiat (8, 7—15). c) Reges Iuda, et quidem *α)* Ioram malus (8, 16—19) Idumaeos recedentes percutiens (8, 20—24); *β)* Ochozias impius (8, 25—27) cum Ioram rege Israel contra

Hazael regem Syriae proelians et vulneratum invisens (8, 28 sq). — 2. Usque ad Sellum (9, 1—15, 12). a) Iehu rex Israel. *α)* Ungitur et accipit mandata (9, 1—13); *β)* occidit a Domino designatos: Ioram regem Israel (9, 14—26), Ochoziam regem Iuda (9, 27—29), Iezabel impiissimam (9, 30—37), filios Achab (10, 1—11), fratres Ochoziae (10, 12—14), reliquos de Achab (10, 15—17), prophetas Baal (10, 18—27); *γ)* colit vitulos (10, 28—31), quare Hazael Domino permittente Israel in omnibus finibus percutit (10, 32—36). b) Reges Iuda. *α)* Athalia regina semen regium interficiens (11, 1—3) occiditur (11, 4—21). *β)* Ioas rex rectus (12, 1—3) instaurationem templi ordinat (12, 4—16) et Hazaeli regi Syriae thesauros mittit (12, 17—21). c) Reges Israel. *α)* Ioachaz malus (13, 1 sq) regibus Syriae traditus precibus salvatorem impetrat (13, 3—9). *β)* Ioas malus (13, 10—13) Syros ter percutit ut Eliseus ei praedixit (13, 14—25). d) Amasias rex Iuda rectus (14, 1—4) Edom vincit (14, 5—7) sed ab Ioas rege Israel vincitur (14, 8—22). e) Ieroboam rex Israel malus (14, 23 sq) terminos Israel restituit (14, 25—29). f) Azarias rex Iuda bonus (15, 1—4) fit leprosus (15, 5—7). g) Zacharias rex Israel malus (15, 8—12). — 3. Usque ad Osee (15, 13—16, 20). a) Reges Israel. *α)* Sellum uno mense regnans (15, 13—16); *β)* Manahem malus (15, 17 sq) fit tributarius Assyriorum (15, 19—22); *γ)* Phaceia malus (15, 23—26); *δ)* Phacee malus (15, 27 sq), quo regnante Israelitae captivi ducuntur (15, 29—31). b) Reges Iuda. *α)* Ioatham bonus (15, 32—38); *β)* Achaz impius filium idolis consecrat (16, 1—4), Assyrios muneribus vocat (16, 5—9), cultum divinum mutat (16, 10 ad 20). — 4. Interitus regni Israel (17, 1—41). a) Deportatio Israelitarum, et quidem *α)* Historia: Osee in carcerem mittitur (17, 1—4) et Israel in Assyriam transfertur (17, 5 sq). *β)* Causae exsilii: cultus deorum alienorum et contemptus prophetarum veri Dei (17, 7—23). b) Missio colonorum: coloni a leonibus interficiuntur (17, 24 sq), propterea a rege Assyrio sacerdos Domini ad eos mittitur (17, 26—28), unde coloni Dominum colunt, simul tamen etiam idolis suis serviunt (17, 29—41).

In 2 parte (18, 1—25, 30) regnum Iuda solum describitur. 1. Retardatio castigationis (18, 1—23, 30). a) Ezechias pius et quidem *α)* prospere agens: idololatriam aufert (18, 1—7[a]), Assyrios et Philisthaeos reprimit (18, 7[b]—12). *β)* Afflictus per Assyrios: argento et auro privatur (18, 13—16), probra et blasphemias Rabsacis legati regis Assyriorum audit sed per Isaiam

confortatur (18, 17—19, 8), litteras Sennacherib in templo expandit, per Isaiam solatium invenit et ab hoste liberatur (19, 9—37). *γ)* Graviter aegrotans: a Domino sanitatem impetrat (20, 1—11), sed de legatione Merodach Baladan regis Babyloniorum laetatur et per Isaiam prophetia captivitatis Babylonicae reprehenditur (20, 12 ad 21). b) Reges impii, et quidem *α)* Manasses: ipso regnante abominationes pessimae fiunt (21, 1—9) ac poena gravissima annuntiatur (21, 10—18). *β)* Amon: impius ut pater eius (21, 19—22) a servis interficitur (21, 23—26). c) Iosias pius. Narratur *α)* Inventio libri legis: rex eximius (22, 1 sq) templum instauravit (22, 3—7) qua occasione liber legis repertus est (22, 8—13), et Holda poenas futuras praedixit (22, 14—23, 1^a). *β)* Foederis pactum: Iosias foedus percussit (23, 1^b—3), illegitima ex Iuda et Samaria abstulit (23, 4—20), phase celebravit (23, 21—23) sed furorem Domini auferre nequivit (23, 24—27), a Pharaone occisus est (23, 28—30). — 2. Solutio poenae (23, 31—25, 30). a) Iuda et Pharao: Ioachaz vinctus in Aegyptum ducitur (23, 31—34) et Ioakim tributarius est (23, 35—37). b) Iuda et Nabuchodonosor. *α)* Afflictio Iuda: Ioakim contra Nabuchodonosor rebellans per latrunculos affligitur (24, 1—7). *β)* Deportatio Iuda: Ioachin malus cum nobilibus ac thesauris in Babyloniam transfertur (24, 8—17); etiam Sedecias malus cum divitibus et thesauris in Babyloniam transfertur (24, 18—25, 21) relictis pauperibus qui post necem Godoliae in Aegyptum fugiunt (25, 22—26). *γ)* Consolatio Iuda: Ioachin rex ab Evilmerodach sublevatur (25, 27—30).

2. Ex iis quae tempore exsilii in terra orientali acta sunt, Sacra Scriptura sequentia narrat:

a) Nabuchodonosor iussit de filiis Israel cum Ioakim in Babyloniam adductis (pag. 288) pueros nobiles et decoros ac dociles *litteras, et linguam Chaldaeorum,* סֵפֶר וּלְשׁוֹן כַּשְׂדִּים, discere. Inter quos *Daniel,* דָּנִיֵּאל i. e. El est iudex, *Ananias,* חֲנַנְיָה i. e. Iahve est benignus, *Misael,* מִישָׁאֵל i. e. quis est quod (מִי = שֶׁ = אֲשֶׁר) est El, *Azarias,* עֲזַרְיָה i. e. Iahve est auxiliator (cf. *Fürst,* Handwörterbuch) erant. Asphenez, praepositus eunuchorum, nominavit Danielem *Baltassar,* בֶּלְטְשַׁאצַּר i. e. balâṭ-šar-uṣur = vitam regis serva (*Buhl,* Handwörterbuch), Ananiam *Sidrach,* שַׁדְרַךְ i. e. shudur-Aku = mandatum Aku (dei lunae; cf. *Behrmann,* Daniel 3), Misaelem *Misach,* מֵישַׁךְ (nomen dei solis, cf. *Fürst,* Handwörterbuch), Azariam *Abdenago,* עֲבֵד נְגוֹ i. e. servus (dei) Nego = Nebo = Bel-Marduk (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 2 465). His quattuor

Deus propter abstinentiam eorum scientiam eximiam concessit (Dn 1, 1—21).

Daniel narrat se aliosque pueros *litteras, et linguam Chaldaeorum* discere debuisse (1, 4), et sapientes Chaldaeos *regi Syriace,* אֲרָמִית, respondisse (2, 4). Ad meliorem horum intellegentiam haec notamus: α) Lingua Semitica dividitur in australem (Arabicam et Aethiopicam) atque septentrionalem, quae in Chananaeam (Hebraicam, Phoeniciam, Punicam), *Aramaicam,* Assyriaco-Babylonicam (in cuneatis inscriptionibus) subdividitur. Aramaica in orientalem (Syriacam) et occidentalem (Palaestinensem) distinguitur (cf. Exegeticam 34 et *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 1 sqq). β) Secundum 2, 4 aetate Danielis reges Babylonii lingua Aramaica loquebantur, iuxta 1, 4 autem pueri Israelitarum litteras et linguam Chaldaeorum sapientium i. e. litteras cuneatas et linguam Assyriaco-Babylonicam discere debuerunt (cf. *Kautzsch,* Grammatik des Biblisch-Aramäischen 18). — Ex tempore S. Hieronymi usque ad dies nostros lingua Chaldaica i. e. Assyriaco-Babylonica cum lingua Aramaica confundebatur (*Kautzsch* l. c. 19). — Gn 31, 47 (vel potius duo vocabula יְגַר שָׂהֲדוּתָא *Tumulus testis*); Ir 10, 11; Dn 2, 4ᵇ—7, 28; 1 Esr 4, 8 ad 6, 18; 7, 12—26 (et originale Evangelii Matthaei) non in lingua Chaldaica, uti saepe dicitur et scribitur, sed in Aramaica-Palaestinensi scripta sunt (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 2).

b) Anno 2 regni sui (Dn 2, 1; cf. pag. 293) Nabuchodonosor somnium somniavit quod ipse oblitus est neque sapientes Chaldaei illi indicare potuerunt, quare rex omnes interficere volebat. Daniel autem a Deo edoctus regi tam somnium (quo Nabuchodonosor statuam ex rebus variis compositam et a lapide contritam viderat) quam sensum eius exposuit ideoque princeps provinciae Babylonis et praefectus sapientium constitutus est. Qui administrationem provinciae annuente rege sociis suis Sidrach, Misach, Abdenago concredidit (Dn 2, 1—49).

Putarunt aliqui pro *anno secundo* i. e. ב legendum esse *anno duodecimo* i. e. יב, quia iuxta 1, 5 18 sqq pueri *tribus annis* enutriendi examen absolutorium iam subierant, quando Nabuchodonosor in somnio istam statuam vidit. Sed ob numerationem annorum apud Hebraeos (cf. pag. 244) ac Babylonios (cf. *Meinhold,* Daniel 266; *Knabenbauer,* Daniel 77 sq) usitatam nulla mutatio necessaria est.

Circa idem tempus (cf. Dn 13, 45) Daniel sapientia sua *Susannam* castissimam uxorem viri divitis Ioakim malitiose adulterii accusatam a morte liberavit (Dn 13, 1—64).

Contra axiopistiam narrationis Zöckler (Apokryphen 215) cum antiquioribus opponit incredibile esse quod apud Iudaeos res tali modo iudicatae sint, et quod puer exsecutionem iudicii impedire potuerit; insuper asserit varios textus (LXX, Theodotionis, Iosephi, Syrorum) materiam liquidiorem fabulae (ziemlich flüssigen Sagenstoff) monstrare. Verumtamen varii illi textus versiones textus originalis deperditi sunt (videas quae infra de libro Danielis traduntur), ex quarum varietate contra veritatem

narrationis originalis argumentum deduci nequit. Daniel utique nomine *pueri iunioris,* παιδαρίου νεωτέρου (Theodotion) appellatur. Nolumus urgere Hebraicum נַעַר tam infantulum quam adulescentem et iuvenem significare (*Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch), atque Danielem inter istos pueros nobiles fuisse qui iussu regis Nabuchodonosor sapientia Chaldaeorum imbuti sunt; hoc solum notamus hagiographum in eodem loco (Dn 13, 45) ubi Danielem puerum nominat, etiam testari ab ipso Domino spiritum Danielis ad liberationem Susannae excitatum fuisse: a Domino adiutus etiam puer iunior exsecutionem iudicii impedire potuit. Neque mirum est quod Iudaei iudices proprios et ius gladii habuerint. Nam teste Niebuhr (Geschichte Assurs und Babels, Berlin 1857, 25 sq) captivi Babyloniorum secundum leges proprias vivere et iudicari potuerunt. „In iudicio demum Susannae nihil invenitur tumultuarii, inquit Cornely (Introductio II 2, 507), nisi quod populus in duorum testium, quos summa veneratione dignos iudicabat, veracitatem non inquisierit; hinc vituperatur a Daniele, quo praeside illud quod immerito omissum erat, suppletum est. Nam de iudicio contra senes peracto sermo non est, nec iudicem agit Daniel, sed falsi testimonii dumtaxat convincit accusatores; quo facto sententia iam per ipsam legem (Dt 19, 18 sq) lata erat."

c) Inter Israelitas quos Nabuchodonosor cum Ioachin in Babyloniam transtulerat (pag. 288), fuit Ezechiel sacerdos, qui *secus flumen Chobar* habitabat. Quod non est fluvius iuxta Circesium in Euphraten influens ad quem cives regni Israel collocati erant (pag. 251), sed potius canalis Babylonis qui in inscriptionibus 1903 inventis *nâru ka-ba-ru* nominatur; Hilprecht putat canalem *schatten Nil,* 36 *m* latum (Tab. I, charta minor) esse illud flumen Chobar seu nâru ka-ba-ru (*Ieremias,* Das Alte Testament 579 sq). Quodsi Ieremias (l. c.) notat iam Schrader de canale cogitasse, adiungere possumus iam antiquiores interpretes Lapide, Maldonat, Haneberg (cf. *Selbst,* Handbuch 905) idem suspicatos esse. — Quid Ezechiel ad munus propheticum vocatus per ca 22 annos peregerit, in libro prophetiarum eius legimus quem etiam protestantes genuinum agnoscunt (cf. *Cornill,* Einleitung 195 sqq; *Strack,* Einleitung 102 sqq).

Prophetia Ezechielis, יְחֶזְקֵאל, *Ἰεζεκιήλ,* comminationes et consolationes continet, 48 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—32, 32) comminationes enuntiantur. Huic parti Ezechiel introductionem (1, 1—3, 21) praemittit, in qua visionem quattuor animalium et rotarum atque hominis in throno sedentis (1, 1—28) necnon missionem et instructionem suam (2, 1—3, 21) narrat. Quo facto litteris mandat 1. comminationes contra Israel (3, 22—24, 27). a) Poena populi, et quidem *α)* urbis Ierusalem: praenuntiatur symbolis lateris descripti (3, 22—4, 3), prophetae dormientis (4, 4—8), cibum foedum comedentis (4, 9—17),

pilos radentis et dividentis (5, 1—4); praenuntiatur verbis declarantibus (5, 5—17). *β)* Totius terrae: propter idololatriam terra erit deserta (6, 1—14), vastatio est inevitabilis propter iniquitatem (7, 1—27). — b) Culpa populi. *α)* Ostenditur prophetae qui in spiritu in Ierusalem ductus (8, 1—4) ibi idolum Zeli (8, 5 sq), picturas adoratas (8, 7—13), Adonidem (8, 14 sq), solem adoratum (8, 16), ramum applicatum (8, 17 sq) conspexit. *β)* Punitur a Deo: non signati *thau* caeduntur (9, 1—11), super civitatem ignis effunditur (10, 1—7), gloria Domini e limine templi egreditur (10, 8—22), principibus gladius prophetatur (11, 1—21), gloria Domini de civitate egreditur (11, 22—25). — *c)* Causae impaenitentiae. *α)* Animus exasperans: praedicitur symbolo et verbis captivitas ac maeror oppugnatorum (12, 1—20) populo non credenti (12, 21—28). *β)* Falsi prophetae: mendaces prophetae salute excludentur (13, 1—16), mentientes prophetissae confundentur (13, 17—23). *γ)* Immunditia idololatriae: contaminati disperdentur (14, 1—11), terra praevaricans iuste punietur (14, 12—23). *δ)* Vana confidentia: confidunt dignitati suae quam maculaverunt (15, 1—8), nam filia Deo copulata et ornata (16, 1—14) cum alienis fornicata est (16, 15—34), idcirco graviter punietur sed iterum suscipietur (16, 35—63); confidunt Aegyptiis qui eos non salvabunt (17, 1—24). *ε)* Ignoratio iustitiae Dei: homo iudicatur iuxta facta propria (18, 1—20) eaque ultima vitae suae (18, 21—29), ideo paenitentia agenda est (18, 30—32); leaena (19, 1—9) et vinea (19, 10—14) planguntur. — d) Finis castigationis. *α)* Purgatio Israel: filii Israel in Aegypto abominabiles (20, 1—9), in deserto inoboedientes (20, 10—26), in terra sancta polluti (20, 27—31) purgabuntur ac Deo placebunt (20, 32—44); saltus succensus vel gladius exacutus et limatus (20, 45—21, 17) id est rex Babylonis urbem Ierusalem regemque eius et filios Ammon caedens (21, 18—32) cives variis sceleribus pollutos ut scoriam pessimam conflabit (22, 1—31). *β)* Castigatio Israel: Ierusalem propter fornicationem punietur (23, 1—21) et propter idololatriam gentibus tradetur (23, 22—49); olla effervescente (24, 1—14) et morte uxoris prophetae (24, 15—24) poena monstratur (24, 25—27). — 2. Contra gentes (25, 1—32, 32). a) Contra proximas id est *α)* contra Ammon: orientalibus tradetur (25, 1—7); *β)* contra Moab et Seir: iudicabuntur (25, 8—11); *γ)* contra Idumaeam: desolabitur (25, 12—14); *δ)* contra Palaestinos: interficientur (25, 15—17). — b) Contra Tyrum et Sidonem. *α)* Contra Tyrum: urbs vastabitur cunctis stupentibus

(26, 1—21) cuius ruina magna a propheta defletur (27, 1—36); rex gloriosus interibit (28, 1—10) et a propheta plangitur (28, 11—19). *β)* Contra Sidonem: offendiculum Israelis tolletur (28, 20—26). — c) Contra Aegyptum. *α)* Contra terram: tradetur a Deo (29, 1 ad 16) regi Nabuchodonosor (29, 17—21) et quidem mox (30, 1—19) cuius habitatores in nationes dispergentur (30, 20—26). *β)* Contra Pharaonem: cedrus sublimata succidetur omnibus stupentibus (31, 1 ad 18), deploratur Pharao (32, 1—16) descendens in lacum (32, 17—32).

In 2 parte (33, 1—48, 35) consolationes proferuntur. Huic quoque parti Ezechiel introductionem (33, 1—33) praemittit, in qua exponit quomodo a Deo missus et instructus sit (33, 1—20) et quomodo relictos arguerit (33, 21—29) captivosque monuerit (33, 30—33). Quibus dictis prophetat 1. resurrectionem populi (34, 1—39, 29). a) Victoria Israelis *α)* verbis docetur: malis pastoribus amotis Deus ipse oves pascet et principem pacis suscitabit (34, 1—31), Seir inimicus desolabitur (35, 1—15), montes Israel habitabuntur (36, 1—15) a gregibus hominum reductis et mundatis et ad Deum conversis (36, 16—32) propter gloriam Dei (36, 33—38). *β)* Symbolis monstratur: ossium aridorum (37, 1—14) et lignorum amborum (37, 15—28). — b) Clades hostium, et quidem *α)* bellum infelix: plurimi convenient (38, 1—16) sed caedentur (38, 17—23). *β)* Strages magna: vastatores Gog et Magog immolabuntur (39, 1—20) ad gloriam Dei (39, 21—29). — 2. Vitam novam populi (40, 1—48, 35). Describitur a) templum novum et quidem *α)* mensura (40, 1—4) atrii exterioris (40, 5—27) et interioris (40, 28—47), domus ipsius (40, 48—41, 15), supellectilis (41, 16—26), ceterorum aedificiorum (42, 1—14), totius sanctuarii (42, 15—20). *β)* Dedicatio eius: gloria Domini templum ingreditur (43, 1—12), altare holocaustorum expiabitur (43, 13—27). — b) Leges novae. *α)* De ingredientibus: principe (44, 1—3), incircumcisis (44, 4—9), Levitis errore maculatis (44, 10—14), filiis Sadoc (44, 15—31). *β)* De sacrificiis: primitiis terrae (45, 1—8), primitiis fructuum (45, 9—17), sacrificiis festorum (45, 18—25), sacrificiis sabbati et kalendarum (46, 1—12), sacrificiis cotidianis (46, 13—15); de hereditate principis (46, 16—18), de culinis victimarum (46, 19—24). — c) Possessio nova. *α)* Fons omnia sanans: de templo aquae egrediuntur (47, 1—12). *β)* Terra promissa: termini eius (47, 13—20), distributio partium septem tribuum (47, 21—48, 7), distributio primitiarum (48, 8—22), distributio partium quinque tribuum (48, 23—29), portae civitatis (48, 30—35).

d) Anno 18 regni sui, ergo post destructionem Ierusalem (videas Dn 3, 38 et LXX ad 3, 1; *Meinhold,* Daniel 275; *Knabenbauer,* Daniel 101 sq) Nabuchodonosor fecit *statuam auream* 60 cubitos = ca 30 *m* altam et 6 cubitos = ca 3 *m* latam (cf. pag. 181) statuitque eam *in campo Dura provinciae Babylonis.* Quod Selbst (Handbuch 919) censet Nabuchodonosor statuam principalis dei Babylonis scilicet *Marduk-Bel* (Fig. 66) erexisse, valde probabile apparet, si ad tempus respicimus quo id accidit: victoria enim a Iudaeis reportata deo principali Babyloniorum gratiae referendae erant. Statuas tam ingentes apud antiquos in usu fuisse nunc omnes concedunt



Fig. 66. Marduk-Bel cum dracone pugnans. Caelatura ex Nimrud.
(Londini, Mus. Brit.)

(cf. *Behrmann,* Daniel 18; *Knabenbauer,* Daniel 103; *Marti,* Daniel 18) simulque notant textum non postulare ut statuam auro solidam dicamus (cf. pag. 156, notam). Campus Dura etiam in cuneatis inscriptionibus commemoratur; ubi autem fuerit, accurate determinari nequit (*Knabenbauer,* Daniel 103 sq; *Marti,* Daniel 18): Kaulen (Einleitung II 219) cum Oppert putat eum infra muros civitatis fuisse (cf. Tab. I, chartam minorem). Ad dedicationem statuae Nabuchodonosor varios administratores provinciarum congregavit mandans ut omnes ad sonitum instrumentorum musicorum statuam adorarent, secus autem in fornacem ignis inicerentur. Reliquis administratoribus statuam adorantibus Sidrach, Misach, Abdenago non

adorarunt ideoque in fornacem missi sed a Deo in flammis illaesi servati sunt. Quam ob rem Nabuchodonosor obstupescens eos egredi iussit et in provincia promovit (Dn 3, 1—97).

Daniel in hac narratione non commemoratur, quia administrationem provinciae Babylonis sociis suis concrediderat (pag. 306), ergo ipse ad convocatos administratores non pertinebat (*Meinhold,* Daniel 273; *Knabenbauer,* Daniel 109). — Conservationem sociorum Danielis sine miraculo impossibilem esse patet. Propterea omnes illi qui miracula negant (pag. 8), etiam conservationem illam miraculosam negare debent (cf. *Hitzig,* Daniel 41). Cum autem miracula reapse possibilia sint (pag. 8), conservatio miraculosa quoque possibilis est; et quia ea quae hagiographi proprio nomine loquentes narrant, falsa esse nequeunt (pag. 9 sqq), ista conservatio vera sit oportet.

e) Daniel aliud quoque somnium regi interpretatus est, quam interpretationem eventus probavit. Nabuchodonosor enim in somnis vidit arborem pulcherrimam et robustam, usque ad caelum pertingentem ramosque usque ad terminos terrae extendentem, in cuius umbra bestiae agri ac volucres caeli commorabantur et cibos inveniebant. Postea vidit angelum de caelo descendentem qui fortiter clamavit: „Succidite arborem, et praecidite ramos eius: excutite folia eius, et dispergite fructus eius: fugiant bestiae, quae subter eam sunt, et volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite, et alligetur vinculo ferreo et aereo in herbis, quae foris sunt, et rore caeli tingatur, et cum feris pars eius in herba terrae. Cor eius ab humano commutetur, et cor ferae detur ei: et septem tempora mutentur super eum . . . donec cognoscant viventes quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; et cuicumque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum“ (Dn 4, 11—14). Reliqui sapientes Chaldaei hoc somnium interpretari nequibant, Daniel vero a Deo illustratus singulas somnii partes regi exposuit dicens arborem magnam significare Nabuchodonosorem magnum et potentem effectum; quod arbor succisa et ligata et rore caeli perfusa fuerit indicare regem ab hominibus eiectum et mente captum iri atque cum bestiis habitaturum et manducaturum esse, donec Excelsum humiliter dominatorem agnoverit; quod autem germen radicum arboris relictum sit nuntiare regnum Nabuchodonosori manere. Huic interpretationi Daniel praemisit illa *Domine mi, somnium his, qui te oderunt, et interpretatio eius hostibus tuis sit* (Dn 4, 16) atque adiunxit celebre dictum: *Quam ob rem rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis* (Dn 4, 24). Nabuchodonosor tamen

in superbia sua permansit et post annum (Dn 4, 26) de tecto palatii Babylonem conspiciens elatus interrogavit: „Nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum regni, in robore fortitudinis meae, et in gloria decoris mei?“ (Dn 4, 27.) Et statim de caelo ei responsum est poenam praenuntiatam nunc infligendam esse; eratque rex cum bestiis *donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues eius quasi avium* (Dn 4, 30.) Denique septem temporibus completis Nabuchodonosor iterum mentis compos factus Excelsum dominatorem agnovit et ad honorem regni pervenit atque cunctis populis suis hanc historiam decreto promulgavit regem caeli magnificans et glorificans qui *gradientes in superbia potest humiliare* (Dn 3, 98—4, 34).

Hitzig (Daniel 56) contra antiquiores nonnullos recte notat verba textus nequaquam enuntiare regem in animal e. g. bovem transmutatum esse sed in insaniam incidisse et quidem in lycanthropiam. Etiam Knabenbauer (Daniel 133) asserit: „Morbi genus quo rex correptus est 4, 22 30 est insania zoanthropica quae vocari solet vel lycanthropia aut potius boanthropia. Constat enim et veterum testimoniis et recentiorum medicorum experientia fieri quandoque, ut homines eo insaniae ac mentis perturbationis genere corripiantur quo sibi videantur mutati esse in aliquam bestiam, ita ut lupi, canis, felis aliarumque bestiarum voces modosque se gerendi imitentur . . . vide eius rei exempla et testimonia apud *Friedreich,* Zur Bibel, 1848, I 315 . . . *Pusey,* Daniel the Prophet, Lecture 7.“ Similiter Marti (Daniel 29), Meinhold (Daniel 285), itaque iam S. Ephrem, S. Hieronymus, Calmetus, Maldonatus, Lapide aliique antiquiores sentiebant. — Quamdiu Nabuchodonosor amens fuerit, non est certum. Plures putarunt *septem tempora* significare septem annos, quae tamen opinio demonstrari nequit (*Meinhold,* Daniel 282); alii septem menses intellexerunt (cf. *Hitzig*, Daniel 65): haec sententia probabilior fuerit, quia cum iis magis congruit quae infra dicentur. — Tempore lycanthropiae rex „in hortis et silvis“ commorabatur quibus palatium circumdatum erat (*Knabenbauer,* Daniel 134). Eum ob saevitiam ferarum vinculis ferreis et aereis ligari debuisse possibile est; quia tamen plura verba textus (Dn 4, 11—13) sensu improprio intellegenda sunt, etiam vincula ferrea et aerea cum Meinhold (Daniel 282) metaphorice accipimus et amentiam interpretamur qua Nabuchodonosor captus erat. — Illud *foenum* seu herbam *ut bos comedit* nihil improbabile continet. Nam ex una parte „homines eo morbi genere correptos bestiarum escas devorare experientia comprobatum est“ (*Knabenbauer,* Daniel 144, citans Friedreich et Roesch) atque ex altera parte עֵשֶׂב illas quoque herbas significat quibus homines vesci ac sustentari possunt (Comment. in Genesim 22). Humanos capillos neque purgatos neque ordinatos pennis hirsutis aquilarum et ungues amentium nonnumquam uncis avium similes evadere, experientia testatur (cf. *Knabenbauer,* Daniel 154 sq; *Marti,* Daniel 33; *Meinhold,* Daniel 285). — Interrogatio ista rhetorica regis in tecto palatii deambulantis optime congruit cum inscriptionibus cuneatis in quibus Nabuchodonosor publica sua opera seu aedificia celebrat quae hostibus devictis exstruxit; ex quibus colligamus regem circa finem vitae suae in vesaniam incidisse (cf. *Meinhold,* Daniel 284). — Sed hic difficultas movetur (*Marti,* Daniel 25)

quod in documentis profanis de hoc morbo Nabuchodonosoris nihil inveniatur, licet rex somnium eiusque interpretationem ac impletionem populis suis decreto promulgasse scribatur. Respondemus primo: ex eo quod in documentis hucusque repertis insania Nabuchodonosoris non notatur, minime sequitur morbum regis in documentis absolute taceri. Sargon (Is 20, 1 commemoratus) usque ad 1843 p. Chr. in documentis profanis non inveniebatur ideoque a pluribus negabatur, nunc autem ad notissimos Assyriae reges pertinet (pag. 251) atque manifestat quam fallaces sint conclusiones ex silentio documentorum hucusque repertorum deductae. Secundo: Iosephus (Contra Apionem 1, 20) ex Beroso sacerdote Babylonio saec. III a. Chr. de fine Nabuchodonosor haec affert: ἐμπεσὼν εἰς ἀρρωστίαν μετηλλάξατο τὸν βίον. Cum Berosus non determinet in qualem morbum rex inciderit, verba eius vesaniam indicare possunt; quod Nabuchodonosor iterum mentis compos factus sit ac decretum promulgaverit, in testimonio Berosi non excluditur. Berosus utique etiam de Nabopolassar, patre regis Nabuchodonosor, scribit: τῷ δὲ πατρὶ αὐτοῦ συνέβη . . . ἀρρωστήσαντι μεταλλάξαι τὸν βίον, sed quid inde sequitur? sequitur ambo morbo correptos esse, non sequitur ambo eodem morbo laborasse. Aliud argumentum a Knabenbauer (Daniel 136) ex Oppert allatum omittimus, quia sensus inscriptionis incertus est (cf. *Marti*, Daniel 25 sq). Tertio: si quis probare posset amentiam regis Nabuchodonosor in monumentis profanis positive excludi, cum Ieremias (Das Alte Testament 595) dicere possemus hagiographum de Nabonid, reapse in Temâ captivo detento, loqui, librarium autem quendam nomen notissimi Nabuchodonosor substituisse (cf. pag. 281). Huic sententiae favere videtur quod Daniel statim (5, 1) ad Baltassar imperii collegam patris Nabonid transit. At quamdiu non positive probatum est nomen Nabuchodonosor a librario substitutum regemque istum numquam insania infectum esse, textui tradito inhaeremus.

f) Evilmerodach regi Nabuchodonosor succedens (pag. 293) anno quo regnare coeperat, Ioachin regem Iuda e carcere eduxit, vestes eius mutavit, ceteris regibus qui in Babylonia erant praetulit, convivam suum cotidianum fecit et pro familia eius annonam constituit; in quo honore Ioachin usque ad mortem suam permansit (4 Rg 25, 27—30; Ir 52, 31—34; cf. *Klostermann,* Könige 491 sq).

g) Rex ultimus Babylonius *Baltassar,* בֵּלְשַׁאצַּר, mille optimatibus suis convivium grande fecit, bibebantque ipse et optimates necnon reginae et concubinae eius ex vasis aureis et argenteis a Nabuchodonosor Babylonem transportatis atque laudabant *deos suos aureos, et argenteos, aereos, ferreos ligneosque et lapideos* (Dn 5, 1—4; cf. pag. 290). Eadem hora apparuerunt digiti manus humanae et scribebant in superficie seu calce parietis contra candelabrum sitae, ubi articuli manus et formatae litterae a rege bene videri poterant. Baltassar terrore nimio perterritus sapientes Chaldaeos ingredi iussit atque illi qui scripturam legere et interpretari posset tertium locum in regno suo promisit. At nemo Chaldaeorum scripturam ne legere quidem potuit, quare rex et optimates magis conturbabantur. Tunc regina mater aulam ingrediens filio consuluit, ut Da-

nielem a Nabuchodonosor principem Chaldaeorum constitutum vocaret. Daniel igitur introductus regi historiam insaniae Nabuchodonosor patris eius breviter referens ac profanationem vasorum templi libere obiurgans litteras super calcem parietis descriptas legit et interpretatus est (Dn 5, 5—24). Erat autem scriptum (Dn 5, 25): *MANE,* מְנֵא מְנֵא (participium passivum ab aram. מְנָה) i. e. numeratus numeratus, *THECEL,* תְּקֵל (= תְּקִיל, participium passivum ab aram. תְּקַל) i. e. ponderatus, *PHARES,* פַּרְסִין (pluralis participii activi ab aram. פְּרַס) i. e. dividentes (cf. *Gesenius,* Thesaurus; *Kautzsch,* Grammatik des Biblisch-Aramäischen 53 sq). Quam scripturam Daniel (5, 26—28) sic explicavit: *MANE: numeravit,* מְנָה, *Deus regnum tuum,* i. e. annos imperii tui (*Gesenius,* Thesaurus 797), *et complevit illud* i. e. ei finem fecit (etenim מְנֵא bis in v. 25 ponitur: numeratum est, numeratum est = finitum; cf. *Meinhold,* Daniel 290). *THECEL: appensus es,* תְּקַלְתָּא, *in statera, et inventus es minus habens* (a manu non תְּקִיל scriptum est sed תְּקֵל, ut ad תְּקַל a קָלַל *levis fuit* alluderetur; cf. *Meinhold,* Daniel 290; *Knabenbauer,* Daniel 168). *PHARES: divisum est,* פְּרֵס פְּרִיסַת, *regnum tuum, et datum est Medis, et Persis* (ut ad Persas alluderetur, a manu scriptum est פַּרְסִין vel פָּרֵס non פְּרִיס; cf. *Gesenius,* Thesaurus 1128; *Meinhold,* Daniel 290; *Knabenbauer,* Daniel 167 sq). Tunc Daniel a rege purpura et torque aurea ornatus est, *et praedicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno.* Eadem nocte Baltassar interfectus est (Dn 5, 1—30).

Buhl (Handwörterbuch), Marti (Daniel 40 sq) cum aliis ibi citatis מְנֵא minam, תְּקֵל sekel, פָּרֵס minam dimidiam intellegunt. „At prior explicatio, recte monet Knabenbauer (Daniel 168), etsi formae duarum vocum grammaticali non adeo congruit, tamen multo propius ad Danielis interpretationem accedere videtur", ab antiquis interpretibus necnon a doctissimis grammaticis et lexicographis etiam recentioribus proposita est. — Baltassar seu Bēl-šar-uṣur rex ultimus Babyloniae signatur (Dn 5, 30 sq; cf. 7, 1; 8, 1; 9, 1) simulque filius Nabuchodonosor nominatur (Dn 5, 11 18 22): utrumque historiae contrarium est, asserunt sine ulla distinctione Marti (Daniel 35) et alii. Concedimus post Nabuchodonosor in Babylonia Evil-merodach, Neriglissar, Labaši-Marduk, Nabonid regnasse (pag. 293); concedimus hunc Baltassar (cf. pag. 298) filium Nabonid fuisse (pag. 313): simul tamen affirmamus textum Danielis historiae non contradicere. Etenim si Baltassar, filius Nabonid, appellatur filius Nabuchodonosor, „prius adverti debet apud Assyrios eodem modo quo quandoque in s. litteris vocari patrem regem quendam antecessorem; ita in inscriptionibus Iehu vocatur filius Omri, cum tamen Iehu solum fuerit successor regum ex domo Omri; similiter Merodach Baladan appellatur filius Iakin; . . . alia exempla pro ea re affert *Schrader,* Keilinschriften und Geschichtsforschung 207. Minime autem est cur negemus eandem appellationem etiam apud Babylonios fuisse in usu positam; instituta enim, mores, usus apud utrumque populum fere eadem exstitisse satis constat. . . . Valde probabile quoque

efficitur uxorem Nabonidi unam fuisse ex filiabus Nabuchodonosor. Si tali coniugio Nabonidus erat honoratus, etiam facile explicatur, cur a coniuratis ei honor regni et throni sit collatus. Quare non est improbabile Baltassar fuisse filium natum ex filia regis Nabuchodonosor; unde appellatio illa sua sponte derivatur" (*Knabenbauer*, Daniel 158). Recte quoque ultimus rex Babylonius nominatur, quia iuxta documenta Babylonia imperii socius patris sui Nabonid et dux exercitus Babylonii erat (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 78). Ex quo facto clarescit, quare Baltassar sapienti Chaldaeorum scripturam legenti et interpretanti tertium locum in regno promiserit. Regem Baltassar in Babylonia interfectum esse mutilato documento Babylonio confirmari videtur (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 78). — De fine regni Babyloniorum Knabenbauer (Daniel 169) ex Brunengo, Hommel aliisque haec affert: „Nabonidus enim proelio a Cyro victus sese cum paucis receperat Borsippam (Birs Nimrud); filius eius cum magna exercitus parte urbem Babylonem ingressus erat. Eius pugnae et fugae Nabonidi et veteres, Berossus et Herodotus, et ipsa illa inscriptio cui nomen est annales Nabonidi mentionem faciunt.... Quae veteres de obsidione urbis, de Euphrate flumine diducto, de ingressu Medorum et Persarum in urbem clam, dum Babylonii conviviis et luxuriei vacarent, concorditer narrant, collocanda erunt inter mensem iulium et octobrem. Ea igitur nocte qua per fluvium diductum et imminutum ingressi sunt milites in urbem obsessam et suis munitionibus nimis confisam, interfectus est Baltassar." Videas Tab. I, chartam minorem idque recorderis quod pag. 57 dictum est, scilicet in inscriptionibus Borsippam a Babel distingui. — Quod Daniel tertius in regno praedicatus sit, nullam involvit difficultatem, cum haec promulgatio in aula regia fieri potuerit (*Meinhold,* Daniel 290).

h) *Et Darius Medus successit in regnum* vel potius accepit regnum (textus Aramaeus et Graecus) annos natus *sexaginta duos* (Dn 5, 31). Teste Daniele (5, 30 sq; 6, 28; 7, 1; 8, 1; 9, 1; 10, 1) inter Baltassar Babylonium et Cyrum Persam Darius filius *Assueri de semine Medorum imperavit super regnum Chaldaeorum* (Dn 9, 1). Cyrus, כּוֹרֶשׁ, pers. *Kûruš,* babyl. *Kuraš* (*Buhl,* Handwörterbuch) natione Persa, princeps partis Aelam (Tab. I) nomine Anzan, prius totam Aelam cum Susa vel Susis occupavit, deinde 550 Astyagen regem Medorum (pag. 281) et Ecbatana superavit, denique 539 Nabonid et socium imperii Baltassar reges Babyloniae devicit. Mortuus est 529 (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 113 424 105); sepulcrum eius iuxta Pasargada (Fig. 67, pag. 316; cf. Tab. I) monstratur. Quis est autem iste *Darius Medus* qui occiso Baltassar regnum Chaldaeorum accepit? Ex annalibus Nabonidi Cyrus ducem exercitus nomine Gobryam (Gubaru, Ugbaru) gubernatorem Babyloniae nominavit (cf. *Knabenbauer,* Daniel 175), serius tamen ipse titulum regis Babyloniae assumpsit (cf. *Selbst,* Handbuch 924), quare hunc Gobryam nomine Darii Medi qui regnum Chaldaeorum *accepit* (textus Aramaeus et Graecus) significari putamus.

Quare Gobryas a Daniele *Darius Medus* nominetur, ex documentis hucusque repertis declarari nequit; ergo exspectandum est (cf. pag. 298). — Knabenbauer (Daniel 171) cum multis aliis antiquioribus credit Cyaxarem II filium Astyagis regis Medorum nomine *Darii Medi* designari; Zimmern-Guthe (Bibelwörterbuch) cum Winckler censent Cambysem filium Cyri intellegendum esse, qua sententia adoptata numerus annorum corruptus dici debet. Videas varias sententias apud Knabenbauer (Daniel 170 sqq). — Marti (Daniel 42) „omne historicum fundamentum" negans certo nimium asserit, quia ex documentis Babyloniis constat Cyrum non statim titulum regis Babyloniae sibi imposuisse sed administrationem terrae alii commisisse.

Darius igitur regno 120 satrapas praeposuit, qui tribus principibus, inter quos Daniel erat, rationem reddere debuerunt. Cum Daniel sapientia reliquos longe superaret, Darius eum totius regni praepositum constituere volebat, quare ceteri principes et satrapae interitum eius moliebantur. Nullam tamen causam invenientes regi suggesserunt ut decreto prohiberet quominus ullus infra mensem ad alium deum oraret quam ad ipsum Darium, secus autem in lacum leonum iniceretur. Nihilominus Daniel, uti speraverant, ad Deum Israel orabat ideoque iuxta rigorem iuris Medo-Persici in lacum leonum mitti debuit, in quo ab angelo Domini illaesus servatus est. Darius haec videns Danielem educi, adversarios eius inici, Deum Israel mirabilia operantem in tota terra honorari iussit (Dn 5, 31—6, 28).



Fig. 67. Sepulcrum Cyri iuxta Pasargada.

Inspiratum scriptorem miraculum (pag. 102 sq) narrare verba textus significant. Qui possibilitatem miraculorum negant (pag. 8), hagiographum narrationem quandam popularem litteris mandasse contendunt. At contextus nullum relinquit dubium, quin hagiographus suam, non aliorum sententiam proferat, ergo vera narret et non fabulosa (pag. 9 sqq). — Ea quae Hitzig (Daniel 87 sqq) praeter characterem miraculosum contra veritatem narrationis congessit, ab ipsis Behrmann (Daniel 38 sqq), Marti (Daniel 43 sqq), Meinhold (Daniel 292) ut obiectiones nullius pretii iudicantur et hic omitti possunt.

i) Daniel a Cyro quoque valde honorabatur atque ipso permittente Bel-Marduk et templum eius destruxit (Dn 14, 1—21),

draconem seu serpentem magnum a Babyloniis cultum interfecit (Dn 14, 22—26), a rebellantibus autem Babyloniis in lacum leonum missus sed a Deo incolumis servatus et per prophetam Habacuc ab angelo ex Iudaea adductum cibos necessarios accepit. Die septimo rex Danielem viventem repertum e lacu educi, inimicos eius inici, Deum Danielis mirabilia facientem in terra honorari iussit (Dn 14, 27—42). Etiam hae partes libri Danielis (cf. litt. k) secundum Trid. et Vatic. (pag. 8) inspiratae sunt; inspiratus autem scriptor proprio nomine narrat, uti contextus monstrat: ergo relata eius vera sint oportet (pag. 9 sqq). Ille qui cum Ecclesia catholica possibilitatem miraculorum admittit (pag. 7 sq), in narratione nihil incredibile inveniet: omnes obiectiones nostra aetate facile dilui possunt.

Quae in cap. 14 narrantur, ob 13, 65 probabiliter Cyro regnante acciderunt: *Et rex Astyages* (cf. pag. 316) *appositus est ad patres suos,* inquit hagiographus, *et suscepit Cyrus Perses regnum eius.* Plura de hoc versu apud Knabenbauer (Daniel 343 sq) habentur; breviter noto Cyrum Astyagi regi Medorum devicto „quandam regnandi regiique splendoris umbram" reliquisse. Quod regnum Babylonium Medis et Persis datum sit hic tacetur, quia iam antea (pag. 314 sq) narratum est. — Daniel a rege *honoratus super omnes amicos eius* dicitur (Dn 14, 1) non solum propter eximiam suam sapientiam, verum etiam propter prophetiam qua victoriam Medorum et Persarum regi Baltassar praedixerat (pag. 314). — Si Daniel συμβιωτής regis Babylonis nominatur, haec vox non *convivam* eius i. e. de mensa regis edentem (quod Daniel iuxta 1, 8 esse nolebat) significat, sed familiarem seu intimum amicum regis (cf. *Passow,* Handwörterbuch 1621). — *Rex quoque colebat eum (Bel), et ibat per singulos dies adorare eum* (Dn 14, 3). Contra hoc hagiographi assertum aliquando opposuerunt a Cyro Persa solem dumtaxat, non vero idola culta esse; sed nunc ex inscriptionibus cuneatis constat eum etiam idola coluisse (*Kaulen,* Einleitung II 222; *Knabenbauer,* Daniel 346). — Dn 14, 2 hagiographus narrat idolo per dies singulos similae artabas 12 = ca 6 *hl* (*Kortleitner,* Archaeologia 262; *Zöckler,* Apokryphen 220), oves 40, vini amphoras 6 = ca 2 *hl* (*Kortleitner* l. c.; *Zöckler* l. c.) appositas fuisse quas res 70 sacerdotes Bel (cf. pag. 229) cum familiis suis comedebant, Cyrum vero credidisse ista omnia a Bel consumi. Hanc narrationem multi deridebant; sed Kaulen (Einleitung II 222) recte notat talem fidem Cyri bene cum iis congruere quae gentes de diis suis opinabantur. Gentes deos suos instar hominum comedentes et bibentes etc. imaginabantur. — Daniel (14, 21) Bel et templum eius subvertisse scribitur; at istud templum testibus Herodoto (1, 181), Strabone 16, 1 18), Arriano (Exp. Alex. 7, 17) post mortem Cyri adhuc exsistebat. Sed cum Herodoto duplex templum distinguere debemus: ἱερόν i. e. turrim 8 tabulatorum et ναόν i. e. sacrarium minus iuxta turrim erectum in quo aureum Belis simulacrum collocatum erat; minus hoc sacrarium cum simulacro Daniel subvertit, quod postea iterum aedificatum est (cf. *Kaulen,* Einleitung II 223). — Secundum Dn 14, 22 sq Babylonii et ipse Cyrus draconem magnum ut deum colebant, quod plures protestantes falsum dixerunt. Sed Schrader (*Riehm,* Handwörterbuch 288) asserit istum cultum ab aliquibus sine ulla ratione addubitari; serpentis imago in sigillis Baby-

loniis saepe occurrit eratque insigne praecipuum dei Ea (*Knabenbauer*, Daniel 350; cf pag. 5. Fig. 2). Draconem fuisse monstrum Zöckler (Apokryphen 215) quidem asserit, at scriptor inspiratus nulla voce indicat: δράκων, *draco* generatim quemlibet serpentem maiorem significat (*Passow*, Handwörterbuch; *Georges*, Ausführliches Handwörterbuch); hagiographum non de fabuloso sed vero dracone loqui contextus ostendit. De interitu draconis (Dn 14, 26) Knabenbauer (Daniel 351) scribit: „Cum serpenti non sit gustatus, avide devoravit cibos oblatos, qui cum concoqui non possent sed firmiter haererent in viis gutturis ventrisque, animal interficiebant." — Ad Dn 14, 27 sqq cum Kaulen (Einleitung II 223) notamus Babylonios testantibus documentis profanis ad rebellandum generatim pronos fuisse: ergo non est mirandum quod serpente interfecto et Belo deo principali destructo contra regem haec omnia permittentem rebellaverint. — Conservatio Danielis in medio leonum utique miraculum est (cf. pag. 7 sq). — De translatione duplici prophetae Habacuc (Dn 14, 34—38) quam antiquiores ac recentiores deridebant, consulto ex Knabenbauer (Daniel 353) haec citamus: „A rationalistis rideri miracula non est quod miremur: at ab iis protestantibus qui libros protocanonicos nobis esse divinitus datos asserant, talem proponi sententiam non videbatur exspectandum. Si enim haec translatio adeo est ridicula et absurda, quomodo contra rationalistas eas defendent et vindicabunt quae in libris protocanonicis referuntur?... Elias a terra transfertur... ipse Christus assumitur a diabolo in sanctam civitatem e deserto et statuitur super pinnaculum templi et iterum assumitur in montem excelsum valde (Mt 4, 5 8; Le 4, 5 9), et cum Philippus baptizasset eunuchum..., eum rapuit Spiritus Domini, et amplius non vidit eum eunuchus; Philippus autem inventus est in Azoto (Act 8, 39 sq). Quicumque igitur his fidem adhibet, quia sacros libros divinitus inspiratos credit, qua fronte is hanc de Habacuc narrationem contemnet?" Idem recte putat prophetam non sexto die sed iam ab initio Danieli istos cibos attulisse quos pro messoribus paraverat, ita ut Daniel cibos pro diebus pluribus sufficientes haberet. Propheta Habacuc hic commemoratus probabilius non est idem ac propheta Habacuc qui librum scripsit, quia intervallum inter duo facta nimis longum est (cf. pag. 277; *Kaulen*, Einleitung II 223; *Knabenbauer*, Daniel 353).

Zöckler (Apokryphen 215 221) asserit narrationes Belum et draconem concernentes esse nugatorias, phantasticas, ineptas (läppisch, phantastisch, sinnlos), sed opinionem suam non demonstrat. Qui ea perlegerit quae cum Kaulen et Knabenbauer supra exposuimus, iudicium Zöckleri falsum inveniet. Videas etiam Cornely (Introductio II 2, 509 sqq), Haneberg (Geschichte 401 sq), Riessler (Das Buch Daniel, Wien 1902, 123 sq), Zschokke (Historia 290).

k) Historiam et visiones suas Daniel in libro conscripto memoriae prodidit.

a) **Prophetia Danielis**, דָּנִיֵּאל, *Δανιήλ*, historiam et visiones Danielis refert, 14 capitibus constat et in duas partes dividitur, quibus appendix adiungitur.

In 1 parte (1, 1—6, 28) historia Danielis narratur. 1. Vita privata (1, 1—21). In Babylonem ductus (1, 1 sq) cum sociis

instruitur (1, 3—7) et propter abstinentiam ciborum (1, 8—16) a Deo intellegentia visionum donatur (1, 17—21). — 2. Vita publica (2, 1—6, 28). a) Somnium statuae quod Nabuchodonosor somniaverat sed oblitus erat, et Chaldaei indicare non poterant (2, 1—13), Daniel a Deo edoctus (2, 14—24) regi narravit (2, 25—36ª) atque interpretatus est (2, 36ᵇ—45) ideoque cum sociis a Nabuchodonosor elevatus est (2, 46—49). b) Socii Danielis in fornace servantur. *α)* Socii in Deum pii: omnibus statuam a Nabuchodonosor erectam adorantibus (3, 1—7) ipsi eam non adorant (3, 8—18) et idcirco in fornacem mittuntur (3, 19—23). *β)* A Deo servantur: Azarias Domino confitetur (3, 24—45), angelus flammam excutit (3, 46—50), tres illaesi Domino benedicunt (3, 51—90). *γ)* A rege Deum laudante promoventur (3, 91—97). c) Nabuchodonosor cum bestiis commoratur: ipse narrat (3, 98—100) somnium obscurum arboris excelsae a Daniele explicatum (4, 1—24) atque in se impletum (4, 25—33) glorificans Deum (4, 34). d) Baltassar regno privatur: convivantibus (5, 1—4) apparentem scripturam ignotam (5, 5—12) Daniel legit et interpretatur (5, 13—29), rex occiditur (5, 30). e) Daniel in lacu leonum: ab invidentibus satrapis (5, 31—6, 9) dolose ad lacum damnatus (6, 10—18) illaesus educitur (6, 19—24) Dario Medo Deum honorante (6, 25—28).

In 2 parte (7, 1—12, 13) visiones Danielis referuntur. a) Anno 1 regis Baltassar: bestiae et filius hominis describuntur (7, 1—14) ac regna declarantur (7, 15—28). b) Anno 3 regis Baltassar: aries et hircus describuntur (8, 1—14) ac reges declarantur (8, 15 ad 27). c) Anno 1 regis Darii Medi: septuaginta hebdomades Danieli oranti indicantur (9, 1—27). d) Anno 3 regis Cyri Danieli bella futura revelata sunt. *α)* Introductio: Danielem ieiunantem (10, 1—4) Gabriel apparens docet (10, 5—11) de controversia angelorum a Michaele composita (10, 12—11, 1). *β)* Bella ipsa: Persidis et Graeciae (11, 2—4), Aegypti et Syriae generatim (11, 5—20), Antiochi Epiphanis speciatim (11, 21—35), Antichristi (11, 36—45) quem Michael vincet (12, 1—3). *γ)* Conclusio: liber usque ad tempus praefinitum signandus est (12, 4—13). — In appendice narratur liberatio Susannae (13, 1—65), eversio Bel (14, 1—21), occisio draconis (14, 22—26), conservatio Danielis (14, 27—42).

β) Liber Danielis, prout nunc exstat, triplici lingua conscriptus est: 1, 1—2, 4ª; 8, 1—12, 13 Hebraice; 2, 4ᵇ—3, 23; 3, 91—7,28 Aramaice; 3, 24—90; 13, 1—14, 42 Graece. Textus originalis

(Hebraicus vel Aramaicus) illarum partium, quae nunc Graece tantum prostant, saec. II p. Chr. aderat, quia Symmachus et Theodotion iuxta illum versiones suas confecerunt (*Kaulen*, Einleitung II 227).

γ) Partes Hebraice et Aramaice scriptae Danielem ipsum habent auctorem. Hanc sententiam argumenta varia confirmant ex quibus praecipua tantum afferimus; qui plura desiderat, revolvat Kaulen (Einleitung II 223 sqq) et Cornely (Introductio II 2, 486 sqq) hanc sententiam diffuse tractantes ac defendentes.

1. argumentum est constans et unanimis traditio tum Iudaica antiqua tum Christiana qua istae partes Danieli ascribuntur. Antiquos Iudaeos quibus liber destinatus et traditus est, de auctore eius communiter errasse saltem improbabilissimum est. 2. argumentum est auctoritas Christi: *Cum ergo videritis abominationem desolationis*, inquit (Mt 24, 15 sq; cf. Mc 13, 14), *quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes* etc. His verbis Christus explicite Dn 9, 27 vel potius totam prophetiam de 70 hebdomadibus quam celeberrimus ille versus concludit, Danieli tribuit; atqui protestantes quoque concedunt omnes partes Hebraice et Aramaice scriptas eundem habere auctorem: ergo verbis Christi omnes istae partes implicite Danieli tribuuntur. Christus proprio nomine loquitur ac suam profert sententiam, ut verba textus citati ostendunt, quare vera sit oportet: nam Deus nullius omnino erroris auctor esse, nihil falsum proponere neque errorem aliorum approbare potest (videas pag. 12). 3. argumentum est notitia historiae regni Babylonii et Medo-Persici necnon notitia utriusque linguae. Quae auctor de campo Dura, de fine regni Medorum, de occisione regis Baltassar, de rege quodam Babylonio inter Baltassar et Cyrum exsistente, de Cyro Belum et draconem colente litteris consignavit, documentis profanis nunc comprobantur, licet aliquando improbabilia declarata sint (cf. pag. 317). Quod vero auctor librum Hebraice incipiat, Aramaice continuet, Hebraice finiat, demonstrat non solum ipsum sed etiam lectores libri ambas linguas bene calluisse. Talis notitia utriusque linguae talisque notitia historiae regnorum probabile reddit librum tempore exsilii Babylonici compositum esse. 4. argumentum est testimonium ipsius libri. Legimus enim Dn 7, 1: *Daniel somnium vidit . . . et somnium scribens, brevi sermone comprehendit;* Dn 8, 1 26: *visio apparuit mihi. . . . Et visio vespere et mane, quae dicta est,*

vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit; Dn 12, 4 9: *Tu autem Daniel claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. . . . Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad praefinitum tempus.* Secundum hos locos Daniel visiones suas in libro signavit; atqui omnes partes libri Hebraice et Aramaice scriptae eundem auctorem habent (pag. 320): ergo Danielem. 5. argumentum est consensus doctissimorum virorum catholicorum quibus nonnulli acatholici accedunt. Citamus recentiores dumtaxat, catholicos: Cornely, Danko, Fabre d'Envieu, Hebbelynk, Herbst-Welte, Holzammer, Kaulen, Knabenbauer, Pilloud, Rohling, Scholz, Schöpfer, Seisenberger, Selbst, Trochon, Ubaldi, Vigouroux, Zschokke etc.; acatholicos: Fuller, Hengstenberg, Keil, Kranichfeld, Pusey. Tot tantosque viros omnes errasse non verisimile est.

Recentiores protestantes quasi omnes statuunt librum Danielis regnante Antiocho Epiphane et quidem post 168 p. Chr. scriptum esse (*Strack,* Einleitung 161). Sed examinemus rationes quibus sententiam suam confirmare conantur. Brevitatis gratia eas tantum afferam quae apud Strack (Einleitung 159 sqq) congestae habentur; sunt sequentes. Liber Daniel ab Iudaeis non inter prophetas collocatus est. Repono: a recentioribus utique in ultima parte canonis, ab antiquis vero post Ezechielem collocatus est, uti LXX testantur. — In Eccli 49 Daniel non commemoratur. Respondet Cornely (Introductio II 2, 497) in Eccli 49 etiam Esdram et Mardochaeum non nominari, in Ez 14, 14 20; 28, 3 autem Danielem laudari. — Lingua Aramaica est occidentalis, non orientalis. Sed quid inde sequitur? sequitur textum Aramaicum nobis praeiacentem non esse a Daniele, sed textum eius originalem posteriore tempore sermoni Palaestinensi accommodatum fuisse (*Seisenberger,* Einführung 368). — Lingua Hebraica et Aramaica posterioris aetatis notas prae se fert. Huic iudicio iudicium alterius viri docti, scilicet Kaulen (Einleitung II 224) opponimus qui linguam Hebraicam libri Danielis linguae Hebraicae libri Ezechielis omnino similem, linguam autem Aramaicam linguae libri Esdrae antiquiorem invenit. — In libro Danielis ca 15 vocabula Persica occurrunt. At Danielem sapienitssimum iam regnante Cyro 15 vocabula Persica addiscere potuisse quis negaverit? — Sed occurrunt etiam vocabula Graeca. Bene, nam inter Babylonios et Graecos iam ante Nabuchodonosor commercium erat quod Kaulen (Einleitung II 226) ex Strabone, Abydeno, Beroso probat. — In libro Danielis iunior forma nominis Nebucad*n*ezar pro antiquiore Nebucad*r*ezar adhibetur. At forma Nebucad*n*ezar iam Ir 27, 6—29, 3 occurrit. — Forma nominis בֵּלְשַׁאצַּר vel בֵּלְאשַׁצַּר non accurate respondet nomini Babylonio *Bêl-sar-uṣur* = Bel serva regem. Sed Fürst (Handwörterbuch 194) hac discrepantia non offenditur. — Nomen בֵּלְטְשַׁאצַּר respondet Babylonio *Balâṭ-šar-uṣur* = vitam regis serva (*Buhl,* Handwörterbuch), at Dn 4, 5 a nomine dei *Bel* derivatur. Et hanc derivationem etiam Gesenius (Thesaurus 226) proponit. — In libro Danielis nomen *Chaldaeorum* sapientes significat, quae significatio ab usu loquendi Babylonio aliena est. Verumtamen, si hucusque ista significatio in cuneatis inscriptionibus non inventa est, non sequitur eam non exsistere (cf. pag. 298; *Kaulen,* Ein-

leitung II 225). — Baltassar vocatur filius Nabuchodonosor et Darius Medus inter Baltassar et Cyrum rex Babyloniae fuisse asseritur: utrumque cum historia pugnat. At videas quae pag. 314 sq dicta sunt. — Quae de aetate Ptolemaeorum et Seleucidarum scripta sunt, tam accurata inveniuntur ut magis historia quam prophetia videantur. At Deus res futuras quoque accuratissime sciens (Eccli 23, 28; 42, 19; Ps 146, 5) illas hominibus accurate praenuntiare potest (pag. 8). — Quae de resurrectione mortuorum (Dn 12, 2) et de nominibus angelorum (Dn 8, 16; 9, 21; 10, 13 21; 12, 1) traduntur, origini Danielicae non favent. At recte Cornely (Introductio II 2, 497) interrogat: „quomodo adversarii demonstrant illas (doctrinas) non exsilii tempore sed Machabaica dumtaxat aetate proponi potuisse?“ Demonstratum supponunt quod erat demonstrandum. — Hae sunt rationes quarum „pondere“ (*Strack,* Einleitung 161) recentiores protestantes se permoveri profitentur ut antiquam sententiam Porphyrii Neoplatonici a. 304 Romae mortui amplectantur dicentis librum Danielis non „ab ipso cuius inscriptus est nomine esse compositum, sed a quodam qui temporibus Antiochi Epiphanis fuerit in Iudaea, et non tam Danielem ventura dixisse quam illum narrasse praeterita“ (*S. Hieronymus,* Praef. in Danielem). Vera tamen ratio ob quam genuinitatem libri negant, miracula et vaticinia sunt quae in eo continentur (*Kaulen,* Einleitung II 225; *Seisenberger,* Einführung 368). At videas quae pag. 7 sq de miraculis et vaticiniis dicuntur. Talibus rationibus argumenta supra exposita non infirmari iuxta praecepta logica manifestum est.

Etiam illae partes quarum textus originalis non amplius exstat (pag. 319) probabiliter a Daniele scriptae, cum ceteris tamen libri partibus non coniunctae sed separatim vulgatae sunt (*Kaulen,* Einleitung II 227; cf. *Cornely,* Introductio II 2, 499 sqq). Eas nihil continere quod veritati historicae ideoque et origini Danielicae contrarium esset supra (pag. 306 317 sq) breviter ostendimus; diffusiora a Knabenbauer in commentario traduntur.

§ 33. De reditu Iudaeorum.

Ad faciliorem subsequentium intellegentiam seriem regum monarchiae Medo-Persicae praemittimus. Cyrus 550—529, Cambyses 529—521 (Pseudo-Smerdis 522—521), Darius I Hystaspes 521—486, Xerxes 486—465, Artaxerxes I Longimanus 465—424, Darius II Nothos 424—405, Artaxerxes II Mnemon 405—359, Artaxerxes III Ochus 359—338, Arses 338—336, Darius III Codomannus 336—331 (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 508).

1. Cyrus anno 1 regni sui Iudaeis decreto promulgavit Dominum Deum caeli sibi praecepisse ut ei in Ierusalem templum aedificaret (pag. 275). Quo consilio illis qui in Iudaeam ascendere vellent reditum permisit, remanentibus autem stipem conferre iussit (2 Par 36, 22 sq; 1 Esr 1, 1—4).

In utroque loco spiritus Cyri a Domino excitatus notatur ut verbum prophetae Ieremiae (25, 9—12) impleretur, qui praedixerat: *ecce ego mittam,*

et assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: et adducam eos super terram istam, et super habitatores eius ... et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam. Nabuchodonosor 605 a. Chr. regem Aegypti devicit, Syriam et Palaestinam occupavit, Ioakim regem Iuda cum nobilibus et parte vasorum templi in Babyloniam transtulit (pag. 293). Cyrus 539 vel 538 (*Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 105 113) reges Babylonios superavit aliumque regem constituit (pag. 315). Quia hi numeri certi videntur, anni 70 non mathematice accurati sed summatim comprehensi (summa solida seu rotunda) apparent (cf. pag. 86). — Cyrum decretum promulgasse quo testatus est Dominum Deum caeli sibi omnia regna dedisse et aedificationem templi mandasse scriptor inspiratus bis asserit, nimirum 2 Par 36, 22 sq atque 1 Esr 1, 1—3: tale assertum falsum esse nequit (pag. 9 sqq). E contrario Bertholet (Esra 2) et Siegfried (Esra 19) edictum Cyri litteras falsas ab hagiographo ex phantasia haustas dicunt, eo quod lingua Hebraica scriptum atque ideis religiosis Iudaeorum repletum sit. Sed Seisenberger (Esdras 2) bene notat edictum prius lingua Aramaica compositum, deinde vero in varias regni linguas translatum et lingua Hebraica conservatum esse, Danielem vero familiarem Cyri (cf. pag. 317) probabiliter regi prophetias Isaiae (pag. 275) monstrasse, promulgationem edicti suggessisse, ipsumque edictum exarasse: qua sententia admissa illae difficultates evanescunt. Ceterum Esdras neque 1, 2—4 neque 6, 3—5 verba formalia sed sensum decreti adducit. Cyrum praeter Ahuramasda etiam deos aliarum gentium coluisse documenta profana manifestant (pag. 317; cf. *Ryssel,* Esra 6; *Öttli,* Esra 153).

a) Ad ascendendum prompti erant 42360 viri Iudaei cum 7337 servis et ancillis; nobiliores eorum Zorobabel, Iosue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana enumerantur. Praefectum redeuntium Cyrus constituit *principem Iuda* nomine *Sassabasar,* שֵׁשְׁבַּצַּר quod aut *Šin-bal-uṣur* (= Sin serva filium) aut *Šamaš-bal-uṣur* (= Samas serva filium) significat (cf. *Bertholet,* Esra 3; *Buhl,* Handwörterbuch). Huic vasa templi tradidit quae Nabuchodonosor abstulerat (1 Esr 1, 5—2, 70; 5, 14—16). Reditus anno 2 Cyri assignandus videtur, quia promulgatio decreti in variis partibus regni ubi Iudaei habitabant et praeparationes ad proficiscendum adhibendae aliquod temporis spatium requirebant.

Revertentes in terram Iuda relative (cf. pag. 199) pauci fuerunt; ex 24 classibus sacerdotum (cf. pag. 201) 4 dumtaxat redierunt (1 Esr 2, 36 ad 39; 2 Esr 7, 39—42): ex quibus colligere possumus Iudaeos sorte sua contentos fuisse. Remanentes in Babylonia stipem tamen collegerunt, quemadmodum Cyrus imperaverat (1 Esr 1, 6). — Nehemia et Mardochai supra nominati cum Nehemia libri 2 Esdrae et Mardochaeo libri Esther non confundendos esse comparatio locorum monstrat. — Plures putarunt *Sassabasar* atque *Zorobabel,* זְרֻבָּבֶל i. e. Zêr-Bâbili = semen Babylonis (*Buhl,* Handwörterbuch) unum eundemque virum esse; sed 1 Esr 5, 2 coll. 5, 14 16 Zorobabel a Sassabasar manifeste distinguitur (*Bertholet,* Esra 2 sq; *Buhl,* Handwörterbuch 791; *Beer-Guthe,* Bibelwörterbuch 611 sqq).

Sassabasar fuit primus, Zorobabel secundus, Nehemias tertius Iudaeorum praefectus (2 Esr 5, 15), Persice *Athersatha,* הַתִּרְשָׁתָא i. e. praefectus, praeses (1 Esr 2, 63; 2 Esr 7, 65 70; cf. *Buhl,* Handwörterbuch 814).

b) Mense 7 eiusdem anni quo redierant, erexerunt Iudaei altare et obtulerunt super illud Domino holocausta mane et vespere atque in cunctis sollemnitatibus Domini (1 Esr 3, 1—6). Anno autem 2 adventus eorum fundamenta templi iecerunt iunioribus laetantibus, senioribus autem qui templum prius viderant flentibus (1 Esr 3, 7—13 coll. 5, 16).

c) Samaritani audientes ab Iudaeis reversis templum aedificari voluerunt eos adiuvare; recte tamen repulsi (cf. pag. 252) effecerunt ut aedificatio usque ad annum 2 regis Darii I Hystaspis intermitti deberet (1 Esr 4, 1—5 24).



Fig. 68. Sepulcrum Darii Persepoli exsistens.

Ex 1 Esr 4, 2 10 discimus non solum a Sargon (pag. 251 sq) verum etiam ab Asarhaddon (pag. 256) et Assurbanipale colonos in Samariam missos esse; *Asenaphar magnus et gloriosus* (1 Esr 4, 10) idem est ac Assurbanipal (*Bertholet,* Esra 15; *Öttli,* Esra 160; cf. *Siegfried,* Esra 36). — In 1 Esr 4, 6—23 litterae ab hostibus Iudaeorum ad *Assuerum,* אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ i. e. Xerxen, et *Artaxerxen,* אַרְתַּחְשַׁשְׂתָּא i. e. Artaxerxen I Longimanum (cf. *Bertholet,* Esra 13; *Zimmern-Guthe,* Bibelwörterbuch 21 43) missae referuntur. At in istis litteris non de aedificatione templi sed urbis ac murorum eius legimus. Quare cum Öttli (Esra 161) aliisque censemus istas litteras ob contextum psychologicum (cf. pag. 183) hic insertas, chronologice autem ante 2 Esr 1 collocandas esse.

2. Anno 2 Darii I Hystaspis (Fig. 68) duo prophetae surrexerunt: mense 6 *Aggaeus* ac mense 8 *Zacharias,* Iudaeis reversis in nomine Domini prophetantes (1 Esr 5, 1; Agg 1, 1; Zach 1, 1).

a) Aggaeum illas prophetias edidisse et conscripsisse quae in libro eiusdem nominis continentur, protestantes quoque agnoscunt (cf. *Strack*, Einleitung 120). Quod ad librum Zachariae attinet, protestantes capita 1—8 etiam Zachariae cum Aggaeo prophetanti ascribunt, de capitibus 9—14 autem dissentiunt: alii ea Zachariae tribuunt, alii denegant (cf. *Strack*, Einleitung 121 sq). Traditio tamen Iudaica et Christiana omnia ac singula 14 capita constanter isti prophetae adiudicavit quam traditionem recentissimi viri catholici (e. g. Cornely, Kaulen, Knabenbauer, Seisenberger, Vigouroux, Zschokke) retinent. Videas plura apud Kaulen (Einleitung II 258 sq) et Knabenbauer (Zacharias 216 sqq), ubi obiectiones futiles diluuntur.

α) **Prophetia Aggaei**, חַגַּי, *Ἀγγαῖος*, exhortationem et consolationem continet, 2 capitibus constat et in duas partes distribuitur.

In 1 parte (1, 1—2, 1) exhortatio notatur. Propheta templum aedificandum dicit ut sterilitas cesset (1, 2—11), suscitati aedificare incipiunt (1, 12—2, 1).

In 2 parte (2, 2—24) consolatio refertur. a) Gloria huius templi maior erit gloria prioris (2, 2—10). b) Benedictio Dei loco maledictionis tribuetur (2, 11—20). c) Solium David in aeternum stabit (2, 21—24).

β) **Prophetia Zachariae**, זְכַרְיָה, *Ζαχαρίας*, de salute agit, 14 capitibus constat et in tres partes dividitur quibus introductio praefigitur. In introductione (1, 1—6) conversio suadetur.

In 1 parte (1, 7—6, 15) promissio salutis signatur. a) Per visiones symbolicas, et quidem *α)* per equites perambulantes: gentes punientur et Sion eligetur (1, 7—17). *β)* Per cornua ac fabros: potentes gentium deicientur (1, 18—21). *γ)* Per funiculum mensorum: multitudo hominum cum Deo habitabit (2, 1—13). *δ)* Per sacerdotem mundatum: verus mediator veniet (3, 1—10). *ε)* Per candelabrum aureum: spiritus Dei dominabitur (4, 1—14). *ζ)* Per volumen volans: peccatores iudicabuntur (5, 1—4). *η)* Per mulierem in amphora: impietas tolletur (5, 5—11). *ϑ)* Per quadrigas egredientes: gentes vincentur (6, 1—8). b) Per actionem symbolicam qua sacerdos coronatur: pontifex ac rex erit (6, 9—15).

In 2 parte (7, 1—8, 23) conditio salutis indicatur. a) Deus postulat non ieiunium (7, 1—7) sed iustitiam (7, 8—14). b) Deus promittit benedictionem (8, 1—15) atque laetitiam (8, 16—23).

In 3 parte (9, 1—14, 21) exsecutio salutis exponitur. a) Pastor bonus *α)* pascit gregem: victis hostibus Sionis (9, 1—8) apparebit

rex et salvator populi (9, 9—10, 2) ac congregabit gregem (10, 3—12). *β)* Abicitur a grege: terra vastabitur (11, 1—3), quia grex inoboediens bonumque pastorem irridens (11, 4—14) pastori malo traditus est (11, 15—17). b) Grex electus *α)* sunt Iudaei probati: filii Israel confixum plangentes (12, 1—14) aqua abluti et igne probati erunt (13, 1—9). *β)* Sunt gentes conversae: Dominus hostes percutiet (14, 1—15) et a relictis adorabitur (14, 16—21).

b) Per hos igitur prophetas excitati Iudaei templum Domini aedificabant (1 Esr 5, 2). Venit autem *Thathanai,* praeses totius regionis ab occidente Euphratis sitae, cui praefectus Iudaeorum subiectus erat, interrogavitque eos qua licentia templum aedificarent. Cum Iudaei ad edictum Cyri provocarent, causam ad Darium referendam censuit sed interim aedificationem non inhibuit. Iussu Darii decretum Cyri quaesitum atque Ecbatanis inventum est. Quam ob rem rex praesidi Thathanai praecepit ut aedificationem templi non impediret sed adiuvaret (1 Esr 5, 3—6, 12). Itaque Iudaei templum anno 6 Darii I Hystaspis compleverunt ac dedicarunt gratias agentes Deo qui regem ipsis propitium reddiderat (1 Esr 6, 13—22).

Reges monarchiae Medo-Persicae Pasargadis, Persepoli, Susis, Ecbatanis, Babylone habitarunt, prout eis variis temporibus placebat. In istis urbibus nunc quoque reliquiae palatiorum conspiciuntur. Locus sepulturae Persepolis fuit (*Guthe,* Bibelwörterbuch; *Herders* Konversations-Lexikon VI, 1906, 1427 sqq).

3. Darium Hystaspen Xerxes (486—465; cf. pag. 322) secutus est qui Aegyptios et Babylonios rebellantes devicit, deinde per 4 annos summa vi adversus Graecos bellum apparabat (Herodotus 7, 5—20). Rebus tamen 480—479 a. Chr. infeliciter gestis, uti notissimum fuerit, in regnum suum reversus et 465 occisus est. Ipso regnante ea acciderunt quae in libro Esther consignata sunt. Nomen enim *Assueri,* אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ, babyl. *Aḫšijaršu, Ḫiši'arši,* pers. *Khšajârshâ,* Xerxen significare apud recentiores constat (cf. *Buhl,* Handwörterbuch; *Bertholet,* Esra 13; *Kaulen,* Einleitung II 90 sq). Insuper ea quae liber Esther de Assuero narrat cum iis bene congruunt quae Herodotus (7 9) de Xerxe testatur (cf. *Öttli,* Esther 232; *Bertheau-Ryssel,* Ester 379 sq). — Proponemus libri argumentum et dispositionem atque loquemur de auctore et axiopistia eius.

a) **Liber Esther,** אֶסְתֵּר, *Ἐσθήρ,* persecutionem ac liberationem Iudaeorum describit, 16 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte protocanonica (1, 1—10, 3) persecutio ac liberatio Iudaeorum generatim describitur. 1. Persecutio Iudaeorum (1, 1—4, 17). a) Vasthi et Esther. *α)* Vasthi regina convivis regis apparere renuens (1, 1—12ª) regno privatur (1, 12ᵇ—22). *β)* Esther inter virgines regi adductas (2, 1—11) diadema accipit (2, 12—18). b) Aman et Mardochaeus. *α)* Mardochaeus Iudaeus regi coniurationem patefacit (2, 19—23) sed ante primum ministrum regis non genuflectit (3, 1—6). *β)* Aman Macedo excidium Iudaeorum mandat (3, 7—15) Mardochaeo ululante et reginam invocante (4, 1—17). — 2. Liberatio Iudaeorum (5, 1—10, 3). a) Mardochaeus exaltatus: Aman convivio regio honoratus (5, 1—8) Mardochaeo crucem parat (5, 9—14); sed Mardochaeus publice honoratus (6, 1—14) suspenso Aman (7, 1—10) a rege sufficitur (8, 1 sq). b) Iudaei vindicati. *α)* Priores litterae regis irritantur: interfectio inimicorum imperatur (8, 3—14) Iudaeis tripudiantibus (8, 15—17) edictumque exsequentibus (9, 1—10), praecipue in Susan (9, 11—16). *β)* Festum phurim sancitur: notatur consuetudo legitima (9, 17—19), mandatum Mardochaei (9, 20—28), praeceptum Esther et Mardochaei (9, 29—10, 3).

In 2 parte deuterocanonica (10, 4—16, 24) additamenta quaedam continentur. 1. Finis libri Graecus (10, 4—11, 1). a) Interpretatio somnii Mardochaei (10, 4—13). b) Conclusio (11, 1). — 2. Principium libri Graecum (11, 2—12, 6). a) Somnium Mardochaei (11, 2—12). b) Enuntiatio coniuratorum (12, 1—6). — 3. Supplementa reliqua (13, 1—16, 24). a) Supplementum ad 3, 14: exemplar litterarum regis priorum (13, 1—7). b) Supplementum ad 4, 17: deprecationes Mardochaei (13, 8—18) atque Esther (14, 1—19). c) Supplementum ad 4, 8—14: mandatum Mardochaei (15, 1—3). d) Supplementum ad 5, 1—3: Esther ante regem (15, 4—19). e) Supplementum ad 8, 11—13: exemplar litterarum regis posteriorum (16, 1—24).

b) Auctor partium protocanonicarum ac deuterocanonicarum unus est isque Mardochaeus. *α)* Unitatem partium protocanonicarum Hebraice conscriptarum Strack (Einleitung 157) appellat evidentem (unverkennbar), si 9, 20—32 vel saltem 9, 29—32 seiungimus qui versus serius (forsitan ab Esdra) appositi esse videntur. Partes illae quae in LXX et alia versione Graeca a LXX non dependente conservatae sunt, originaliter Hebraica lingua scriptae cum ceteris partibus cohaerebant unumque librum continuatum efficiebant. Eas olim Hebraice affuisse id demonstrat quod in

Theodotionis versione secundum textum Hebraicum adornata continebantur (*Origenes,* Ep. ad Afric. n. 3; cf. *Kaulen,* Einleitung II 94); eas cum ceteris partibus unum librum efficere ex LXX elucet ubi non in fine sed in locis supra (lit. a) notatis insertae inveniuntur.

Textus Hebraicus 10 capitibus constat quae S. Hieronymus Latine reddidit; LXX etiam 10 capitibus constant in quibus tamen partes deuterocanonicae vocatae inseruntur. Has partes Hieronymus in fine libri (10, 4 ad 16, 24 textus Clementini) collocavit notans in quo loco LXX eas invenerit. Cum testetur se illas partes neque in Hebraico neque in ullo ceterorum interpretum (Aquilae, Symmachi, Theodotionis) repperisse, isti textus (pag. 327) iam deperditi erant. — In LXX pro *Assuero* = Xerxe Ἀρταξέρξης falso substitutus est (cf. pag. 326). — Ratio ob quam Iudaei post aetatem LXX interpretum textum Hebraicum festo *Purim* praelegendum abbreviarunt, iuxta Kaulen (Einleitung II 93) aliosque haec fuit: festum *Purim* paulatim Saturnalibus simile evasit („*Judenfasching*" hodie nominatum), quare textus brevis desiderabatur in quo nomen Domini non occurreret; seiunxerunt igitur omnes partes non necessarias et nomen Domini continentes.

β) Auctorem libri integri Mardochaeum esse liber ipse testatur, quod testimonium retinendum est nisi gravissimae rationes illi obstent (pag. 297). Legimus 9, 20: *Scripsit itaque Mardochaeus omnia haec, et litteris comprehensa misit ad Iudaeos* (cf. 9, 31 *καὶ Ἐσθὴρ λόγῳ ἔστησεν εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ἐγράφη εἰς μνημόσυνον* et 12, 4 *Mardochaeus rei memoriam litteris tradidit*). Seisenberger (Einführung 380) obicit quidem scriptorem libri 9, 23 26 se a Mardochaeo distinguere; sed cum Strack iam diximus 9, 20—32 libro serius additum esse. Videas plura apud Kaulen (Einleitung II 95 sq).

c) Quod ad axiopistiam seu characterem historicum narrationis attinet, catholici interpretes omnes narrationem libri Esther veram historiam agnoscunt (cf. *Cornely,* Introductio II 1, 427; *Kaulen,* Einleitung II 96 sqq; *Seisenberger,* Esther 131 sq; *Zschokke,* Historia 311 sq); cum catholicis consentiunt acatholici sequentes: Baumgarten, Hävernick, Keil, Keller, Weber-Deinzer.

Reliqui acatholici divisi sunt: alii narrationem fabulam Romanensem nominant, e. g. Bertholdt, Bloch, Corrodi, Hitzig, Kuenen, Lagarde, Nöldeke, Oeder, Reuss, Semler, Siegfried, Wellhausen, de Wette, Wildeboer, Zunz; alii substantiam narrationis historicam (geschichtlicher Kern) sed accidentalia plura ampliationem non historicam dicunt, e. g. Bertheau-Ryssel, Ewald, Herzfeld, Kautzsch-Guthe, Öttli, Stähelin, Strack, Winer. — Contra sententiam priorem haec notamus. *α)* „Auctorem nostrum veram historiam narrare voluisse tota libri indoles satis demonstrat ... vere historicam esse libri indolem tam clarum est ut ab eius origine usque ad medium saeculum praecedens, i. e. per plus duo millia annorum, nemo librum istum legens se fabulam Romanensem legere sit suspicatus" (*Cornely,* Introductio II 1, 426). Atqui si scriptor inspiratus

usu loquendi et contextu monstrat se veram historiam, non fictam conscribere voluisse, narratio cum obiectivitate convenire debet (pag. 11): ergo. 3) Wildeboer (Esther 169 sqq), Siegfried (Esther 134 sqq) et alii antiquiores asserunt utique totam narrationem esse fabulam, at ne unum quidem argumentum logice validum afferunt. Quod autem gratis asseritur, gratis negatur, docent logici. Quapropter acatholici quoque supra enumerati opinionem eorum repudiant. — Utrum accidentalia quaedam non historica dici debeant, uti patroni sententiae alterius affirmant, mox examinabimus.

In tota narratione nihil continetur quod improbabile sit. Legimus anno 2 Xerxis (non Artaxerxis, ut LXX habent) Mardochaeum de tribu Beniamin Susis habitasse, inter primos aulae regiae (Fig. 69) exstitisse, somnium somniasse quo duos dracones pugnantes et gentes contra gentem iustorum convenientes et fontem parvum in fluvium



Fig. 69. Reliquiae palatii Xerxis Persepoli exsistentes.

maximum crescentem viderit (11, 2—12). Quod Mardochaeus Iudaeus inter primos aulae regiae fuerit non est improbabile, nam de Ioseph et Tobia ac fratre eius necnon de Daniele et sociis eius atque de Nehemia Sacra Scriptura idem testatur (pag. 81 255 306 316). Neque somnium incredibile est, quia Ioseph (pag. 78) et Nabuchodonosor (pag. 311) quoque talia somnia somniarunt. — Anno 3 regni sui Xerxes principibus et servis suis per 180 dies convivium fecit (1, 1—4). Öttli (Esther 232) cum aliis hoc convivium non verisimile, Siegfried (Esther 145) superlationem insulsam (geschmacklose Übertreibung) nominat. Sed Zöckler (ad Iudith 1, 16 Graece) notat etiam Traianum post victoriam a Dacis reportatam Romanis per 123 dies spectacula praebuisse (Dio Cass. 68, 15). Ex Herodoto (7, 5 8) causam quoque convivii discimus.

Devicta scilicet Aegypto Xerxes principes regni sui ad consultationem convocavit qua decideretur, utrum Graecia contra quam Darius I Hystaspes infeliciter pugnaverat, debellanda esset necne. Teste eodem Herodoto tam Xerxes quam principes diu dubii haerebant (*Kaulen,* Einleitung II 97). — Completis 180 diebus convivii Xerxes populum universum Susis commorantem per 7 dies convivio excepit: ipse viros, regina *Vasthi,* וַשְׁתִּי (forsitan = pulchra; cf. *Fürst,* Handwörterbuch) feminas. Die 7 rex vinolentus praecepit ut Vasthi diademate ornata viris se monstraret, quod regina recusavit (1, 5 ad 12[a]). Bertheau-Ryssel (Ester 390) notant Vasthi ob mores Persarum, praesertim autem ob vinolentiam convivarum recte non oboedivisse (cf. Herodotum 5, 18 sq). At Xerxes ira succensus et consilio sapientium utens reginam regno privavit (1, 12[b]—22) quam rem postea dolebat (2, 1). Levitatem ac mobilitatem Xerxis etiam apud Herodotum (7 9) testatam invenimus. — Vasthi anno 3 regni reiecta (1, 3)) nova autem regina anno 7 regni (2, 16 sqq) electa est. Namque interim Xerxes belli apparatibus et ipsa expeditione occupatus erat (pag. 326). — In regnum reversus reginae recordabatur (2, 1); cumque ob legem Persarum atque Medorum (1, 19) Vasthi revocare nequiret, virgines speciosas ex toto regno Susa adduci iussit, ut ex iis reginam eligere posset. Inter virgines in domum feminarum regiam introductas erat *Edissa,* הֲדַסָּה i. e. *μυρτία,* myrta, quae altero nomine vocabatur *Esther,* אֶסְתֵּר, quod cum pers. *sitareh* = *ἀστήρ*, astrum seu stella vel cum nomine deae *Ištar* cohaeret (cf. *Wildeboer,* Esther 181). Hanc parentibus orbatam *Mardochaeus filius Iair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Iemini, qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat* (2, 5 sq), filiam adoptavit et in domum regiam tradens monuit ut gentem et patriam suam taceret. Et *deambulabat cotidie ante vestibulum domus, in qua electae virgines servabantur, curam agens salutis Esther, et scire volens quid ei accideret* (2, 2—11). Secundum Siegfried (Esther 149) et Wildeboer (Esther 181) hagiographus chronologiam nesciens (Wildeboer) vel non recognoscens (Siegfried) asserit Mardochaeum cum rege Iechonia Babylonem translatum ideoque 7 anno Xerxis senem 120 annorum fuisse; quo supposito inferendum est Esther illo tempore saltem 50—60 annos natam fuisse (*Bertheau-Ryssel,* Ester 400). Atqui senem 120 annorum primum ministrum constitutum atque vetulam 50—60 annorum inter adulescentulas collocatam et propter eminentem pulchritudinem (2, 16 sq) reginam electam esse incredi-

bile est: ergo axiopistiam narrationis addubitemus oportet. Verumtamen expositio a Siegfried et Wildeboer adoptata non est unica; duae aliae explicationes praesto sunt ex quibus nihil absurdi sequitur. Kaulen (Einleitung II 97) cum aliis (cf. *Bertheau-Ryssel,* Ester 398) illud *qui translatus fuerat* non ad Mardochaeum sed ad *Cis* proavum eius refert; plures alii tamen illud *qui translatus fuerat* ad Mardochaeum quidem referunt sed de familia eius (cf. 11, 4), non de persona intellegunt, quam expositionem Bertheau-Ryssel (Ester 399), Öttli (Esther 238), Seisenberger (Esther 142) probabiliorem iudicant. Iuxta utramque vero expositionem anno 7 Xerxis Mardochaeus ca 50 et Esther ca 20 annorum erat. Mardochaeum in exsilio natum esse nomen eius מָרְדֳּכַי cf. babyl. *Mardukêa, Marduka* (*Buhl,* Handwörterbuch) insinuat. Sed quomodo Esther patriam et gentem suam tacere potuit, licet inter illas virgines degeret, ex quibus regina eligenda esset? Respondemus: iuxta legem Persarum regina utique ex genere Ἀχαιμενιδῶν (Herodotus 1, 125) esse debuerat, sed iam Cambysi declaratum est τῷ βασιλεύοντι Περσέων ἐξεῖναι τὸ ἂν βούληται (Herodotus 3, 31); ergo manifestatio generis non amplius necessaria erat, et virgines ex universis provinciis congregari poterant. Quod Mardochaeus cotidie ante vestibulum domus virginum deambulare et cum Esther loqui potuit non mirandum apparet. Nam Mardochaeus erat inter primos ministros aulae regiae (pag. 329), et regnante Xerxe feminae palatii non tam reclusae fuisse videntur uti postea (cf. *Bertheau-Ryssel,* Ester 402; *Wildeboer,* Esther 181). — Evoluto tempore praeparationis (2, 12) Xerxes anno 7 regni sui (2, 16) ex virginibus Esther reginam elegit et magnificentissime nuptias celebravit (2, 12—18). Quae Herodotus (7, 61 114; 9, 108—112) de alia uxore Xerxis nomine Amestris narrat, de Esther intellegi nequeunt (*Bertheau-Ryssel,* Ester 369 sq). Post nuptias *secundo* virgines quaesitae et congregatae sunt (2, 19). Hanc narrationem hagiographi Siegfried (Esther 152) inscitiam scriptoris (schriftstellerische Ungeschicklichkeit des Erzählers) appellat; Wildeboer (Esther 182) cum aliis putat narrationem esse „ἐπάνοδον, retrogressionem" aut scriptorem de adventu virginum ex longinquis regionibus loqui: sed Seisenberger (Esther 146) recte notat usum loquendi reapse alteram virginum conquisitionem indicare quod illis non incredibile videbitur qui ad numerum mulierum Salomonis (pag. 223) respexerint. Eodem tempore Mardochaeus coniurationem Bagathae et Tharae, ianitorum palatii, per reginam Esther

Xerxi patefecit. Rex veritate delationis comprobata ianitores suspendit, gestum annalibus tradidit, Mardochaeum custodem palatii (Fig. 70) constituit eique pro delatione munera dedit (2, 19—23; 12, 1—5) quae tamen in annalibus non notata sunt (6, 3; videas in cap. 12 consequentiam versuum 4 et 5); ergo minora fuisse videntur.

Postquam haec gesta sunt, Xerxes exaltavit *Aman* filium Amadathi de stirpe *Agag* constituitque eum primum suum ministrum (3, 1; 16, 10 sq). Ratio ob quam Aman exaltatus sit utique non adducitur (*Siegfried*, Esther 153), sed ex hoc non sequitur nullam exstitisse; ceterum videas pag. 330 atque 16, 10 sq. Si Mardochaeus de stirpe *Iemini*-Beniamin (2, 5; cf. pag. 199) et Aman de stirpe *Agag*-Amalec (3, 1; cf. pag. 179) scribitur, iuxta praecepta logica non sequitur Aman esse typum opprimentium Israelem et Mardochaeum typum liberantium Israelem, uti Wildeboer (Esther 170) cum aliis asserit. Quod Aman in textu Graeco mox *Βουγαῖος* (12, 6) mox *Μακεδών* (16, 10) nominetur, Kaulen (Einleitung II 95) corruptionem nominis *Agag* declarat. — Primum ministrum regis reliqui adorabant, Mardochaeus vero utpote Iudaeus adorationem ei negavit, quapropter Aman totum populum Iudaeorum in regno Xerxis dispersum perdere volebat (3, 2—6). Adoratio seu prostratio regi Persarum et primo ministro eius exhibita non erat simplex veneratio hominis in dignitate constituti quae apud Iudaeos quoque usitata erat (2 Rg 14, 4; 18, 28; 3 Rg 1, 16) sed cultus quidam divinus seu veneratio regis et ministri eius ut dei

Fig. 70. Statuae colossicae palatii Xerxis.

incarnati (cf. *Aeschylus,* Pers. 644 sqq; *Plutarchus,* Themist. 27; *Curtius* 8, 5; *Bertheau-Ryssel,* Ester 410, quem *Wildeboer,* Esther 183 sq sequitur): hunc cultum Mardochaeus ei negavit (13, 13 sq). Fuit etiam alia causa discidii. Aman Mardochaeo et populo eius nocere volebat propter necem ianitorum (12, 6); Mardochaeus autem suspicabatur Aman contra regem mala moliri (cf. 16, 12 sqq). — Itaque die 13 mensis 1 anni 12 Xerxis Aman per scribas nomine regis litteras confecit atque annulo regis signavit quibus mandatum est ut die 13 mensis 12 eiusdem anni in universis regni provinciis omnes ac singuli Iudaei interficerentur. Quod edictum per cursores regis in provincias delatum, Susis vero statim promulgatum est: ἐταράσσετο δὲ ἡ πόλις (3, 7—15; 13, 1—7). Internecionem totius cuiusdam gentis antiquitus non fuisse rem inauditam Bertheau-Ryssel (Ester 411), Öttli (Esther 232 sq) aliique ultro concedunt. Nihilominus plures istud edictum non historicum credunt, cum improbabile sit Xerxen provinciam Iuda in solitudinem redigere voluisse, Aman tam cito edictum promulgasse ut Iudaei cum thesauris suis ante exsecutionem eius fugere potuissent, urbem Susorum turbatam esse (cf. *Öttli,* Esther 232 242; *Siegfried,* Esther 155 sq; *Wildeboer,* Esther 185). Verumtamen terra Iuda etiam tempore exsilii deserta erat (pag. 288 sqq); fuga autem Iudaeorum e regno Xerxis quod ab India usque Aethiopiam patebat (1, 1; 10, 1; *Herodotus* 3, 97 sq; 7, 9) facile impediri potuit. Quod denique ad turbationem Susorum attinet, sensum textus Hebraici et Graeci Vulgata bene expressit reddens: *cunctis Iudaeis, qui in urbe erant, flentibus* (3, 15). Si quis voluerit, cum Öttli (Esther 242) addere poterit etiam reliquos habitatores urbis turbatos esse, non ex amore Iudaeorum sed propter ea quae tam crudele decretum forte secutura erant. — In his angustiis Mardochaeus reginam monuit, ut ad regem intraret eumque pro populo Iudaeorum deprecaretur. Primo quidem Esther respondit quemlibet qui ad regem ingrederetur quin vocatus esset iuxta legem interficiendum esse nisi rex sceptrum aureum in eum extenderet; semet-ipsam vero iam 30 diebus non vocatam fuisse, ergo ad regem intrare nequire. Instante autem Mardochaeo se ad ingrediendum cum mortis periculo paratam declaravit postulans tamen ut secum omnes Iudaei Susis habitantes 3 diebus et 3 noctibus orarent atque ieiunarent (4, 1—17; 13, 8—15, 3). Legem istam reapse exstitisse Herodotus (3, 118 140) testatur addens petitionem audientiae praestandae licitam fuisse. Siegfried (Esther 157) putat hagiographum hoc forsitan ignorasse aut forsitan consulto tacuisse ut Esther

magis heroica appareret, quam sententiam alteram Wildeboer (Esther 186) adoptat. Textus biblicus vero aliam declarationem suggerit. Esther dicit se iam 30 diebus a rege non vocatam esse, ideoque timendum erat ne audientia petita a Xerxe (cf. pag. 330) negaretur itaque ingressio adhuc periculosior redderetur (*Öttli,* Esther 243). Narratio igitur hagiographi cum circumstantiis historicis optime congruit. Quod ad orationem et ieiunium attinet, etiam Wildeboer (Esther 187) cum aliis affirmat non per integros 3 dies ac 3 noctes illa continuata esse (cf. pag. 244); quodsi protestans quidam a Bertheau-Ryssel (Ester 422) citatus ieiunium 3 dierum ac noctium incredibile censet, cum Esther tali ieiunio multum formae perdere atque maxime putidum odorem oris sibi concire debuerit (mußte sie dadurch . . . nicht bloß viel von ihrer Gestalt verlieren, sondern auch einen äußerst widrigen Geruch aus dem Munde bekommen), refutatio superflua est. — Die 3 Esther ad regem ingressa est. Primo quidem Xerxes furibundus erat, deinde autem a Domino ad clementiam conversus sceptrum aureum super collum reginae posuit et cum Aman ad convivium venit alteramque invitationem benigne accepit (5, 1—8; 15, 4—19). Mutatio regis ab hagiographo 15, 1 Deo ascribitur; eum etiam natura valde mutabilem fuisse iam supra (pag. 330) ex Herodoto notavimus, quod pro sequentibus quoque memoria retinendum est. — Inter prius ac posterius convivium Aman pro Mardochaeo ipsum non adorante patibulum 50 cubitos = ca 26 *m* (pag. 181) altum parari iussit. A rege autem licentiam interficiendi Mardochaei petere volens contra omnem exspectationem eum publice honorare debuit, ipse patibulo affixus est, illum quem perdere volebat, successorem habuit (5, 9—8, 2). Altitudinem trabis incredibilem esse plures affirmarunt (cf. *Öttli,* Esther 232) sed nullo argumento logice valido demonstrarunt. Quod Xerxes servatorem suum (pag. 331) licet Iudaeum (6, 10), quem iam antea minoribus muneribus donaverat atque custodem palatii constituerat (6, 10; cf. pag. 332), etiam publice honorare voluerit, Aman vero inimicum pessimum Mardochaei et reginae et populi eorum (7, 3 sqq) gratia privaverit, non est mirandum (cf. et pag. 330).

Iuxta textum Vulgatae 6, 8 *diadema* capiti hominis quem rex honorare volebat, iuxta textum Hebraicum vero capiti equi regii in quo iste homo sedere debuit, imponendum fuit. Revera in imaginibus Assyriis equi regii quodam capitis insigni ornati sunt (cf. Fig. 55, pag. 249).

Quibus factis Xerxes reginae et primo ministro suo facultatem dedit exarandi suo nomine ac signandi suo annulo litteras alias

prioribus contrarias. Die igitur 23 mensis 3 eiusdem anni Mardochaeus per scribas regis litteras confecit quibus rex praecepit ut Iudaei die 13 mensis 12 convenirent et inimicos suos occiderent atque se ulciscentes per praepositos locorum adiuvarentur (16, 20). Etiam hoc decretum in provincias delatum atque Susis statim promulgatum et cum gaudio susceptum est (8, 3—17; 16, 1—24). Cum in regno Medo-Persico litterae nomine regis confectae et annulo eius signatae revocari nequirent (Dn 6, 15; Esth 8, 8; *Herodotus* 9, 109; *Plutarchus,* Artax. 27; *Bertheau-Ryssel,* Ester 434), ideoque Persae die constituto contra Iudaeos consurgere deberent, populus Iudaeorum tali dumtaxat modo servari potuit. Ad bellum utraque pars per plures menses se praeparavit (cf. *Bertheau-Ryssel,* Ester 416). Gaudium Susorum eadem ratione explicamus qua supra (pag. 333) turbationem eorum explicavimus. Quod *plures alterius gentis et sectae* Iudaeorum *religioni et ceremoniis iungerentur* (8, 17) non mirabile est, quia regina et Mardochaeus Iudaei erant. — Die constituto Iudaei a praefectis locorum adiuti inimicos suos occiderunt: in provinciis 75 000, Susis 500. Rogante Esther et concedente Xerxe Susis sequenti quoque die Iudaei 300 inimicos interfecerunt. Substantias vero occisorum non tetigerunt, quamquam rex iis permiserat (9, 1—16). Contra axiopistiam huius narrationis plura obiciuntur (cf. *Öttli,* Esther 232). Incredibile putant per paucos Iudaeos tot milia occisa esse. Sed hagiographus diserte notat populos timore Mardochaei primi ministri correptos, Iudaeos vero a praefectis locorum adiutos fuisse (9, 2—4). Ceterum pro 75 000 textus Hebraici, Syriaci, Latini exhibent LXX non plus quam 15 000 qui numerus probabilior est (cf. *Öttli,* Esther 252; *Siegfried,* Esther 171, asserit Syriacam et Vulgatam quoque 15 000 dumtaxat exhibere quod falsum est). Incredibile putant praefectos locorum pro partibus Iudaeorum stetisse. At experientia scimus quantum auctoritas primi ministri (9, 4) atque reginae (8, 3 sqq) tam apud reges quam apud praefectos provinciarum valeat ac possit, praesertim in oriente (cf. *Bertheau-Ryssel,* Ester 437 426). Incredibile putant alteram ultionis diem pro Susis petitam et a rege concessam esse. Sed Kaulen (Einleitung II 96) respondet Iudaeis desiderandum fuisse ut ab omnibus inimicis suis liberarentur. Quod autem Xerxes precibus reginae annuit ex crudeli belligerandi ratione antiquorum (cf. pag. 193 sq 333) clarescit. Multi studio ultionis (Geist der Rache) spiritui Veteris ac Novi Testamenti contrario (*Bertheau-Ryssel,* Ester 375) scandalizati sunt (cf. *Kautzsch-Guthe,*

Bibelwörterbuch 171). Wildeboer (Esther 194) putat abominabilem versum 13 capitis 9 cor scelestum et ulciscendi cupidum scriptoris Iudaei nobis patefacere (dieser abscheuliche Vers . . . läßt uns . . . einen Blick in das schwarze, rachgierige Herz des jüdischen Schreibers . . . tun). Iudaeorum agendi rationem cum spiritu evangelico *Diligite inimicos vestros* etc. (Mt 5, 44) non convenire patet; attamen tunc valebat *oculum pro oculo, dentem pro dente* (Lv 24, 20; cf. pag. 194): ergo contra spiritum Veteris Testamenti non egerunt. Ab Iudaeis hostes, inimicos, persecutores tantum interfectos esse, quin possessiones eorum tangerentur hagiographus expresse notat (9, 1 5 16). — Ergo Iudaei in provinciis commorantes die 13 inimicos interfecerunt et die 14 quieverunt; Iudaei autem Susis habitantes die 13 et 14 in caede versati sunt et die 15 quieverunt. Propterea usu receptum est ut Iudaei in urbibus munitis habitantes diem 15, reliqui autem diem 14 gaudio atque conviviis celebrarent (9, 17—19). Mardochaeus et Esther vero duabus epistolis (9, 20 ad 28; 9, 29—32; cf. pag. 327) Iudaeis mandarunt ut omnes diem 14 atque 15 celebrarent necnon die uno ieiunia observarent; diem ieiunii non determinarunt, Iudaei posteriores die 13 ieiunabant (cf. *Bertheau-Ryssel*, Ester 440 sqq; *Wildeboer*, Esther 195 sq). *Dies sortium,* יְמֵי הַפֻּרִים, iam 2 Mach 15, 37 commemorantur (*Zöckler*, Apokryphen 139), teste Iosepho (Arch. 11, 6 13) ab omnibus Iudaeis observabantur et nunc quoque celebrantur. Plures protestantes (Bloch, Hitzig, Kuenen, Lagarde, Zunz; cf. *Öttli*, Esther 233; *Siegfried-Guthe*, Bibelwörterbuch 532) negant festum *Purim* cum historia Mardochaei et Esther cohaerere, asserentes festum quoddam Persicum (forsitan *furdigan, farwardigān* i. e. festum anni incipientis et omnium animarum) in festum *Purim* transformatum esse. Sed *Öttli* (l. c.) recte notat festa Persarum et festum Purim Iudaeorum ratione, tempore, nomine differre atque in traditione Iudaeorum nullum vestigium talis transformationis inveniri ideoque suspiciones illorum virorum improbabiles esse. Insuper omnino incredibile est Iudaeos a gentilibus quos tantopere horrebant festum suscepisse ac postea originis gentilis penitus oblitos esse. Hoc idem multo magis contra suspicionem *Iensen* a Wildeboer (Esther 173 sqq) promulgatam et partim adoptatam valet iuxta quam legenda libri Esther e mythis Babyloniis hausta ac postea iudaizata esset. Denique ne obliviscamur oportet quae pag. 8 sqq de inspiratione dicta sunt. Inspiratus auctor libri Esther proprio nomine loquens vel potius Deus inspirans testatur festum Purim propter victoriam

Iudaeorum ab inimicis suis reportatam fuisse institutum, ergo haec declaratio pro vera et certa habenda est.

Catholicus Scholz (Esther, 1892) in libro Esther „idem thema quod in ll. Tobiae et Iudith tractari tenet; apocalypsis enim ei est, in qua Ezechielis vaticinium de Gog (Ez 38) ita repetatur et evolvatur, ut ultima Antichristi pugna contra regnum Messiae accuratius describatur" (*Cornely,* Introductio II 1, 425). Quid Zöckler contra allegoricas hasce interpretationes recte opponat pag. 261 286 scripsimus.

Quod de historia Esther in documentis profanis nihil inveniamus facile declarari potest. Etenim annales Medorum atque Persarum (10, 2) necnon varia opera historiam Persarum et Xerxis referentia quae Kaulen (Einleitung II 98) enumerat, deperdita sunt.

4. Anno 7 Artaxerxis I Longimani (465—422), successoris Xerxis (pag. 322), *Esdras* sacerdos et legisperitus de Babylone Ierosolyma ascendit. Erat decreto regis armatus, ca 1500 viris et 38 Levitis et 220 servis templi stipatus, muneribus regis et nobilium et Israelitarum cumulatus (1 Esr 7, 1—8, 36). Prima cura eius fuit sanctificatio coniugiorum: transgressionem legis deplorans uxores alienigenas eiecit (1 Esr 9, 1—10, 44). Haec forsitan causa vel saltem occasio erat cur alienigeni Iudaeos apud Artaxerxem accusarent atque aedificationem murorum urbis impedirent (cf. pag. 324).

5. Anno 20 eiusdem Artaxerxis *Nehemias,* regi pocula ministrans, ab eo Ierosolyma missus ut urbem aedificaret (2 Esr 1, 1—2, 11) ac praeses Iudaeae constitutus est (2 Esr 5, 14; 8, 9; 10, 2).

a) Hic ergo varias inter difficultates murum exstruxit (2 Esr 2, 12—6, 19), securitati providit (7, 1—73), foedus renovavit (8, 1 ad 10, 39), urbes frequentavit (11, 1—36), murum Ierosolymorum dedicavit (12, 1—42), observationem foederis urgebat (12, 43—13, 3), anno 32 Artaxerxis ad regem reversus est (5, 14; 13, 6).

b) In altero adventu gazophylacia mundavit (2 Esr 13, 4—9), partes Levitarum exegit (13, 10—14), celebrationem sabbati (13, 15—22) iterumque sanctificationem coniugiorum (13, 23—31) urgebat.

6. Esdras sacerdos ac legisperitus librum Chronicorum seu Paralipomenon atque 1 et 2 librum Esdrae conscripsit, sacros libros collegit et probabiliter synagogam magnam instituit.

a) Librum Chronicorum iuxta traditionem Iudaeorum ab Esdra conscriptum esse iam pag. 136 diximus. Inter varias rationes internas quibus Kaulen (Einleitung II 65 sq) cum aliis probat librum regnantibus Persis scriptum esse etiam hanc affert in 1 Par 29, 7

אַדַרְכֹנִים *daricos* (Fig. 71; LXX habent *χρυσοῦς*, Vulgata *solidos*) nominari qui neque in Babylonio neque in Macedonico regno in usu omnium versabantur.

α) **Liber primus Paralipomenon, Hebraice Dibre Haiamim,** דִּבְרֵי הַיָּמִים א, *Παραλειπομένων α*, tabulam genealogicam et historiam Davidis continet, 29 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—9, 44) tabula genealogica exhibetur. 1. Catalogus generalis (1, 1—2, 2). a) Ab Adam usque Abram: patriarcharum antediluvianorum (1, 1—4), Iaphethitarum (1, 5—7), Chamitarum (1, 8—16), Semitarum (1, 17—27). b) Ab Abraham usque Israel: filiorum Ismaelis (1, 28—31), filiorum Ceturae (1, 32 sq), filiorum Esau (1, 34—42), ducum Edom (1, 43—54), filiorum Israel (2, 1 sq). — 2. Catalogi speciales (2, 3—9, 44). a) Filiorum Iuda et quidem *α)* generationes communes (2, 3—55), *β)* generationes David (3, 1—24), *γ)* supplementa (4, 1—23). b) Filiorum Simeon: genealogia (4, 24—27), distributio sedium (4, 28—33), occupationes (4, 34—43). c) Filiorum Ruben, Gad, dimidiae Manassis. *α)* Tribus Ruben: genealogia (5, 1—7) et habitationes (5, 8—10). *β)* Tribus Gad: genealogia (5, 11—15), habitatio et numeratio (5, 16 sq). *γ)* Pugna contra Agareos: Ruben, Gad, dimidia Manasse vincunt (5, 18—22). *δ)* Dimidiae tribus Manassis: habitatio et genealogia (5, 23 sq). *ε)* Culpa ac poena tribuum (5, 25 sq). d) Filiorum Levi (6, 1—3[a]). *α)* Enumeratio: summorum sacerdotum (6, 3[b]—15), Levitarum (6, 16—30), cantorum (6, 31—48), iterum summorum sacerdotum (6, 49—53). *β)* Civitates Levitarum: sacerdotum (6, 54—60) et reliquorum (6, 61—81). e) Filiorum ceterarum tribuum. *α)* Enumeratio generalis: posterorum Issachar (7, 1—5), Beniamin (7, 6—12), Nephthali (6, 13), dimidiae Manasse (7, 14—19), Ephraim (7, 20—29), Aser (7, 30—40). *β)* Enumeratio specialis: Beniamin (8, 1—28), genealogia Saulis (8, 29—40). *γ)* Additamenta: habitatores Ierusalem (9, 1—18), officia Levitarum (9, 19—34), iterum genealogia Saulis (9, 35—44).

Fig. 71. Daricus.

In 2 parte (10, 1—29, 30) historia Davidis narratur. 1. Initium regni (10, 1—12, 40). a) Excessus Saulis (10, 1—14). b) Dominatus Davidis in Hebron et Ierusalem (11, 1—9) cuius viri fortes enumerantur (11, 10—12, 40). — 2. Progressus regni (13, 1—20, 7). a) Amplificatio cultus. *α)* David arcam prius in domum Obededom, deinde in Ierusalem adducit (13, 1

ad 16, 43). *β)* Vult templum aedificare et accipit promissionem throni sempiterni (17, 1—27). b) Victoriae variae: percutit Philisthiim, Moab, regem Soba (18, 1—11), Edom (18, 12—17), Ammonitas et Syros (19, 1—15), Syros solos (19, 16—19), Ammonitas solos (20, 1—3), saepius Philisthiim (20, 4—7). — 3. Finis regni (21, 1—29, 30). a) Praeparationes aedificandi templi. *α)* David propter numerationem populi (21, 1—6) pestilentia afflictus (21, 7 ad 17), aream Ornan comparat (21, 18—22, 1). *β)* Insuper impensas et artifices praeparat (22, 2—5), Salomoni (22, 6—16) et principibus Israel (22, 17—19) aedificationem templi mandat. b) Ordinationes ultimae et quidem *α)* religiosae: de Levitis et sacerdotibus generatim (23, 1—32); de vicibus et ministerio sacerdotum (24, 1 ad 19), de sortibus Levitarum (24, 20—31), de familiis cantorum (25, 1—31), de divisionibus ianitorum (26, 1—19), de cognationibus custodum thesauri (26, 20—32). *β)* Militares et civiles: de ducibus turmarum (27, 1—15), de principibus tribuum (27, 16—24), de praefectis possessionum (27, 25—31), de magistratibus maioribus (27, 32—34). c) Novissima Davidis et quidem *α)* orationes: principes obtestatur (28, 1—8), Salomonem adhortatur (28, 9—21), universam ecclesiam monet (29, 1—9), Domino benedicit (29, 10 ad 19). *β)* Actiones: successorem constituit (29, 20—25), diem supremum obit (29, 26—30).

β) **Liber secundus Paralipomenon, Hebraice Dibre Haiamim,** דִּבְרֵי הַיָּמִים ב, *Παραλειπομένων β*, historiam Salomonis et regum Iuda refert, 36 capitibus constat et in duas partes distribuitur.

In 1 parte (1, 1—9, 31) historia Salomonis narratur. 1. Claritas regis (1, 1—17): rex in Gabaon sacrificat (1, 1—6), a Domino sibi apparente sapientiam postulat (1, 7—12), sapiens et dives imperat (1, 13—17). — 2. Maiestas templi (2, 1—7, 22). a) Aedificatio domus et quidem *α)* praeparationes: pactio cum Hiram rege Tyri (2, 1—16) et electio operariorum (2, 17 sq). *β)* Constructiones: ipsius templi (3, 1—17) et supellectilis per Hiram artificem (4, 1—5, 1). b) Dedicatio domus: arca transfertur (5, 2 ad 10), domus gloria Domini impletur (5, 11—14), Salomon orat et sacrificat atque a Domino exauditur (6, 1—7, 22). — 3. Felicitas regni (8, 1—9, 31). a) Dispositiones Salomonis: aedificat urbes (8, 1—6), facit tributarios (8, 7—10), aedificat uxori domum (8, 11), offert holocausta (8, 12 sq), ordinat ministeria sacerdotum et Levitarum (8, 14—16), mittit classem (8, 17 sq). b) Adventus reginae Saba: venit tentans (9, 1 sq), valde stupet (9, 3—8), dat

et accipit munera (9, 9—12). c) Divitiae Ierusalem (9, 13—28), mors Salomonis (9, 29—31).

In 2 parte (10, 1—36, 23) historia regum Iuda narratur. 1. Existente regno Israel (10, 1—28, 27). a) Roboam rex *α)* scindit regnum patris (10, 1—11, 4), *β)* regnum Iuda roborat (11, 5—23), *γ)* Dominum relinquit (12, 1—16). b) Abia impius regnum Israel humiliat (13, 1—14, 1). c) Asa pius *α)* prius Domino confidens urbes aedificat, Aethiopes caedit, cultum veri Dei iubet (14, 2—15, 19); *β)* deinde hominibus confidens contra Baasa regem Israel vocat Benadad regem Syriae neque in infirmitate Dominum quaerit (16, 1 ad 14). d) Iosaphat pius *α)* prius cum Achab coniunctus infeliciter contra Ramoth Galaad pugnat (17, 1—19, 3), *β)* deinde contra hostes foederatos Dominum invocans spolia et pacem accipit (19, 4 ad 20, 34), sed *γ)* cum Ochozia impio amicitia iunctus est (20, 35 ad 21, 1). e) Reges impii. *α)* Ioram cum filia Achab matrimonio iunctus rebellione Edomitarum, obiurgatione Eliae, incursione Philisthinorum et Arabum, languore insanabili punitus est (21, 2—20). *β)* Ochozias impius occiditur (22, 1—9). *γ)* Athalia stirpem regiam occidens interficitur (22, 10—23, 21). f) Reges inconstantes. *α)* Ioas vivente Ioiada bonus templum instaurat (24, 1—14), mortuo Ioiada malus Zachariam lapidat ac punitur (24, 15—27). *β)* Amasias ante caedem Edomitarum bonus (25, 1—13), post victoriam malus ab Ioas rege Israel punitur (25, 14—28). *γ)* Ozias seu Azarias vivente Zacharia bonus hostes vincit ac regno prospicit (26, 1—15), mortuo Zacharia malus fit leprosus (26, 16—23). g) Ioatham rectus regnum munit et Ammonitas vincit (27, 1—9). h) Achaz impius filios suos comburit, a Syris et Israelitis et Assyriis vocatis affligitur atque nequior evadit (28, 1—27). — 2. Deleto regno Israel (29, 1 ad 36, 23). a) Ezechias pius *α)* cultum instaurat: valvas templi aperit, domum sanctificat, sacrificia offert, phase celebrat, idola aufert, Levitis alimenta providet (29, 1—31, 21). *β)* A Sennacherib Assyrio servatur (32, 1—23). *γ)* Sanitati restituitur (32, 24 ad 33). b) Reges impii. *α)* Manasses: malus coram Domino Babylonem ducitur (33, 1—11), paenitens Ierosolymis moritur (33, 12 ad 20). *β)* Amon peior patre interficitur (33, 21—25). c) Iosias pius. *α)* Inventio libri legis: rex idola demolitur, templum instaurat, verbis libri legis inventi perterritus prophetidem Oldam consulit (34, 1—28). *β)* Foederis pactum: Iosias foedus percutit et phase sollemnissimum celebrat (34, 29—35, 19). *γ)* Pugna infelix: non acquiescens sermonibus Dei in Mageddo vulneratur et lugentibus

omnibus in Ierusalem sepelitur (35, 20—36, 1). d) Reges ultimi. *α)* Afflictio Iuda: Ioachaz in Aegyptum ducitur (36, 2—4), Ioakim et Ioachin Babylonem transferuntur (36, 5—10), Sedecias malus cum populo perverso Babylone captivus tenetur (36, 11—21). *β)* Consolatio Iuda: Cyrus Persa reditum captivorum permittit (36, 22 sq).

b) Liber 1 et 2 Esdrae originaliter unicus liber erat sed postea in duos distributus est, quae distributio ab 1516 in Bibliis Hebraicis quoque habetur. Iuxta constantem Iudaeorum traditionem etiam hos libros Esdras ex documentis variis composuit (*Kaulen,* Einleitung II 74) et forsitan scriptor aetatis posterioris additamentis quibusdam auxit (cf. *Seisenberger,* Einführung 377), qua sententia admissa omnes obiectiones contra traditionem Iudaeorum motae (cf. *Strack,* Einleitung 165) evanescunt. Libros fide dignos esse etiam plures protestantes defendunt (cf. *Strack,* Einleitung 166; *Kaulen,* Einleitung II 75).

α) **Liber primus Esdrae,** עֶזְרָא, *Ἔσδρας α*, reditum Iudaeorum narrat, 10 capitibus constat et in duas partes distribuitur.

In 1 parte (1, 1—6, 22) reditus Zorobabelis describitur. 1. Reversio captivorum (1, 1—2, 70). a) Cyrus rex: reditionem permittit (1, 1—4) et vasa templi reddit (1, 5—11). b) Iudaei revertentes: *α)* eorum numerus (2, 1—67); *β)* oblationes et habitatio (2, 68—70). — 2. Restitutio cultus (3, 1—6, 22). a) Holocaustomatorum: altare exstruitur (3, 1—3[a]) et holocausta offeruntur (3, 3[b]—6). b) Templi. *α)* Fundamenta iaciuntur (3, 7 ad 13). *β)* Aedificatio impeditur: a Samaritanis (4, 1—5) et a rege Persarum (4, 6—24). *γ)* Aedificatio repetitur: prophetae Aggaeus et Zacharias exhortantur (5, 1 sq), dux regionis mittit epistulam ad Darium (5, 3—17) qui aedificationem permittit et iuvat (6, 1—12), domus Dei completur (6, 13—15). *δ)* Dedicatio templi (6, 16—18) atque pascha celebratur (6, 19—22).

In 2 parte (7, 1—10, 44) reditus Esdrae describitur. 1. Reditio captivorum (7, 1—8, 36). a) Esdrae scribae qui Ierosolyma ascendit (7, 1—10) armatus decreto regis (7, 11—28). b) Comitum eius qui enumerantur (8, 1—14), congregantur ad Ahava (8, 15—30), perducuntur Ierusalem (8, 31—36). — 2. Sanctificatio coniugiorum (9, 1—10, 44). a) Transgressio expiatur: ipsa ab Esdra lugetur (9, 1—4) et coram Domino deploratur (9, 5 ad 15); eiectio alienigenarum decernitur (10, 1—8) ac perficitur (10, 9—17). b) Transgressores enumerantur: sacerdotes (10, 18—22), Levitae (10, 23 sq), Israelitae ceteri (10, 25—44).

β) **Liber Nehemiae, qui et Esdrae secundus dicitur,** נְחֶמְיָה, Ἔσδρας *β*, opera Nehemiae enarrat, 13 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—7, 73) Nehemias murum ducens proponitur. 1. Praeparationes (1, 1—2, 20). a) Nehemias afflictionem fratrum flet (1, 1—11), a rege mittitur (2, 1—8) et Ierusalem venit (2, 9—11). b) Exstructionem muri urget (2, 12—18) et subsannantibus rationem reddit (2, 19 sq). — 2. Exstructio muri (3, 1—6, 19). a) Aedificantes singuli enumerantur (3, 1—31). b) Difficultates describuntur, videlicet *α)* ab hostibus: irrisiones (4, 1—6) et insidiae (4, 7—23). *β)* A fratribus avaris quos increpat Nehemias (5, 1—13) suae utilitatis immemor (5, 14—19). *γ)* Ab hostibus iterum qui Nehemiam per epistulas ac prophetas terrebant (6, 1—19). — 3. Absolutio (7, 1—73). a) Nehemias securitati providet (7, 1—3), b) Populum recenset (7, 4—73).

In 2 parte (8, 1—13, 31) Nehemias gentem roborans proponitur. 1. Foedus renovat (8, 1—10, 39). a) Lex perlegitur: festo tubarum (8, 1—12), festo tabernaculorum (8, 13—18), die paenitentiae qua peccata sua confitentes divinam misericordiam invocant (9, 1—37). b) Foedus percutitur: a principibus signatur (9, 38 ad 10, 27) et a reliquis probatur (10, 28—39). — 2. Urbes frequentat (11, 1—12, 42). a) Numerus habitantium in Ierusalem (11, 1—24) et in urbibus ceteris (11, 25—36). b) Dedicatio muri Ierusalem. *α)* Enumerantur sacerdotes et Levitae (12, 1—26). *β)* Dedicatur murus (12, 27—42). — 3. Foederi instat (12, 43 ad 13, 31). a) In priore adventu: custodes tributorum constituit (12, 43—46) et alienigenas separat (13, 1—3). b) In altero adventu: gazophylacia mundat (13, 4—9), partes Levitarum exigit (13, 10—14), celebrationem sabbati urget (13, 15—22), sanctitatem coniugiorum postulat (13, 23—31).

c) Esdram in sacris libris colligendis „praecipuam partem" habuisse illi ex professo probant qui introductionem biblicam scripserunt. Videas Cornely (Introductio I 43 sqq), Kaulen (Einleitung I 22), Weber-Deinzer (Einleitung 6 sq), necnon Kautzsch-Guthe (Bibelwörterbuch 169).

d) Esdras probabiliter etiam synagogam magnam, כְּנֶסֶת הַגְּדוֹלָה, vel synedrium (sanhedrin) instituit, quemadmodum Iudaei tradunt. „Quam plurima quidem fabulosa in Thalmude de ea referri constat, inquit Cornely (Introductio I 49); cum plerisque tamen huic traditioni id veri subesse existimamus Esdram Nehemiamque

in restaurando cultu divino atque etiam in libris sacris colligendis transcribendisque socios adhibuisse viros suae aetatis doctissimos piissimosque." Synedrium tempore Graecorum exstitisse demonstrari potest, illud iam tempore Persarum exstitisse probabile est (*Holtzmann-Guthe,* Bibelwörterbuch 648). Quod Schürer (Geschichte II 354 sq) cum Kuenen asserit, nimirum congregationem populi de qua 2 Esr 8—10 legimus traditione in „synagogam magnam" transformatam esse argumentis obiective validis confirmari nequit.

7. Malachiam prophetam aetate Esdrae et Nehemiae prophetasse non solum catholici verum etiam plerique acatholici profitentur (cf. *Kaulen,* Einleitung II 261; *Strack,* Einleitung 125). Nomen מַלְאָכִי seu מַלְאָכִיָּה non est appellativum sed nomen proprium (cf. *Strack,* Einleitung 125; *Kaulen,* Einleitung II 260).

Prophetia Malachiae, מַלְאָכִי, *Μαλαχίας,* peccata populi et iudicium Domini pronuntiat, 4 (in Hebraico 3) capitibus constat et in duas partes dispertitur.

In 1 parte (1, 1—2, 16) peccata populi enumerantur. a) Sacerdotum: immunda offerunt (1, 1—14), ad paenitentiam vocantur (2, 1—9). b) Reliquorum: ducunt uxores alienas et dimittunt uxores adulescentiae suae (2, 10—16).

In 2 parte (2, 17—4, 6) iudicium Domini prophetat. Dominus erit ignis emundans (2, 17—3, 6), ergo bonum faciendum est (3, 7—12); erit ignis devorans (3, 13—4, 3), ergo impietas vitanda est (4, 4—6).

§ 34. De historia Israel usque ad Christum.

Quid Iudaei regnantibus 5 regibus sequentibus monarchiae Medo-Persicae (cf. pag. 322) egerint et passi sint neque sacrae Litterae neque documenta profana memoriae tradunt. Alexander M. (Fig. 72) qui regnum Medo-Persicum 331 a. Chr. sibi subiecit, Iudaeis favebat. Ipse 332/331 a. Chr. urbem Alexandriae (Fig. 73, pag. 345) fundavit ubi postea Ptolemaei sedem regni habebant, et plurimi Iudaei habitabant, atque versio Graeca Sacrae Scripturae quae LXX vocatur adornata est (*Guthe,* Bibelwörterbuch 24 sq).

Fig. 72. Tetrachmum Alexandri M. (Alexander, Iuppiter.)

Quae scriptor libri 1 Machabaeorum (1, 1—10) de Alexandro M. et successoribus eius narrat, breviter inquirere debemus, quia plures asserunt narrationem minus accuratam esse. *Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Graecia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum, et Medorum:* καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ πατάξαι Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου τὸν Μακεδόνα, ὃς ἐξῆλθεν ἐκ τῆς γῆς Χεττιείμ, καὶ ἐπάταξεν τὸν Δαρεῖον βασιλέα Περσῶν καὶ Μήδων, καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ, πρότερον ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα (1, 1). Secundum Vulgatam Alexander *primus regnavit in Graecia.* Zöckler (Apokryphen 34) putat scriptorem Palaestinensem circumstantias historicas non bene perspectas habuisse neque perpendisse iam Philippum, patrem Alexandri, regem totius Graeciae fuisse. At videamus textum Graecum, et difficultas evanescet. Iuxta hunc textum Alexander percusso Dario III Codomanno, rege Persarum et Medorum, loco eius regnavit, ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ, prius autem in Graecia regnavit, πρότερον ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα supple ἐβασίλευσεν (Syrus). Hagiographus igitur non asserit Alexandrum primum regem Graeciae fuisse, sed prius in Graecia quam in regno Darii regnasse, quod omnino verum est. *Cethim,* Χεττιείμ, ex qua Alexander egressus dicitur, sensu stricto insulam Cyprum (pag. 53), sensu latiore Graeciam significat (*Zöckler,* Apokryphen 34; cf. et *Knabenbauer,* Machabaeorum 39). Constructio Graeca μετὰ τὸ πατάξαι . . . καὶ ἐπάταξεν durior est; Zöckler (l. c.) cum Vulgata verbum semel tantum vertit. — *Et vocavit pueros suos nobiles,* τοὺς παῖδας αὐτοῦ τοὺς ἐνδόξους i. e. „ministros qui in aula et in re militari dignitate et muneribus honorificis potiebantur" (*Knabenbauer,* Machabaeorum 42), *qui secum erant nutriti a iuventute: et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret* (1, 7). *Et obtinuerunt pueri eius regnum,* καὶ ἐπεκράτησαν οἱ παῖδες αὐτοῦ, *unusquisque in loco suo:* [10] *et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, et filii eorum post eos annis multis, et multiplicata sunt mala in terra* (1, 9 sq). Sensus v. 7 hic solus esse potest: „singulis ducibus assignavit singulas provincias quibus praeessent; nullo pacto illos esse constitutos reges vel eo sensu regnum eius divisum, patet ex v. 10, in quo explicite effertur non ex dispositione Alexandri, sed ex suo ipsorum arbitratu eos assumpsisse insignia regia. . . . Refertur quoque eum (Alexandrum) interrogatum, cuinam regnum relinqueret, respondisse τῷ κρατίστῳ (Arr. 7, 26, 3); dedisse quoque detractum digito annulum Perdiccae (Diod. 17, 117, 3; cf. 18, 1, 4). Praeterea notat Arrianus se scire multa alia de eius obitu scripta esse. . . . Quare facile explicatur quod Curtius refert: ‚credidere quidam testamento Alexandri distributas esse provincias' (10, 10); ipse quidem addit: sed famam eius rei, quamquam ab auctoribus tradita est, vanam fuisse comperimus" (*Knabenbauer,* Machabaeorum 42 sq). Testimonium Curtii multi amplectuntur; sed Cornely (Introductio II 1, 459) recte scribit: „nihil impedit, quominus dissentientibus inter se profanis auctoribus, qui omnes nostro auctore (hagiographo) multo sunt recentiores, libri nostri relationem solam pro vera admittamus, etsi ad inspirationem eius non attendamus". Quid ex inspiratione libri sequatur, pag. 9 sqq diximus; huc ea praesertim spectant quae pag. 13 ex Encyclicis Leonis XIII *Providentissimus* transcripsimus. Inter mortem Alexandri M. (323) et initium regni Antiochi Epiphanis (175) multos annos, ἔτη πολλά, praeteriisse, hagiographus diserte (1, 10 sq) notat.

1. Alexandro M. (323 a. Chr.) mortuo a) Ptolemaeus I Lagi (323—285) terram Iudaeorum occupavit et ca 200 000 Iudaeos

Fig. 73. Alexandria hodierna.

in Aegyptum perduxit (320 a. Chr.) sed bene tractavit (*Haneberg,* Geschichte 442; *Selbst,* Handbuch 961).

b) Ptolemaeus II Philadelphos (285—246) etiam Iudaeis favebat atque providit ut Pentateuchus pro bibliotheca Alexandrina a patre suo 286 fundata in linguam Graecam verteretur. Reliqui libri serius ac pedetemptim Graece redditi sunt, sed versio eorum saec. II a. Chr. iam absoluta erat, nam interpres libri Ecclesiastici ca 130 a. Chr. legem, prophetas ceterosque libros Graece redditos invenit, ut in prologo eiusdem libri legimus. Plura de versione Alexandrina seu LXX interpretum apud Cornely (Introductio I 337 sqq), Kaulen (Einleitung I 89 sqq), Strack (Einleitung 213 sqq) aliosque auctores Introductionum biblicarum habentur.

c) Ptolemaeus III Euergetes I (246—222) quoque Iudaeos bene tractavit, sed Ptolemaeus IV Philopator (222—205) eos persequebatur (*Haneberg,* Geschichte 442). Ipso regnante liber Sapientiae in sermone Graeco scriptus videtur (*Kaulen,* Einleitung II 157; *Seisenberger*, Einführung 397; *Zschokke,* Historia 341 sq), quo hagiographus Iudaeos ad perseverantiam in fide et cultu veri Dei inflammare voluit.

Liber Sapientiae, *Σοφία Σαλωμῶνος*, philosophice et historice de sapientia (pag. 216) tractat, 19 capitibus constat et in duas partes dividitur.

In 1 parte (1, 1—9, 19) tractatio philosophica continetur. 1. Conditiones sapientiae acquirendae (1, 1—2, 25). a) Cor simplex (1, 1—5) et lingua iusta (1, 6—11). b) Opera bona: impii (1, 12—16) immortalitatem negantes (2, 1—5), luxuriantes (2, 6—9), iustum opprimentes (2, 10—20) sapientiae expertes sunt (2, 21—25). — 2. Utilitates sapientiae acquisitae (3, 1 ad 6, 23). a) Pro omnibus. *α)* Felicitas in hac vita: sapientes seu iusti sunt felices (3, 1—9), insipientes seu impii sunt infelices (3, 10 sq) quod magis declaratur (3, 12—4, 6). *β)* Felicitas in morte: sapientes sunt venerabiles (4, 7—18), insipientes sine honore (4, 19 sq). *γ)* Felicitas in altera vita: iusti seu sapientes erunt laudati ab impiis (5, 1—15) et coronati a Domino (5, 16—24). b) Pro principibus: reges et iudices (6, 1—11) vere sapientes (6, 12—18) in perpetuum regnabunt (6, 19—23). — 3. Natura sapientiae (6, 24—9, 19). a) Patet omnibus (6, 24—7, 6). b) Est generosior omnibus quatenus est *α)* mater bonorum omnium (7, 7—21) et *β)* filia Dei: imago bonitatis eius speciosa (7, 22—8, 1), summe diligenda (8, 2—16) et precibus infimis impetranda (8, 17—9, 19).

In 2 parte (10, 1—19, 20) demonstratio historica continetur. 1. Sapientia patriarchas gubernabat (10, 1—14): Adam et Noe (10, 1—4), Abraham et Lot (10, 5—9), Iacob et Ioseph (10, 10—14). — 2. Sapientia populum Dei gubernabat (10, 15 ad 19, 20). a) Populum iustum liberavit (10, 15—11, 4), Aegyptios (11, 5—27) et Chananaeos (12, 1—18) puniens sed locum paenitentiae iis concedens (12, 19—27). b) Cultorem Dei veri *α)* ab errore idololatriae tuebatur et quidem a cultu creaturarum Dei (13, 1—9) et operum humanorum (13, 10—14, 7) maledicto a Deo (14, 8—11) et invento ab hominibus (14, 12—20) qui est causa omnis mali (14, 21—31), defectio ab iustitia (15, 1—6), error voluntarius (15, 7—19). *β)* Eum etiam a poenis idololatriae tuebatur: a plaga bestiarum (16, 1—14), a plaga fulguris et tempestatis (16, 15—29), a plaga tenebrarum (17, 1—18, 4), a plaga mortis hominum (18, 5—25), a plaga maris (19, 1—11), assistens populo Dei vexato (19, 12—20).

d) Regnante Ptolemaeo V Epiphane (205—181) terra Iudaeorum ab Antiocho III M., rege Syriae, occupata; regnantibus denique Ptolemaeo VI Philometore (181—145) atque Ptolemaeo VII Physcone seu Euergete II (170—145 socio imperii, 145—117 solo dominante) liber Ecclesiastici compositus et Graece redditus necnon templum pro Iudaeis iuxta Heliopolim aedificatum est.

α) **Ecclesiasticus**, חָכְמַת יֵשׁוּעַ בֶּן סִירָא, *Σοφία Σειράχ*, rationem et exercitationem sapientiae (pag. 216) exponit, 51 capitibus constat et in duas partes distribuitur, quibus auctor epilogum addidit et interpres prologum praemisit. In prologi priore parte auctor libri, in altera parte ratio et aetas interpretis indicatur.

In 1 parte (1, 1—43, 37) ratio sapientiae exhibetur. 1. Cursus unus (1, 1—23, 38). a) Natura sapientiae: venit a Deo (1, 1—10), est timor Dei (1, 11—40). b) Praecepta sapientiae et quidem *α)* de servitute Dei: patientia habenda (2, 1—5), Deo credendum (2, 6—23), parentes honorandi (3, 1—18), mansuetudo et humilitas exercenda (3, 19—32), eleemosyna danda (3, 33—4, 11). *β)* De cultu sapientiae: sapientia diligenda (4, 12—22), veracitas servanda (4, 23—36), paenitentia agenda (5, 1—11), lingua custodienda (5, 12—18), amicitia aestimanda (6, 1—17), sapientia quaerenda (6, 18—37), peccatum aversandum (7, 1—20). *γ)* De necessitudine: familiares bene tractandi (7, 21—30), sacerdotes honorandi (7, 31 ad 35), pauperibus subveniendum (7, 36—40); exponitur quomodo conversandum sit cum diversis hominibus (8, 1—22), cum mulieri-

bus (9, 1—13) et cum viris (9, 14—25); de principibus (10, 1—5); superbia detestanda (10, 6—22), verus honor appetendus (10, 23 ad 34), nemo ante mortem laudandus (11, 1—30), non cuilibet fidendum (11, 31—36), iusto benefaciendum (12, 1—7), inimico non credendum (12, 8—19), ab honestiore discedendum (13, 1—17), cum simili sui conversandum (13, 18—32). *δ)* De vita interna: avaritia vitanda (14, 1—10), ante mortem benefaciendum (14, 11—21), sapientia quaerenda (14, 22—27) quam iustus apprehendet (15, 1 ad 10), peccatum arcendum (15, 11—22) quod punietur (16, 1—23). *ε)* De creatione divina: Deus omnia creavit (16, 24—31), creavit ac gubernat homines (17, 1—20) qui reverti debent (17, 21—31) ad Deum magnum et misericordem (18, 1—14). *ζ)* De conversione humana: eleemosyna danda (18, 15—18), sapienter agendum (18, 19 ad 29), concupiscentiae reprimendae (18, 30—19, 3), prudenter loquendum (19, 4—17), Deus timendus (19, 18—27), lingua sapienter utendum (19, 28—20, 33), peccata fugienda (21, 1—11), iustitia custodienda (21, 12—31) quae est sapientia vera (22, 1—23), amici bene tractandi (22, 24—32), Deus implorandus (22, 33—23, 6), ne pereat homo labiis (23, 7—20) neve concupiscentiis (23, 21—38). — 2. Cursus alter (24, 1—43, 37). a) Natura sapientiae: sapientia est primogenita Altissimi (24, 1—13), requiescens in Sion (24, 14—16), gratiosa (24, 17—23), mater omnium bonorum (24, 24—31), liber vitae (24, 32—47). b) Praecepta sapientiae. *α)* De dilectione Dei: Deus est timendus (25, 1—16), mulier nequam declinanda (25, 17—26, 24), cupiditas tollenda (26, 25—27, 4), verba ponderanda (27, 5—24), dolus vitandus (27, 25—32), ira supprimenda (27, 33—28, 14), susurratio fugienda (28, 15—30), misericordia facienda (29, 1—18). *β)* De prudentia: in foenerando (29, 19—35), in educandis filiis (30, 1—13), in servanda valetudine (30, 14—21), in repellenda tristitia (30, 22—27), in arcenda cupiditate (31, 1—11), in custodienda sobrietate (31, 12—42), in celebrandis conviviis (32, 1—17), in audiendis consiliis (32, 18—33, 15) et verbis sapientis (33, 16—19), in tractandis domesticis (33, 20 ad 33), in exquirendo vero (34, 1—13) et protectore (34, 14—20). *γ)* De sacrificiis: oblatio sit immaculata (34, 21—31), sacrificium salutare (35, 1—5), recte sacrificandum est (35, 6—15); orationem humilem respicit Deus (35, 16—26) qui pro populo exoratur (36, 1 ad 19). *δ)* De relatione: ad uxorem (36, 20—28), ad amicum (37, 1—6), ad consiliarium (37, 7—21), ad sapientem (37, 22—29), ad animam suam (37, 30—34), ad medicum (38, 1—15), ad mor-

tuos (38, 16—24). *ε)* De adeptione sapientiae: percipitur tempore vacuitatis (38, 25—39) studio et oratione (39, 1—15). *ζ)* De creatione: opera Dei valde bona sunt (39, 16—41), miseria humana ex peccato (40, 1—10), timor Domini optimus (40, 11—28), indigentia mala (40, 29—32), mors amara et bona (41, 1—7), filii peccatorum abominabiles (41, 8—16), confusio bona et mala (41, 17 ad 42, 8), consulitur cura filiae (42, 9—11) et fuga mulierum (42, 12—14); laus creatoris in genere (42, 15—26), in caelo (43, 1—20), in terra (43, 21—28), inenarrabilis (43, 29—37).

In 2 parte (44, 1—50, 23) exercitatio sapientiae exponitur. 1. Laus patrum generalis (44, 1—15). 2. Laus patrum specialis (44, 16—50, 23). a) Ante Moysen: Henoch (44, 16), Noe (44, 17—19), Abraham (44, 20—23), Isaac (44, 24—27) celebrantur. b) Moyses, Aaron, Phinees extolluntur: Moyses (45, 1—6), Aaron (45, 7—27), Phinees (45, 28—31). c) Post Moysen et quidem *α)* usque David praedicantur: Iosue (46, 1—9ª), Caleb (46, 9ᵇ—12), iudices (46, 13—15), Samuel (46, 16—23). *β)* Usque Ieroboam laudantur: Nathan (47, 1—14) et Salomon (47, 15—31). *γ)* Usque Nehemiam celebrantur: Elias (48, 1—13ª), Eliseus (48, 13ᵇ ad 18), Ezechias (48, 19—25ª), Isaias (48, 25ᵇ—28), Iosias (49, 1—7), Ieremias (49, 8 sq), Ezechiel (49, 10 sq), duodecim prophetae (49, 12), Zorobabel (49, 13), Iesus filius Iosedec (49, 14), Nehemias (49, 15), Henoch (49, 16), Ioseph (49, 17 sq), Seth et Sem et Adam (49, 19). *δ)* Simon sacerdos magnus laudibus ornatur (50, 1—23). — In epilogo habetur *α)* conclusio libri: Israelitis pax optatur (50, 24 ad 28), liber subscribitur et commendatur (50, 29—31). *β)* Appendix, quae gratiarum actionem (51, 1—17) et invitationem ad sapientiam acquirendam (51, 18—38) continet.

Titulus libri in Vulgata sequens legitur: *In Ecclesiasticum Iesu filii Sirach Prologus.* Finito prologo et ante textum ipsius libri: *Ecclesiasticus.* Hoc nomen libro impositum est, quia in ecclesiis saepe praelegebatur (*Kaulen,* Einleitung II 162) vel probabilius, quia imitatio libri *Ecclesiastae* censebatur (*Seisenberger,* Einführung 391). — S. Hieronymus (Praef. in libros Salomonis) testatur se hunc librum apud Hebraeos „Parabolas praenotatum" vidisse. — Titulum LXX Swete (The Old Testament) ita exhibet: Σοφία Σειράχ, Πρόλογος. Ante textum ipsius libri: Σοφία Σειράχ. Alii habent: Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ. — Fragmenta textus Hebraici (cap. 3—51) ab anno 1896 usque 1900 a Schechter, Margoliouth, Adler, Gaster, Lévi reperta edidit Peters (Liber Iesu filii Sirach sive Ecclesiasticus Hebraice, Friburgi Br. 1905). Utrum vero quattuor manuscripta Hebraica inter se discrepantia textum originalem bene exhibeant necne, Strack (Einleitung 171) in medio relinquit. Notamus S. Hieronymum textum Hebraicum non Latine reddidisse, forsitan quia ipsi textus Graecus et Latinus Italae melius placuit quam textus Hebraicus (ita *Seisenberger,* Einführung 394).

Interpres textus Hebraici in prologo testatur se anno 38 Ptolemaei Euergetis in Aegyptum pervenisse ibique aliquamdiu commorasse, *συνχρονίσας* (non *multum temporis* ut Vulgata habet) et librum *avi sui* interpretandum suscepisse. Iste Ptolemaeus Euergetes nequit esse Ptolemaeus III seu Euergetes I, quia hic 24 annis dumtaxat regnavit; debet esse Ptolemaeus VII seu Euergetes II qui 53 annis regnavit. Annus 38 regni eius fuit 132 a. Chr., ergo versio Graeca ca 130 adornata est. Si *avus, ὁ πάππος*, sensu proprio et obvio intellegatur, textus Hebraicus ca 190—180 a. Chr. scriptus est, et Simon summus sacerdos in c. 50 celebratus non Simon I († 291) sed Simon II († 198) accipiatur oportet. Videas plura apud Kaulen (Einleitung II 165 sq), Strack (Einleitung 171), Zöckler (Apokryphen 257 sq), ubi alia quoque sententia notatur, iuxta quam *avus, ὁ πάππος*, sensu improprio seu latiore intellegendus atque Simon I accipiendus est, ita ut textus Hebraicus ca 280 a. Chr. scriptus sit. — Auctor libri nominatur in Vulgata 50, 29 *Iesus filius Sirach Ierosolymita*, in Septuaginta (Swete) *Ἰησοῦς υἱὸς Σειρὰχ Ἐλεάζαρ ὁ Ἱεροσολυμείτης*. In Hebraico (Peters) haec subscripta sunt: „Hactenus verba Simeon, filii Iesu, qui vocatus est filius Sirach. Sapientia Simeon, filii Iesu, filii Eleazar, filii Sirach."

β) Onias IV occiso (170 a. Chr.) patre suo Onia III, summo pontifice (vide n. 2, lit. b), in Aegyptum fugit atque ca 160 annuentibus regibus Ptolemaeo VI et socio eius Ptolemaeo Physcone iuxta Heliopolim (Fig. 74) templum aedificavit. In Dt 12, 5 sq quidem praeceptum est: *ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, et habitet in eo, venietis: et offeretis in loco illo* etc. Sed Onias ad Is 19, 18 sqq provocavit ubi praedictum est: *In die illa erunt quinque civitates in Terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan, et iurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una. In die illa erit altare Domini in medio Terrae Aegypti, et titulus Domini iuxta terminum eius erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in Terra Aegypti.* Nihilominus Iudaei Palaestinenses hoc templum numquam pro legitimo habuerunt, quia Isaias propheta de tempore messianico loquitur (cf. *Knabenbauer,* Isaias 391). Templum Oniae iussu Vespasiani imperatoris 73 a. Chr. destructum est (*Haneberg,* Geschichte 464 sqq).

2. Antiochus III M. (224—187), rex Syriae, terram Iudaeorum occupavit, ut pag. 347 dictum est, sed Iudaeos bene tractavit. Non ita successores eius.

a) Seleucus IV Philopator (187—176) primo quidem de reditibus suis omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes praestabat, postea tamen propter delationem Simonis templo praepositi Heliodorum misit qui thesauros templi auferret. Omnibus Iudaeis cum Onia III, summo sacerdote, caelum obsecrantibus apparuerunt eques et duo iuvenes qui Heliodorum in aerarium ingressum ita caedebant ut in supremo spiritu constituerctur. Heliodorus ob sacrificium ab Onia oblatum vita donatus Deo gratias egit et mirabilia eius regi nuntiavit (2 Mach 3, 1 ad 40). Cum autem ille Simon de Onia male loqueretur ac si ipse Heliodorum terruisset et causa malorum fuisset, summus sacerdos ad regem se contulit (2 Mach 4, 1—6).

Fig. 74. Obeliscus Heliopolitanus. (Phot. Bonfils.)

Substantiam narrationis etiam Polybius (cf. *Iosephus*, Ant. 12, 3) confirmat ac Zöckler (Apokryphen 105) cum aliis agnoscit. Putat tamen Zöckler istam apparitionem terribilem aut visionem quandam Heliodori aut apparatum sacerdotum et Levitarum fuisse. At textus inspirati scriptoris (pag. 9 sqq) has opiniones manifeste excludit atque apparitionem miraculosam narrat quam recentissimi quoque docti catholici defendunt (cf. *Kaulen*, Einleitung II 102 109; *Schöpfer*, Geschichte 558; *Selbst*, Handbuch 981).

b) Antiochus IV Epiphanes (175—164) a Polybio (26, 10) Ἐπιμανής, furiosus vocatus, pro Onia III fratrem eius Iasonem plus pecuniae promittentem summum sacerdotem constituit qui Ierusalem profanavit, Herculi pecuniam obtulit, regem honorifice excepit (2 Mach 4, 7—22). Post triennium Antiochus pro Iasone Menelaum plus etiam pecuniae promittentem summo sacerdotio donavit qui crudelis animo per Andronicum absente rege Oniam III occidit (quare filius eius Onias IV in Aegyptum fugit, cf. supra n. 1, lit. d, β),

sacrilegus evasit sed nihilominus in potestate remansit et in malitia crevit (2 Mach 4, 23—50). Quando rex secundo Aegyptum debellabat, 40 diebus per universam Ierosolymorum civitatem in aere equites discurrentes et congressiones comminus fieri visae sunt. Omnes igitur rogabant monstra in bonum converti. Sparso autem rumore regem mortuum esse Iason civitatem aggressus est multosque cives occidit, principatum tamen non obtinuit sed fugere debuit (2 Mach 5, 1—10).

Intellegentia sequentium iuvabitur, si hic seriem summorum sacerdotum inseramus. *Iaddus* † 330, *Onias I* † 300, *Simon I* † 291, *Eleazar* † 267, *Manasses* † 240, *Onias II* † 227, *Simon II* † 198, *Onias III* † 170, *Iason, Menelaus, Alcimus, Iudas Machabaeus* † 161, *Ionathan* † 143, *Simon* † 135, *Ioannes Hyrcanus* † 104 (cf. *Haneberg*, Geschichte 446 sq; *Holtzmann-Guthe*, Bibelwörterbuch 483 409). — Similia phaenomena aerea etiam Tacitus (Hist. 5, 13) et Iosephus Flavius (Bell. Iud. 6, 5) referunt.

Rex Epiphanes suspicatus Iudaeos societatem deserturos esse, furiosus ex Aegypto adveniens civitatem cepit, habitatores trucidavit, templum spoliavit (2 Mach 5, 11—23; 1 Mach 1, 17—29): *nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad expoliandum aerarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, et repulsus utique fuisset ab audacia. Verum non propter locum, gentem: sed propter gentem, locum Deus elegit. Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum* (2 Mach 5, 18—20). Post 2 annos Apollonium cum 22000 militum misit qui sabbato civitatem plaga magna percussit et in arce praesidium reliquit (2 Mach 5, 24—27; 1 Mach 1, 30—42). Tunc Epiphanes generatim praescripsit ut in regno suo omnes unus populus fierent ideoque unusquisque legem propriam relinqueret. Speciatim in urbem Ierusalem ceterasque urbes Iuda litteras misit quibus Iudaei leges gentium sequi, holocausta omittere, festa non amplius celebrare, sancta coinquinare, aras et templa et idola aedificare, carnes suillas et animalia immunda immolare, filios incircumcisos relinquere, animas suas immunditiis maculare iussi sunt, ut legem Dei obliviscerentur et iustificationes eius immutarent. Inoboedientes mortis reos declaravit populo principes praeponens qui iussa urgerent. Et consenserunt ei non solum reliquae gentes, verum etiam multi Iudaei: idolis sacrificabant et sabbatum coinquinabant (1 Mach 1, 43—56).

Licet de hoc decreto in documentis profanis hucusque nihil inventum sit, Zöckler (Apokryphen 37) illud non improbabile censet; putat tamen hagiographum singula decreti mandata non accurate novisse atque fabulosa

traditione praeoccupatum fuisse. Sed haec opinio nullo argumento logice valido confirmari potest neque cum iis congruit quae Leo XIII de inspiratione docet (cf. pag. 9 sqq).

Die 15 mensis Casleu (Decembris) anni 145 aerae Seleucidarum (incipientis 312 a. Chr.), ergo 168 a. Chr., Antiochus Epiphanes super altare templi Ierosolymitani *abominandum idolum desolationis* aedificavit domumque Iahve Iovi Olympio, templum autem in Garizim exsistens Iovi Xenio dedicavit. Deinde per universas civitates aras exstruxit atque sacros libros combussit. Inoboedientes denique interfecit (1 Mach 1, 57—67; 2 Mach 6, 1—11), inter eos *Eleazarum unum de primoribus scribarum* 90 annorum (2 Mach 6, 18—31) et *septem fratres Machabaeos cum matre* eorum (2 Mach 7, 1—42). Contra hanc impietatem familia *Hasmonaeorum* seu *Machabaeorum* surrexit (1 Mach 2, 1; 2 Mach 8, 1).

Zöckler (Apokryphen 115) cum aliis inter 2 Mach 5, 21 atque 7, 3 9 12 16 sqq contradictionem invenit. Iuxta locum priorem, inquiunt, rex Antiochiam reversus est, iuxta locos sequentes vero Ierosolymis aderat, quando septem fratres Machabaei cum matre occisi sunt. Verumtamen septem fratres Ierosolymis passos esse non hagiographus asserit, sed isti interpretes gratis supponunt. Communis traditio orientalis et occidentalis tenet eos Antiochiae passos esse quod etiam hagiographus insinuat. Narrans enim regem Antiochiam reversum atque septem fratres ante eum interfectos esse implicite docet martyrium eorum Antiochiae accidisse. Cornely (Introductio II 1, 463) putat eos ex Iudaea Antiochiam adductos esse; probabilius tamen videtur septem fratres matremque eorum Antiochiae habitasse, ubi multi Iudaei commorabantur (*Selbst*, Handbuch 984). Ergo nulla adest contradictio. — Quodsi quidam asserunt Antiochum Epiphanem non tam crudelem fuisse, in memoriam revocamus quod ab ipso Polybio ca 150 a. Chr. Ἐπιμανής, furiosus, nominatus sit (pag. 351; videas 1 Mach 3, 34—36; 2 Mach 9, 4). — Progenies Hasmonaeorum haec fuit (*Holtzmann-Guthe*, Bibelwörterbuch 409; *Schürer*, Geschichte I 779):

Hasmonaeus
|
Simeon
|
Ioannes
|
Mathathias

Ioannes Gaddis † 160, Simon Thasi † 135, *Iudas Machabaeus* † 161, Eleazarus Abaron † 162, Ionathas Apphus † 143

Iudas † 135, Ioannes Hyrcanus I † 104, Mathathias † 135

Iudas Aristobulus I † 103, Antiogonus † 105, Alexander Iannaeus † 76 (Alexandra † 67)

Ioannes Hyrcanus II † 30 — Aristobulus II † 49

Alexandra † 28 — Alexander † 49, Antigonus † 37, Alexandra Lysanias † 34

Mariamme † 29, Aristobulus † 35.

Cognomen *Machabaei*, מַקַּבָּה, i. e. mallei, primitus *Iudae* propter victorias inditum est; deinde tota familia Hasmonaeorum, denique omnes Iudaei cum Hasmonaeis patientes et pugnantes ac vincentes Machabaei appellati sunt (cf. *Holtzmann-Guthe*, Bibelwörterbuch 407; *Kaulen*, Einleitung II 100).

Mathathias igitur idololatras trucidavit, bonos congregavit, bellum sabbatinum decrevit, iniquos percussit, moriens filios suos hortatus est atque docuit (1 Mach 2, 1—70). Filius eius *Iudas* Apollonium praefectum Samariae devicit ac Seronem principem exercitus Syriae contrivit. Ante pugnam Iudas fide plenus desperantibus Iudaeis dixit: *Facile est concludi multos in manus paucorum: et non est differentia in conspectu Dei caeli liberare in multis, et in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de caelo fortitudo est* (1 Mach 3, 18 sq). His victoriis reportatis omnes gentes vicinae Iudam celebrabant, verum etiam timebant (1 Mach 3, 1—26). Antiochus vero iratus exercitum universum regni sui congregavit eique in annum stipendia distribuit. At videns pecuniam in thesauris defecisse valde consternatus est. Lysiam quidem administratorem regni et educatorem filii sui constituit, dimidium exercitum ei reliquit atque mandavit, ut virtutem Israel et reliquias Ierusalem exstirparet, memoriam eorum auferret et terram Iuda alienigenis assignaret. Ipse autem alteram exercitus partem assumens anno 147 (cf. pag. 353) de Antiochia profectus est, Euphraten transfretavit, regiones superiores i. e. Armeniam, Assyriam, Mediam, Persiam perambulabat tributa exigere et argentum copiosum congregare volens (1 Mach 3, 27—37).

Lysias ad Iudaeos conterendos misit Ptolemaeum, Nicanorem, Gorgiam quos Iudas ab Omnipotente adiutus vicit ac fugavit (1 Mach 3, 38—4, 25; 2 Mach 8, 8—29 34—36). Quod cum Lysias audisset, ipse in terram Iuda venit sed etiam ab Iuda superatus est (1 Mach 4, 26—35). His gestis Iudas die 25 mensis Casleu anni 148 (cf. pag. 353) templum profanatum mundavit (1 Mach 4, 36—59; 2 Mach 10, 1—9), urbem munivit (1 Mach 4, 60 sq), gentes vicinas Iudaeis infensas percussit (1 Mach 5, 1—68; 2 Mach 8, 30 –33). Interim rex regiones superiores perambulabat, Persepolim occupare templumque eius spoliare volebat, sed ab habitatoribus fugatus ad Ecbatana venit ibique a nuntio didicit quid in Iudaea acciderit. Ira incensus Ierosolyma proficisci et urbem *congeriem sepulchri Iudaeorum* facere sibi proposuerat. Gravissimo tamen morbo correptus peregre mortuus est anno 149 aerae Seleucidarum i. e. 164 a. Chr. (cf. pag. 353).

In 2 Mach 8, 20 assertum legimus 120000 Galatas per 6000 Iudaeos devictos esse, quod Zöckler (Apokryphen 119) superlationem phantasticam iudicat. Cui opponimus: primo non est certum numeros esse incorruptos (cf. pag. 88); secundo ista victoria *propter auxilium illis datum de caelo* parta dicitur; tertio non hagiographus sed Iudas in loco citato narrat, ergo valent quae pag. 11 sq scripta sunt. — Inter profanationem atque purificationem templi secundum 1 Mach 1, 57 62; 4, 52 triennium, secundum 2 Mach 10, 3 vero biennium transiit. Zöckler (Apokryphen 48 123) affirmat scriptorem 2 libri tempus falso indicasse; at hoc *biennium* non a profanatione templi sed „ab initio principatus Iudae Machabaei" inchoandum est, uti Cornely (Introductio II 1, 464) cum Serario, Lapide, Patrizi bene notat. — Holtzmann-Guthe (Bibelwörterbuch 604) cum aliis affirmant Lysiam iuxta 1 Mach 4, 26—35 regnante Antiocho Epiphane, iuxta 2 Mach 11, 1—12, 1 regnante Antiocho Eupatore caesum esse. Sed ex contextu discimus Lysiam bis devictum esse (cf. *Cornely*, Introductio II 1, 463). — Dictum est a scriptore 2 Mach 10, 15—38; 12, 2—45 bella contra gentes vicinas gesta aliis temporibus ascribi quam a scriptore 1 Mach 5, 1 sqq. Sed „obiectio nulla est, nisi antea demonstratur utrumque auctorem de iisdem omnino expeditionibus loqui et utrumque voluisse ordinem chronologicum accurate servare" (*Cornely*, Introductio II 1, 464). — In 1 Mach 5, 54 legimus: *et ascenderunt in montem Sion cum laetitia, et gaudio, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset donec reverterentur in pace.* Putarunt nonnulli hanc narrationem aut miraculosam aut fabulosam esse. At iam Zöckler (Apokryphen 52) expositionem omnino plausibilem dedit, videlicet istam notam de reditu periculoso immediate antea narrato intellegendam esse. — De morte Antiochi tres relationes exstant. Secundum 1 Mach 6, 1—16 *audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, et copiosam in argento, et auro, templumque in ea locuples valde:* quare eam capere ac depraedari volebat. Ab habitatoribus fugatus in *Babyloniam* reversus est, ubi a nuntio didicit quae in Iudaea acta essent. *Prae tristitia magna* in morbum incidit, malorum quae Ierosolymis perpetraverat recordatus est, Philippum regni administratorem ac filii educatorem nominavit, anno 149 mortuus est. Secundum 2 Mach 9, 1—29 volebat *Persepolim* occupare templumque eius exspoliare, sed ab habitatoribus fugatus est. Circa *Ecbatana* recognoscens quae in Iudaea accidissent, currum suum agitari iussit ut Ierosolyma *congeriem sepulchri Iudaeorum* faceret. Propterea a Domino plaga insanabili et invisibili percussus est: *apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta.* Nihilominus superbia repletus atque in Iudaeos ignem spirans negotium accelerari praecepit; sed *contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari ... ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes eius effluerent.* Tunc crimina sua agnovit, Iudaeis litteras misit, peregre in montibus obiit, cuius corpus Philippus sepelivit ac deinde in Aegyptum fugit. Secundum 2 Mach 1, 10b—17 Antiochus cum paucis intra ambitum templi Naneae ingressus a sacerdotibus lapidatus est. Quod ad ultimam hanc relationem attinet, hagiographus diserte notat (1, 10b) Iudaeos Ierosolymitanos ita Iudaeis in Aegypto habitantibus scripsisse, quin scriptum eorum approbet; immo illud reprobat, quatenus ipse proprio nomine loquens 2 Mach 9, 1—29 contrarium narrat: ergo tertia haec relatio falsa est et ut talis omitti potest. Relatio prima et secunda inter se non pugnant. Nam lectio Vulgatae 1 Mach 6, 1 *audivit esse civitatem Elymaidem in Perside* etc. falsa est, in LXX quippe habetur: ἤκουσεν ὅτι ἐστὶν ἐν Ἐλύμαις ἐν τῇ Περσίδι πόλις κτλ. (cf. *Swete*, The Old Testament). Ergo scriptor 1 Mach 6, 1

nomen civitatis tacuit, sed „provinciam (Elymaida) et regnum ad quod pertinuit (Persiam) nominavit“; scriptor vero 2 Mach 9, 1 sq regnum (Persiam) atque civitatem (Persepolim) nominavit, provinciam vero tacuit (*Cornely,* Introductio II 1, 467 sq). Neque contradictio adest, si Antiochus iuxta 2 Mach 9, 3 circa *Ecbatana*, iuxta 1 Mach 6, 4 sq in *Babylonia* nuntium rerum in Iudaea gestarum accepisse scribitur. Babylonia enim sensu latiore etiam Mediam significare potest (cf. *Zöckler,* Apokryphen 119) cuius urbs principalis Ecbatana fuerunt. Quod rex a Persepolis habitatoribus fugatus per Ecbatana in Syriam et Antiochiam reverti voluerit, nulla ratione mirandum est (cf. Tab. I; *Cornely,* Introductio II 1, 468). Quodsi denique scriptor 1 Mach 6, 8 sqq affirmat Antiochum *prae tristitia magna* in morbum incidisse, non negat eum a Domino plaga insanabili et invisibili percussum et dolore diro viscerum apprehensum esse, de curru cecidisse atque verminatione (helminthiasi) laborasse quod scriptor 2 Mach 9, 5 sqq testatur: nam si quis de re quadam non loquitur, iuxta praecepta logica non sequitur illum rem nescisse vel negasse (cf. Exegeticam 120 sq). Quae in libro altero habentur „tantum abest ut ea priori libro contradicant, inquit Cornely (Introductio II 1, 468), ut commentarium optimum constituant brevioris istius relationis“. Zöckler (Apokryphen 121) sine ullo argumento asserit in libro altero superlationem non historicam certe adesse; testimonio hagiographi magis credendum est (cf. pag. 9 sqq). Neque quoad *Philippum* 2 Mach 9, 29 atque 1 Mach 6, 55—63 contrarii sunt. Etenim „Philippum statim in Aegyptum fugisse auctor noster (2 Mach 9. 29) non asserit; nihil igitur obstat quominus in 2 Mach 9, 29 ea inseramus quae 1 Mach 6, 55—63 referuntur, scilicet Philippum cum Epiphanis exercitu reversum Antiochiam primum occupasse sed devictum esse a Lysia; devictum autem in Aegyptum fugisse noster addit. Fl. Iosephus (Antiq. 12, 9, 7) utique refert Philippum capta Antiochia a Lysia esse interfectum; quaestio igitur est, uter maiore fide sit dignus Iason Cyrenaeus testis coaevus an Iosephus qui . . . quam plurima erronea tradit“ (*Cornely,* Introductio II 1, 464). Peters (Die grundsätzliche Stellung 58) opinatur pro salute humana et pro veritate substantiali narrationis librorum Machabaeorum omnino indifferens esse, utrum Epiphanes prae tristitia mortuus sit an de curru ceciderit et ex vulneribus inde acceptis perierit an per sacerdotes Naneae occisus sit. Sed de hoc non quaeritur; quaeritur potius utrum Deus per hagiographos loquens errorem proponere vel sibi contradicere possit necne: „ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse“ Leo XIII (Provid. 61) docet (cf. pag. 10). Ceterum Peters praetermittit quod Epiphanes 2 Mach 9, 5 sqq *insanabili, et invisibili plaga* a Deo percussus dicatur et postea de curru cecidisse narretur.

c) Quam primum Lysias certior factus est Epiphanem mortuum esse, Antiochum filium eius (pag. 354) regem proclamavit et Eupatorem nominavit (1 Mach 6, 17). Hic regno suscepto istum Lysiam procuratorem imperii et principem militiae constituit (2 Mach 10, 11). — Regnante Antiocho Eupatore (164—162 a. Chr.) Iudas Machabaeus Gorgiam (2 Mach 10, 14—23), Timotheum (2 Mach 10, 24—38), ipsum Lysiam (2 Mach 11, 1—12) devicit, quare rex anno 148 aerae Seleucidarum i. e. 164 a. Chr. Iudaeis concessit *ut agerent secundum suorum maiorum consuetudinem* (2 Mach 11, 13

ad 38). Postea Iudas gentibus variis bellum intulit (2 Mach 12, 1 ad 46) atque regem cum Lysia egressum superavit (2 Mach 13, 1 ad 23ª; 1 Mach 6, 18—54). Lysias audiens quod Philippus cum exercitu ex Persia reversus secundum voluntatem Epiphanis (pag. 355) negotia regni susciperet, regi persuasit ut cum Iudaeis pacem iniret. Quo facto rex Antiochiam rediit et Philippum devicit qui in Aegyptum fugit (1 Mach 6, 55—63; 2 Mach 13, 23ᵇ—26; 9, 29; cf. pag. 356).

Quod ad numeros attinet qui in locis citatis notantur, repetimus multos numeros sacri textus corruptos esse (pag. 88). Si Zöckler (Apokryphen 124) asserit hagiographum stupida superlatione et iactatione uti (geht hier in ein gedankenloses Flunkern und Bramarbasieren über), ei opponimus quae Cornely (Introductio II 1, 465) contra alium adversarium scil. Grimm iam scripsit: „adversario demonstrandum est numeros istos qui hodie leguntur, auctori et non librariis somnolentis deberi; nam in libris Machab. idem quod in reliquis libris sacris accidisse atque genuinam numerorum et nominum propriorum lectionem interdum perisse, quis mirabitur?“ — Zöckler (Apokryphen 124) asserit 2 Mach 10, 11 cum 1 Mach 3, 32 sqq; 6, 17 pugnare. Qui tamen textus citatos perlegerit, veram contradictionem (cf. Exegeticam 114) non inveniet. „Non animadvertit adversarius noster (scil. Grimm), inquit Cornely (Introductio II 1, 464), regum etiam pupillorum decreta eorum nomine promulgari; Lysias semper vocatur Eupatoris ἐπίτροπος (11, 1; 13, 2; 14, 2): auctor igitur noster non ignoravit Eupatorem puerum fuisse eo tempore.“ — Legimus 2 Mach 10, 29 sq: *Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de caelo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudaeis praestantes: ex quibus duo Machabaeum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela, et fulmina iaciebant, ex quo et caecitate confusi, et repleti perturbatione cadebant.* Et iterum 2 Mach 11, 8: *Cumque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit praecedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.* Peters (Die grundsätzliche Stellung 58) affirmat pro religione omnino indifferens esse, utrum narratio apparitionis quinque equitum vera sit necne. Insuper scriptorem libri inspirati diserte veritatem singularum rerum narratarum Iasoni relinquere; ergo nos axiopistiam narrationis negare posse, cum Iason pugnam ita narraverit quomodo fama populari tradebatur (im Volksmunde lebte). Mirum est quod vir doctus tantas falsitates conscribere potuerit. Etenim non quaeritur, utrum veritas narrationis pro religione indifferens sit necne; quaeritur potius, num Deus per hagiographum loquens nobis errorem proponere possit, quod Leo XIII explicite negat (pag. 356). In Vulgata 2 Mach 2, 29 utique habetur: *Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes.* Textus vero originalis talis est: τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπίπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς ἀτονοῦντες. Accuratam rerum singularum expositionem (cf. *Passow*, Handwörterbuch; et *Biel*, Thesaurus philologicus, ad διακριβόω) historiographo, συγγραφεῖ, reliquit, ipse autem brevitati studuit. „Neque igitur Iason dicitur respondere debere de veritate narratorum, sed ampla singulorum expositio in oppositione ad brevitatem epitomae ei conceditur“ (*Pesch*, De inspiratione 431). Hoc Peters scire et potuerat et debuerat, qui praeterea sine ullo argumento supponit Iasonem pugnam ita narrasse, quemadmodum fama popu-

lari tradebatur. Videas etiam pag. 10. Verissime Badino (Della questione biblica, Siena e Montefalco 1907, 18) scribit: „Sono i miracoli, sempre i miracoli, unicamente i miracoli, che fanno ombra e paura ai nostri neocritici.“ Conferas pag. 7 sq 16. — Secundum Zöckler (Apokryphen 126) annus in epistulis notatus (2 Mach 11, 21 33 38) chronologice falsus est, cum pax non anno 148 sed 150 aerae Seleucidarum (cf. pag. 353) inita sit (1 Mach 6, 42—62). At gratis supponit in 1 et 2 libro eandem pactionem referri. Iuvat hic annotare quae Cornely (Introductio II 1, 464) scribit: „Annus 148 aer. Seleuc. quo scripta est Lysiae epistola, est annus mortis Antiochi Epiphanis, si attendis in numerandis annis aerae Seleucidarum duos nostros Machabaeorum libros ita differre, ut prior liber (hebraice scriptus) aeram incipiat ex Iudaeorum more a vere (mense Nisan), alter vero (graece conscriptus) ex more Graecorum ab auctumno (mense Tischri).“ — Fere ridiculum est quod Zöckler (Apokryphen 128) cum aliis notat, nimirum Timotheum in 2 Mach 10, 37 occisum, in 2 Mach 12, 2 sqq adhuc vivum proponi. Iasonem aut hagiographum tam stupidum fuisse, ut ad hanc contradictionem animum non adverterit, ex libro nulla ratione demonstrari potest. Propterea interpretes catholici et protestantes communiter (cf. *Cornely,* Introductio II 1, 466) docuerunt duas personas diversas idem nomen habuisse. — Zöckler (Apokryphen 131 sq) cum Grimm asserit 2 Mach 13, 1 sqq esse deformatam ac depravatam relationem illarum rerum quae 1 Mach 6, 28 sqq narrantur. Sed iam Cornely (Introductio II 1, 465) cum aliis catholicis huic obiectioni recte opposuit: „Utique, si eaedem res gestae in nostro libro et in priore... narrari supponuntur; sed etsi de eadem expeditione sit sermo, de aliis tamen pugnis loquitur prior, de aliis alter, ita ut alter alterius narrationem suppleat.“

d) Anno 151 aerae Seleucidarum (pag. 353) Demetrius I Soter (162—150 a. Chr.), Seleuci IV filius, Tripolim in urbem maritimam (Tab. I) venit ibique regnavit (1 Mach 7, 1; 2 Mach 14, 1). Inde cum multitudine valida et navibus Antiochiam profectus regiones occupavit atque Antiochum et Lysiam interfecit (2 Mach 14, 1 sq; 1 Mach 7, 2—4). Ab Alcimo sacerdote Iudaeorum irritatus hunc summum sacerdotem constituit et cum Bacchide in Iudaeam misit ut ab Iudaeis ultionem peteret. Postquam autem Bacchides ad regem reversus est, Alcimus cognovit se contra Iudam stare nequire, ideoque et ipse ad regem regressus est atque iterum Iudam accusavit (1 Mach 7, 5—25; 2 Mach 14, 3—11). Demetrius statim Nicanorem misit, qui tamen cum Iuda amicitias fecit (2 Mach 14, 12—25). Quod cum Alcimus regi nuntiasset, hic Nicanori mandavit, ut quam primum Iudam vinctum Antiochiam mitteret. Nicanor igitur prius dolo, deinde vi Iudam rapere volebat, sed ab ipso in proelio percussus obiit (2 Mach 14, 26—15, 40; 1 Mach 7, 26—50). Iudas auditis Romanorum virtutibus cum iis amicitiam et societatem iniit (1 Mach 8, 1—32). Demetrius vero audiens Nicanorem et exercitum percussum esse, Bacchidem et Alcimum misit quibuscum pugnans Iudas anno 161 a. Chr. fortiter mortuus est (1 Mach 9, 1—22).

Olim aliqui inter 1 Mach 7, 1 atque 2 Mach 14, 1 contradictionem statuerunt. Sed nunc Zöckler (Apokryphen 133) quoque contradictionem adesse negat. Nam ibi narratur Demetrius *cum paucis viris* in urbem maritimam venisse; hic vero hagiographus asserit eum *cum multitudine valida* ex portu Tripolis Antiochiam navigasse. — In 2 Mach 14, 3 7 Alcimus iam antea summus sacerdos exstitisse sed *voluntarie coinquinatus* dignitate orbatus dicitur quod 1 Mach 7, 5 nullo modo negatur: ergo non adest contradictio. — Zöckler (Apokryphen 134 sq) cum Keil putat scriptorem amicitiam inter Nicanorem et Iudam exsistentem rhetorice expolisse; at nullo argumento demonstrat tam Iasonem quam scriptorem inspiratum talia litteris consignasse qualia cum veritate non conveniant (cf. pag. 10). — Quod ad suicidium Raziae (2 Mach 14, 37—46) attinet, illud obiective laudari nequit; hagiographus autem sat clare indicat Raziam subiective „occisionem sui ipsius licitam, honestam, nobilem, generosam, viro forti ac nobili plane dignam" putasse (*Knabenbauer,* Machabaeorum 427). Conferas quae pag. 160 de voto Iephte dicta sunt. — De apparitione Oniae III atque Ieremiae (2 Mach 15, 12—16) videas pag. 7 sq. — Victoria de Nicanore ab Iuda reportata *liber 2 Machabaeorum* finitur. — Iterum atque iterum repetitur in 1 Mach 8, 1 sqq de Romanis plura falsa tradi. Sed hagiographus refert dumtaxat quae Iudas audierit, quin istam narrationem suam faciat vel approbet: ergo narratio reapse falsa continere potest (cf. pag. 12).

e) Intellegentia sequentis historiae sacrae iuvabitur, si quaedam ex historia regni Seleucidarum praemiserimus. Contra Demetrium I (162—150 a. Chr.) Alexander I Balas (153—145 a. Chr.), qui se filium Antiochi Epiphanis dicebat, anno 153 a. Chr. surrexit eumque 150 devicit et occidit. Adversus Alexandrum Demetrius II Nicator 147 processit a Ptolemaeo VI rege Aegypti adiutus qui tamen ipse regnum ambiebat; mortuis Alexandro ac Ptolemaeo Demetrius dominabatur (145—138). Sed Diodotus Tryphon, dux Alexandri Balae, Antiochum VI Dionysum, filium Alexandri Balae, regem (145—141) proclamavit, at 141 occidit et ipse regnavit. Demetrio II per regem Parthorum Mithridatem I anno 138 a. Chr. in carcerem misso Antiochus VII Sidetes (138—128), frater Demetrii II, contra Tryphonem pugnavit eumque occidit, sed in bello contra Parthos interfectus est. Iterum Demetrius II Nicator (128—125) a Parthis iam antea dimissus gubernacula regni accepit, quo mortuo Alexander II Zabinas (124—122), falso filius Alexandri Balae dictus, et Antiochus VIII Grypus (124—113), filius Demetrii II, pugnarunt. Alexandro Zabina superato et occiso (122 a. Chr.) Antiochus Grypus solus regnavit, ab 113 usque 111 a. Chr. per Antiochum IX Cyzicenum regno privatus exstitit, sed anno 111 maiorem partem Syriae iterum recuperavit et adversarium suum in Coelesyriam reiecit. Antiochus VIII anno 96, Antiochus IX anno 95 a. Chr. mortuus est. Reliqui reges infra in genealogia enumerantur. Anno 65 a. Chr. Romani Syriam

occuparunt. Videas Holtzmann-Guthe (Bibelwörterbuch 603 sqq), Schürer (Geschichte I 227 sqq).

Genealogia Seleucidarum haec est:

Seleucus I Nicator (312—282)
Antiochus I Soter (282—262)
Antiochus II Deus (262—246)
Seleucus II Callinicus (246—226) Antiochus Hierax
Seleucus III Ceraunus (226—223) Antiochus III M. (223—187)
Seleucus IV Philopator (187—175) Antiochus IV Epiphanes (175—164)
Demetrius I Soter (162—150) Antiochus V Eupator (164—162) *Alexander I Balas* (153—145)
Antiochus VI Dionysus (145—141) *Alexander II Zabinas* (124—122)
Demetrius II Nicator (145—138 128—125) Antiochus VII Sidetes (138—128)
Seleucus V (125—124) Antiochus VIII Grypus (124—113 111—96) Antiochus IX Cyzicenus (113—95)
Seleucus VI (95—93) Antiochus XI Philippus Demetrius III Eucaerus Antiochus XII. Antiochus X Eusebes (94—83)
Antiochus XIII Asiaticus (69—65)

f) *Ionathas* (pag. 353) princeps Iudaeorum electus bis Bacchidem devicit (1 Mach 9, 23—73) atque postea Alexandro I Balae adhaesit a quo summus sacerdos necnon amicus regis constitutus et valde honoratus est (1 Mach 10, 1—89). Etiam a Ptolemaeo VI bene tractabatur (1 Mach 11, 1—18). Demetrius II Nicator prius Ionathan exaltavit, deinde autem ab eo se alienavit (1 Mach 11, 19—53). Regnante Antiocho VI Dionyso Ionathas feliciter contra hostes pugnavit, cum Romanis et Spartiatis amicitiam et foedus renovavit (1 Mach 11, 54—12, 38); a Tryphone autem captus est (1 Mach 12, 39—52).

g) *Simon* (pag. 353) loco Ionathae dux electus effecit, ut Tryphon Iudaeam relinqueret, postquam Ionathan interfecit (1 Mach 12, 53—13, 30). Deinde sepulcrum Machabaeorum erexit (1 Mach 13, 25—30). Antiocho VI per Tryphonem occiso Simon Demetrio II adhaerebat, ab eo immunitatem ac libertatem populi Israel petiit atque obtinuit (1 Mach 13, 31—40). *Anno centesimo septuagesimo* aerae Seleucidarum i. e. 142 a. Chr. *ablatum est iugum Gentium ab Israel. Et coepit populus Israel scribere in tabulis, et gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, et principe Iudaeorum* (1 Mach 13, 41 sq).

Hagiographus 1 Mach 10, 1 Alexandrum Balam filium Antiochi Epiphanis vocat, licet reapse iuvenis sortis extremae fuerit. Hagiographus ita scribere potuit, quia tunc omnes sciebant qualis filius Antiochi intellegendus sit, videlicet suppositicius (cf. *Schürer,* Geschichte 227 sq; *Knabenbauer,* Machabaeorum 177 sq). — Plures acatholici negarunt a Spartiatis ad Iudaeos et ab Iudaeis ad Spartiatas illas litteras quae 1 Mach 12, 5—23 referuntur missas esse. At nullum argumentum logice validum pro sua opinione adducunt, quare Palmer, Ewald, Keil, Rawlinson cum iis non consentiunt (cf. *Zöckler,* Apokryphen 76). Cum scriptor inspiratus istud litterarum commercium diserte confirmet (1 Mach 12, 5 19), spurium esse nequit (pag. 9 sqq). — *Arius* rex Spartiatarum est Arius I (309—265 a. Chr.), et *Onias* summus sacerdos Iudaeorum est Onias I († 300 a. Chr.). Videas Zöckler (Apokryphen 75) et Knabenbauer (Machabaeorum 214). — Assertum regis Spartiatarum: *Inventum est in scriptura de Spartiatis, et Iudaeis, quoniam sunt fratres, et quod sunt de genere Abraham* (1 Mach 12, 21), hagiographus neque approbat neque improbat, quare ea valent quae pag. 11 sq dicta sunt. — Ex 1 Mach 12, 50 52; 13, 4 discimus Iudaeos putasse quod Ionathas cum comitibus suis a Tryphone in urbe Ptolemaidis interfectus sit; revera (cf. 1 Mach 12, 48 coll. 13, 12 23) postea ad Bascaman occisus est.

3. De sequenti tempore libertatis populi Israel Sacrae Litterae pauca dumtaxat narrant.

a) Simon anno 141 a. Chr. arcem Ierusalem occupavit, montem templi munivit, filium suum Ioannem Hyrcanum ducem exercitus constituit (1 Mach 13, 43—54). Pace ac felicitate fruens cum Spartiatis et Romanis foedus renovavit (1 Mach 14, 1—24[a]) atque a populo Iudaeocum dux et summus sacerdos *in aeternum* constitutus est, *donec surgat propheta fidelis* (1 Mach 14, 24[b]—49). Antiochus VII Sidetes, filius Demetrii I et frater Demetrii II, anno 138 a. Chr. Simoni privilegia omnia confirmavit eique concessit *facere percussuram proprii numismatis* (1 Mach 15, 1—14); Romani autem *regibus, et regionibus* scripserunt, *ut non inferant illis* (Iudaeis) *mala, neque impugnent eos, et civitates eorum, et regiones eorum: et ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos* (1 Mach 15, 15—24). Simon regi Antiocho VII se infestanti postulata negavit ac ducem eius devicit (1 Mach 15, 25—16, 10), sed una cum filiis suis Mathathia et Iuda a genero suo Ptolemaeo regnum affectante occisus est (1 Mach 16, 11—17).

In 1 Mach 14, 24[b] Vulgata habet: *Cum autem audisset populus Romanus sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, et filiis eius?* Reliquae tamen versiones adiectivum *Romanus* recte omittunt; non Romanum sed Iudaicum populum intellegendum esse iam antiquiores interpretes catholici notarunt (*Knabenbauer,* Machabaeorum 243; cf. *Zöckler,* Apokryphen 83). — Summus sacerdos ex familia Aaron esse debuerat. At Onias IV contra legis praeceptum in Aegypto templum aedificans (cf. pag. 350) summo sacerdotio se cum familia sua indignum reddidit. Inter ceteros vero sacerdotes Machabaei sine ulla dubitatione

isto honore maxime digni erant, quare Simon pro se ac posteris suis summum sacerdotium acceptare potuit, eo magis quod conditio adiecta fuerit: *donec surgat propheta fidelis* (1 Mach 14, 41; cf. *Selbst,* Handbuch 998 sq). — Percussura proprii numismatis Simoni diserte anno 138 a. Chr. concessa sed iam antea, adepta videlicet libertate, usurpata est. Supersunt sicli argentei ex I, II, III, IV et unus ex V anno Simonis. Hos „siclos Simonis" reapse a Simone excusos esse viri docti unanimi consensu retinent, licet aliqui id negaverint quin tamen argumenta valida afferre potuerint (cf. *Schürer,* Geschichte I 243 sqq 762 sqq). In istis siclis argenteis (Fig. 75) conspicitur ex una parte lilium cum inscriptione (litteris antiquis Hebraeorum) ירושלם קדשה vel ירושלים הקדושה i. e. *Ierusalem sancta,* ex altera parte calix cum inscriptione שקל ישראל i. e. *siclus Israel* vel חצי השקל i. e. *dimidius siclus,* atque indictione anni e. g. שב i. e. *anno* (שנת) *secundo* (cf. *Benzinger,* Archäologie 196; *Kortleitner,* Archaeologia 255).

Fig. 75. Siclus argenteus Simonis.

b) Ioannes Hyrcanus, filius Simonis, est ultimus sacerdos summus et princeps Iudaeorum qui in Sacra Scriptura commemoratur (1 Mach 16, 18—24). Regnavit 135—104 a. Chr. Ipso regnante liber 1 et 2 Machabaeorum scriptus est. Liber prior, lingua Hebraica compositus, historiam populi Iudaici ab Alexandro M. usque ad Ioannem Hyrcanum texit, cuius mortem tamen non narrat, quare colligere possumus librum vivente adhuc Ioanne Hyrcano absolutum esse. Liber alter est epitome, sermone Graeco confecta, quinque librorum Iasonis Cyrenaei Graece conscriptorum, in quibus mors Iudae Machabaei non narratur, quare vivente adhuc Iuda compositi videntur. Hagiographus libros Iasonis brevians in principio epistulam anno 188 aerae Seleucidarum i. e. 124 a. Chr. (pag. 353) datam collocavit, quapropter epitome post hunc annum adornata videtur (cf. *Kaulen,* Einleitung II 108; *Seisenberger,* Einführung 386 sq).

α) **Liber primus Machabaeorum,** *Μακκαβαίων α,* historiam Mathathiae ac filiorum eius narrat, 16 capitibus constat et in quattuor partes dividitur, quibus introductio praemittitur et conclusio adiungitur. In introductione (1, 1—10) hagiographus gesta Alexandri M. eiusque successorum refert.

In 1 parte (1, 11—2, 70) Mathathias proponitur. a) Antiochus Epiphanes impiis Israelitis Ierusalem profanantibus (1, 11—16) sancta contaminat (1, 17—42) atque idololatriam iubet (1, 43—67). b) Mathathias idololatras trucidat (2, 1—26), cum bonis Israelitis iniquos percutit (2, 27—48), moriens filios hortatur et docet (2, 49—70).

In 2 parte (3, 1—9, 22) Iudae Machabaei facta narrantur. 1. Epiphane regnante (3, 1—6, 16). a) Victoriae Iudae. *α)* Ministri Epiphanis profligantur (3, 1—4, 35). *β)* Sion restauratur (4, 36—61). *γ)* Gentes vicinae vincuntur (5, 1—68). b) Clades et mors Epiphanis (6, 1—16). — 2. Eupatore regnante: Iudaei fortiter contra regem et Lysiam pugnant qui propter reditum Philippi Antiochiam revertuntur (6, 17—63). — 3. Demetrio regnante (7, 1—9, 22). a) Iudas hostes vincit (7, 1—50). b) Cum Romanis paciscitur (8, 1—32). c) Fortiter moritur (9, 1—22).

In 3 parte (9, 23—12, 52) Ionathae facta referuntur. 1. Demetrio I regnante (9, 23—10, 50). a) Bacchidem vincit semel (9, 23—49). b) Urbes munit (9, 50—57). c) Bacchidem vincit iterum (9, 58—73). d) Alexandro adhaeret (10, 1—50). — 2. Alexandro regnante (10, 51—11, 18). Ionathas ab Alexandro honoratur (10, 51—89) neque a Ptolemaeo VI Alexandrum impugnante male tractatur (11, 1—18). — 3. Demetrio II regnante (11, 19—53): rex prius Ionathan exaltat (11, 19—40), sed deinde ab eo se alienat (11, 41—53). — 4. Antiocho VI regnante (11, 54—12, 52). a) Ionathas feliciter agit et quidem *α)* contra hostes (11, 54—74), *β)* cum amicis Romanis et Spartiatis (12, 1—23), *γ)* contra hostes iterum (12, 24—38). b) Interficitur a Tryphone (12, 39—52).

In 4 parte (12, 53—16, 22) Simonis facta traduntur. 1. Antiocho VI regnante (12, 53—13, 30): Simon contra hostes pugnat (12, 53—13, 24) et sepulcrum Machabaeorum erigit (13, 25 ad 30). — 2. Tryphone et Demetrio II pugnantibus (13, 31—14, 49). a) Simon a Demetrio immunitatem et libertatem Iudaeorum impetrat (13, 31—42). b) Terram munit et arcem Ierusalem purgat (13, 43—54). c) Gentem suam felicem reddit (14, 1—15). d) Foedus cum Spartiatis et Romanis renovat (14, 16 ad 49). — 3. Tryphone et Antiocho VII pugnantibus (15, 1—16, 22). a) Simon felix et quidem Antiocho VII atque Romanis libertatem Iudaeorum agnoscentibus (15, 1—24) necnon Antiocho infestante cuius ducem devincit (15, 25—16, 10). b) Simon a Ptolemaeo genero suo occisus (16, 11—17) Ioannem successorem habet (16, 18—22). — In conclusione (16, 23 sq) facta Ioannis breviter notantur.

β) **Liber secundus Machabaeorum,** *Μακκαβαίων β*, persecutiones et victorias Iudaeorum narrat, 15 capitibus constat et in duas partes dividitur, quibus introductio praemittitur et conclusio ad-

iungitur. In introductione (1, 1—2, 33) continentur *α)* duae epistulae quarum prior de scenopegia (1, 1—10[a]), altera de Epiphane (1, 10[b]—17), igne altaris et tabernaculo et arca et altari absconsis (1, 18—2, 12), de bibliotheca sacra (2, 13—15), de purificatione (2, 16—19) agit; *β)* praefatio auctoris qua testatur se libros Iasonis breviare (2, 20—33).

In 1 parte (3, 1—7, 42) persecutiones Iudaeorum describuntur. 1. Seleuco regnante (3, 1—4, 6). a) Spoliatio templi per Heliodorum tentatur sed a Deo impeditur (3, 1—40). b) Onias summus sacerdos apud regem accusatur (4, 1—6). — 2. Epiphane regnante (4, 7—7, 42). a) Iudaeos persequuntur impii Iudaei et quidem *α)* Iason summus pontifex qui Ierusalem profanavit et Herculi obtulit (4, 7—22), *β)* Menelaus summus pontifex qui Oniam interfecit aliosque male tractavit (4, 23—50). b) Iudaeos persequitur rex ipse et quidem *α)* sancta contaminando et Iudaeos trucidando (5, 1—27), *β)* idololatriam iubendo et fideles occidendo (6, 1—7, 42).

In 2 parte (8, 1—15, 40) victoriae Iudaeorum exponuntur. 1. Epiphane regnante (8, 1—10, 9). a) Inimici superantur et quidem *α)* ministri regis (8, 1—36), *β)* rex ipse (9, 1—29). b) Templum purgatur (10, 1—9). — 2. Eupatore regnante (10, 10—13, 26). a) Ministri regis devincuntur. Iudas *α)* bellum defendit (10, 10—11, 38) atque *β)* bellum infert (12, 1—46). b) Rex ipse superatur (13, 1—26). — 3. Demetrio regnante (14, 1—15, 37). Narrantur Nicanoris *α)* amicitiae cum Iuda (14, 1—25), *β)* animus dolosus et infestus (14, 26—15, 5), *γ)* interitus (15, 6—37). — In conclusione (15, 38—40) scriptor inspiratus indulgentiam petit.

4. Historiam populi Israel ab Ioanne Hyrcano usque ad Christum ex Iosepho Flavio (Antiq. 13 sqq; Bell. Iud. 1) et aliis scriptoribus profanis discimus. Iuxta definitionem theologiae biblicae Veteris Testamenti pag. 1 datam de hoc tempore breviter dumtaxat loquemur. Qui plura accidentalia desiderat, apud Schürer (Geschichte des Jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi I 273 sqq) ea inveniet; substantialia in sequentibus trademus.

a) Ioannem Hyrcanum secutus est filius eius Iudas Aristobulus I (104—103) qui matrem et fratrem Antigonum occidit, reliquos tres fratres in carcerem inclusit, regium nomen assumpsit.

b) Alexander Iannaeus (103—76), frater Aristobuli I, cum duobus fratribus a Salome, vidua Aristobuli, e carcere dimissus

atque rex et summus sacerdos proclamatus contra hostes varios multa bella gessit atque inimicus Pharisaeorum erat.

c) Alexandra (76—67), vidua Alexandri, filium suum Hyrcanum summo sacerdotio decoravit atque Pharisaeis favebat. Hoc Sadducaei quibus Aristobulus, frater Hyrcani, praeerat, aegre tulerunt, ideoque machinabantur.

d) Aristobulus II (67—63). Mortua Alexandra Hyrcanus II gubernacula regni prehendit, sed a fratre Aristobulo II devictus summo sacerdotio ac regno se abdicavit. Idumaeus tamen Antipater seu Antipas, filius Antipatri quem Alexander Iannaeus praefectum Idumaeae constituerat, Hyrcano persuasit ut adiutus ab Areta principe Arabum Aristobulum debellaret. Hyrcanus reapse Aristobulum devicit et in monte templi obsidebat. Haec audiens Scaurus quem Pompeius in Syriam miserat, statim in Iudaeam venit et Aristobulum liberavit (65 a. Chr.). Pompeius ipse anno 63 a. Chr. Ierusalem cepit atque Iudaeam finibus angustioribus circumscriptam Hyrcano II tradidit, summum sacerdotium sed non regiam dignitatem ei concedens. Aristobulum autem cum multis aliis Iudaeis triumphans Romam duxit (61 a. Chr.). Ita Iudaei tributarii Romanorum facti et proconsuli Syriae subiecti sunt.

e) Hyrcanus II (63—40). Contra hunc pugnavit Alexander, filius Aristobuli II, qui ex captivitate Pompeii fugerat, sed a Gabinio, proconsule Syriae, superatus est (57 a. Chr.). Eodem tempore proconsul Hyrcanum potestate civili orbavit et Antipatrum procuratorem Iudaeae nominavit, ut ividetur. Anno sequenti Aristobulus II qui cum filio suo Antigono ex urbe Romae aufugerat, regnum Iudaeorum occupare volebat, sed etiam a Gabinio devictus atque captivus Romam missus est. Anno 55 Alexander iterum frustra rebellavit. Sequenti anno Licinius Crassus, proconsul Syriae, templum despoliavit. Pompeio mortuo (48 a. Chr.) Hyrcanus II et Antipater Caesarem adiuvabant ut eius gratiam sibi conciliarent. Caesar gratum se exhibens Hyrcanum summum sacerdotem confirmavit et potestatem civilem ei restituit, simul tamen et Antipatrum procuratorem Iudaeae confirmavit (47 a. Chr.). Hic reapse Iudaeos regebat ac filios suos praesides terrae nominavit, Phasaelem in Ierusalem et Herodem in Galilaea collocans; Herodes a Romanis etiam praeses Coelesyriae constitutus est. Antipatro occiso Phasael et Herodes ab Antonio tetrarchae Iudaeae nominati sunt (41 a. Chr.), ita ut Hyrcanus iterum potestate civili privaretur.

f) Antigonus (40—ca 37), filius Aristobuli II, a Parthis adiutus ad regnum Iudaeorum pervenit. Parthi enim Hyrcanum et Phasaelem qui postea semetipsum occidit, in custodiam duxerunt atque Antigonum, Herode Romam fugiente, regem et summum sacerdotem declararunt. Herodes ca 40 a senatu Romano rex Iudaeorum nominatus ca 39 in Iudaeam venit, a Romanis adiutus ca 37 Ierusalem cepit et iussu Antonii Antigonum securi percussit.

Antigonus fuit ultimus rex de familia Hasmonaeorum seu Machabaeorum, immo ultimus rex ex populo Israel, nam Herodes erat Ἡμιουδαῖος (*Iosephus*, Antiq. 14, 15)



Fig. 76. Castellum Turcicum cum *turre David* vel Herodis. (Phot. Bonfils.)

dumtaxat, quatenus ad Idumaeos pertinebat quos Ioannes Hyrcanus coegerat ut circumcisionem ac legem Iudaicam susciperent (*Iosephus*, Antiq. 13, 9; Bell. Iud. 1, 2).

g) Herodes M. (ca 37 usque Christum) cui uxor prima Doris Antipatrum pepererat, anno 37 secundam duxit videlicet Mariammen I. Haec filia Alexandri, filii Aristobuli II, atque Alexandrae, filiae Hyrcani II, fuit quae postea Herodi Alexandrum et Aristobulum peperit. Anno ca 35 rex Aristobulum, fratrem Mariammes, summum sacerdotem constituit sed eodem anno interfecit; ca 30 etiam Hyrcanum II qui 36 e captivitate Parthorum reversus erat,

occidit. Eodem tempore Octaviano se adiunxit a quo rex Iudaeorum confirmatus est. Anno ca 29 Mariammen I, ca 28 Alexandram, ca 25 stirpem reliquam Hasmonaeorum exstinxit, ut regnum suum stabiliret. Ca 24 Mariammen II, filiam summi sacerdotis tunc creati, uxorem duxit atque aedificationem palatii inchoavit quod tribus turribus Hippico, Phasaele, Mariamme (cf. Fig. 76) munivit. Post quinque annos i. e. ca 19 a. Chr. exstructionem celeberrimi illius templi aggressus est quod ca 64 p. Chr. absolutum est. Anno denique ca 7 a. Chr. filios suos Alexandrum et Aristobulum imperatore concedente strangulavit.

Licet Herodes M. gratia Octaviani Augusti a Damasco usque ad Aegyptum regnaret; licet Sebasten et Caesaream aliasque urbes aedificasset: tamen Iudaeis ut Idumaeus et amicus Romanorum atque familiae suae ut crudelis tyrannus valde invisus exstitit. Omnes mortem tyranni atque salvatorem populi desiderabant. Illis *in diebus Herodis, regis Iudaeae* angelus Gabriel Zachariae conceptionem et nativitatem praecursoris Domini atque Mariae Virgini adventum Salvatoris mundi annuntiavit (Lc 1, 5—38), de quo scriptum est: *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium* (Gn 49, 10).

Reliquam historiam Herodis M. et chronologiam vitae eius in „Theologia biblica Novi Testamenti“ tractabimus. Hic genealogiam eius subiungimus, quatenus ea illustrat quae supra scripta sunt.

<table>
<tr><td colspan="8">Antipas seu Antipater</td></tr>
<tr><td colspan="4">Antipas seu Antipater † 43</td><td colspan="4">Iosephus † 34</td></tr>
<tr><td>Phasael † 40</td><td colspan="3">Herodes M.</td><td colspan="2">Iosephus † 38</td><td colspan="2">Phreroras † 5</td><td>Salome</td></tr>
<tr><td>de Doris</td><td colspan="3">de Mariamme I</td><td colspan="2">de Mariamme II</td><td colspan="2">de Malthace</td><td>de Cleopatra</td></tr>
<tr><td>Antipater</td><td>Alexander † 7</td><td>Aristobulus † 7</td><td colspan="2">Herodes</td><td>Archelaus</td><td>Antipas</td><td>Philippus</td></tr>
</table>

Ierosolymis in castello Turcico *el-Ḳal'a* (Fig. 76) turris conspicitur quae „turris David“ nominatur. Pars eius suprema 10 *m* alta recentiore tempore superstructa est; pars media ca 13 *m* alta, 17 *m* lata, 21,40 *m* longa lapidibus constat qui 1,25 *m* alti et lati atque 2,50 *m* longi sunt; pars infima et terra tecta a Schick ca 7 *m* alta iudicatur. Haec turris, forsitan super fundamenta a Davide iecta postea aedificata, una ex tribus turribus palatii Herodis esse censetur, nimirum Hippicus vel Phasael. Videas Mommert (Topographie des Alten Jerusalem II 281 sqq), Benzinger-Baedeker (Palästina 81 sq), Selbst (Handbuch 654 sq). — De Pharisaeis, Sadducaeis, Essenis necnon de Hellenismo quem vocant in parte altera Theologiae biblicae Veteris Testamenti loquemur.

PARS ALTERA.

SCIENTIA RELIGIONIS VETERIS TESTAMENTI.

Religio obiective accepta est summa veritatum theoreticarum et practicarum (officiorum) quae moralem relationem hominis ad Deum definiunt; subiective accepta est agnitio veritatum et observatio officiorum istorum (cf. *Egger,* Dogm. gen. 22 sqq; *Schill,* Principienlehre 31 sqq; *Stöckl,* Grundzüge 419 sqq; *Stummer,* Manuale 23 sqq; *Weber,* Apologetik 19 sqq). Scientia religionis Vet. Test. igitur investigare debet, quales veritates agnoscendae et qualia officia observanda in libris a. Chr. conscriptis proponantur. Propterea hanc alteram quoque partem in duas sectiones dividimus, quarum prior veritates theoreticas, posterior autem veritates practicas exhibebit.

Acatholici asserunt religionem ab Ecclesia catholica non talem accipi et doceri qualem sacri libri eam contineant (pag. 5); propterea perquiramus oportet, quid sacri libri reapse tradant, si iuxta principia hermeneutica (cf. Exegeticam 30 sqq) rite explicentur. — Etiam in hac parte semper ante oculos habebimus omnes libros sacros a Tridentino enumeratos esse divinitus inspiratos (pag. 8), ergo Deum ipsum per hagiographos ad nos loqui ea ratione quae pag. 9 sqq exposita est. Simul retinebimus sacros libros illo ordine chronologico conscriptos esse quem in parte prima indicavimus, videlicet Pentateuchus Moysi (129 sqq), Iosue (151), Iudicum (176), Ruth (185), Psalmorum (203—210), Proverbiorum (216), Canticum Canticorum (216), Ecclesiastae (217), Iob (224), Ionae (245 sq), Amos (246), Osee (247), 1 2 Regum (249 sqq), Tobiae (253 sq), Abdiae (265), Ioel (266), Isaiae (270—275), Michaeae (275), Nahum (277), Habacuc (277), Iudith (277 sqq), Sophoniae (287), Threni (294), Baruch (295 sqq), Ieremiae (298), 3 4 Regum (301 sqq), Ezechielis (307), Danielis

(320 sqq), Aggaei (325), Zachariae (325), Esther (327 sq), 1 2 Paralipomenon (337 sq), 1 2 Esdrae (341), Malachiae (343), Sapientiae (346), Ecclesiastici (347), 1 2 Machabaeorum (362). — Veritates ex his libris collectas perspicuitatis gratia in systema quoddam generale redigemus, in quo tamen singulae veritates ordine chronologico tractabimus, ut ita profectus revelationis supernaturalis (pag. 7) melius eluceat.

In altera hac parte quae theologia biblica sensu strictissimo appellatur (pag. 20) veritates plures tractare debemus quae etiam in theologia systematica (theoretica et practica, dogmatica et morali etc.) tractantur. Hinc tamen neque confusio neque repetitio sequitur, quia eaedem veritates alio modo tractantur. Etenim a) in theologia systematica quaeritur, quid Ecclesia vel theologi ecclesiastici doceant, et doctrina eorum ex Scriptura, Traditione, magisterio Ecclesiae, ratione theologica comprobatur; in theologia biblica autem quae ad exegesim pertinet, debemus quaerere, quid sacri libri doceant, sensumque inventum principiis hermeneuticis demonstrare (pag. 6 sq). b) Qui theologiam systematicam tradunt, Vulgatae inhaerent atque ex illa locos biblicos adducunt. Bene faciunt. Nam Trid. (Sess. IV, de editione et usu sacrorum librorum) statuit et declaravit „ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat“ (cf. Exegeticam 124 sq). Ex authentia vero Vulgatae sequitur: „Dogma, quod expressum exstat in ed. vulgata, non deerat in textu originali“ (*Hurter,* Compendium I 199); in Vulgata nullum exstat dogma „quod textus originalis nec in illo nec in alio loco haberet“ (*Egger,* Dogm. gen. 318). Ergo Vulgata recte liber dogmaticorum nominatur. Qui autem theologiam biblicam tradunt, ad ceteras quoque versiones antiquas atque ad ipsum textum originalem recurrere debent. „Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae Hebraea et Graeca bene eluceat sententia, inquit Leo XIII (Provid. 33), attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, ‚inspectio praecedentis linguae‘ suasore Augustino (De doctr. chr. 3, 4) proficiet.“ Trid. (l. c.) declarans „ex omnibus Latinis editionibus quae circumferuntur“ Vulgatam pro authentica habendam esse, auctoritatem versionis Graecae qua Apostoli et Ecclesia usi sunt, vel ipsum textum originalem quem hagiographi Spiritu Sancto inspirante conscripserunt, infringere vel attenuare noluit. Ergo interpres catholicus in locis praesertim ambiguis et minus accurate translatis a Vulgata versione Latina ad Graecam versionem ac textum originalem appellare potest, immo debet. „Neque tamen, ait Leo XIII (Provid. 33), non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum.“ Eapropter in theologia biblica multae notae criticae exhibentur quae in theologia systematica desunt sed critica nostra aetate saltem relative necessariae apparent. c) In theologia systematica generatim loquendo interpretationes et obiectiones exegetarum antiquiorum repetuntur: S. Thomae † 1274, S. Bonaventurae † 1274, Maldonati † 1583, Toleti † 1596, Estii † 1613, Bellarmini † 1621, Iustiniani † 1622, Tirini † 1636, Cornelii a Lapide † 1637, Menochii † 1655, Bernardini a Piconio † 1709, Calmeti † 1757 etc. (cf. *Cornely,* Introductio I 680 sqq); in theologia biblica

autem recentissimorum quoque operum criticorum, philologicorum, exegeticorum etc. (cf. opera adhibita) ratio habetur. Nemo est qui nesciat antiquos istos exegetas revera doctissimos fuisse; at comparatio operum antiquiorum cum recentioribus demonstrat exegesim biblicam nostra aetate plurimum profecisse, praecipue in rebus philologicis et historicis. „Non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, docet Leo XIII (Provid. 67), in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio." Quaecumque bona ad religionem spectantia acrior haec investigatio peperit, iuxta voluntatem Pii X (pag. 2) in theologia biblica breviter exhibentur. Ergo haec disciplina exegetica theologiae systematicae nec contraria nec superflua sed valde utilis est.

Audiamus quid Leo XIII (Provid. 45) dicat. „Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima... Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta." Atqui ad rectam demonstrationem biblicam necessarium est primo ut loci apti eligantur i. e. tales loci qui thesim probandam formaliter (explicite vel implicite i. e. quoad terminos vel quoad rem) aut virtualiter continent (cf. Bibelkritik 14); secundo ut isti loci non simpliciter allegentur, sed etiam exponatur quomodo thesis reapse in iis formaliter aut virtualiter contineatur (cf. Exegeticam 137 sq). Hoc duplex negotium non in omnibus operibus theologiae systematicae scientifico modo expediri nemo negaverit qui in commentariis biblicis recentiorum interpretum catholicorum etiam conservantium versatus est. Hisce autem temporibus, quae critica et scientifica appellantur, critica et scientifica tractatio (in bono sensu) locorum biblicorum saltem relative necessaria est. Plures enim sunt qui modo scientifico demonstrare conentur doctrinas magisterii ecclesiastici cum doctrinis sacrorum librorum non convenire (pag. 369), quare theologus catholicus etiam modo scientifico demonstrare debet doctrinas ecclesiasticas reapse formaliter aut virtualiter in locis biblicis contineri. Ergo theologia biblica, in qua isti loci scientifice, critice, hermeneutice discutiuntur, theologiae systematicae nec contraria nec superflua sed valde utilis est.

Hanc rem diserte notare debui, quia nonnulli catholici fuerunt qui putarent theologiam biblicam catholicis si non contrariam vel periculosam, utpote ab acatholicis excultam (pag. 17), saltem superfluam esse, cum eadem in theologia systematica tradantur. Illam opinionem falsam esse supra ostendi. Ut autem omnis timor ac despectio dispareat, id repeto quod Summus Pontifex Pius X decrevit. „In Seminariis quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi ... biblicae ... theologiae ... plus temporis studiique tribui oportebit" (cf. pag. 5 sq). Ceterum censeo fore ut omnes qui paginas sequentes perlegerint, non solum credant sed etiam sciant theologiam biblicam utilem, immo relative necessariam esse.

SECTIO PRIOR.

DE VERITATIBUS THEORETICIS.

Veritates theoreticas in duobus capitibus proponemus: in priore veritates ad Dei naturam, in altero veritates ad Dei opera spectantes.

CAPUT I.

DE VERITATIBUS AD DEI NATURAM SPECTANTIBUS.

Loquemur in quinque articulis de Dei nominibus, essentia, attributis, personis, cognoscibilitate.

ARTICULUS I.

DE NOMINIBUS DIVINIS.

§ 35. De singulis Dei nominibus.

Nomina quae in Vet. Test. Deo imponuntur sequentia sunt: 1. *'El, 'Eloah, 'Elohim.* Antiquissimum nomen Semiticum Dei est *'El,* אֵל (aram. et phoen. *ēl,* assyr.-babyl. *ilu*) quod probabilius potentiam (cf. Gn 31, 29; Dt 28, 32; Prv 3, 27; Mich 2, 1; 2 Esr 5, 5; Eccli 5, 1; 14, 11) significat, sive ab אוּל vel אָיַל *potens fuit* (sententia communior) sive ab אָלָה *fortis fuit* (Ewald, König, Dillmann) derivatur. — Secundum Nöldeke (cf. *Buhl,* Handwörterbuch) *'El,* ab אוּל *ante* seu *prior fuit* deductum, dominum significat; secundum Lagarde (cf. *Buhl,* Handwörterbuch; *Oehler,* Theologie 137) *'El,* ab אָלָה *ad finem tetendit* derivatum, illum notat ad quem homines tendunt, quam sententiam etiam Frd. Delitzsch (Babel und Bibel I 45 sq 71 sqq; III 60) defendit: sed Stade (Theologie 75) huic sententiae recte opponit אֵל directionem quidem ad aliquid sed non finem indicare. Buhl (Handwörterbuch), Smend (Lehrbuch 30), Stade (Theologie 74) etymologiam nominis omnino incertam dicunt. — *'El* non solum Deum verum (Gn 14, 18; 17, 1; Nm 23, 8 19 22 sq) sed etiam deos falsos (Is 44, 10 15) significat, iam in nominibus antiquissimis e. g. מְחוּיָאֵל et מְתוּשָׁאֵל (Gn 4, 18) occurrit atque in *'Eloah, 'Elohim* quoque conspicitur.

Videas Buhl (Handwörterbuch), Dillmann (Genesis 18; Handbuch 210), Gesenius (Thesaurus 48 sq 94 sq), Oehler (Theologie 132 sq 136 sq). — Pohle (Dogmatik I 79) sentire videtur cum *'El* semper vel articulum vel attributum vel appositionem coniungi, si Deum verum significat: at in libris et partibus poeticis etiam simplex *'El* Deum verum indicat, e. g. Ps 10, 11 sq hebr.; Ib 19, 22; Nm 23, 8 19 22 sq; cf. Buhl (Handwörterbuch).

'Eloah, אֱלוֹהַּ seu אֱלֹהַּ, et *'Elohim,* אֱלֹהִים, evolutionem (Weiterbildung) nominis *'El* esse nunc plures viri docti (Buhl, Dillmann, Fürst, Gesenius, Nestle, Nöldeke, Stade) tenent. Fuerunt et sunt (*Seisenberger,* Einführung 300; *Oehler,* Theologie 133) qui *'Eloah* et *'Elohim* ab אָלַהּ (arab. *'aliha* = stupuit, pavore correptus est, vel *'alaha* = coluit, adoravit) derivatum dicant, ita ut *'Eloah* et *'Elohim* idem sit ac „numen colendum . . . vel numen tremendum, metum terroremque mortalibus incutiens. . . . Sed utraque et colendi et pavendi notio a potestate numinis, quae nomini inest, potius ducta videtur" monent recte Gesenius (Thesaurus 94) et Buhl (Handwörterbuch 34). — Dillmann-Kittel (Handbuch 211) cum Nestle aliisque putat אֱלֹהִים, originaliter אֱלָהִים, esse priscum pluralem nominis אֵל ex quo plurali postea singularis אֱלֹהַּ formatus sit. Cum tamen hic singularis iam Dt 32, 15 17 necnon in Aramaico *('elâh)* et Arabo *('ilâh)* reperiatur, originalis esse videtur (cf. *Smend,* Lehrbuch 30 sq).

'Eloah (i. e. potentia) significat: Deum in genere (Ps 17, 32; Is 44, 8), Deum verum (Dt 32, 15; Ps 49, 22; Ib 3, 4 sqq), deos falsos (Dn 11, 38 sq). Similiter *'Elohim* (i. e. potentiae) significat: Deum in genere (Dt 32, 39), Deum verum (Gn 1, 1 sqq), deum falsum (1 Rg 5, 7), deam (3 Rg 11, 5), deos falsos (Ex 12, 12), imaginem dei (Ex 32, 1), vicarios Dei eosque angelos (Ps 96, 7 coll. Hebr 1, 6), principes et iudices (Ps 81, 6 coll. Io 10, 34; cf. 1 Rg 28, 13). — Si *'Elohim* de pluribus diis, angelis, principibus, iudicibus adhibetur, est pluralis numerius; si autem de uno dumtaxat adhibetur, est pluralis excellentiae seu magnitudinis (*Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 404). Deum verum significans אֱלֹהִים plerumque cum singulari praedicati (e. g. Gn 1, 1 sqq) et attributi (e. g. Ps 7, 10; 4 Rg 19, 4) coniungitur, quia Deus ut cumulus seu summa potentiarum concipiebatur (*Dillmann-Kittel,* Handbuch 212; *Fürst,* Handwörterbuch 88; *Hoberg,* Genesis XXI; *Oehler,* Theologie 134; videas art. 4 infra quoque); raro autem cum plurali praedicati (e. g. Gn 20, 13; 31, 53; 2 Rg 7, 23) et attributi (e. g. Dt 5, 23; Ios 24, 19; 1 Rg 17, 26 36), quatenus forma grammaticalis nominis pluralis est (cf. *Buhl,* Handwörterbuch; *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 435 471). Numerum hunc pluralem non reliquias polytheismi esse contra Baudissin, Schultz aliosque antiquiores non solum catholici verum etiam acatholici Dillmann-Kittel (Handbuch 212), Kautzsch-Guthe (Bibelwörterbuch 224), Oehler (Theologie 134 138) recte defendunt,

quia unus quoque deus et una dea *'Elohim* appellatur, atque hagiographi qui polytheismum ex professo impugnarunt, sine ulla haesitatione hunc pluralem adhibebant (Comment. 1 sq). Utrum in forma et constructione ista grammaticali aliud quid lateat infra art. 4 examinabimus.

Illi qui olim scripserunt *'Elohim* etiam benignum vel iudicem significare posse, linguam Hebraeam forsitan non bene callebant, nam istae significationes philologice probari nequeunt. — Incertum quoque est unde θεός, *deus* derivandum sit. Patres et Scholastici cum Platone nomen a θέειν *currere* (ita plures etiam recentiores; cf. *Passow,* Handwörterbuch) vel ab αἴθειν *ardere* vel a θεᾶσθαι *videre* deduxerunt (cf. *S. Ioannes Damascenus,* De fid. orth. 1, 9; *S. Thomas,* 1, q. 13, a. 8); Benseler-Kaegi (Schulwörterbuch) a radice θες *supplicare;* Menge (Schulwörterbuch) a *dhues* = spirare dubitans derivat. Probabilius tamen (cf. *Müller,* Essays IV 444; *Pohle,* Dogmatik I 71 sq) θεός, *deus* a sanscr. *div, dyu* = splendere (cf. *Passow,* Handwörterbuch; *Benseler-Kaegi,* Schulwörterbuch 345) descendit sicut Ζεύς et *Iuppiter.* Ζεύς = Ζηυς, *djēus* = sanscr. *dyāús* i. e. caelum splendens; Ζεὺς πατήρ = sanscr. *dyaus pitar* = Diuspater, Diuspiter, Diespiter = *Iuppiter* = caeli pater, Himmelsvater (cf. *Benseler-Kaegi* l. c.; *Georges,* Ausführl. Handwörterbuch II 438; *Menge,* Schulwörterbuch 255). — Germanicum *Gott,* gothice *guth,* cum *gut* i. e. bonus, gothice *gôths* cohaerere videtur (*Sanders,* Wörterbuch der Deutschen Sprache I, Leipzig 1876, 611); alii a sanscr. *jut* = *dyut* = splendens, alii a *ghu* = invocare illud derivarunt (cf. *Pohle,* Dogmatik I 72).

2. *Iehova* vel *Iihve* vel *Iahve,* יהוה. Hoc nomen ab הָוָה = הָיָה (Gn 27, 29) *fuit, factus est, vixit* derivatum esse viri docti communiter docent (*Buhl,* Handwörterbuch), et locus biblicus mox citandus demonstrat. — Significationem nominis Deus ipse Ex 3, 14 sq declaravit ad Moysen dicens: *EGO SUM QUI SUM,* אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה. *Ait: Sic dices filiis Israel: QUI EST,* אֶהְיֶה i. e. SUM, *misit me ad vos.* 15 *Dixitque iterum Deus ad Moysen: Haec dices filiis Israel: Dominus Deus,* יְהוָה אֱלֹהֵי, *patrum vestrorum . . . misit me ad vos.* Illud אֶהְיֶה vel אֶהְיֶה quo Deus in v. 14 utitur, certo 1 persona sing. imperf. kal est (cf. grammaticam); ergo concludendum videtur יהוה quod Deus in v. 15 pro eo substituit, esse 3 personam sing. eiusdem imperf. kal quae nunc quidem יְהוָה (cf. grammaticam) sed antiquo tempore יַהֲוֶה pronuntiabatur, uti ex Arabo elucet (*Oehler,* Theologie 145). Ergo יַהֲוֶה seu יְהוָה idem significat quod אֶהְיֶה, nimirum *ὁ ὤν,* cuius ipsum „esse et quidem totum esse essentialiter proprium est" (*S. Gregorius Naz.,* Orat. 30, 18).

Hebraei recentiores ista Lv 24, 16 . . . וְנֹקֵב שֵׁם־יְהוָה מוֹת יוּמָת sic interpretabantur: „Et qui protulerit nomen בְּנָקְבוֹ שֵׁם יוּמָת יהוה morte moriatur . . . quia protulit nomen, moriatur." Sensus quidem istorum verborum est eum qui nomen Domini blasphema-

verit, morte plectendum esse (cf. Vulgatam et commentatores); sed Iudaei falsae suae interpretationi inhaerentes nomen יהוה non pronuntiabant „secundum scripturam eius nisi in templo tantum. At ex quo mortuus est Simeon Iustus (cf. pag. 350), desierunt sacerdotes benedicere per nomen illud, etiam in ipso templo, ne illud disceret homo qui non esset honestus et bonae existimationis“ (*Maimonides,* Iad chasaka c. 14, § 10). Loco nominis יהוה generatim אֲדֹנָי pronuntiabant, ut Maimonides (l. c.) testatur et LXX confirmant qui pro יהוה generatim *κύριος* posuerunt; etiam in Vulgata testimonium huius rei invenimus: Ex 6, 3 enim vertitur *et nomen meum ADONAI* (in Hebraico יהוה legitur) *non indicavi eis.* Propterea Masorethae nomen ineffabile, *τετραγράμματον ἄρρητον*, generatim punctis ab אֲדֹנָי desumptis signarunt, ita tamen ut pro šᵉwa composito (ֱ ֲ ֳ) šᵉwa simplex (ְ) ponerent. Ubi autem יהוה cum אֲדֹנָי concurrit (e. g. Gn 15, 2 8; Is 22, 12 14 sq; 28, 16), punctis ab אֱלֹהִים sumptis signatum est (יֱהוִה), si non ad aliam sententiae partem pertinet (e. g. Ps 16, 2; cf. *Oehler,* Theologie 141). Hoc non attendentes Petrus Galatinus (De arcanis catholicae veritatis, Ortonae 1518, II 10), Lutherus (cf. *Oehler,* Theologie 145) aliique *Iehova* pronuntiarunt (cf. *Dillmann-Ryssel,* Exodus 39; *Strack,* Exodus 182) quam pronuntiationem nunc paucissimi tantum viri docti defendunt.

Nomen יהוה est praecipuum atque proprium nomen Dei Israel. Moysi interroganti *Si dixerint mihi* (filii Israel): *Quod est nomen eius? quid dicam eis?* Deus respondit: *Sic dices filiis Israel: QUI EST,* אֶהְיֶה, *misit me ad vos . . . Dominus Deus,* יְהוָה אֱלֹהֵי, *. . . misit me ad vos: hoc nomen mihi,* זֶה־שְּׁמִי, *est in aeternum, et hoc memoriale meum,* וְזֶה זִכְרִי, i. e. hoc est nomen quo memorari seu appellari volo, *in generationem et generationem* (Ex 3, 13—15). Quibus verbis Deus manifestavit nomen sibi proprium quo natura seu essentia sua optime exprimitur (שֵׁם; cf. § 36), esse יהוה, atque hoc nomine se praecipue memorari et invocari (זֵכֶר) velle. Videas Gesenius (Thesaurus 416), Holzinger (Exodus 14). Similiter Os 12, 5 (hebr. 12, 6) legimus: *Et Dominus Deus exercituum, Dominus* יְהוָה, *memoriale eius,* זִכְרוֹ. Sensus est, nomen Dei Israel quo memoratur et colitur, esse יהוה. Denique apud Is 42, 8 Deus pronuntiat: *Ego Dominus,* יְהוָה, *hoc est nomen meum,* שְׁמִי: *gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.* In hoc loco Deus testatur יהוה esse nomen suum proprium seu essentiale; insuper asserit se hoc nomen יהוה quocum gloria (כָּבוֹד) vel laus (תְּהִלָּה) coniuncta est

quod sit nomen veri Dei (cf. *Marti*, Jesaja 289), aliis diis vel sculptilibus non dare. Et reapse nomen יהוה in libris sacris numquam diis falsis imponitur. Respicientes ad hos locos Iudaei nomen יהוה appellant הַשֵּׁם i. e. nomen per eminentiam, שְׁמָא רַבָּא i. e. nomen magnum, שֵׁם הַמְיֻחָד i. e. nomen unicum, שֵׁם הַמְפֹרָשׁ i. e. nomen explicitum vel separatum vel incommunicabile (cf. *Oehler*, Theologie 141).

Nomen יהוה ut nomen Dei Israel iam ante missionem Moysis notum erat. Hanc assertionem probamus primo ex Ex 3, 13 sqq; 4, 30 sq. Moyses Deum interrogavit: si dixerim ad filios Israel *Deus patrum vestrorum misit me ad vos*, ipsi autem ex me quaesierint *Quod est nomen eius* i. e. Dei patrum nostrorum? quid dicam eis? Deus Moysi respondit: Sic dices filiis Israel *QUI EST* vel potius *SUM*, אֶהְיֶה, misit me ad vos; *Dominus*, יְהוָה, *Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob* misit me ad vos; *Dominus*, יְהוָה, *Deus patrum vestrorum* apparuit mihi (Ex 3, 13 sqq). Moyses per Aaronem haec omnia ad filios Israel locutus est, *et credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus*, יְהוָה, *filios Israel . . . et proni adoraverunt* (Ex 4, 30 sq). Ex quibus elucet populum Israel nomen יהוה iam ante adventum Moysis notum habuisse et quidem ut nomen Dei patrum suorum, Dei Abraham et Isaac et Iacob. Probamus secundo ex nomine matris Moysis et Aaronis *Iochabed*, יוֹכֶבֶד, i. e. Iahve est gloria (Ex 6, 20; Nm 26, 59), in quo nomen *Iahve* (יו; cf. notas) continetur. Nomen antiquum *Moria*, מֹרִיָּה, in Gn 22, 2 (Vulgata reddit *visionis*, LXX autem *ὑψηλήν*) consulto omittimus, quia etymologia eius incerta est. Corluy (Spicilegium 105) quidem illud e participio hoph'al יָרְאֵי pro יֹרְאֶה verbi רָאָה *vidit* atque יָ abbreviato pro יְהוָה compositum censet; alii tamen cum Gesenio (Thesaurus) censent מֹרִיָּה esse participium fem. a מָרָה et *refractariam*, *arcem* vel *cacumen* significare (Comment. h. l.). In nomine quod Abraham monti postea indidit, scilicet יְהוָה יִרְאֶה (Gn 22, 14), utique יהוה reperitur. Probamus tertio tabulis fictilibus regnante Ḫammurabi signatis in quibus nomen Iahve iam occurrit: *Ia-a'-ve-ilu, Ia-ve-ilu, Ia-ú-um-ilu* = Iahve est Deus (*Delitzsch*, Babel und Bibel I 47 74 sq; cf. *Nikel*, Genesis 256 sqq). Cum Ḫammurabi ca 2200 a. Chr. regnaret (pag. 66), nomen Iahve iam ante Moysen ca 1500 a. Chr. viventem (pag. 95) notum erat. Döller (Bibel und Babel 11) recte censet homines de entibus ab alio ad ens a se concludentes potuisse etiam sola ratione magistra ac duce illud ens a se nomine con-

gruente יהוה vocare. Probamus quarto ex antiquioribus illis documentis vel traditionibus quibus historia protoparentum in paradiso exsistentium (Gn 2, 4—3, 24), filiorum (Gn 4, 1—26), posterorum (Gn 5, 29; 12, 8; 15, 2 7 sq; 22, 14; 24, 3 7; 28, 13 16) eorum narratur: in his nomen יהוה iam occurrit. Librum Genesis Moyses composuit antiquioribus documentis vel traditionibus utens (pag. 21 sq; Introd. in Genesim); Moysen vel librarium posteriorem nomen יהוה pro alio nomine divino posuisse argumentis logice validis demonstrari nequit: ergo concludamus oportet iam in documentis vel traditionibus illis Moyse antiquioribus nomen יהוה exstitisse. Quam conclusionem tabulae fictiles regnante Ḫammurabi ca 2200 a. Chr. signatae valde plausibilem reddunt: si tabulae Ḫammurabi nomen יהוה continent, documenta vel traditiones a Moyse ca 1500 a. Chr. adhibita idem etiam continuisse probabilissimum est. Probamus quinto ex eo quod יהוה non ex verbo recentiore et tempore Moysis usitato היה sed ex antiquiore (ut communis fert sententia) הוה formatum est (cf. *Döller,* Bibel und Babel 12, cum aliis). Attamen huic sententiae Ex 6, 2 sq obstare videtur ubi Deus affirmat: *Ego Dominus,* יְהוָה, *qui apparui,* וָאֵרָא, *Abraham, Isaac, et Iacob in Deo omnipotente,* בְּאֵל שַׁדָּי i. e. tamquam (בְּ) 'El Schaddai (de בְּ essentiae cf. *Gesenius,* Thesaurus; *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 383): *et nomen meum ADONAI non indicavi eis,* וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם i. e. et quoad nomen meum יהוה non cognitus fui eis (cf. *Gesenius,* Thesaurus 572; *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 393 469). Haec verba a multis antiquioribus et recentioribus exegetis (Iosepho Flavio, S. Basilio, Theodoreto, S. Gregorio M., Tirino, Lapide, Calmeto, Haneberg; *Baentsch,* Exodus 44; *Dillmann-Ryssel,* Exodus 64; *Hummelauer,* Exodus 71 sqq, aliisque) ita intelleguntur ac si nomen יהוה patriarchis ignotum fuerit, Moysi autem primo revelatum sit. At hunc intellectum argumenta supra allata valde improbabilem reddunt. Nam patriarchas ignorasse nomen יהוה Babyloniis notum vix credibile est (cf. pag. 61 sqq 76); ipsos hoc nomen notum habuisse loci librorum Genesis et Exodi supra citati commonstrant. Quomodo ista sententia *quoad nomen meum* יהוה *non cognitus fui eis,* נוֹדַעְתִּי לָהֶם, intellegenda sit, contextus manifestat. Ex 6, 7 sq enim legimus: *et scietis,* וִידַעְתֶּם, *quod ego sum Dominus,* יְהוָה, *Deus vester qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum: et induxerim in terram, super quam levavi manum meam ut darem eam Abraham, Isaac, et Iacob: daboque illam vobis possidendam, ego Dominus,* יְהוָה. Idem

verbum in eodem contextu eadem ratione explicandum esse patet; atqui וידעתם in v. 7 significare nequit populum Israel liberatione ex Aegypto ac deductione in terram promissam ad notitiam nominis יהוה perventurum esse, cum illud iam antea a Moyse audierit (Ex 3, 13—18), sed vim seu virtutem nominis expertum iri: ergo etiam נודעתי in v. 3 non significat patriarchis sonum nominis יהוה sed vim seu virtutem eius nondum revelatam fuisse. Cognoverunt quidem et invocarunt *nomen Domini*, יהוה, sed nondum experti erant quid hoc nomen sibi velit. Similiter Caietanus, Lyranus, Sixtus Senensis, Tostatus; Allioli, Reinke, Welte; Corluy (Spicilegium I 104 sqq), Döller (Bibel und Babel 13), Oehler (Theologie 150 sq cum Kurtz), Strack (Exodus 183 cum Kuenen et Wellhausen). — Quid nomen יהוה sibi velit, qualem vim habeat, Dillmann-Ryssel (Exodus 44) et Oehler (Theologie 147) sic exponunt: *Iahve* significat Deum esse, exsistere, vivere (Ex 3, 14); significat Deum esse immutabilem, constantem, fidelem (cf. art. 3); *Iahve* significat Deum esse ab aliis non dependentem, omnino liberum (Ex 3, 14 coll. 33, 19) atque personalem. Hanc vim nominis יהוה Deus non patriarchis sed posteris eorum revelavit (Ex 6, 3—8).

Quattuor litteras יהוה *Iahve* pronuntiandas esse plerique recentiores docent *(Dillmann-Ryssel,* Exodus 39), quia haec pronuntiatio cum testimoniis Patrum bene congruit et in variis nominis compendiis latet. Quod ad Patres attinet, S. Epiphanius (Haer. 1, 3, 20) inter nomina Dei Hebraica etiam Ἰά et Ἰαβέ enumerat atque Ἰαβέ declarat: ὃς ἦν καὶ ἔστι καὶ ἀεὶ ὤν; Theodoretus (Quaest. 15 in Ex.) refert Samaritanos Ἰαβέ, Iudaeos autem Ἰιά pronuntiasse; idem Theodoretus (Quaest. in 1 Chron. prooem.) cum Diodoro (1, 94) et Origene (in Io 1, 1) testatur Iudaeos Ἰαώ dixisse; idem Origenes (contra Cels. 6, 32) Ἰαωϊά = Ἰαώ Ἰά, Clemens Alex. (Strom. 5, 6) Ἰαού, S. Irenaeus (Haer. 2, 66) *Iaoh*, S. Hieronymus (in Ps 8, 2) *Iaho* scribit: Sanchuniathon (cf. *Euseb.*, Praep. evang. 1, 9, 16; 10, 9, 9) Ἰευώ audivit. Quorum testimoniorum pleraque pro *Iahve* invocari possunt. Etiam compendia seu formae decurtatae nominis pro ista pronuntiatione testantur. Nam יָהּ, יָהוּ, יָהוֹ in fine nominum pro יַהְוֶה atque יְהוֹ, יוֹ, יָהּ in principio pro יַהְוֶה, יַהְוֹ posita sunt (cf. *Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch). Denique nomina Babylonia *Ia-a'-ve, Ia-ve, Ia-ú-um* (pag. 376) pro pronuntiatione *Iahve* adduci possunt. — Plures recentiores, inter quos Gesenius, Lagarde, Schultz, Nestle, Baudissin, Kuenen, Kittel numerantur (*Dillmann-Ryssel,* Exodus 40), *Iahve* non ab imperf. kal sed hiph'il deductum censent. Forma יַהְוֶה videtur quidem 3 pers. sing. imperf. hiph'il (cf. grammaticam); nihilominus retinere debemus nomen istud divinum esse 3 pers. sing. imperf. *kal,* quia Deus nomen *Iahve* idem ac *qui est* declarat: in hiph'il vero *qui esse dat* significaret. Fürst (Handwörterbuch 496) putat *Iahve* fuisse pronuntiationem Semiticam generalem, *Iihve* pronuntiationem Hebraeis peculiarem; magis tamen sententia ab Oehler proposita (cf. pag. 374) placet. — Urquhart (Die Bücher der Bibel I 24) recens pronuntiationem *Iahve* reicit atque *Iehovah* retinet, quod etiam Meyer,

Stier, Hölemann (cf. *Oehler,* Theologie 142) cum antiquioribus fecerunt. In qua sententia יהוה singulari prorsus modo compositum asseritur, videlicet ex יְ = יִהְיֶה atque הוֹ = הָיָה necnon וָ = הָוָה (cf. *Stiehr,* Lehrgebäude 327; *Oehler,* Theologie 142). „Ex consueta sententia nomini ab הוה *fuit* ducto tria tempora insunt, scripsit suo tempore Michaelis (cf. *Gesenius,* Thesaurus 576): *Iod* ex futuro petito (quod quidem dubio caret), *Cholem* ex participio quo praesens tempus indicant Hebraei, et *Kamez* ex praeterito, ut eum designet *qui idem semper fuit, est, eritque:* cui sententiae et meum, si quis est, calculum adiecerim." At *Bickell,* linguarum orientalium peritissimus, quem de opinione ab Urquhart repetita interrogaveram, pronuntiationem *Iehova* falsam, *Iahve* vero rectam dixit. — Quia יהוה generatim *Adonai* legebatur, accentuatio vocis antecedentis et praefixa (e. g. בֵּיהוה) et dageš lene vocabuli sequentis ita ordinata sunt ut litterae אדני postulant. Pohle (Dogmatik I 69) bis asserit יהוה semper *Adonai* pronuntiatum fuisse; quod non est verum, quemadmodum loci supra citati comprobant. Videas Buhl (Handwörterbuch), Gesenius-Kautzsch (Grammatik 63 298).

Illa Is 42, 8^{b} *gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus* Dillmann-Kittel (Jesaja 382) non de nomine יהוה sed de facto intellegunt quod *Iahve* solus est Deus verus; qua interpretatione admissa ex hoc loco non quidem directe sed indirecte sequitur nomen *Iahve* esse incommunicabile. Nam si Deus Israel solus est Deus verus, et si nomen Dei veri proprium seu essentiale (Is 42, 8^{a}) est יהוה: hoc nomen diis falsis dari nequit. Ad probandam thesim „nomen Iahve Deo esse exclusive proprium" a quibusdam duo loci alii citantur, nimirum 2 Rg 7, 22 *Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te,* et Dt 6, 4 *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* At in loco priore neque Deus inspirans neque hagiographus sed David (cf. 2 Rg 7, 18) loquitur idque non de nomine Iahve ut ex contextu Latino, Graeco et Hebraico elucet; sensus autem loci posterioris valde dubius est (*Bertholet,* Deuteronomium 23). Steuernagel (Deuteronomium 24 sq) et Bertholet (Deuteronomium 24) textum Hebraicum vertunt: „Audi, Israel, Iahve est Deus noster, Iahve solus"; Dillmann (Deuteronomium 269 sq) istam versionem reicit et reddit: „Audi, Israel, Iahve Deus noster est unus Iahve", non plures uti sunt plures Baal (cf. pag. 152) neque cum aliis diis confundendus; Hummelauer (Deuteronomium 243 sq) cum Dillmann quidem transfert: „Audi, Israel, Iahve Deus noster est unus Iahve", sed illud *unus* = *unicus* accipit ut sit sensus Deum Israel solum dicere posse „*Sum* (Ex 3, 14), habeo plenitudinem essendi, unica sum causa essendi, unicus iure merito nomine *Iahve* appellor" (*Hummelauer* l. c.). Haec interpretatio probabilior quidem videtur, licet a Dillmann et Bertholet repudietur, sed certa non est: ergo ut certum testimonium scripturisticum pro illa thesi afferri nequit.

Dillmann-Ryssel (Exodus 44) cum Baudissin negant *Iahve* originaliter eum significare qui plenitudinem essendi habet atque verus et unicus Deus est, dum dii reliqui reapse non exsistunt; sed ratio eorum, hanc veritatem ab hominibus antiqui temporis nondum perceptam fuisse, non valet. Nam significatio nominis *Iahve* non ex opinione hominum antiqui temporis sed ex ore Dei ipsius declaratur. Similiter Smend (Lehrbuch 24; cf. etiam *Baentsch,* Exodus 23; *Holzinger,* Exodus 12; *Stade,* Theologie 29) asserit nomine יהוה Deum Israel neque ut ens a se neque ut Deum unicum significari, eo quod quaestio originem Dei metaphysicam concernens a Vetere Testamento aliena et fides qua Deus Israel solus Deus verus habetur, posteriore prophetarum tempore nata sit. Iuxta Stade (Theologie 29; cf. *Holzinger,* Exodus 12) sequentes explicationes nominis *Iahve* possibiles

sunt: in tempestate descendens (Ewald), fulmine caedens (Stade), per aera vehens (Wellhausen). Contra singulas hasce opiniones notamus testante scriptore inspirato (cf. pag. 9 sqq) Deus ipse iam Moysi declaravit (Ex 3, 14) quid nomen יהוה significet, videlicet *ens* per eminentiam seu eum cuius *ipsum esse totum* est (pag. 374): ergo ens a se, immutabile, liberum, personale (pag. 378) atque unicum Deum verum, quia duo dii plenitudinem essendi habentes cogitari et exsistere nequeunt. Omnes igitur declarationes nominis interpretationi ipsius Dei contrariae falsae sint necesse est (pag. 12). Idem opponendum est iis qui putarunt (cf. *Dillmann-Ryssel,* Exodus 38) antiquo nomini divino יהוה in Ex 3, 14 significationem subiectam esse quae ad contextum quidem bene quadraret sed primitiva non esset. Ex aliis explicationibus improbabilibus (cf. *Dillmann-Ryssel,* Exodus 37 sqq) illam dumtaxat adduco quam Lagarde postea proposuit. Retinens nomen *Iahve* esse formam hiph'il prius asseruit יהוה eum significare qui aliis *esse* et praecipue *vivere* dat (cf. pag. 378); postea tamen affirmavit יהוה eum indicare qui „promissa ad esse vocat" vel promissiones implet (Comment. 45). Taceo hanc explicationem cum explicatione Dei non convenire (pag. 374) et cum Smend (Lehrbuch 24), Dillmann-Ryssel (Exodus 40) hoc solum noto Lagarde verbo היה significationem subicere quam nullibi habet.

Strack (Exodus 183) cum Delitzsch (Genesis 74) censet היה (ideoque יהיה quoque) non tam *esse quiescens* (ruhende Sein) quam *esse vivens* (bewegte, selbsttätige Sein) significare, ita ut יהוה Deum hominibus se manifestantem insinuet (cf. *Buhl,* Handwörterbuch 261). Etiam Pohle (Dogmatik I 88 sq) cum Oswald aliisque docet *Iahve* non ut *ens mortuum* (als starres, totes, taubes Sein) sed ut *ens vivum* (persönliche Tätigkeit und Leben) cogitandum esse quod ex constructione grammaticali probat. Deus Ex 3, 14 non dixit: Ἐγώ εἰμι τὸ ὄν (ens impersonale, sed ὁ ὤν, *SUM QUI SUM* (pag. 374) addiditque: „Sic dices filiis Israel *Ille SUM,* ὁ εἰμί, אהיה (pag. 374) misit me ad vos", quo extraordinario loquendi modo vita atque personalitas Dei graphice exprimitur. Ceterum si sensus orginalis (cf. Exegeticam 7) istorum verborum fuerit *Iahve* est *ipsum esse totum,* sensus consequens (cf. Exegeticam 16) erit eum etiam vitam et personam esse quae in *ipso esse toto* continentur. — Plures antiquiores atque recentiores (cf. *Dillmann-Ryssel,* Exodus 44) *Iahve* ut *aeternum* (cf. pag. 378) accipiunt ad Apoc 1, 4 8; 11, 17; 16, 5 respicientes, ubi legimus ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Haec quoque nominis יהוה significatio sensus consequens est. Nam si *Iahve* est „ipsum esse totum", si *plenitudinem essendi* habet (sensus originalis): consequitur eum neque initium neque finem neque successionem seu mutationem habere (videas art. 3).

Quibus expositis clarescit qualis relatio inter *'El, 'Eloah, 'Elohim* atque *Iahve* exsistat. Nomina priora iuxta sententiam probabiliorem potentiam vel cumulum potentiarum indicant (pag. 373) ideoque ibi praesertim adhibentur ubi opera potentiae, e. g. creatio et conservatio mundi (Gn 1, 1 sqq), narrantur; iuxta sententias minus probabiles finem vel numen colendum et tremendum significant (pag. 372 sq) ibique adhibentur ubi finis et officium hominum exhibentur (Comment. 1). Nomen posterius *Iahve* Deum ut *ens ipsum* immutabile et vivum, ut ens a se proponit quod aliis *esse* et *vivere* communicat itaque se revelat (pag. 374), quare in illis

locis occurrit quibus Deus essentiam et proprietates suas manifestasse scribitur (e. g. Gn 2, 5 sqq; cf. Comment. 45). *'El, 'Eloah, 'Elohim* ens summum ut Deum omnium hominum, *Iahve* idem ens summum ut Deum populi pro revelatione supernaturali electi nobis repraesentat. Conferas Gn 9, 26 *Benedictus Dominus Deus Sem,* יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם, cum Gn 9, 27 *Dilatet Deus Iaphet,* יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת (Comment. 165 sq; cf. *Oehler,* Theologie 152 sq). Quia autem 'Elohim atque Iahve idem ens summum significant et 'Elohim in populo revelationis ut Iahve colebatur, nomina saepius promiscue adhibentur. — *Iahve* et *'Elohim* nonnumquam coniunguntur et quidem יְהוָה אֱלֹהִים in Gn 2 et 3; Ex 9, 30; Ps 71, 18; 83, 12; Ion 4, 6; 2 Rg 7, 22; 1 Par 17, 16; יְהוָה הָאֱלֹהִים in 1 Rg 6, 20; (Ez 40—48); 1 Par 22, 1 19; 2 Par 26, 18; 32, 16; יְהוָה אֱלֹהֶיךָ in Dt 1, 31; 2, 7; יְהוָה אֱלֹהֵי אֲבוֹתֵיךָ in Dt 1, 21; 6, 3; 27, 3. Dillmann (Genesis 41 sq) iudicat in Gn 1 et 2 nomina ista divina coniuncta fuisse, ne quis putaret אלהים atque יהוה diversos esse. — *Iahve* et *'Elohim* saepe cum צְבָאוֹת *exercitus* coniunguntur idque אֱלֹהִים צְבָאוֹת e. g. Ps 79, 8 15 *(Deus virtutum),* יְהוָה אֱלֹהֵי הַצְּבָאוֹת Am 3, 13; 6, 14; Os 12, 6; יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת Ps 88, 9; Am 5, 15 sq 27; Ir 5, 14; 2 Rg 5, 10; 3 Rg 19, 10 14; יְהוָה אֱלֹהִים צְבָאוֹת Ps 58, 6; 79, 5 20; יְהוָה צְבָאוֹת in Psalmis, libris Prophetarum et Regum et Paralipomenon: at haec phrasis per breviloquentiam pro יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת posita est (*Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 409). צְבָאוֹת *Σαβαώθ* solum i. e. sine *'Elohim* vel *Iahve* apud Patres et scriptores ecclesiasticos quidem, at numquam in sacris Libris Deum (*Dillmann-Kittel,* Theologie 220), sed potius exercitus significat: est enim pluralis a צָבָא *exercitus.* Quid nomine צָבָא *exercitus* comprehendatur ex Gn 2, 1 discimus: *Igitur perfecti sunt caeli et terra,* ait hagiographus, *et omnis ornatus eorum,* וְכָל־צְבָאָם i. e. et omnis exercitus eorum. In hoc loco nomine צָבָא *exercitus* omnia comprehendi quae in caelo et in terra sunt ipse Deus Ex 20, 11 declarat dicens: *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt.* Exercitus caeli vocantur angeli (3 Rg 22, 19; 2 Par 18, 18; cf. Lc 2, 13), sidera (Dt 17, 3; Is 40, 26; 45, 12), venti et fulgura (Ps 102, 21; 103, 4); exercitus terrae per zeugma appellatur „quicquid terram implet... inclusis etiam plantis" (*Gesenius,* Thesaurus 1146); praecipue autem populus Israel *exercitus Domini* nominatur (Ex 7, 4; 12, 41). Considerato hoc usu loquendi censemus phrasi *Dominus Deus exercituum,* יְהוָה צְבָאוֹת, singulos istos exercitus comprehendi qui Domino

Deo praesto sunt atque cum eo et pro eo contra hostes eius pugnant (cf. Ios 5, 13 sqq et Is 37, 36; Ios 10, 13; Iud 5, 20; Sap 5, 16—24).

Interpretes exponentes quid in ista phrasi vocabulum *exercituum*, Σαβαώθ, innuat, inter se dissentiunt. Delitzsch, Zimmern (cf. *Buhl*, Handwörterbuch 612) exercitus caelestes; Gesenius (Thesaurus 1146), Steudel aliique angelos ac stellas; rabbini angelos et populum Israel; Buhl (l. c.) cum Cölln, Schrader, de Wette multisque aliis agmina populi Israel. Dillmann-Kittel (Handbuch 221) tamen recte notat istam phrasim sensu p l e n o omnes exercitus supra enumeratos significare, quam sententiam non solum antiquiores (cf. *Gesenius* l. c.) sed etiam Wellhausen (Skizzen 5, 77: „Die Welt und was darinnen ist") tenuerunt.

3. *Adonai*, אֲדֹנָי, idem significat ac *Dominus meus*. Est enim pluralis nominis אָדוֹן cum suffixo plurali ־ָי (cf. grammaticam: אֲדֹנִים, st. c. אֲדֹנֵי, cum suff. אֲדֹנַי). Pluralis nominis eadem ratione intellegendus est atque in nomine *'Elohim* (cf. pag. 373); kamez (ָ) autem pro pathach (ַ) a Masorethis positum est, ut hic pluralis excellentiae *(Dominus meus)* a plurali numerio *(domini mei)* distingueretur (cf. *Gesenius-Kautzsch*, Grammatik 448 sq). Quae sententia rationibus sequentibus probatur: a) in Ps 35, 23 hebr. legimus אֱלֹהַי וַאדֹנָי *Deus meus, et Dominus meus;* in priore nomine terminatio *ai* certo suffixum plurale est, ergo in altero quoque idem statuendum videtur. b) Cum אֲדֹנָי numquam articulus coniungitur. c) In libris antiquissimis, Pentateucho et Iosue, *Adonai* ab iis tantum adhibetur qui Deum alloquuntur, e. g. Gn 15, 2; 18, 30; 20, 4; alibi, e. g. Ex 34, 23 et Ios 3, 13 אֲדוֹן vel הָאָדוֹן legimus. Paulatim vis pronominis possessivi evanuit ut in רַבִּי (primitus = *magister meus*, postea *magister*), madonna, madame, monsieur, monseigneur, idcirco in libris posterioribus homines hoc nomine etiam utuntur si de Deo loquuntur, e. g. Is 6, 8; 40, 10; immo in paucis locis utique critice non certis Deus semetipsum *Adonai* vocat, e. g. Ib 28, 28; Is 8, 7. Derivatum ab אָדַן = דִּין *regere* A d o n a i Deum significat, quatenus *rector* seu *gubernator* est.

Grammatici antiquiores putarunt illud *ai* esse antiquam pluralis terminationem, quae tamen opinio hodie communiter repudiatur. — Videas de nomine *Adonai* Beer-Guthe (Bibelwörterbuch 259 sqq), Buhl (Handwörterbuch), Dalman (Der Gottesname Adonaj und seine Geschichte, Berlin 1889), Dillman-Kittel (Handbuch 224 sq), Gesenius (Thesaurus), Gesenius-Kautzsch (Grammatik (448), Oehler (Theologie 156 sq), Comment. 256.

4. *'Elion*, עֶלְיוֹן i. e. ὕψιστος, *supremus*, tam Deum verum et unicum quam summum inter plures deos significare potest (cf. pag. 372 sq). Apud Phoenices nomen Ἑλιοῦν usitatum fuisse Philo Byblius apud Eusebium (Praep. evang. 1, 10) testatur. Coniungitur cum אֵל

(Gn 14, 18 sqq; Ps 78, 35 hebr.), cum אֱלֹהִים (Ps 57, 3 hebr.; 78, 56 hebr.), cum יְהוָה (Ps 47, 3 hebr.); ponitur absolute quoque (Nm 24, 16; Dt 32, 8; Ps 18, 14 hebr.; Is 14, 14, alibi). Videas Buhl (Handwörterbuch), Fürst (Handwörterbuch), Gesenius (Thesaurus), Oehler (Theologie 135). — Fuerunt qui dicerent *ʿElion* (per ע) eandem cum *ʾEl, ʾEloah, ʾElohim* (per א) radicem habere, sed errarunt. Nam *ʾEl* ab אוּל vel אָלָה (pag. 372), *ʿElion* vero ab עָלָה *ascendit* derivatur. Revolvas lexica citata.

5. *Schaddai,* שַׁדַּי. Quae sit huius nominis etymologia et significatio valde dubium est, alii aliter sentiunt. Propterea prius sententiam quae mihi probabilior videtur, deinde aliorum quoque opiniones proferam. שַׁדַּי est compositum ex ־שַׁ vel ־שַׁ vel שְׁ = אֲשֶׁר *qui* et דַּי *sufficientia,* significat igitur eum *qui sufficientia* seu eum *qui sufficiens (ἱκανός)* est et quidem sibi ipsi *(αὐτάρκης)* et hominibus et ad omnia alia *(παντοκράτωρ).* Ita Iudaei nomen intellexerunt: Aquila, Symmachus, Theodotion, Masorethae qui hanc sententiam ipsa punctatione expresserunt (cf. *Buhl,* Handwörterbuch). Plurimi quidem recentiores cum Gesenius-Roediger (Thesaurus), Fürst (Handwörterbuch), Oehler (Theologie 139) eam repudiant, sed argumentum probabile non proferunt. ־שׁ = אֲשֶׁר in Iud 5, 7; 6, 17 certo, in Gn 6, 3; 49, 10 valde probabiliter occurrit (Comment. h. l.); immo Buhl (Handwörterbuch 65 727) probabile censet אֲשֶׁר ex שׁ apud Assyrios et Phoenices quoque occurrente evolutum esse; etiam דַּי iam in Ex 36, 5 7; Lv 5, 7; 25, 26; Dt 15, 8; 25, 2 invenitur: ergo nulla adest ratio cur traditionem Iudaeorum linguam Hebraicam callentium reiciamus. — Alii multi (cf. *Buhl,* Handwörterbuch 738) שַׁדַּי cum שֹׁד *vis* et שָׁדַד (arab. *šadīd*) *validus fuit* (cf. Is 13, 6; Ioel 1, 15), alii cum arab. שׁדה seu שׁדא = humidum esse (Smith) vel cum aram. שְׁדָא = iaculari (Schwally) vel cum assyr. *šadû* = altum esse (Frd. Delitzsch) cohaerere putant (cf. *Dillmann,* Genesis 259; *Gunkel,* Genesis 244; *Guthe,* Bibelwörterbuch 25 sq; *Holzinger,* Genesis 125 sq; *Strack,* Genesis[2] 65 sq). Quod ad terminationem ־ַי attinet, alii antiquam terminationem pluralis, alii suffixum plurale (cf. *Gesenius,* Thesaurus 1366 sq), alii terminationem adiectivi (Fürst, Keil, Olshausen) declarant, alii aliter sentiunt (cf. Comment. 271 sq; *Dillmann-Kittel,* Handbuch 214). Alii punctant שֵׁדִי vel שֵׁדַי a שֵׁד *idolum* (cf. *Oehler,* Theologie 140). Haec omnia asseruntur quidem sed demonstrari nequeunt, quod dissensus doctorum manifestat. — שַׁדַּי tam absolute ponitur (e. g. Gn 49, 25; Nm 24, 4 16) quam cum אֵל coniungitur (e. g. Gn 17, 1; 28, 3; Ex 6, 3).

6. *'Ab,* אָב i. e. pater (Dt 32, 6; 2 Rg 7, 14; Is 63, 16; Ir 3, 4; Mal 1, 6; 2, 10; Sap 14, 3). Hoc nomine Deus propter creationem, conservationem, providentiam vocatur: *numquid non ipse est pater tuus,* interrogat Moyses populum Israel (Dt 32, 6), *qui possedit te, et fecit, et creavit te?* הֲלוֹא־הוּא אָבִיךָ קָנָךְ הוּא עָשְׂךָ וַיְכֹנְנֶךָ i. e. nonne ipse est pater tuus qui creavit te (cf. Gn 14, 19), (nonne) ipse est qui fecit te et stabilivit te? „quibus fere exprimuntur beneficia creationis et conservationis" (*Hummelauer,* Deuteronomium 518). Et Sapiens (14, 3) affirmat: *Tua autem, Pater, providentia gubernat* (cf. Sap 17, 2).

7. *Kadosch,* קָדוֹשׁ i. e. sanctus (Ib 6, 10; Hab 3, 3) vel קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל i. e. sanctus Israel (Ps 71, 22 hebr.; Is 40—66; Ir 50, 29; 51, 5). Hoc nomine Deus innuitur bonus, purus et perfectus, qui etiam a populo suo puritatem et perfectionem postulat: *sancti estote,* inquit Lv 11, 44 sq, *quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras. . . . Sancti eritis, quia ego sanctus sum* (cf. art. 3, § 39).

8. *Go'el,* גֹּאֵל i. e. redemptor. Hoc nomen Isaias cum aliis nominibus divinis coniungit. *Tu enim pater noster,* inquit (Is 63, 16), *. . . tu Domine pater noster, redemptor noster, a saeculo nomen tuum,* אַתָּה יְהוָה אָבִינוּ גֹּאֲלֵנוּ מֵעוֹלָם שְׁמֶךָ i. e. tu, Iahve, pater noster es: *redemptor noster* ab antiquo tempore (cf. Gn 48, 16; Ex 6, 6; 15, 13) nomen tuum est (*Orelli,* Jesaja 206; *Knabenbauer,* Isaias 467). Item Is 41, 14: *dicit Dominus: et redemptor tuus sanctus Israel,* נְאֻם־יְהוָה וְגֹאֲלֵךְ קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל (videas eandem phrasim et Is 43, 14; 44, 24; 48, 17; 49, 26; 54, 5 8; 60, 16). — Nomen *Go'el,* redemptor inter varia nomina divina communiter non enumeratur. Quia tamen Isaias hoc nomen cum nominibus *Iahve, 'Ab, Kadosch* coniungit et insuper affirmat ab antiquis temporibus „redemptor noster" fuisse nomen Dei Israel, inter nomina divina collocandum est; significat autem eum qui nos *de cunctis malis* (Gn 48, 16) eruere vult ac potest.

§ 36. De nomine Dei generatim.

Nomen, שֵׁם, proprie est „signum, designatio personae vel rei" (*Gesenius,* Thesaurus 1432): ergo nomen Dei proprie est vocabulum quo ens summum designamus (Ex 3, 13 sq; 6, 3; 20, 7; Is 54, 5). Singula vocabula quibus ens summum in sacris Libris notatur, quibusque variae proprietates eius exprimuntur, supra recensuimus. — Improprie nomen Dei ipsa natura divina est, quatenus hominibus manifesta fit et ab eis cognoscitur (cf. *Strack,* Exodus 182). *Nisi custodieris, et feceris omnia verba*

legis huius, quae scripta sunt in hoc volumine, legimus Dt 28, 58 sq, *et timueris nomen eius gloriosum et terribile, hoc est, Dominum Deum tuum,* אֶת־הַשֵּׁם הַנִּכְבָּד וְהַנּוֹרָא הַזֶּה אֵת יְהוָה אֱלֹהֶיךָ i. e. nomen illustre et reverendum hoc, Iahve Deum tuum: *augebit Dominus plagas tuas* etc. Hic *nomen* pro natura Domini Dei in se perfectionibus gloriosa seu illustris (videas § 35 et art. 3) et ab hominibus reverenda (pag. 380) ponitur. Similiter Malachias (1, 11) loquitur: *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum,* גָּדוֹל שְׁמִי, *in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* De quibus verbis infra plura disseramus oportet.

Hoc sensu nomen Domini vocatur aeternum: *Domine nomen tuum,* שִׁמְךָ, *in aeternum: Domine memoriale tuum,* זִכְרְךָ, *in generationem et generationem* (Ps 134, 13). Hoc sensu etiam illae phrases saepius occurrentes *in nomine tuo,* בְּשִׁמְךָ, et *propter nomen tuum,* לְמַעַן שִׁמְךָ, intellegendae sunt, i. e. per potentiam tuam (pag. 373), propter fidelitatem tuam (pag. 378) vel ob alias proprietates tuas (art. 3) hominibus manifestatas aut manifestandas fiat hoc vel illud. *Deus in nomine tuo,* בְּשִׁמְךָ, *salvum me fac,* הוֹשִׁיעֵנִי i. e. adiuva me, orat Psalmista (53, 3): *et in virtute tua iudica me,* תְּדִינֵנִי i. e. tuere causam meam. Item Ps 78, 9: *Adiuva nos Deus salutaris noster,* אֱלֹהֵי יִשְׁעֵנוּ i. e. Deus liberationis nostrae = liberator noster, *et* (deest in Hebraico) *propter gloriam nominis tui Domine* (in Hebraico *Domine* deest, post *tui* additur *et*) *libera nos: et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum,* לְמַעַן שְׁמֶךָ. Psalmista Dominum rogat, ut ob misericordiam suam (v. 8) peccata populi deleat et ad manifestandam potentiam suam (v. 10) servos suos de inimicis (v. 1 sqq) liberet. Eadem ratione preces prophetae et populi quae apud Ieremiam (14, 7 sqq) leguntur, explicandae sunt: *Si iniquitates nostrae responderint nobis,* עֲנֵה בָנוּ i. e. testantur contra nos, *Domine fac* i. e. adiuva nos tempore siccitatis (v. 1) *propter nomen tuum* i. e. fidelitatem tuam (v. 8), *quoniam multae sunt aversiones nostrae, tibi peccavimus,* ergo auxilio tuo indigni sumus ... *tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos* i. e. tu in medio nostri habitas ut Deus et rex noster, et nos nomine tuo vocamur ut populus tuus electus, ergo propter fidelitatem tuam (pag. 378) ne derelinquas neve abicias nos (cf. *Knabenbauer,* Ieremias 198).

Variis autem modis natura Dei manifesta fieri et ab hominibus cognosci vel agnosci potest. Etenim Deus se manifestat auxi-

liando, hinc populus regi optat (Ps 19, 2): *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te,* יְשַׂגֶּבְךָ i. e. in loco alto te constituat seu tutum te reddat (*Gesenius,* Thesaurus 1320) *nomen Dei Iacob.* Se manifestat punìendo, hinc Is 30, 27: *Ecce nomen Domini venit de longinquo* i. e. „de caeli altitudine" (*Knabenbauer,* Isaias I 547), *ardens furor eius, et gravis ad portandum,* וְכֹבֶד מַשָּׂאָה i. e. et gravis elatio, scil. fumi (*Gesenius,* Thesaurus 918; *Buhl,* Handwörterbuch 420): *labia eius repleta sunt indignatione, et lingua eius quasi ignis devorans.* Se manifestat in creaturis perfectiones suas ostendendo: *Domine Dominus noster,* יְהוָה אֲדֹנֵינוּ, exclamat Psalmista (8, 2), *quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Se manifestat in loco quodam praesentiam suam monstrando. Salomon Dominum deprecatus est: *ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem* etc. (3 Rg 8, 29; cf. 3, 2).

Homines in Sacra Scriptura naturam Dei seu ipsum Deum dicuntur invocare, קָרָא בְּשֵׁם יְהוָה i. e. venerari (Gn 4, 26; 12, 8; 13, 4; 21, 33; 26, 25; cf. Comment. 112 sq et Ex 20, 24) et speciatim venerari auxilium eius implorando (3 Rg 18, 24 sqq; 4 Rg 5, 11). *Et erit,* ait Ioel (2, 32; hebr. 3, 5): *omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (cf. Ps 19, 8). Dicuntur illud praedicare seu narrare. *Idcirco autem posui te,* הֶעֱמַדְתִּיךָ i. e. conservavi te, scil. vivum (cf. v. 15 hebr.; Prv 29, 4; 3 Rg 15, 4; *Dillmann,* Exodus 97), dixit Deus ad Pharaonem, *ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.* Psalmista (21, 23) quoque promisit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te.* Dicuntur illud exaltare, רום, vel magnificare, גָּדַל i. e. laudibus efferre, vel laudare hymno cantato, הָלַל; dicuntur illi confiteri, יָדָה i. e. ob beneficia accepta gratias agere, illi psallere, זָמַר i. e. illud carmine celebrare, illi benedicere, בָּרַךְ i. e. proprie genubus flexis, deinde et verbis illud venerari (cf. *Gesenius,* Thesaurus ad singula verba). Exempla. Ps 33, 4: *Magnificate,* גַּדְּלוּ, *Dominum mecum: et exaltemus,* וּנְרוֹמְמָה, *nomen eius in idipsum,* יַחְדָּו i. e. simul. Ps 112, 2: *Sit nomen Domini benedictum,* מְבֹרָךְ, *ex hoc nunc,* מֵעַתָּה i. e. ab hoc tempore, *et usque in saeculum.* Is 25, 1: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te,* אֲרוֹמְמֶךָּ, *et confitebor,* אוֹדֶה, *nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas,* עֵצוֹת מֵרָחֹק i. e. consilia e longinquo, *fideles, amen,* אֱמוּנָה אֹמֶן i. e. firmitatem fidem (cf. Ps 53, 8; 98, 3).

Propheta Deum celebrat propter opera mirabilia, deiectionem regnorum et prostrationem „hostium theocratiae" ac fundationem „regni messianici"

necnon propter ultimam rerum consummationem et instaurationem caelestem. Quae opera vocat consilia e longinquo, quia ea „Deus ab aeterno mente concepit et iam diu antequam ea opere compleret, cum suis prophetis communicavit"; vocat firmitatem et fidem, quia „in iis Deus fidem suam, fidelitatem, veracitatem et veritatem praeclare manifestavit: fide summa stetit promissis, quamvis iniuriis peccatorum lacessitus, tamen inconcussa fidelitate et veritate cuncta praestitit et maxima constantia perfecit" (*Knabenbauer,* Isaias 465). Ultima verba etiam adverbialiter intellegi possunt, ut sit sensus Deum firma cum fidelitate consilia sua perfecisse (cf. *Gesenius,* Thesaurus 116; alii aliter).

Ps 65, 4: *Omnis terra adoret te, et psallat tibi,* וְיַזַּמְּרוּ־לָךְ; *psalmum dicat,* יְזַמְּרוּ, *nomini tuo* (cf. 7, 18; 9, 3). Denique Ps 68, 31: *Laudabo,* אֲהַלְלָה, *nomen Dei cum cantico,* בְּשִׁיר (cf. pag. 213): *et magnificabo eum,* וַאֲגַדְּלֶנּוּ, *in laude,* בְּתוֹדָה (cf. pag. 213). Dicuntur homines nomen Dei novisse, scire, יָדַע (Ps 9, 11; 90, 14; Is 52, 6), memoria tenere, זָכַר (Ps 44, 18; 118, 55), non oblivisci, שָׁכַח (Ps 43, 21), diligere, אָהַב (Ps 5, 12; 68, 37), timere, יָרֵא (Ps 60, 6), in eo sperare, בָּטַח (Ps 32, 21), iussu et auctoritate eius loqui (Dt 18, 19; cf. Ier 14, 14), in eo ambulare, הָלַךְ, illud violare, חָפַשׁ. *Mendicitatem . . . ne dederis mihi,* legimus Prv 30, 8 sq, *. . . ne . . . egestate compulsus furer, et periurem,* וְתָפַשְׂתִּי i. e. violem, *nomen Dei mei.* Haec violatio nominis Dei aut periurio quo quis furtum negat (sententia communior) aut blasphemiis quibus pauper in Deum invehitur (cf. Is 8, 21; *Bertheau-Nowack,* Sprüche 169) perpetrari potest. Apud Michaeam (4, 5) autem scriptum est: *Quia omnes populi ambulabunt,* יֵלְכוּ, *unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus,* וַאֲנַחְנוּ נֵלֵךְ, *in nomine Domini Dei nostri in aeternum et ultra,* לְעוֹלָם וָעֶד i. e. in aeternum et perpetuum. Ambulare actus hominis externos et internos comprehendit (Comment. 271); ambulare in nomine Dei idem est ac vivere ita ut Deus hominibus sit exemplar et norma (cf. *Knabenbauer,* Michaeas 433; *Orelli,* Micha 113).

ARTICULUS II.

DE ESSENTIA DIVINA.

Philosophi essentiam physicam et metaphysicam distinguunt. Essentia physica vel individualis est id per quod res quaedam in specie sua unica est et a rebus reliquis speciei eiusdem distinguitur; essentia metaphysica vel specifica vel notionalis est id quod res quaedam cum rebus reliquis speciei eiusdem commune habet (*Hagemann,* Metaphysik 25; *Gutberlet,* Metaphysik 26). His praemissis quaerimus: quae est essentia Dei, quid est Deus? quale responsum dat Sacra Scriptura?

§ 37. Deus est esse ipsum, esse totum.

Haec veritas in Sacra Scriptura verbis clarissimis docetur, et quidem Ex 3, 13 sq et Is 42, 8. Moyses illud nomen scire voluit quod Deo maxime proprium est, et quo Deus a ceteris distinguitur. Deus Moysi respondit nomen sibi proprium esse *Iahve* (pag. 374) et postea per Isaiam declaravit hoc nomen ceteris incommunicabile esse (pag. 375). Quodsi Deus nomen *Iahve* sibi proprium, ceteris autem incommunicabile dicit, hoc nomen essentiam eius exprimat necesse est, quia Deus id est quod ipse se nominat. *Iahve* autem eum significat, ut pag. 374 ostendimus, cuius „ipsum esse et quidem totum esse“ seu „esse simpliciter acceptum secundum quod includit in se omnem perfectionem essendi“ (*S. Thomas* 1, 2, q. 2, a. 5 ad 2) essentialiter proprium est. Ergo Deus est *esse ipsum, esse totum.* — Hoc *esse* non est ens universale et abstractum sed personale, singulare et subsistens, ut etiam supra (pag. 378) notavimus.

Ad rem S. Augustinus (in Ps 134, n. 4) scribit: „Sublatis de medio omnibus quibus appellari posset et dici Deus, *ipsum esse* se vocari respondit.“ Item S. Gregorius Naz. (Orat. 45, n. 3): „*Totum* in se comprehensum habet *esse* sine initio et sine fine velut quoddam pelagus essentiae infinitum et indeterminatum.“

Eadem veritas ex Is 40, 17 eruitur. *Omnes gentes,* inquit, *quasi non sint, sic sunt coram eo,* כְּאַיִן נֶגְדּוֹ, i. e. sicut nihil coram eo sunt, *et quasi nihilum et inane,* מֵאֶפֶס וְתֹהוּ, i. e. ex nihilo et inanitas *reputatae sunt ei.* Cum gentes quae non totum esse sed esse participatum et finitum habent, a Deo sicut nihilum et inanitas reputari dicantur, concludendum est Deum ipsum non habere esse finitum sed esse totum, esse immutabile (cf. pag. 380). „Ita ille (scil. Deus) est, ait S. Augustinus (in Ps 134, n. 4), ut in eius comparatione ea quae facta sunt, non sint. Illi non comparata, sunt; illi autem comparata, non sunt, quia verum esse incommutabile esse est, quod ille solus est.“

Knabenbauer (Isaias II 76) locum citatum sic explicat: „Deus est esse infinitum, ita ut reliqua omnia ei comparata sint nihil, inane, vacuum (cf. hebr.), quia inter Deum et creaturas intercapedo interiacet infinita et esse ab alio eo ipso dependentiam, fragilitatem, contingentiam dicit neque ulla ratione cum esse a se, cum ente necessario componi potest aut ei aequiparari.“

Ea quae in libro Exodi et Isaiae leguntur, Sirach (Eccli 43, 29) aliis verbis repetit. *Multa dicemus,* testatur, *et deficiemus in verbis,* καὶ οὐ μὴ ἀφικώμεθα i. e. et neutiquam pervenimus; *consummatio*

autem sermonum, ipse est in omnibus, τὸ πᾶν ἐστιν αὐτός i. e. ipse est omne. Textus Hebraicus talis est (cf. *Peters*, Ecclesiasticus Hebraice 111): עוֹד בָּאֵלֶּה לֹא נוֹסַף וְקִצּוֹן דָּבָר הִיא הַכֹּל, i. e. adhuc similia non adiciemus; consummatio autem sermonis: ipse est totum. Hagiographus profitetur: ne opera quidem Dei (v. 36), multo minus essentiam eius homines enarrare possunt, quare „adhuc similia non adiciemus" vel etsi „multa dicemus, deficiemus in verbis" neque „perveniemus", i. e. opera atque essentiam divinam mente comprehendere non possumus; consummatio seu summa sermonum est: Ipse est *esse totum,* הַכֹּל, *τὸ πᾶν, omne.*

„Ipse est omnia, explicat Knabenbauer (Ecclesiasticus 426), omnium rerum perfectiones ipse in se habet... ipsum esse, ὁ ὤν simpliciter, unde omne esse in se complectitur, omne vivere, omne sapere, omnem potentiam." Huc etiam trahi possunt (cf. pag. 388) illa S. Bernardi (De consid. 5, 6): „Quid est Deus? Non sane occurrit melius quam *qui est*... Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est *est*"; possumus addere, quod est *totum* seu *omne,* הַכֹּל, τὸ πᾶν.

Secundum locos supra explicatos Deus est „esse ipsum, esse totum, quod omnem perfectionem essendi in se complectitur" (pag. 388). Qua tale debet esse *ens a se,* i. e. a nulla causa productum, quia alioquin perfectionem essendi non haberet; debet esse causa efficiens rerum omnium quae ens participatum et finitum habent, uti patet; debet esse finis earum, quatenus ad hoc tantum creatae esse possunt ut perfectiones entis primi exprimant. Nam „finis, docet S. Thomas (Contra Gent. l. 3, c. 17), inter alias causas primatum habet, et ab ipso omnes aliae causae habent, quod sint causae in actu: agens enim non agit nisi propter finem.... Finis etiam posterior est causa, quod praecedens finis intendatur ut finis, non enim movetur aliquid in finem proximum nisi propter finem postremum. Est igitur finis ultimus prima omnium causa. Esse autem primam omnium causam necesse est primo enti convenire quod Deus est." Quia autem Deus, utpote plenitudinem essendi in se complectens, sibi nihil desiderare et acquirere potest, aliae res ad hoc dumtaxat creatae esse possunt ut perfectiones primi entis manifestent. *Haec dicit Dominus,* יְהוָה, *rex Israel,* מַלְכּוֹ־יִשְׂרָאֵל, *et redemptor eius,* וְגֹאֲלוֹ, *Dominus exercituum,* יְהוָה צְבָאוֹת: *Ego primus,* אֲנִי רִאשׁוֹן, *et ego novissimus,* וַאֲנִי אַחֲרוֹן (Is 44, 6; 48, 12; cf. 41, 4 et pag. 384), i. e. ego sum principium universorum, ipse autem sine principio; ego sum etiam finis ultimus universorum.

Knabenbauer (Isaias II 150) hunc locum sic interpretatur: „Ipse est ab aeterno *primus* et usque in aeternum *ultimus* ita quidem, ut sua potentia omne quod exsistit complectatur neque quidquam sine eo exsistere vel permanere possit; sic revera est *primus et ultimus* in ordine exsistentium, uti omnia complectens ita omnia excedens, uti omnia ambiens et circumdans ita super omnia et extra omnia infinite se protendens." Adducit quoque S. Cyrillum scribentem: „Deus enim est principium (ἀρχή) universorum, ipse sine principio (ἄναρχος ὢν αὐτός), et omnia ab ipso ortum habent, ortus autem ipse est a nemine sed est ὢν καὶ ἐσόμενος."

Iuxta ea quae hucusque dicta sunt, Deus definiri potest *ens a se*. In qua definitione *ens* ut genus proximum et *a se* ut differentia specifica (videas logicam) accipitur. At ista definitio non est definitio sensu stricto sumpta. Nam *esse* divinum est infinitum, est esse ipsum; contra *esse* creaturarum est finitum, est esse participatum: ergo non ad idem genus pertinent (pag. 388). Neque ad *esse totum* (pag. 380) differentia specifica i. e. distincta quaedam perfectio addi potest, quod evidens est.

„Deus est ens a se, est quaedam quasi definitio Dei, scribit Pesch (De Deo uno 65 sq), ubi ‚ens' sumitur ad modum generis quod analoge complectitur Deum et creaturas, et illud ‚a se' additur tamquam differentia specifica qua ens divinum differt a creatura. Est tamen haec definitio similitudinaria tantum, quia ens divinum neque ut in se est neque ut a nobis concipitur, est in eodem genere cum ente creato, neque ei addi potest ulla distincta perfectio qua determinetur ad hoc ens, cum iam sit hoc ens maxime determinatum. Tota igitur compositio est logica tantum, seu est clarior et explicitior eiusdem rei repraesentatio."

ARTICULUS III.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS.

Varia attributa seu proprietates quae in Sacra Scriptura Deo ascribuntur, ordine chronologico (pag. 370) tractabimus, ita tamen ut perspicuitatis gratia prius attributa essendi, deinde attributa operandi recenseamus.

§ 38. De attributis essendi.

1. Aeternitas. Prima proprietas in Scriptura Deo ascripta est aeternitas, qua Deus initio et fine et successione caret. Etenim iam Gn 21, 33 legimus: *Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen* i. e. veneratus est ibi essentiam (pag. 384) *Domini,* יְהוָה, *Dei aeterni,* אֵל עוֹלָם. Hagiographus igitur testatur Iahve ut Deum aeternum ab Abraha veneratum esse. Vocabulum aeterni, עוֹלָם (ab עָלַם *occultavit, abscondit*) absolute „tempus occultum, absconditum, diuturnum, cuius initium vel finis incertus est vel non definitus" (*Gesenius,* Thesaurus 1035) ideoque tempus

contextu definiendum significat, quemadmodum omnes catholici et acatholici concedunt. Atqui hic cum יְהוָה coniungitur, quod nomen eum notat cuius „esse ipsum, esse totum“ proprium est, qui „plenitudinem seu perfectionem“ essendi complectitur (pag. 388). A tali autem tum initium tum finis tum successio i. e. transitus ab uno in alium statum essendi necessario excluditur, quia tria haec cum plenitudine seu perfectione essendi conciliari nequeunt. Ergo ista verba *invocavit ibi nomen* seu veneratus est ibi essentiam *Domini,* יְהוָה, *Dei aeterni,* אֵל עוֹלָם, hoc tantum significare possunt: veneratus est Iahve ut Deum qui initio et fine et successione caret. Ita locum etiam Gesenius (Thesaurus 1036), Dillmann-Kittel (Handbuch 243), Oehler (Theologie 154) intellegunt.

Etiam αἰών, sanscr. *âyuṣ,* lat. *aevum* (aeviternitas = aeternitas), a radice *ai* = moveri vel spirare, significationem in se indeterminatam habent quae contextu determinatur (cf. *Menge,* Schulwörterbuch 11; *Passow,* Handwörterbuch 68). — Bene notant Dillmann-Kittel (Handbuch 243) cum S. Hilario (De Trin. l. 1, n. 5) et S. Gregorio Naz. (Orat. 38, n. 7) aeternitatem Dei sensu declarato iam nomine *Iahve* expressam esse (cf. pag. 380) et inter mundanas varietates saepe et facile rationi humanae obici, quare iam Abraham eam perspectam habuerit. — Hoberg (Genesis 197) quidem censet verba *Dei aeterni* tempore prophetarum textui originali insertam fuisse, sed reliqui interpretes hanc opinionem non adoptant, quia demonstrari nequit. — Strack (Genesis[2] 80) cum Delitzsch putat *nemus* seu tamariscum, אֶשֶׁל (forte singularis collectivus) ab Abraha plantatam propter ligna firma et folia semper virentia fuisse symbolum aeternitatis Dei. — Gunkel (Genesis 214) cum aliis asserit in Bersabee fuisse tamariscum ad quam deus Chananaeorum *'El 'olam,* Χρόνος ἀγήρατος coleretur; Israelitas locum et cultum eius suscepisse, nomen *'El 'olam* nomini Dei sui adiunxisse, plantationem tamarisci fabulose Abrahae ascripsisse. At sententia Gunkeli ne unico quidem argumento confirmatur atque verbis scriptoris inspirati (pag. 9 sqq) omnino contraria est. Quod Chananaei quoque deum Χρόνον ἀγήρατον coluerint non est mirabile, quia haec proprietas Dei menti humanae saepe et facile occurrit, ut a Dillmann-Kittel audivimus.

Quod de Gn 21, 33 diximus, de aliis quoque locis valet. In Ps 89, 2 (Oratione Moysis hominis Dei) hagiographus Dominum, יְהוָה (cf. v. 13 17) sic alloquitur: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis,* וַתְּחֹלֵל i. e. et terra habitata: et *a saeculo (et) usque in saeculum,* וּמֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם, *tu es* o *Deus.* — Et Isaias (40, 28) lamentantem populum Israel (cf. v. 27) interrogat: *Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus,* אֱלֹהֵי עוֹלָם, est *Dominus,* יְהוָה, *qui creavit terminos,* קְצוֹת i. e. extremitates = remotissimas regiones (*Gesenius,* Thesaurus 1227) *terrae: non deficiet, neque laborabit,* לֹא יִיעַף וְלֹא יִיגָע i. e. non defatigatus et non fessus erit, *nec est investigatio sapientiae eius.* Tam in hoc

quam in illo loco עוֹלָם *aeternitas* non absolute sumpta sed ut cum יְהוָה coniuncta initium et finem et successionem excludit (cf. pag. 391); etiam Baethgen (Psalmen 277), Duhm (Psalmen 224; Jesaia 275), Marti (Jesaja 277) confitentur in locis citatis aeternitatem Dei doceri. — In utroque loco Deus ante creationem terrae fuisse diserte traditur; in altero insuper defatigatio a Deo removetur.

In Ex 15, 18; Ps 10, 16 hebr.; 47, 15; 65, 7; Ir 10, 10; Dn 7, 14 27 Deus *in aeternum,* לְעֹלָם, regnare et in Dt 32, 40; Eccli 18, 1 *in aeternum* vivere scribitur. In Ps 32, 11 consilium *in aeternum;* Ps 102, 17; 105, 1; 135, 1 misericordia vel gratia *aeterna;* Ps 118, 142; Is 51, 6 8 iustitia *in aeternum;* Ps 134, 13 nomen *in aeternum;* Is 40, 8 verbum *in aeternum;* Is 51, 6 8 salus *in aeternum* de Domino praedicatur. In Bar 4, 10 14 22 Dominus Deus simpliciter *aeternus,* ὁ αἰώνιος nominatur (in Dn 6, 26 non hagiographus sed Darius Medus loquitur; cf. pag. 11). In omnibus his aliisque locis observemus oportet vocabulum *aeterni* (לְעֹלָם *in aeternum*) cum *Iahve* coniunctum, ergo sensu supra (pag. 391) declarato accipiendum esse.

Celeberrimus locus sequens est: *Ab initio,* לְמָדֶּם i. e. olim *tu Domine* (deest *Domine* in Hebraico hic at in vv. praecedentibus saepius recurrit) *terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes,* תַּעֲמֹד: *et omnes sicut vestimentum,* כַּבֶּגֶד i. e. sicut tegumentum, *veterascent. Et* (deest in Hebraico) *sicut opertorium,* כַּלְבּוּשׁ i. e. sicut vestem, *mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es,* וְאַתָּה־הוּא, *et anni tui non deficient* seu non finientur (Ps 101, 26—28; cf. Is 51, 6—8). Keßler (Psalmen 215) asserit in hoc loco aeternitatem „a parte ante“ atque aeternitatem „a parte post“ simul cum immutabilitate Dei doceri; similiter commentatores reliqui sentiunt. Et revera hic locus a Deo removet finem: *tu autem permanes . . . anni tui non deficient;* removet successionem seu mutationem: *tu autem idem ipse es;* removet initium: creationem caeli et terrae olim, לְמָדֶּם, peractam ei ascribit. Quando illud olim fuerit, ex Gn 1, 1 discimus, nimirum *in principio,* in initio, בְּרֵאשִׁית: ergo Deus in initio iam erat, non habet initium ut entia creata. — Eadem in tribus locis sequentibus exprimuntur, quorum primus initium, secundus finem, tertius successionem seu mutationem in Domino, יְהוָה, negat. Legimus in Ps 92, 2: *Parata,* נָכוֹן i. e. stabilita est, *sedes tua* seu thronus tuus (o *Iahve*, cf. v. 1 3—5) *ex tunc,* מֵאָז i. e. a tempore antiquo: *a saeculo,* מֵעוֹלָם i. e. ab aeternitate, *tu es.* In Ps 9, 8: *et Dominus in aeternum,* לְעוֹלָם, *permanet,* וְיֵשֵׁב i. e. sedet. In Is 41, 4: *Quis haec operatus est, et fecit* i. e. quis est auctor victoriarum Cyri? (sententia communis, videas contextum; hic signum interrogationis ponendum est). Sequitur responsum: *vocans gene-*

rationes seu gentes ad exsistentiam et officia (*Duhm,* Jesaia 277; *Marti,* Jesaja 279) *ab exordio,* מֵרֹאשׁ i. e. ab initio creaturarum (hic signum interrogationis quod Clementina habet, deleatur); *Ego Dominus, primus et novissimus ego sum,* אֲנִי יְהוָה רִאשׁוֹן וְאֶת־אַחֲרֹנִים אֲנִי־הוּא i. e. ego Iahve primus (cf. pag. 389) et cum novissimis (scil. generationibus) ego idem, ergo sempiternus et immutabilis (cf. *Knabenbauer,* Isaias II 87).

Alius locus Eccli 42, 21—24 reperitur. *Magnalia, τὰ μεγαλεῖα* i. e. opera magna, *sapientiae suae decoravit, ἐκόσμησεν* i. e. bene disposuit: *qui, καὶ ὃς* (codices A C; ἕως, codex ℵ) *est ante saeculum et usque in saeculum, neque adiectum est, neque minuitur, et non eget alicuius consilio.... Omnia haec vivunt, et manent in saeculum.* Quamdiu textus originalis ignotus fuit (cf. pag. 349), dubium esse potuit utrum in loco citato aeternitas Dei tradatur necne; nunc autem originali textu invento dubitatio tollitur. Vertimus textum a Peters (Ecclesiasticus Hebraice 106) restitutum: „Magnitudinem sapientiae suae stabilivit, unus ipse ab aeterno est, אֶחָד הוּא מֵעוֹלָם. Non adiectum et non ablatum est, לֹא נוֹסָף וְלֹא נֶאֱצָל, et non eget ullo docente. Ipse vivit et manet in perpetuum, חִיא הַי וְעוֹמֵד לָעַד." Illud *non adiectum et non ablatum est* non quidem immutabilitatem Dei, ut nonnulli putarunt, sed perfectionem operum eius innuit quae nullam emendationem necessariam habent (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 418 sq, cum Lapide); duae autem aliae phrases aeternitatem „a parte ante" et „a parte post" Deo tribuunt.

A quibusdam alii quoque loci citantur, videlicet Dn 7, 9 13 22 ubi Deus *antiquus dierum,* עַתִּיק יוֹמִין, appellatur, et Ps 89, 4 ubi hagiographus affirmat: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quae praeteriit, Et* (tamquam) *custodia in nocte* quae quattuor horas complectebatur. Verumtamen hi loci in se spectati non docent Deum esse aeternum sensu stricto. Nam neque *antiquus dierum* neque ille qui 1000 annos tamquam 4 horas aestimat, eo ipso sine initio et sine fine et sine mutatione proponitur. Si autem Ps 89, 4 cum 89, 2 (pag. 391) et Dn 7, 9 13 22 cum Is 44, 6; 48, 12 (pag. 389) comparamus, dicere possumus Deum cuius aeternitas iam antea tradita est, istis phrasibus apte descriptum esse.

2. Immutabilitas, qua mutatio i. e. transitus de uno stato essendi in alium (pag. 391) in Deo negatur. a) Mutatio voluntatis negatur Nm 23, 19: *Non est Deus quasi* (deest *quasi* in Hebraico) *homo, ut mentiatur: nec ut* (deest *ut* in Hebraico) *filius hominis, ut mutetur,* וְיִתְנֶחָם i. e. ut eum paeniteat. *Dixit ergo,* הַהוּא אָמַר i. e. ipse dixit, *et non faciet? locutus est, et non implebit?* His verbis immutabilitatem voluntatis divinae enuntiari omnes commentatores concedunt; loquitur quidem Balaam, at ea quae Iahve

ei iusserat (cf. v. 16 sq). Similiter Samuel propheta ad Saulem dixit (1 Rg 15, 29): *Porro,* וְגַם i. e. insuper, *Triumphator in Israel,* נֵצַח יִשְׂרָאֵל i. e. gloria Israelis, videlicet Iahve, *non parcet,* לֹא יְשַׁקֵּר i. e. non mentietur, *et poenitudine non flectetur,* וְלֹא יִנָּחֵם i. e. et non paenitebit eum: *neque enim homo est ut agat poenitentiam,* לְהִנָּחֵם i. e. ut paeniteat eum. Et Psalmista (32, 11) testatur: *Consilium autem Domini in aeternum manet,* תַּעֲמֹד i. e. perstat: *cogitationes cordis eius in generatione et generationem* (cf. pag. 210 sq 391). — Mutationem generatim negant loci classici Ps 101, 26—28 (pag. 392) et Is 41, 4 (pag. 393) supra citati necnon Sap 7, 27: *Et cum* seu licet *sit una* (scil. sapientia divina), *omnia potest: et in se permanens, καὶ μένουσα ἐν αὐτῇ, omnia innovat.* Hic locus Psalmo 101, 26—28 valde similis est: utrobique Deus res ceteras mutare, ipse tamen in se permanere, ergo immutabilis esse dicitur; hagiographum in Sap 7, 27 de divina sapientia loqui versus antecedentes et consequentes comprobant (cf. *Zöckler,* Apokryphen 372 sq).

Sicut aeternitas (cf. pag. 391), ita etiam immutabilitas Dei ipso nomine *Iahve* continetur et annuntiatur. Nam qui essentialiter *esse ipsum, esse totum* est seu *plenitudinem essendi* habet (pag. 388), neque aliquid acquirere neque aliquid amittere potest, ergo de uno statu essendi in alium transire seu mutari nequit. „*Est* quod vocatur, et non solum vocatur sed vere est, ait S. Augustinus (In 1 Ioan. tr. 4, 5), incommutabile est: semper manet, mutari nescit; nulla ex parte corrumpitur; nec proficit, quia perfectum, nec deficit, quia aeternum est.“ Item (Serm. 7, n. 7): „*Esse* est nomen incommutabilitatis. Omnia enim quae mutantur, desinunt esse quod erant et incipiunt esse quod non erant. *Esse* verum, *esse* sincerum, *esse* germanum non habet nisi qui non mutatur. . . . Quid est *Ego sum qui sum* nisi mutari non possum?“

Saepius citatur Prov 19, 21: *Multae cogitationes,* רַבּוֹת i. e. consilia, *in corde viri: voluntas autem,* וַעֲצַת i. e. consilium autem, *Domini permanebit,* תָּקוּם i. e. stabit seu ratum fiet. Textus Vulgatae (cf. pag. 370) primo aspectu immutabilitatem voluntatis Domini exprimere videtur; attamen parallelismus antitheticus (pag. 211) atque contextus rerum (cf. Exegeticam 43) alium sensum indicant. Prv 16, 9 enim legimus: *Cor* seu mens *hominis disponit,* יְחַשֵּׁב i. e. cogitat, *viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius,* וַיהוָה כּוֹנֵן צְעָדוֹ i. e. sed Iahve dirigit gressum eius. Idem sensus in 19, 21 latet: multae sunt cogitationes seu consilia hominis, sed consilium Domini ratum fiet. Hagiographus docet in singulis casibus id fieri quod Dominus vult, non quod homo sibi proposuit (cf. *Frankenberg,* Sprüche 113; *Strack,* Sprüche 65). Ex quo sensu non sequitur voluntatem Dei immutabilem esse. — Plures

interpretes in Ib 23, 13ª immutabilitatem Dei insinuatam vident. Vulgata vertit: *Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem eius;* in Hebraico autem legimus: וְהוּא בְּאֶחָד וּמִי יְשִׁיבֶנּוּ. Quae verba Dillmann (Hiob 212), Gesenius-Kautzsch (Grammatik 383), Volck (Hiob 61), plures alii sic interpretantur: „et ipse ut (ב essentiae; cf. pag. 377) unus est, i. e. idem manet, et quis avertet eum“? Knabenbauer (Iob 299) cum aliis (cf. *Dillmann* l. c.) vertit: „ipse in uno, et quis avertet eum“? et explicat: „in uno hoc decreto immobilis manet. In utraque interpretatione immutabilitas Dei continetur. Contra Budde (Hiob 132), Duhm (Hiob 120), Kittel (Biblia Hebraica) pro בְּאֶחָד emendant בָּחַר *elegit, decrevit* (cf. Ps 131, 13), quam emendationem valde probabilem censeo, quia LXX reddunt: *εἰ δὲ καὶ αὐτὸς ἔκρινεν οὕτως, τίς ἐστιν ὁ ἀντειπὼν αὐτῷ;* Ergo Iob (pag. 226) de immutabilitate Dei non loquitur. — Citatur etiam Mal 3, 6: *Ego enim Dominus, et* (deest *et* in Hebraico) *non mutor,* לֹא שָׁנִיתִי, *οὐκ ἠλλοίωμαι,* i. e. non mutatus sum: *et vos filii Iacob non estis consumpti,* כְּלִיתֶם i. e. absoluti vel perfecti. Quae verba saepe sic exponuntur: ego sum *Iahve* et propterea sum immutabilis (cf. pag. 394). At iuxta textum Hebraicum et Graecum Deus non dicit *non mutor* in praesenti, sed לֹא שָׁנִיתִי, *οὐκ ἠλλοίωμαι, non mutatus sum* in perfecto; sensus autem versiculi in contextu talis est: *Et accedam ad vos in iudicio, . . . dicit Dominus exercituum* (v. 5). Quare venit ad iudicium? *Ego enim Dominus,* inquit, non mutatus sum, sed idem iustus iudex sum ut antea (cf. 3, 2 sq; 4, 1): *et vos filii Iacob non estis consumpti* vel absoluti seu perfecti scil. quod ad statum moralem attinet (v. 6): *A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis, et non custodistis* (v. 7ª), ergo iudicium veniet, nisi paenitentiam egeritis (cf. v. 7ᵇ). Videas Marti (Maleachi 475), Orelli (Maleachi 221), Nowack (Maleachi 407) qui interpretationem ab Hitzig-Steiner (Maleachi 428) et Knabenbauer (Malachias 473) propositam (*non estis consumpti* = „non estis deleti sed erepti ex ruina“) merito repudiat, quia ad contextum non quadrat. Quae cum ita sint, ex Mal 3, 6 immutabilitas Dei demonstrari nequit, si ad textum Hebraeum et Graecum necnon ad contextum respicimus. — Illa Eccli 42, 21 sq *neque adiectum est, neque minuitur,* non immutabilitatem Dei innuere iam pag. 393 notavimus.

Ne quis iis scandalizetur quae mox de sensu trium locorum biblicorum scripsimus, sequentia observanda ducimus: α) neque authenticum magisterium Ecclesiae neque Patres ut testes publici (pag. 25) declararunt tres istos locos de immutabilitate Dei intellegendos esse; sed neque ana-

logia fidei postulat ut eos de immutabilitate divina interpretemur quae in aliis locis supra citatis modo clarissimo docetur. Ergo interpretantes tres istos locos liberi sumus (cf. Exegeticam 55—72). β) Viri dogmatici sensui in Vulgata expresso ob rationem pag. 370 allatam inhaerere possunt; sed legas quae Leo XIII scripsit (pag. 370). γ) In theologia autem biblica singuli textus etiam critice et hermeneutice tractandi ideoque tales omittendi sunt qui considerato textu originali, usu loquendi atque contextu vim probandi aut nullam aut dubiam dumtaxat habent. δ) Melius est textus paucos sed certos quam multos sed dubios in medium proferre: quod Deus in uno loco certo dicit, infallibilis et immutabilis veritas est, quia *Verbum . . . Dei nostri manet in aeternum* (Is 40, 8).

b) Immutabilitas Dei in illis locis biblicis negari videtur, ubi Deus scribitur creasse quae prius non erant (Gn 1, 1 sqq), mox complacentiam (Gn 1, 31) mox displicentiam (Gn 6, 6—8) habuisse, aliquid mox voluisse mox noluisse (Ion 3, 4 10), mox irasci mox reconciliari (Is 60, 10), mobilior omnibus mobilibus esse (Sap 7, 24). — Antequam locos singulos inspiciamus, duo principia generalia in memoriam revocamus, videlicet primum: Deus qui est auctor totius Sacrae Scripturae (pag. 369), sibi contradicere nequit, quia ne homo quidem prudens in eodem opere sibi contradicit; secundum: loci ambigui vel obscuri ex locis claris explicandi sunt (cf. Exegeticam 43). — His praemissis sensum istorum locorum eruere possumus. Verba Sap 7, 24 *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia, πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερον σοφία· attingit autem ubique, διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων, propter suam munditiam,* absolute loquendo utique significare possent sapientiam divinam (cf. pag. 394) omnibus rebus mobilibus, i. e. mutabilibus, esse mobiliorem, i. e. mutabiliorem; at ita intellecta illis locis clarissimis quibus immutabilitas Dei docetur (pag. 393 sq) contraria essent, quare alia significatio vocabuli *κινητικοῦ* quaerenda est. Potest autem *κινητικός* idem esse atque actuosum vel agile, quod alia agitat vel movet (*Passow,* Handwörterbuch), in se autem permanet. Hunc esse sensum ab auctore intentum contextus demonstrat; sequitur enim: *Et cum sit una, omnia potest: et in se permanens omnia innovat* (v. 27; cf. pag. 394). *Attingit ergo, διατείνει δέ, a fine usque ad finem fortiter, εὐρώστως, et disponit omnia suaviter, καὶ διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς* (8, 1). Ergo sapientia omnibus actuosis actuosior quidem est, sed *in se permanens* non mutatur. — Quomodo illi loci intellegendi sint in quibus Deus irasci et reconciliari, de aliqua re sibi complacere et displicere dicitur, Ps 17, 26 sq manifestat ubi immutabilis Dei voluntas erga bonos et malos annuntiatur. *Cum sancto sanctus eris,* עִם־חָסִיד

תִּתַּמָּם i. e. erga pium praebebis te pium, *et cum viro innocente innocens eris,* עִם־גֶּבֶר תָּמִים תִּתַּמָּם i. e. erga virum probum praebebis te probum: *Et cum electo electus eris,* עִם־נָבָר תִּתְבָּרָר i. e. erga purum praebebis te purum: *et cum perverso perverteris,* וְעִם־עִקֵּשׁ תִּתְפַּתָּל i. e. et erga perversum praebebis te perversum. Quorum versuum sensus est: Deus erga homines talem se exhibet qualem status eorum postulat (cf. *Thalhofer,* Psalmen 134 sq; *Wolter,* Psallite I 178; *Keßler,* Psalmen 39): si boni sunt, de iis sibi complacet eosque bene tractat; si mali sunt, de iis sibi displicet eosque male tractat. Si igitur bonus quidam fit malus, a Deo ut malus tractatur qui antea ut bonus tractatus erat; si contra malus fit bonus, a Deo ut bonus tractatur qui antea ut malus tractatus erat: voluntas Dei eadem manet; homo vero mutatur, de statu in statum transiens, ideoque voluntatem Dei statui mutato congruentem experitur. Diversi effectus eiusdem voluntatis divinae quos eadem persona pro statu diverso experitur, per anthropomorphismum vel potius anthropopathismum (cf. Exegeticam 10) diversis affectibus Dei ascribuntur. E. g. Deus de creaturis sibi complacuit easque conservare volebat, quia *cuncta quae fecerat... erant valde bona* (Gn 1, 31); postea homines valde corrupti sunt (Gn 6, 5) ideoque in displicentiam Dei et poenam statui corrupto congruentem, i. e. deletionem, inciderunt: hi effectus modo anthropopathico paenitentiae Dei assignantur: *poenituit eum quod hominem fecisset in terra* (Gn 6, 6 sq; cf. Comment. 132 sq). Breviter ac bene Thenius-Löhr (Samuel 73) notant Deum in 1 Rg 15, 11 35 *ἀνθροποπαθῶς* paenitere, in 1 Rg 15, 29 vero *θεοπρεπῶς* non paenitere dici. — Praedictio subversionis Ninives conditionata fuit (cf. pag. 238 sq); ergo voluntas Dei non mutata est. — Quod denique ad creationem pertinet, quacum mutatio coniuncta esse videtur, quatenus Deus ex non creante factus est creans, Egger (Dogm. spec. 59) cum S. Bonaventura respondet: „Qui ex non-agente fit agens, utique mutatur, si actio ab agente distinguitur, eo quod tunc aliquid in agente incipit quod prius non fuit, scilicet actio. Et talis est omnis operatio creaturae. Si vero agens et actio non distinguuntur, sed agens per se ipsum, i. e. per suam essentiam operatur, tunc per actionem nulla realis mutatio in ipsum subiectum agens sed tantummodo nova relatio extrinseca ad effectum inducitur. Et sic operatur Deus."

Theologi de varia mutatione loquuntur (cf. *Hurter,* Compendium II 45), nimirum de mutatione quoad exsistentiam, locum, scientiam, voluntatem, qualitates. Mutatio quoad exsistentiam seu transitus „de non esse

ad esse aut de esse ad non esse" improprie dumtaxat mutatio dici potest (cf. pag. 391), in Ps 101, 26—28 a mutatione propria distinguitur atque de Deo negatur (cf. pag. 392); mutatio quoad locum et scientiam ob immensitatem et omniscientiam divinam a Deo semovenda est, ut infra probabitur; de mutatione vel potius de immutabilitate quoad voluntatem et qualitates supra locuti sumus.

3. Unitas seu singularitas qua *Iahve* solus Deus verus affirmatur, et praeter eum alii dii veri exsistere negantur. a) Haec proprietas *Domino,* יְהוָה, in pluribus iisque clarissimis locis ascribitur. Moyses populo Israel testatus est (Dt 4, 35): אַתָּה הָרְאֵתָ i. e. tu factus es ut videres, scil. miracula in Aegypto patrata (cf. v. 34; הָרְאֵתָ est hoph'al; tota phrasis quae in Graeco et Latino textu deest, reddi potest: tibi monstrata sunt) *ut scires quoniam,* כִּי i. e. quod *Dominus,* יְהוָה, *ipse est Deus,* הוּא הָאֱלֹהִים i. e. ipse est Deus verus (adest articulus; cf. *Buhl,* Handwörterbuch 36; *Steuernagel,* Deuteronomium 19), *et non est alius praeter eum,* אֵין עוֹד מִלְּבַדּוֹ i. e. *οὐκ ἔστιν ἔτι πλὴν αὐτοῦ.* Et sermonem concludens repetiit (Dt 4, 39): *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo quod Dominus,* יְהוָה, *ipse sit Deus,* הוּא הָאֱלֹהִים, *in caelo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius,* אֵין עוֹד i. e. *οὐκ ἔστιν ἔτι (πλὴν αὐτοῦ).* Conferas Ios 2, 11. — In Dt 6, 4 praecipuum mandatum divinum (cf. Mc 12, 28—34) hoc inculcatur: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est,* שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד i. e. Audi Israel, Iahve, Deus noster, Iahve unus est. Quae verba significant: unum dumtaxat esse qui *Iahve* nominari meretur, et hunc unum esse Deum Israel (*Öttli,* Deuteronomium 42; *Hummelauer,* Deuteronomium 243 sq; cf. pag. 379). Quodsi *Iahve,* Deus Israel, *unus* nomen *Iahve* meretur, ipse solus plenitudinem essendi possidet (pag. 388): ergo non exsistit alter qui eandem plenitudinem essendi habeat, ipse est absolute Deus unicus seu singularis.

Quomodo Dt 6, 4 vertendum et explicandum sit non constat. Verba Hebraica translata sunt (cf. *Stade,* Theologie 84; *Oehler,* Theologie 160 sq): Iahve est Deus noster, Iahve est unus; vel Iahve est Deus noster, Iahve unus; vel Iahve, Deus noster, Iahve est unus (*unus* praedicatum); vel Iahve, Deus noster, Iahve unus est (*Iahve unus* praedicatum). Ultima translatio quae cum LXX et Vulgata convenit, probabilior videtur. Quod ad explicationem pertinet, alii interpretantur: Iahve est unus, i. e. indivisus in se et divisus a quolibet alio (*Dillmann,* Deuteronomium 269 sq); alii: Iahve solus est Deus Israelis, non alii (*Bertholet,* Deuteronomium 24; *Steuernagel,* Deuteronomium 24); alii: Iahve, Deus Israel, est Iahve unus, nullus alius hoc nomen meretur, quae sententia probabilior videtur (cf. pag. 379). Congruunt Is 42, 8: *Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus* (cf. pag. 375) et Zach 14, 9: *in die illa erit Dominus unus,* יְהוָה אֶחָד, *et erit nomen eius unum,* וּשְׁמוֹ אֶחָד, quae verba praenuntiant fore ut tempore

venturo *Iahve* ut unicus et *nomen* seu essentia eius (pag. 384) ut unica ab omnibus hominibus agnoscatur et colatur (pag. 387; cf. *Nowack*, Zacharja 385; *Hitzig-Steiner*, Sacharja 405; *Marti*, Sacharja 452; *Orelli*, Sacharja 205).

Dominus in cantico quod Moysi scribendum mandavit (Dt 31, 19), Israelitis locutus est (Dt 32, 39): *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me,* רְאוּ עַתָּה כִּי אֲנִי אֲנִי הוּא וְאֵין אֱלֹהִים עִמָּדִי i. e. videte iam quod ego ego sum ipse, videlicet verus Deus, הָאֱלֹהִים, et non est Deus praeter me. Ad הוּא subintellegendum esse הָאֱלֹהִים *Deum verum* (pag. 398) et in tota sententia unitatem Domini enuntiari contextus demonstrat (*Dillmann*, Deuteronomium 410; *Bertholet*, Deuteronomium 100; *Steuernagel*, Deuteronomium 120). — Eadem veritas etiam in primo mandato divino (Dt 6, 5; cf. pag. 398) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua* saltem indirecte continetur. Nam „*ex toto corde* diligendus Iahve tum solum, si sit Deus unicus; quodsi enim adstruantur dii duo, suadet ratio et aequitas, ut cor inter illos dividatur“ (*Hummelauer*, Deuteronomium 244).

Theologi plures asserunt nullam veritatem in sacris libris frequentius tradi quam unitatem Dei in Deuteronomio promulgatam; monotheismum „sicut filum rubrum per omnia folia scriptorum Vet. Test. trahi“ (*Pohle*, Dogmatik I 110): at communiter paucissimos tantum locos citant. Quare in sequentibus omnes locos principaliores breviter ordine chronologico (cf. pag. 370) afferam qui iuxta sententiam commentatorum recentiorum unitatem Dei enuntiant.

Ps 17, 32: *Quoniam quis Deus praeter Dominum?* כִּי מִי אֱלוֹהַּ מִבַּלְעֲדֵי יְהוָה. Hac interrogatione rhetorica unitatem Dei doceri constat; in LXX et Vulgata verba sequentia quoque eam enuntiant: *aut quis Deus praeter Deum nostrum?* sed in Hebraico exstat וּמִי־צוּר i. e. et quis praesidium, quod melius cum sequentibus congruit (videas pag. 373). Eadem 2 Rg 22, 32 repetuntur; cf. et 2 Rg 7, 22 (pag. 379). — Ps 82, 19: *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra:* ita et LXX. Textus vero Masorethicus וְיֵדְעוּ כִּי־אַתָּה שִׁמְךָ יְהוָה לְבַדֶּךָ עֶלְיוֹן עַל־כָּל־הָאָרֶץ propter positionem *'athnâch* verti debet: „et cognoscant quod tu (nomen tui Iahve, tui solius) Altissimus super omnem terram es“ (*Gesenius*, Thesaurus 179; *Baethgen*, Psalmen 256). Ergo Deus Israel solus nomen *Iahve* meretur (cf. pag. 375) ideoque solus plenitudinem essendi possidet, Deus unicus est (cf. pag. 374). Quae sententia in versione et distinctione Graeca et Latina non tam clare exprimitur. — Os 13, 4: *Ego autem Dominus,* וְיהוָה, *Deus tuus ex*

Terra Aegypti: et Deum absque me, זוּלָתִי i. e. praeter me, *nescies,* לֹא תֵדָע, *et salvator,* וּמוֹשִׁיעַ, *non est praeter me,* בַּלְתִּי (cf. 12, 9; Is 43, 11). Vis probandi huius loci, praecedentibus similis, in eo est quod Deus Israel de idolis loquens (cf. 13, 1 sqq) nomen *Iahve* sibi vindicat, ergo implicite se Deum unum pronuntiat (cf. pag. 398). Idem dicendum est de Ioel 2, 27: *et ego Dominus,* יְהוָה, *Deus vester, et non est amplius,* וְאֵין עוֹד.

Multi et clarissimi loci in libro Isaiae inveniuntur, ut omnes interpretes antiquiores ac recentiores concedunt. Ezechias fidem suam manifestavit orans: *Domine exercituum* (pag. 381) *Deus Israel, qui sedes super cherubim: tu es Deus solus,* אַתָּה־הוּא הָאֱלֹהִים לְבַדְּךָ i. e. tu ipse es verus Deus (pag. 398) solus, *omnium regnorum terrae, tu fecisti caelum et terram* (Is 37, 16; cf. 4 Rg 19, 15). Locum celebrem Is 42, 8 iam pag. 375 adduximus. Alter est Is 43, 10^{b} sq: *ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipse sum,* כִּי־אֲנִי הוּא, videlicet Deus verus (*Dillmann-Kittel,* Jesaja 389; vide verba sequentia). *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus,* יְהוָה (cf. pag. 374), *et non est absque me salvator* (pag. 384). Unitas Dei hic (cf. *Marti,* Jesaja 296) clare docetur: Deus Israel nomen *Iahve* cum emphasi sibi vindicat, se Deum verum dicit, alium deum ante se fuisse vel post se futurum esse negat. — Is 44, 6 (cf. 41, 4) in quo clarius quam Is 43, 10 monotheismus proclamatur (*Duhm,* Jesaia 305), iam pag. 389 allegavimus. Etiam Is 44, 8^{b} eundem annuntiat: *numquid est,* הֲיֵשׁ, *Deus,* אֱלוֹהַּ, *absque me,* מִבַּלְעָדָי, interrogat Dominus Israelitas; totus contextus responsum negativum postulat (cf. *Dillmann-Kittel,* Jesaja 395), *et formator, quem ego non noverim,* וְאֵין צוּר בַּל־יָדָעְתִּי i. e. et non est praesidium (cf. pag. 399), non novi videlicet „talem qui sit praeter me Deus ac protector" (*Knabenbauer,* Isaias II 152).

Ultima quattuor verba textus Hebraici LXX sic reddunt καὶ οὐκ ἤκουσαν (ἦσαν, ℵ A) τότε. Duhm, Kittel, Marti textum Hebraicum mutant, quin mutationem probare possint; ceterum etiam in textu ab ipsis mutato unitas Dei continetur, Marti (Jesaja 302) enim vertit: „num Deus vel petra est praeter me?" Videas Ps 17, 32 pag. 399 citatum.

Locus valde celeber est Is 45, 5—7: *Ego Dominus,* יְהוָה, *et non est amplius,* וְאֵין עוֹד: *extra me,* זוּלָתִי, *non est Deus,* אֵין אֱלֹהִים: hac sententia Deus Israelis protestatur se solum et unicum esse *Iahve* (pag. 374) et *'Elohim* (pag. 373), i. e. Deum verum (cf. *Duhm,* Jesaia 315). Sequitur: *accinxi te,* o Cyre ad gentes subiciendas cf. v. 1), *et non cognovisti me* scil. illo tempore (postea Cyrus Deum

Israel cognovit: cf. v. 3; pag. 322 sq; *Knabenbauer,* Isaias II 176): [6]*Ut sciant hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidente,* i. e. habitatores totius terrae (cf. *Duhm,* Jesaia 315), *quoniam absque me non est,* כִּי־אֶפֶס בַּלְעָדָי i. e. quod nullus extra me est: *Ego Dominus,* יְהוָה, *et non est alter,* וְאֵין עוֹד (cf. v. 5), [7]*formans lucem,* יוֹצֵר אוֹר, *et creans tenebras,* וּבוֹרֵא חֹשֶׁךְ, *faciens pacem,* עֹשֶׂה שָׁלוֹם, *et creans malum,* וּבוֹרֵא רָע: *ego Dominus,* יְהוָה, *faciens omnia haec,* עֹשֶׂה כָּל־אֵלֶּה. „Lux metaphora est satis frequens pro rebus secundis, tenebrae pro adversis; idem cernis in pace, rerum omnium prosperarum cumulo cum abundantia et in malo, rerum omnium calamitosarum compendio quodam proponi" (*Knabenbauer,* Isaias II 176 cum multis aliis). In hoc v. 7 Deus Israelis opinionem Persarum reprobat qui lucem et bonum, tenebras et malum duobus principiis contrariis (pag. 404) ascribebant (*Orelli,* Jesaja 159; *Knabenbauer,* Isaias II 176). Dillmann-Kittel (Jesaja 403) putant quidem scriptorem istorum versuum religionem Persarum vix cognitam habuisse: at Deus loquitur qui religionem Persarum certo cognitam habuit (vide § 39). Ergo in hoc loco Deus *totum esse* sibi vindicat (v. 6), polytheismum in genere (v. 5) et dualismum in specie (v. 7) damnat.

Reliqui loci apud Isaiam sequentes sunt. Is 45, 14: *Haec dicit Dominus: . . . te* i. e. Israelem *adorabunt, teque deprecabuntur* videlicet Africani qui in verbis omissis nominantur, dicentes: *Tantum in te est Deus,* אֶל, *et non est absque te Deus,* וְאֵין עוֹד אֶפֶס אֱלֹהִים i. e. et non est amplius, nullus est Deus. Quibus verbis Dominus praenuntiat fore ut etiam gentes Deum Israelis ut unicum agnoscant. — Is 45, 18: *Quia haec dicit Dominus . . . ipse Deus,* הוּא הָאֱלֹהִים i. e. ipse Deus verus est (cf. pag. 398) . . . *ego Dominus, et non est alius,* אֲנִי יְהוָה וְאֵין עוֹד. — Is 45, 21[b] sq: *quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc praedixit illud? numquid non ego Dominus,* יְהוָה, *et non est ultra Deus absque me,* וְאֵין־עוֹד אֱלֹהִים מִבַּלְעָדָי? *Deus,* אֵל, *iustus, et salvans non est praeter me,* אַיִן זוּלָתִי . . . *ego Deus, et non est alius,* אֲנִי־אֵל וְאֵין עוֹד. — Is 46, 9: *Recordamini prioris saeculi,* זִכְרוּ רִאשֹׁנוֹת מֵעוֹלָם i. e. *μνήσθητε τὰ πρότερα ἀπὸ τοῦ αἰῶνος,* recolite opera mirabilia a me olim patrata quibus manifestatur (*Dillmann-Kittel,* Jesaja 410) *quoniam,* כִּי i. e. quod, *ego sum Deus,* אֵל, *et non est ultra Deus,* וְאֵין עוֹד אֱלֹהִים, *nec est similis mei,* וְאֶפֶס כָּמוֹנִי i. e. et nullus est ut ego. Etiam in his locis unitas Dei clare exprimitur.

Ieremias de diis gentium loquens asserit (10, 6 10[b]): *Non est similis tui Domine,* מֵאֵין כָּמוֹךָ יְהוָה i. e. omnino nullus est sicut

tu Iahve (*Knabenbauer,* Ieremias 151, cum Ewald aliisque) ... *Dominus autem Deus verus est,* אֱלֹהִים אֱמֶת: „verus Deus vel vere est Deus, non ut idola הֶבֶל inanum quid et vanum“ (*Knabenbauer,* Ieremias 152). Si omnes dii gentium vani sunt, quod Ieremias in hoc capite probat; si Iahve similem non habet, immo Deus verus exclusive appellatur: Deus unus est.

Ir 10, 6—8 in LXX desunt; sed unus testis contra ceteros parum valet. — Pro מֵאֵין quod duplex negatio est (*Duhm,* Ieremia 100) emendat Hitzig (Ieremia 81) מֵאַיִן *unde,* Giesebrecht (Ieremia 63) censet מ esse delendum: sensus idem מֵאַיִן manet.

Secundum 3 Rg 8, 60 denique Salomon (cf. pag. 11 sq) fidem suam professus est istis verbis: *ut sciant omnes populi terrae, quia Dominus ipse est Deus,* כִּי יְהוָה הוּא הָאֱלֹהִים i. e. quod Iahve ipse est Deus verus (cf. pag. 398), *et non est ultra absque eo,* וְאֵין עוֹד (ita ca 30 manuscripta; textus Masorethicus וְ omittit).

A nonnullis alii quoque loci citantur. Sed Ps 94, 3; 135, 4; 148, 13; Dn 3, 51—88; Mal 2, 10 neque formaliter neque virtualiter unitatem Dei enuntiant, uti contextus monstrat. De Iob 23, 13 pag. 395 videas. Ex 20, 2—6 11 cum Ps 95, 4 sq (vide b) collatus pro unitate Dei adduci potest. Ceterum conferas quae pag. 396 notata sunt.

b) Unitatem Dei probant etiam omnes illi loci in quibus dii gentium cum *Iahve* conferuntur atque veri dii esse negantur, nempe: *α)* loci qui deos gentium אֱלִילִים *vanitates* (ab אֱלִיל = vanus, qui nihili est, ab אַל *nihil*) appellant, e. g. Lv 19, 4; 26, 1; Ps 95, 5; 96, 7; Is 2, 8 18 20; 10, 10 sq; 19, 1 3; 31, 7; Hab 2, 18; Ez 30, 13; 1 Par 16, 26 (Eccli 30, 19). *Quoniam omnes dii Gentium,* כָּל־אֱלֹהֵי הָעַמִּים, *daemonia,* אֱלִילִים i. e. vanitates: *Dominus autem caelos fecit* (Ps 95, 5), quae verba 1 Par 16, 26 repetuntur.

β) Loci qui eos תּוֹעֵבוֹת *abominationes,* e. g. Dt 7, 26; Is 44, 19; Ir 16, 18; Ez 7, 20, et שִׁקּוּצִים *foeditates,* e. g. Dt 29, 17; Is 66, 3; Ir 4, 1 etc.; 4 Rg 23, 24; Ez 5, 11 etc.; 2 Par 15, 8, nominant. Per Ieremiam (16, 18) Dominus de Iudaeis dixit: *contaminaverunt terram meam in morticinis,* בְּנִבְלַת i. e. cadaveribus (sing. coll.; vide Gn 1, 26 sq) *idolorum suorum,* שִׁקּוּצֵיהֶם i. e. foeditatum suarum, *et abominationibus suis,* וְתוֹעֲבֹתֵיהֶם, *impleverunt hereditatem meam.* Et propheta addit (16, 19): *Domine ... ad te Gentes venient ab extremis terrae, et dicent: Vere mendacium,* אַךְ־שֶׁקֶר, *possederunt,* נָחֲלוּ i. e. hereditate acceperunt, *patres nostri, vanitatem,* הֶבֶל (vide lit. *γ*), *quae eis non profuit,* וְאֵין־בָּם מוֹעִיל i. e. *καὶ οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ὠφέλημα.* Quibus verbis Ieremias praenuntiat fore ut gentes

totius terrae agnoscant deos suos esse falsos et inanes neque utiles ideoque ad *Iahve* convertantur (cf. *Knabenbauer,* Ieremias 225, aliosque commentatores).

γ) Loci qui eos הֶבֶל *vanitatem,* e. g. Dt 32, 21; Ir 2, 5 etc.; 16, 19 supra citatus; 3 Rg 16, 13 26; 4 Rg 17, 15; שָׁוְא *inanitatem,* e. g. Ps 30, 7; Ion 2, 9; Ir 18, 15; תֹּהוּ *inane,* e. g. 1 Rg 12, 21; Is 41, 29; 44, 9 vocant. *Quia oblitus est mei populus meus,* ait Dominus (Ir 18, 15), *frustra libantes,* יְקַטְּרוּ לַשָּׁוְא i. e. inanitati suffiunt (cf. *Knabenbauer,* Ieremias 246, ceterosque commentatores). *Et nolite declinare post vana,* אַחֲרֵי הַתֹּהוּ, *quae non proderunt vobis, neque eruent vos,* monuit populum Samuel (1 Rg 12, 21), *quia vana sunt ipsa,* כִּי־תֹהוּ הֵמָּה.

δ) Loci qui eos כָּזָב *mendacium,* Ps 39, 5; Am 2, 4; שֶׁקֶר *mendacium,* Ir 16, 19 supra citatus; לֹא אֱלֹהִים *non deos,* e. g. Ir 2, 11; 16, 20; 4 Rg 19, 18 nuncupant. *Si* vel potius num *mutavit gens deos suos,* אֱלֹהִים, *et certe ipsi non sunt dii,* וְהֵמָּה לֹא אֱלֹהִים, dixit Dominus ad populum Israel (Ir 2, 11).

ε) Denique loci qui diis gentium spiritum et vitam denegant, e. g. Is 41, 24; 44, 9; Hab 2, 18 sq; Ir 10, 5 14; 51, 17; Ps 113, 4—7; 134, 15—17; Dn 5, 23; Sap 15, 15. *Ecce, vos estis ex nihilo,* הֵן־אַתֶּם מֵאַיִן i. e. ecce vos omnino nihil estis (cf. pag. 402), ait Dominus ad deos gentium (Is 41, 24), *et opus vestrum,* וּפָעֳלְכֶם i. e. *καὶ ἐργασία ὑμῶν, ex eo, quod non est,* מֵאָפֵס vel potius מֵאֶפֶס (ut plerique commentatores censent), i. e. omnino nihil est (cf. pag. 402; *Marti,* Jesaja 283). Habacuc idola gentium *simulacra muta,* אֱלִילִים אִלְּמִים i. e. vanitates (pag. 402) mutas vocat (2, 18) *in* quorum *visceribus omnis spiritus non est,* וְכָל־רוּחַ אֵין בְּקִרְבּוֹ (2, 19). Eandem veritatem Ieremias in epistula sua (cf. pag. 296) graphice demonstrat.

Ex locis supra citatis alii magis alii minus clare, omnes tamen simul sumpti peremptorie unitatem Dei comprobant.

Gentes quibuscum Israelitae praesertim conversabantur, sunt Babylonii et Assyrii, Chananaei, Aegyptii, Moabitae et Ammonitae, Persae, Graeci et Romani. Non superfluum fuerit deos praecipuos harum gentium quos Israelitae magis minusve cognoverunt, hic breviter notare. Praecipui dii *Babyloniorum* fuerunt: Mummu, Laḫmu et Laḫamu, Anšar et Kišar, Anu, Illil, i. e. Bel antiquior, Ea, Sin aliique plurimi (cf. Fig. 2, pag. 5). Ea et uxor eius Damkina procrearunt *Marduk* vel Maruduk vel Merodach (Ir 50, 2), i. e. *Bel* iuniorem (cf. Fig. 66, pag. 310), qui postea principalis deus Babyloniorum factus est. Videas pag. 46 et infra de creatione; Comment. in Genesim 26; *Schrader-Zimmern,* Keilinschriften 492 sqq. — Principalis deus *Assyriorum* fuit Assur, i. e. Anšar (Fig. 77, pag. 404; cf. *Schrader-Zimmern,* Keilinschriften 351). Colebant etiam Dakan (Dagon) i. e. Eam, auctorem vitae in oceano (cf. Fig. 40, pag. 168) cum multis aliis quorum nonnulli in Fig. 64, pag. 290 repraesentantur. Videas Guthe (Bibel-

Fig. 77. Assur (iuxta Layard).

Fig. 78. Ra.

wörterbuch 50 114). — *Chananaei* colebant Bá'al et 'Aštoreth (cf. pag. 151 sq); Bá'al apud *Moabitas* Chamos (Nm 21, 29; 3 Rg 11, 7 33), apud *Ammonitas* tum Chamos (Iud 11, 24) tum Moloch (3 Rg 11, 5 7 33) nominabatur. — Celebriores dii *Aegyptiorum* sequentes erant: Ra (Fig. 78), Osiris filius dei Ra (Fig. 81), Isis uxor Osiridis (Fig. 79), Horos filius Osiridis et Isidis (Fig. 80), Sobk vel Sebak (Fig. 82), Hathor dea (Fig. 83), Amon vel Amun (Fig. 84), Anubis (Fig. 85). Pleraeque figurae deorum dearumque symbolis variorum animalium ornatae sunt. Ra caput falconis et desuper orbem solis cum serpente (naia aspide), Isis cornua vaccae, Horos caput falconis, Sobk caput crocodili, Hathor caput vaccae, Amon caput arietis, Anubis caput canis aurei habet. Valde probabile est varia animalia quibus Aegyptii postea divinum cultum deferebant, primitus ut symbola deorum honorata fuisse (cf. *Brugsch*, Ägyptologie 177 sq; *Nikel*, Kulturgeschichte 143). Colebant autem falconem, apim (cf. Fig. 31, pag. 117), vaccam, felem, canem aureum, serpentem quem etiam Babylonii cum multis aliis in honore habebant (pag. 317 sq et Fig. 2, pag. 5), ranam etc. Aegyptios pedetemptim eo devenisse ut etiam *similitudines* seu imagines *animalium deos* putaverint, ex Sap 13, 10 colligere possumus. — Ex diis *Graecorum* praecique notandi sunt: Zeus (Fig. 86; cf. Fig. 72, pag. 343), uxor eius Gaia-Hera, fratres eius Poseidon (Fig. 87) et Hades (Fig. 88), soror eius Hestia, Demeter, Hephaestus, Ares, Apollo et Artemis, Aphrodite, Pallas-Athene (Fig. 89, pag. 406; cf. Fig. 59, pag. 258) e capite Iovis nata. Videas Nikel (Kulturgeschichte 179 sqq). — Principaliores dii *Romanorum* (Italorum) enumerantur: Iuppiter, Ianus (Fig. 90, pag. 406), Saturnus, Mars (Ares), Iuno (Hera), Vesta (Hestia), Ceres (Demeter), Minerva (Pallas-Athene), Neptunus (Poseidon), Vulcanus (Hephaestus), Pluto (Hades). Videas Nikel (Kulturgeschichte 216). — In religione *Persarum* a Zoroaster vel Zarathustra inter 13 et 11 saec. a. Chr. exculta (*Nikel*, Kulturgeschichte 113) duo principia summa distinguuntur: principium boni, nomine Ormuzd seu Ahura-Mazdâ = dominus sapiens (Fig. 91, pag. 406), ac principium mali, nomine Ahriman seu Anra-Mainyu = spiritus destruens. — Dii

Fig. 79. Isis.

Fig. 80. Horos.

Fig. 81. Osiris. (Cairo, Mus.) (Iuxta Ebers.)

Fig. 82. Sobk.

Fig. 83. Hathor.

Fig. 84. Amon.

Fig. 85. Anubis.

singuli gentium variarum breviter sed optime in Herders Konversations-Lexikon (octo tomi, Friburgi Br. 1902/1908) describuntur.

De ortu et progressu polytheismi in libro Sapientiae haec invenimus: *neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum* seu ventum, *aut citatum aërem,* ταχινὸν ἀέρα, *aut gyrum stellarum,* κύκλον ἄστρων, *aut nimiam aquam,* βίαιον ὕδωρ, *aut solem et lunam,* φωστῆρας οὐρανοῦ i. e. luminaria caeli quorum maiora utique sol et luna sunt (Gn 1, 14 16) *rectores orbis terrarum deos,* i. e. deos orbem terrarum regentes (cf. *Zöckler,* Apokryphen 383) *putaverunt. Quorum si specie,* τῇ καλλονῇ, *delectati, deos putaverunt,* ὑπελάμβανον. . . . *Aut si virtutem, et opera eorum mirati sunt,* δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ ἐκπλαγέντες, *intelligant . . . sed tamen adhuc in his minor est querela,* ἀλλ' ὅμως ἐπὶ τούτοις ἐστὶν μέμψις ὀλίγη . . . *Infelices,* ταλαίπωροι i. e. miseri, *autem sunt, et inter mortuos,* καὶ ἐν νεκροῖς i. e. in diis mortuis (cf. pag. 403) *spes illorum est* innixa, *qui appellaverunt deos opera hominum, aurum et argentum, artis inventionem,* τέχνης ἐμμελέτημα i. e. arte fabrefactum, *et similitudines animalium,* ἀπεικάσματα ζῴων, *aut lapidem inutilem opus manus antiquae,* i. e. lapidem a quodam homine temporis antiqui caesum. *Aut siquis,* εἰ δὲ καί, *artifex faber,* ὑλοτόμος τέκτων, . . . *lignum curvum, et vorticibus plenum, sculpat diligenter . . . et assimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet,* ἢ ζῴῳ τινὶ εὐτελεῖ (i. e. vili) ὡμοίωσεν αὐτό, . . . *et faciat ei dignam habitationem, et in pariete ponens illud, et confirmans ferro, ne forte cadat. . . . Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est: et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum, et in adiutorium inutilem invocat: et*

Fig. 86. Zeus.
(Neapoli in Mus. nat., Fresco.)

Fig. 87. Poseidon.
(Romae in Vaticano.)

Fig. 88. Hades.
(Romae in Villa Borghese.)

Fig. 89. Athene. (Romae in Vaticano.)

pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest etc.: talis ταλαίπωρος, miser est (Sap 13, 2—19). Quibus verbis scriptor inspiratus (cf. pag. 8 sqq) testatur homines ad cognitionem Dei veri, creatorem totius mundi, culpabiliter se non elevasse sed ob pulchritudinem et virtutem et operationem efficacem naturam coluisse, immo misere imagines quoque hominum et animalium adorasse. Hoc testimonium biblicum monumentis profanis confirmatur, iuxta quae Anšar (Assur) = universum superius, Kišar = universum inferius, Anu = deus caeli, Illil-Bel = deus ventorum, Ea (Dakan) = deus aquarum, Marduk-Bel = deus solis, Sin = deus lunae (*Schrader-Zimmern*, Keilinschriften 351 sqq); Ra = deus solis, Hathor = dea caeli nocturni, Sobk = deus aquarum, Amon = auctor vitae, Anubis = deus mortuorum (Herders Konversations-Lexikon); Ζεὺς πατήρ (Iuppiter) = caeli pater (pag. 374), Apollo et Ianus = deus solis, Artemis (Selene) = dea lunae, Hephaestus (Vulcanus) = deus ignis, Hestia (Vesta) = dea foci, Ares (Mars) = deus ventorum, Poseidon (Neptunus) = deus aquarum; Ormuzd = deus lucis, ignis (*Nikel*, Kulturgeschichte 113 sq 180 sq 216). Aegyptios animabus hominum defunctorum cultum divinum tribuisse pyramides (Fig. 92) aliaque sepulcra et loculi (cf. Fig. 25, pag. 85) loquuntur in quibus corpora medicata (cf. Fig. 23, pag. 84) collocabantur, ut animae defunctorum super eis manere et coli possent (cf. *Brugsch*, Ägyptologie 182; *Nikel*, Kulturgeschichte 72 sq 143 sq); ab Aegyptiis et Babyloniis animalia quoque culta fuisse pag. 404 diximus; gentes etiam imagines hominum et animalium adorasse plurimi viri docti cum S. Paulo asserunt (cf. Comment. meum in Rom 1, 23).



Fig. 90. Ianus. (Moneta Romana.)

Recentiores viri docti distinguunt Sabaeismum, a Sabaeis in Arabia meridionali (pag. 54) vocatum, cuius asseclae astra colebant; cultum naturae seu virium naturalium; animismum, i. e. cultum animarum hominum defunctorum (maiorum, heroum, imperatorum); totemismum (a *totem* = symbolum quorundam habitatorum Americae quod plerumque animal, nonnumquam planta erat) seu cultum animalium (vel plantarum), e. g. apis et serpentium; idololatriam, i. e. adorationem imaginum aurearum, argentearum, lapidearum, lignearum symbolorum divinorum; fetischismum (a port. *feitiço*, lat. *facticius*), cuius asseclae ab imaginibus, quas ipsi fecerant, bona aut mala exspectabant (cf. *Pohle*, Dogmatik I 113; *Nikel*, Kulturgeschichte 65).

De tempore quo polytheismus coeperit, Ios 24, 2 legimus: Haec dicit Dominus Deus Israel: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio,* מעולם i. e. ab antiquo tempore, *Thare pater Abraham et* pater, נאבי, *Nachor: servieruntque diis alienis* (cf. pag. 61 sqq; Idt 5, 6 sqq). Cum divino hoc testimonio congruunt leges Ḫammurabi post Abraham viventis (pag. 66 sq), in quibus iam plures dii nominantur (cf. *Winckler*, Die Gesetze Hammurabis 8 sqq). Quae cum ita sint, concludere possumus homines mox post dispersionem gentium (pag. 56 sqq) pedetemptim ad cultum astrorum ceterarumque creaturarum devenisse (cf. *Selbst*, Handbuch 192 sqq; *Zschokke*, Historia 50 sq).

Fig. 91. Ormuzd.

c) Rationalistae interpretes, utpote Hegelianismo inhaerentes (pag. 16), asserunt ante Moysen ab hominibus, etiam proavis populi Israel, varios spiritus seu daemones aut libere circumvagantes (freischweifende) aut in rebus naturalibus, e. g. lapidibus, arboribus, fontibus, animalibus habitantes deos habitos necnon manibus defunctorum cultum divinum tributum fuisse (*Stade,* Theologie 39; cum *Smend,* Lehrbuch 18 sqq, aliisque). Asserunt *Iahve* primitus fuisse deum tonitruum et fulgurum (Gewittergott; cf. *Holzinger,* Exodus 13; *Smend,* Lehrbuch 23; *Stade,* Theologie 41; *Wellhausen,* Skizzen III 175), deum montis Sinai vel Horeb, deum Cinaeorum-Madianitarum (cf. Iud 1, 16; 4, 11 17; 5, 24; 1 Rg 15, 6 coll. Nm 10, 29 sqq; *Baentsch,* Exodus 24; *Stade,* Theologie 42): ergo deum localem, non universalem; deum praeter quem alii quoque

Fig. 92. Pyramides in Gise.

dii exsisterent; deum res creatas non transcendentem sed in iis immanentem; deum qui mundum neque creasset neque conservaret (*Stade,* Theologie 80, cum aliis). Asserunt hunc deum localem per Moysen factum esse deum nationalem Israelitarum, quatenus Moyses iussu et auxilio dei Sinai seu Cinaeorum-Madianitarum Israelitas ex Aegypto liberavit (*Stade,* Theologie 31, cum *Smend,* Lehrbuch 32 sqq 36 sqq, aliisque); denique hunc deum nationalem per prophetas deum universalem, creatorem et gubernatorem caeli et terrae declaratum esse (*Smend,* Lehrbuch 193 sqq 347 sqq; *Stade,* Theologie 239 276 sqq 304 sqq). — Legantur quae Hegel et sectatores eius de essentia Dei et religionis sentiunt (pag. 16), et evolutio supra exposita clarescet.

Ultro concedimus homines a dispersione gentium in cultum rerum naturalium devenisse (pag. 406); concedimus etiam proavos Abrahae

polytheistas fuisse (pag. 406); concedimus populum Israel deos aliarum gentium coluisse (pag. 151 223 227 sqq 261 sqq); concedimus homines nomen *Iahve* rebus naturalibus imposuisse, quia hagiographus (Sap 14, 21) testatur: *incommunicabile nomen, τὸ ἀκοινώνητον ὄνομα* i. e. nomen *Iahve* (pag. 376; *Zöckler,* Apokryphen 385) *lapidibus et lignis imposuerunt.* At quaerimus: quid scriptores inspirati qui proprio nomine loquentes errare nequeunt (pag. 9 sqq), de *Iahve-'Elohim* (pag. 381) docent? quid homines primi temporis, quid postea patriarchae et familiae eorum, quid Moyses et Iosue, quid Iudices de *Iahve-'Elohim* testantibus scriptoribus inspiratis sentiebant? Praetermittimus hic quaestionem, quis fuerit auctor humanus qui Pentateuchum necnon librum Iosue et Iudicum composuerit (cf. pag. 21 sq 135 sq), et in hoc solo insistimus eum inspiratum fuisse, ergo proprio nomine loquentem et testantem errare nequivisse (pag. 8 sqq).

Scriptor inspiratus affirmat *Iahve-'Elohim* caelum et terram et omnia quae in eis sunt creasse (Gn 1, 1 sqq; 2, 1 sqq coll. Ex 20, 11 pag. 381 citat.), in protoparentes peccantes atque in spiritum seducentem poenam statuisse (Gn 3, 1 sqq), ab Abel et Cain sacrificiis honoratum fuisse (Gn 4, 1 sqq), fratricidae Cain quoque poenam statuisse sed etiam signum posuisse (Gn 4, 9 sqq), a piis posteris Adae invocatum (Gn 4, 26), a malis vero graviter offensum (Gn 6, 1 sqq) esse; affirmat *Iahve-'Elohim* (pag. 381) perversis diluvium universale (pag. 41 sqq) induxisse sed familiae Noe salutem attulisse (Gn 6, 9 sqq), post diluvium a servatis cultum esse et cum iis foedus icisse (Gn 8, 20 sqq). Haec narrans scriptor inspiratus *Iahve-'Elohim* ut creatorem et dominum absolutum caeli et terrae omniumque quae in eis sunt, ergo ut ens universitatem rerum transcendens proponit.

Hic idem *Iahve-'Elohim* testante scriptore inspirato Abrahamum e terra et cognatione polytheistica (pag. 406) eduxit (Gn 12, 1 sqq) et ab eo colebatur: *Levo manum meam,* inquit Abraham, *ad Dominum Deum excelsum,* יְהוָה אֵל עֶלְיוֹן, *possessorem,* קֹנֵה i. e. creatorem (v. 19), *caeli et terrae* (Gn 14, 22); *adiurem te per Dominum, Deum caeli et terrae,* בַּיהוָה אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם וֵאלֹהֵי הָאָרֶץ (Gn 24, 3); *Dominus Deus caeli,* יְהוָה ו אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם, *qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meae ... ipse mittet Angelum suum coram te.* Isaac cultor Dei patris sui Abrahae (Gn 26, 3 sqq 24 sq; 28, 3 sq), Iacob cultor Dei Abrahae et Isaaci erat (Gn 28, 13 sqq; 32, 9 sqq; 35, 9 sqq; 46, 1 sqq). Posteros Iacobi in Aegypto

alium Deum quam *Iahve-'Elohim* coluisse nullo testimonio biblico vel profano demonstrari potest.

Moysen cultorem et legatum *Iahve,* Dei Abrahae et Isaaci et Iacobi (Ex 3, 5 sq 15 et sequentia), Iosue quoque servum eiusdem *Iahve* (Ios 1, 1 sqq) fuisse; populum Israel intercedente Moyse cum eodem *Iahve* foedus percussisse (Ex 19, 1 sqq) et intercedente Iosue foedus renovasse (Ios 24, 1 sqq); cultum eiusdem *Iahve* etiam tempore Iudicum et Regum numquam plene desiisse (pag. 151 sqq 231) item scriptor inspiratus testatur.

Ex his patet homines primi temporis, patriarchas et posteros eorum, Moysen et Iosue et Iudices non res creatas sed ens universitatem rerum transcendens, non deum localem ideoque unum ex pluribus diis, sed Deum universalem ideoque unicum coluisse. — Supposito autem, sed non concesso, homines ante tempus prophetarum res naturales atque *Iahve* ut deum tonitruum et fulgurum, ut deum localem et nationalem, ut deum e numero deorum aliorum coluisse: ex his omnibus non sequeretur *Iahve* non esse Deum unicum. Etenim non ea quae homines sentiunt, sed quae Iahve ipse de se testatur, recipiamus oportet. — Philosophi demonstrant (*Gutberlet,* Theodicee 2 sqq; *Hagemann,* Metaphysik 158 sqq; *Stöckl,* Grundzüge 333 sqq) Deum unum et verum per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci posse; eodem lumine rationis homines intellegunt Deum nec falli nec fallere posse (*Gutberlet,* Theodicee 206 sq; *Hagemann,* Metaphysik 208). Ex theologia autem fundamentali lemma prostat Deum reapse in Sacra Scriptura ad nos loqui (pag. 9): ergo ea quae Deus in Scriptura de se dicit, falsa esse nequeunt. Deus vero in Scriptura se unum dicit et praeter se deum exsistere negat (pag. 398 sqq), idcirco revera unus et solus Deus est.

Videamus nunc, quomodo rationalistae contra clara ista testimonia biblica probare conentur ab hominibus primi temporis daemones in rebus naturalibus habitantes aut libere circumvagantes et manes defunctorum deos habitos; *Iahve* vero ut deum tonitruum et fulgurum, deum localem montis Sinai, deum Cinaeorum-Madianitarum, deum e numero aliorum deorum consideratum esse.

Ut probet homines primi temporis daemonibus in rebus naturalibus habitantibus cultum divinum tribuisse Stade (Theologie 109 sqq) cum multis aliis sequentes locos affert: α) Gn 12, 6 (35, 4; Ios 24, 26; Iud 9, 6); deinde Gn 13, 18 (14, 13; 18, 1 sqq); item Gn 21, 33; demum Iud 6, 11 et 3 Rg 13, 14. His probare volunt daemones in arboribus habitasse et ab hominibus veneratos esse (*Stade,* Theologie 112). Sed quid in locis citatis legimus? Legimus in primo Abraham usque ad *convallem illustrem* (in Hebraico: ad quercum More, scil. viri Chananaei) iuxta Sichem venisse ibique Domino qui sibi apparuerat altare aedificasse

(v. 7); in secundo Abraham *iuxta convallem* (in Hebraico: quercum) *Mambre* in Hebron habitasse ibique Domino altare aedificasse; in tertio Abraham in Bersabee *nemus* (in Hebraico: tamariscum) plantasse et nomen Domini Dei aeterni invocasse (cf. pag. 390); in quarto angelum Domini in Ephra *sub quercu* sedisse; in quinto prophetam Domini Dei *subtus terebinthum* sedisse. Iidem auctores inspirati qui haec narrant, etiam testantur Abraham cultorem unius veri Dei (pag. 408) atque illum angelum et prophetam legatos eiusdem Dei fuisse, ut antecedentes et consequentes versus comprobant. Ergo ex his locis non sequitur Abraham et familiam eius vel Gedeonem iudicem cui ille angelus apparuit vel prophetam nominatum daemones in arboribus habitantes coluisse. Gn 35, 8; Ios 19, 33; Iud 4, 5 11; 1 Rg 10, 3; 17, 2; 22, 6; 2 Rg 18, 9 sq 14 nullam vim probandi habere ipse Stade (l. c.) confiteri debet, licet ad eos provocet. Alios homines fetischismo deditos fuisse iam supra (pag. 406) diximus. Affert β) Gn 16, 7 sqq; 21, 19; 21, 30; 26, 32 sq; Ex 17, 1 sqq; Nm 20, 8 sqq; 3 Rg 1, 9; 3 Rg 1, 33. His probare volunt daemones in fontibus habitasse et ab hominibus veneratos esse (*Stade*, Theologie 111). Sed quid in locis citatis legimus? Legimus in primo Dominum Deum Abrahae iuxta fontem inter Cades et Barat fugienti Agar apparuisse; in secundo Dominum Deum Abrahae Agar eiectae in deserto puteum monstrasse; in tertio Abimelech et Abraham ad puteum in Bersabee ab Abraha fossum iurasse; in quarto servos Isaaci in Bersabee puteum fodisse; in quinto et sexto Moysen iussu Domini tam in Raphidim quam in Cades de petra aquam produxisse; in septimo Adoniam iuxta fontem Rogel immolasse; in octavo Salomonem ad fontem Gihon unctum esse. Abrahamum et Isaacum et Moysen cultores unius veri Dei fuisse pag. 408 sq monstravimus; Davidem filiosque eius Deum patrum coluisse totus contextus ostendit: quomodo igitur illi loci pro cultu daemonum in fontibus habitantium invocari possint, iuxta praecepta logica intellegi nequit. Affert γ) Gn 28, 11—22; 35, 7; Ios 4, 5—9 20—24; 24, 26 sq etc. His probare volunt daemones in lapidibus (mazzebis, מַצֵּבוֹת) habitasse et ab hominibus honoratos esse (*Stade*, Theologie 114 sqq). Sed quid in locis citatis legimus? Legimus in primo et secundo Iacobum iuxta Bethel lapidem et altare erexisse, quia ibi Dominus Deus Abrahae et Isaaci sibi apparuerat: Deum in lapide et altari habitasse non legimus; in secundo et tertio Iosue in medio Iordanis et Galgalis duodecim lapides posuisse, ut monumentum miri per Iordanem transitus essent: in istis lapidibus Deum habitasse non legimus; in quinto Iosue in Sichem lapidem posuisse, ut monumentum foederis renovati esset: in eo Deum habitasse non legimus. Iidem auctores qui erectionem istorum lapidum narrant, etiam testantur homines lapides erigentes fuisse cultores Domini Dei Abrahae, creatoris et domini absoluti totius universi (pag. 408 sq); unum credere et alterum respuere non licet, praesertim si ad inspirationem respiciamus: ergo narratio eorum pro cultu daemonum in lapidibus habitantium proferri nequit. Alios homines fetischismo deditos fuisse semel iterumque notavimus (pag. 406 sq); sed hic quaeritur quid Iacobus et Iosue senserint. Haec notentur etiam pro sequentibus.

Affert δ) Ex 4, 2 17 20; 7, 17; 14, 16; 17, 9; Nm 20, 8 sqq; item 4 Rg 4, 29 31; demum Dt 16, 21; 4 Rg 13, 6; 18, 4; 21, 7; 23, 6 15. His probare volunt *Iahve* deum Sinai in virga vel baculo Moysis (Ex 4, 2 — Nm 20, 8 sqq) atque Elisei (4 Rg 4, 29 31) necnon in palis (*'ascheris*, אֲשֵׁרָה, אֲשֵׁרִים; Vulgata *lucus* et *nemus* vertit) erectis habitasse; (*Stade*, Theologie 113 sq, qui asserit deum corporalitatem suam mutasse, quando virga Moysi in serpentem mutata est). Quibus opponimus: Moysen

et Eliseum baculum habuisse quocum miracula patrarunt ex libro Exodi et quarto Regum discimus; at iidem scriptores etiam diserte notant Moysen et Eliseum servos et legatos unius Dei veri fuisse, quare contra praecepta logica inferunt in baculis eorum deum localem habitasse. Isti pali autem in locis citatis expresse damnantur; quid aliae gentes et plures ex populo Israel cogitaverint (cf. Iud 6, 25) nihil interest (pag. 408). Affert ε) Ex 25, 10 sqq ceterosque locos in quibus arca foederis describitur. His probare volunt arcam fuisse receptaculum lapidum in quibus deus tonitruum et fulgurum Iahve habitabat (*Stade,* Theologie 116 sqq). Attamen idem auctor inspiratus qui de arca loquitur, etiam refert in ea tabulas lapideas decalogum, non deum continentes iacuisse. Unum accipere et alterum respuere iuxta praecepta logica non licet. Asserit ζ) baculum et palos ad imagines ligneas, lapides vero ad imagines lapideas dei evolutos esse; citat Ex 20, 4 inferens in antiquo Israele tales imagines celebres fuisse; provocat ad Iud 8, 26 sq; 17 et 18; 1 Rg 21, 10 ubi de *'ephod,* ad 3 Rg 12, 28 ubi de *vitulis aureis,* ad 4 Rg 18, 4 ubi de *Nohestan,* נְחֻשְׁתָּן i. e. aeneo, legimus; adducit Gn 31, 19 34; Iud 17, 5; 18, 14 17 20; 1 Rg 19, 13 16 ubi *teraphim,* תְּרָפִים, commemorantur. His probare volunt iuxta fidem antiquorum deos locales ipsumque *Iahve* in istis imaginibus habitasse ac cultos esse (*Stade,* Theologie 119 sqq). Praetermittimus baculum Moysis et Elisei non habitaculum *Iahve* exstitisse atque palos apud Israelitas prohibitos fuisse (supra) et solum notamus in Ex 20, 4 sq confectionem et adorationem imaginum apud ceteras gentes usitatam pro populo Israel a Domino Deo quem Moyses colebat (pag. 409) diserte interdici. Antiquum Israel imagines deorum coluisse neque ex Ex 20, 4 neque ex ullo loco alio demonstrari potest; ex iis quae pag. 408 scripsimus contrarium elucet. *'Ephod* non simulacrum sed vestis sacerdotalis fuit (pag. 156 sq). Populum Israel in deserto (pag. 117 sq) atque in regno septentrionali (pag. 227 sqq) *vitulum aureum* adorasse hagiographi utique narrant, simul tamen testantur hunc cultum a Domino Deo patrum Israelis (pag. 408) semper improbatum ac severe punitum esse (pag. 117 227—251). Stade (Theologie 121) opinatur verba Iacobi benedicentis אֲבִיר יַעֲקֹב, *potentis Iacob* (Gn 49, 24) forsitan originaliter taurum Iacob significasse et cultum vituli innuere; sed haec opinio fidei Iacobi omnino contraria, ergo falsa est (pag. 408). Eundem populum tempore regum serpentem aeneum (Nohestan) ut deum coluisse hagiographus 4 Rg 18, 4 refert simul tamen contestans serpentem a Moyse factum fuisse: unum accipere et alterum respuere iuxta praecepta logica non licet. Quare Moyses serpentem fecerit Nm 21, 4—9 legimus; Moysen, servum et legatum Domini Dei Abrahae (pag. 409), contra praeceptum eiusdem Domini (infra n. 8) imaginem cuiusdam dei sanantis facere voluisse contradictorium est. Quod denique ad teraphim attinet, nemo negat extra populum Israel atque etiam a nonnullis Israelitis deos falsos cultos fuisse quod loci citati confirmant; at hoc ad rem non pertinet (cf. pag. 408).

Ut probet non solum alias gentes sed etiam antiquum Israel daemones libere circumvagantes coluisse Stade (Theologie 188) cum aliis rationalistis ad Is 13, 21; 34, 14; Lv 17, 7 (16, 8 10 21 sq 26); item ad Lv 19, 31; 20, 6 27; Dt 18, 11; 1 Rg 28, 3 9; 4 Rg 21, 6; 23, 24 provocat. At inspiciamus textus singulos. Legimus Is 13, 21: *Sed requiescent ibi* (Babylone) *bestiae, et replebuntur domus eorum draconibus: et habitabunt ibi struthiones, et pilosi,* וּשְׂעִירִים, *saltabunt ibi;* Is 34, 14: *Et occurrent daemonia onocentauris,* צִיִּים אֶת־אִיִּים, i. e. bubones thoibus, *et pilosus,* וְשָׂעִיר, *clamabit alter ad alterum;* Lv 17, 7: *et nequaquam ultra immolabunt hostias suas daemonibus,* לַשְּׂעִירִם, *cum quibus fornicati sunt* i. e. „quibus cultum divinum

praestiterunt" (*Hummelauer*, Leviticus 469). Idem exegeta addit: „*pilosis* quae est primitiva vocis שעיר significatio. Sed cum vox potissimum hircum significet, hircum Aegyptii coluerint, Hebraei aegyptiis superstitionibus fuerint valde addicti, ideo commodissime ei vocis significationi adhaerebis: cf. Knabenbauer in Is 13, 21; cf. item Is 34, 14 et 2 Par 11, 15." Ergo isti loci cultum daemonum libere circumvagantium non probant, sed neque 4 Rg 23, 8[b], etiamsi *aras portarum* in aras hircorum mutaveris; videas et sequentia. — In Lv 16, 8 10 21 sq 26 hagiographus de *capro emissario* loquitur. Stade (l. c.) cum aliis (cf. *Buhl*, Handwörterbuch; *Gesenius*, Thesaurus) opinatur ʿAsa'sel, עֲזָאזֵל, forsitan daemonem in deserto habitantem significasse, et caprum ad eum missum originaliter personificationem illius daemonis habitum fuisse. Contra quos exscribimus, inter uncinos quaedam addentes, quae Hummelauer (Leviticus 461 sq) ad locos notat. „Solemnis, ait, hic de *Azazel* disputatio. Primum textus lustremus. V. 8, sicut hircus unus tribuitur ליהוה, ita alter tribuitur לעזאזל (v. 7 sq: *duos hircos,* הַשְּׂעִירִם, *stare faciet* Aaron *coram Domino . . . mittensque super utrumque sortem, unam Domino,* לַיהוָה, *et alteram capro emissario,* לַעֲזָאזֵל). Alter hic v. 10 dimittitur לעזאזל המדברה ad Azazelem in desertum (*statuet eum* scil. hircum alterum *vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et mittat eum in solitudinem,* לְשַׁלַּח אֹתוֹ לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה); v. 21 in desertum (*emittet illum per hominem paratum, in desertum,* הַמִּדְבָּרָה); v. 22 אל ארץ גזרה, in terram determinatam (cf. Iob 22, 28 vocisque in lingua chald. significationem) in desertum (*Cumque portaverit hircus,* הַשָּׂעִיר, *omnes iniquitates eorum in terram solitariam,* אֶל־אֶרֶץ גְּזֵרָה, *et dimissus fuerit in deserto,* בַּמִּדְבָּר). Iam tres potissimum vocis עזאזל in medium proferuntur expositiones. Prima expositio est personalis: v. 8 ליהוה refertur ad personam, ergo item לעזאזל. . . . Si ex illis interpretibus quaeras, quam ipsi personam intellegant, cacodaemonem inquiunt alicubi in deserto sedes habere creditum. At hypothesis haec nullam habet archaeologicam probabilitatem. Nullibi in Pentateucho vel etiam in toto Vet. Test. cacodaemon nomine Azazel commemoratur. . . . Uno autem ore antiqui scriptores sacri contra hoc figmentum insurgunt. . . . Uterque hoedus sistitur coram Deo: ‚quod vero consecratur Deo, id nulli alii est addicendum' (Proc.). Super utrumque preces funduntur. Ipse Deus et Moyses magistri fierent superstitionis. Quam obiectionem ut infirment, recentiores aliqui supponunt agi de superstitione aliqua antiquissima, praemosaica, cuius Moysis aequales significationem ignoraverint. Suppositio est gratuita, eiusmodi obsoleta superstitio ceteris facilius abolescebatur, facile certe explicatione aliqua divinitus addita corrigebatur. Altera expositio est etymologica, עזאזל derivans ab עז *capra* seu *hircus*, et עזל *ire*, ergo *hircus abiens*. . . . Sed expositioni mere etymologicae obstat v. 10: quomodo enim caper mittatur ad caprum emissarium? Unde expressionem omisit Vulg., LXX vertunt εἰς τὴν ἀποπομπήν. Hinc Rabbini expositioni etymologicae copulavere localem, ut עזאזל, nomen a capro eunte seu emisso petitum, evaserit nomen montis alicuius non longe a monte Sinai dissiti, quo caper emitteretur (cf. Critici Sacri). Adverte v. 22 caprum emitti in terram determinatam, et quidem in desertum; ubi loco *in terram determinatam* exspectes utique expressionem לעזאזל. Dicas ergo עזאזל reapse nomen fuisse . . . montis vel tractus a monte Sinai parum dissiti, quo caper ille, quamdiu Hebraei ibi versarentur, dimitteretur; . . . etiam postquam Hebraei a monte Sinai discessissent, perseverasse expressiones. . . . Ergo ubicumque Hebraei expiationis die castra haberent, determinabatur locus qui primi illius עזאזל partes susciperet, immo nomen gestaret, quoque caper ille emit-

teretur. Poterit fortasse ... expositio personalis ita emendari, ut asseratur Azazel esse non daemonis cuiusdam, sed ipsius Dei antiquum aliquod brevique penitus obsoletum nomen ... Deo solo quidem nomine Iahve invocato sacrificium offerebatur (v. 11), at cur non ad eundem antiquo aliquo nomine appellatum dimitteretur caper?" Ita Hummelauer. Certe isti loci non probant quod rationalistae volunt, quia alioquin Dominus sibi ipsi contradixisset mandans, ut populus praeter se alium quoque deum coleret (cf. pag. 398 sqq).

In ceteris locis citatis (Lv 19, 31 etc.; cf. pag. 411) יִדְּעֹנִים nominantur quos Stade (Theologie 189) spiritus prudentes et divinantes declarat. Sed Hummelauer (ad 1 Rg 28, 3) scribit: „*Ariolos:* ידעני, ille qui aliquid scit quod ceteris impervium est, maxime futura et praeterita. Utrumque hominum genus (magorum et ariolorum) severe proscribitur Lv 19, 31; 20, 6; Dt 18, 11." Quare autem proscribatur, idem ad Lv 20, 6 cum Bonfrerio hisce indicat: „Est enim implicita quaedam idololatria atque adeo et spiritualis fornicatio, a daemone responsa quaerere de futuris vel internis. ... Qui de iis daemonem consulunt, ei scientiam Deo propriam attribuunt." Sive homines ariolantes sive spiritus divinantes istos יִדְּעֹנִים interpretemur, loci citati non probant antiquum Israel daemones libere circumvagantes coluisse; nam in libro Genesis et Exodi de tali cultu nihil omnino invenimus, in sequentibus autem libris cultus proscribitur. Quod aliae gentes, immo postea plures Israelitae quoque contra mandatum Domini egerint, ad rem non pertinet (cf. pag. 408).

Ut probet ab hominibus primi temporis manes defunctorum deos habitos ac veneratos esse Stade (Theologie 110 sq 185) ad sepulcrum Sarae in Hebron (Gn 23, 19), Deborae in Sichem (Gn 35, 8), Rachelis iuxta Bethlehem (Gn 35, 20), Mariae in Cades (Nm 20, 1), Ioseph in Sichem (Ios 24, 32), Iosue in Thamnathsare (Ios 24, 30; Iud 2, 9) necnon ad sepulcra iudicum (Iud 10, 2 5; 12, 7 10 12 15; 16, 31) appellat. At in singulis his locis nihil reperimus quod pietatem naturalem erga mortuos excedat atque indicet manibus defunctorum cultum divinum tributum fuisse: hagiographi hoc solum testantur corpora hominum nominatorum in locis determinatis pie condita esse. Stade utique omnes narrationes Genesis reicit (cf. pag. 32 73 sq) quas cum Hegelianismo (cf. pag. 16) conciliare nequit; hinc negat (Theologie 65 110) etiam Abrahamum et Isaacum et Iacobum et Rebeccam et Liam in sepulcro Sarae sepultos esse (cf. Gn 49, 31; 50, 13) et aliquando vixisse: sed etiamsi haec negaveris, loci supra enumerati non probant ab hominibus primi temporis manes defunctorum deos habitos et veneratos fuisse, nisi verbis sensum subieceris quem iuxta usum loquendi atque contextum non habent. Perlegas ipsos textus et sententiam sarcasmo plenam ex Thenius-Löhr pag. 186 sq ascriptam. Aegyptios suo tempore manibus defunctorum cultum divinum tribuisse pag. 406 diximus; primos homines ac proavos populi Israel idem fecisse nullo argumento demonstrari potest.

Ut probet *Iahve* deum tonitruum et fulgurum (vim naturalem tonitribus et fulgoribus se manifestantem) esse Stade (Theologie 41 sq) cum aliis citat Gn 9, 13 ubi iris arcus Domini, Ps 17, 15 ubi fulgura sagittae Domini dicuntur; Ex 3, 2; 19, 16; 20, 18 iuxta quos locos Dominus in igne et fulgoribus et tonitribus et nube et fumo; Ex 13, 21; 14, 19 sqq; Nm 14, 14 iuxta quos in columna ignis et nubis apparuit; 3 Rg 18, 36 sqq; 19, 11 sq; 4 Rg 2, 11 sq quibus testantibus Dominus holocaustum Eliae igne consumpsit, in sibilo aurae tenuis ante prophetam transiit, in curru igneo eum assumpsit. Sed in omnibus istis locis Dominus ipse a phaenomenis naturalibus bene distinguitur. Scriptor in-

spiratus qui narrat Dominum in igne et fumo, nube et tonitribus Moysi ac populo Israel apparuisse, simul etiam refert eundem τὸν ὄντα se nominasse, plenitudinem essendi sibi ascripsisse (pag. 388) itaque a qualibet re creata se distinxisse (pag. 390). Et scriptor inspiratus qui narrat Dominum in igne et sibilo Eliae se manifestasse, simul etiam refert Eliam cultorem Domini Dei Abrahae et Isaaci et Israelis (3 Rg 18, 36) fuisse, ergo cultorem illius Dei qui τὸν ὄντα se nominavit (pag. 389) et ita ab omnibus rebus ceteris essentialiter se differre ostendit. In Ps 17, 15 fulgura utique sagittae Domini vocantur; at in eodem Ps 17, 32 (pag. 399) ille Dominus unicus Deus appellatur: ergo non est deus tempestatis seu non una ex pluribus viribus naturalibus. Dominum illum qui post diluvium irim arcum suum dixit, non deum tempestatis sed creatorem et dominum absolutum totius universi esse pag. 408 scripsimus. Si textus singuli a contextu non avelluntur sed in contextu considerantur (cf. Exegeticam 37 sqq), nullo probare possumus *Iahve* deum tonitruum et fulgurum fuisse quemadmodum Smend (Lehrbuch 24) quoque confitetur.

Ut probet *Iahve* antiquitus deum localem montis Sinai vel Horeb fuisse Stade (Theologie 29) argumenta sequentia affert: Dominus in Horeb apparuit (Ex 3, 1 sqq; 17, 6; 33, 6) et locutus est (Ex 19, 2 sqq; Dt 1, 6; 4, 10 15; 18, 16); Dominus in montem Sinai descendit (Ex 19, 11 18 20 23; 34, 2 4); Moyses in montem ad Dominum ascendit (Ex 32, 30) et ab eo legem accepit (Ex 31, 18; 34, 1 sqq); ad Sinai populus Domino immolavit (Ex 3, 12), in Horeb Dominus cum populo foedus pepigit (Dt 5, 2) eumque peccantem delere voluit (Dt 9, 8); in Sinai *Iahve* remansit (Ex 33, 1 sqq), de Sinai venit (Dt 33, 2; Iud 5, 4 sq), in Sinai ab Elia quaeritur (3 Rg 19, 8 sqq); Sinai idcirco mons Dei (Ex 3, 1; 4, 27; 18, 5; 24, 13; 3 Rg 19, 8) et mons Domini (Nm 10, 33) nominatur. Verumtamen iuxta praecepta logica loci citati in se spectati probant quidem Dominum in monte Sinai vel Horeb (cf. pag. 116) hominibus se manifestasse et ab eis tam honoratum quam offensum esse; istum montem propter has Domini manifestationes montem Dei vel Domini nominatum esse; Eliam idcirco in isto monte revelationem Domini exspectasse: non probant vero *Iahve* originaliter deum localem montis Sinai fuisse. Nam in Ex 33, 1 sqq qui loci animum commovere possent, non asseritur *Iahve* in Palaestinam absolute non ascendisse et in monte Sinai remansisse, ut Stade scribit, sed asseritur *in medio* populi ascendere noluisse: *Non enim ascendam,* inquit, *tecum,* בְּקִרְבְּךָ, i. e. in medio tui (Ex 33, 3. cf. v. 5). „Illud *Non ascendam in medio tui,* explicat Hummelauer (Exodus 321 sq), connectunt cum 29, 42 sqq ubi Deus tam sollemniter promiserat habitaturum se *in medio* Israelis in tabernaculo foederis... revocat perpetuam illam promissam praesentiam.... Ceterum non negat Deus forte se populo terram sanctam ingresso aliquando largiturum esse gratiosam suam inhabitationem." Reliqui loci, i. e. Dt 33, 2 et Iud 5, 4 sq revelationes Domini in quattuor locis, non in solo Sinai describunt. „Appellantur igitur itineris per desertum stationes quatuor, ait Hummelauer (Deuteronomium 541), ubi maxime gloriose manifestatus est Iahve, non eo quidem ordine quo Hebraei illas attigere, quod in poetica enumeratione nequaquam requirebatur: mons Sinai, mons Seir (Nm 20 sq), desertum Pharan,... tandem Cades." Ergo loci citati iam in se spectati non probant *Iahve* deum montis Sinai dumtaxat esse; multo minus, si in contextu considerantur. Etenim Dominus ille quem deum localem facere volunt, a scriptoribus inspiratis diserte Deus plenitudinem essendi habens, creator et dominus absolutus universitatis rerum nominatur (cf. pag. 408). Stade

cum aliis istos locos a contextu avellit iisque sensum subicit quem iuxta usum loquendi (cf. Exegeticam 31 sqq) non habent.

Ut probet *Iahve* fuisse deum Cinaeorum-Madianitarum Stade (Theologie 42 sq) cum aliis rationalistis sequens artificium logicum construit. Cain et Abel non individua sed gentes erant (cf. pag. 28); Cain Cinaeos significat qui pastores circumvagantes, forte etiam fabri ferrarii (cf. pag. 28), et tempore Moysis confoederati Madianitarum erant; hi Cinaei in fronte *signum Cain* portarunt quo cultores *Iahve* se profitebantur: ergo Iahve fuit deus Cinaeorum-Madianitarum. Cui opponimus: α) Cain et Abel non individua sed gentes fuisse falsum est (pag. 28); β) Cain signum habuisse ex Gn 4, 15 tantum scimus ubi signum contrario prorsus modo declaratur: unum accipere et alterum respuere iuxta praecepta logica non licet; γ) Cinaeos etiam *signum Cain* portasse nullo argumento demonstrari potest, quia Cain non Cinaeos sed individuum significat (pag. 28): et si *signum Cain* portassent, eo non cultores *Iahve* sed adversarios eius se monstrassent; δ) ergo non probatum est *Iahve* fuisse deum Cinaeorum-Madianitarum. Etiam Strack (Exodus 182) scribit opinionem, qua Iahve deus Cinaeorum declaratur, non probabilem et non verisimilem esse.

Ut probent *Iahve* deum ex numero aliorum deorum fuisse rationalistae plures (cf. *Oehler*, Theologie 158 sqq) hos locos adducunt: *Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos* (Ex 18, 11); at haec sunt verba Iethro sacerdotis Madianitarum, ergo gentilis qui deos gentium deos veros habebat. *Nonne ea, quae possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quae autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem* (Iud 11, 24); sed ita locutus est Iephte, dux inopum et latrocinantium, tempore bellorum et apostasiarum (cf. pag. 160), qui Chamos forsitan deum verum putavit: opinio eius ad rem non pertinet (cf. pag. 408). — *Et transibo per Terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum ... et in cunctis diis Aegypti faciam iudicia, ego Dominus* (Ex 12, 12). *Quis similis tui in fortibus,* בָּאֵלִם, *Domine?* (Ex 15, 11.) *Non habebis deos alienos coram me* (Ex 20, 3). In quibus textibus Moyses, immo Dominus exsistentiam aliorum deorum verorum agnoscere videtur. Oehler (Theologie 160) tamen recte dicit textus cum sequentibus comparandos esse: *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt* (Ex 20, 11); *Domini est terra* (Ex 9, 29ᵇ). Ex his elucet Dominum solum esse Deum verum (cf. pag. 408), ceteros autem deos secundum opinionem gentium tales vocari. — Dt 32, 12 quidem *Dominus solus dux eius fuit: et non erat cum eo Deus alienus* legimus, sed in v. 21 dii alieni *non Deus,* לֹא־אֵל, et *vanitates,* הַבְלֵיהֶם, appellantur (*Oehler*, Theologie 160). Similiter in Ps 95, 4 Dominus *terribilis super omnes deos* celebratur; quomodo hoc intellegendum sit v. 5 ostendit: *Quoniam omnes dii Gentium daemonia,* אֱלִילִים, i. e. nihilum (cf. pag. 402). — Adducunt Gn 1, 26; 3, 22; 11, 7 ubi Deus in plurali loquitur. Hos locos in art. 4 examinabimus et hic cum Oehler (Theologie 158) solum notamus in Gn 1—10 Dominum ut Deum totius universi proponi (pag. 408), ergo numerum pluralem pluralitatem verorum deorum indicare nequire.

Qui has rationes rationalistarum modernorum cum argumentis catholicorum pag. 398 sqq propositis comparaverit atque secundum praecepta logica diiudicaverit, non dubitabit quae sententia vera demonstrata sit. — Rationalistae Hegelianismum quem philosophi falsum comprobant (pag. 16) verum supponunt atque e Scriptura illa tantum accipiunt quae cum eo conciliari posse censent,

reliqua ut fabulosa repudiant, licet contra praecepta logica et hermeneutica peccare debeant. Nos catholici ex theologia fundamentali demonstratum assumimus (pag. 9) omnes libros sacros divinitus inspiratos esse (cf. pag. 369), ergo in omnibus illis partibus ubi hagiographus proprio nomine loquitur, nullum errorem nullamque contradictionem veram continere (cf. Exegeticam 114 sqq), atque hoc respectu textus singulos (cf. pag. 9 sqq) declaramus.

4. Incomprehensibilitas qua essentia et attributa Dei a nullo intellectu creato plane et perfecte cognosci possunt. Psalmista de scientia Dei loquens exclamat (Ps 138, 6): *Mirabilis facta est scientia tua ex me,* פְּלִאָיָה דַעַת מִמֶּנִּי (ita k^{e}rê, פְּלִאָה k^{e}thibh; cf. pag. 221), i. e. nimis mirabilis est scientia (tua) mihi (est comparativus; cf. grammaticam): *confortata est, et non potero ad eam,* נִשְׂגְּבָה לֹא־אוּכַל לָהּ i. e. nimis alta est, non vinco (non comprehendo) eam. Et de magnitudine Dei testatur (Ps 144, 3): *Magnus Dominus et laudabilis nimis,* נְאֹד i. e. valde (cf. Ps 47, 2; 95, 4): *et magnitudinis eius non est finis,* אֵין חֵקֶר i. e. non est investigatio (investigari nequit). In libro Iob (cf. pag. 226) quoque legimus: *Qui facit magna, et incomprehensibilia,* עֹשֶׂה גְדֹלוֹת עַד־אֵין חֵקֶר i. e. faciens magna usque ad defectum investigationis, *et mirabilia, quorum non est numerus,* וְנִפְלָאוֹת עַד־אֵין מִסְפָּר i. e. et mirabilia usque ad defectum numeri (9, 10; 5, 9). Iterum: *Forsitan vestigia,* חֵקֶר i. e. investigationem vel abditum investigandum, *Dei comprehendes,* תִּמְצָא i. e. attinges, *et usque ad perfectum Omnipotentem reperies,* אִם עַד־תַּכְלִית שַׁדַּי תִּמְצָא i. e. num ad finem Schaddai attinges? *Excelsior caelo est,* scil. abdita essentia Dei, *et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura eius, et latior mari* (11, 7—9). Demum: *Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram,* הֵן־אֵל שַׁגִּיא וְלֹא נֵדָע i. e. ecce Deus magnus est et non scimus (scil. quam magnus sit): *numerus annorum eius inaestimabilis,* וְלֹא־חֵקֶר i. e. investigabilis (Ib 36, 26). — His in locis incomprehensibilitatem Dei doceri catholici et acatholici commentatores confitentur; sunt et alii loci qui eam clare enuntiant.

Is 40, 28: *Deus sempiternus Dominus . . . nec est investigatio,* אֵין חֵקֶר, *sapientiae eius.* Item Is 55, 9: *sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.* Quam sententiam Knabenbauer (Isaias II 357) sic interpretatur: „et consilia divina *(cogitationes)* et modi auxiliaque *(viae)* quibus illa in opus deducere Deus constituit ita ab

humana cogitandi agendique ratione recedunt et sublimitate excellunt, sicut a terra elevati sunt caeli; aliis verbis: sunt incomprehensa." - Sapiens (Sap 9, 13 16) interrogat: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? . . . Et difficile aestimamus*, εἰκάζομεν i. e. conicimus, *quae in terra sunt: et quae in prospectu sunt, καὶ τὰ ἐν χερσίν, invenimus cum labore. Quae autem in caelis sunt quis investigabit?* vel potius investigavit, ἐξιχνίασεν: atque hortatur (Eccli 43, 34 sq): *Exaltantes eum* (Dominum) *replemini virtute,* הַחֲלִיפִי כֹחַ i. e. renovate virtutem. *ne laboretis,* וְאַל תִּלְאִי i. e. neve fatigemini: *non enim comprehendetis, οὐ γὰρ μὴ ἀφίκησθε.* [35] *Quis videbit eum, τίς ἑώρακεν αὐτόν, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio?* (deest *ab initio* in LXX; deest v. totus in Hebraico). Ergo etiamsi homo indefesso labore perfectiones Domini investiget (vv. 29—35), tamen eas non perfecte percipiet. Alius locus vim probandi habens sed quasi ignotus hic (Eccli 18, 2—6) est: *Quis sufficit enarrare opera illius?* Graece *οὐθενὶ ἐξεποίησεν ἐξαγγεῖλαι τὰ ἔργα αὐτοῦ·* [3] *Quis enim, καὶ τίς, investigabit magnalia eius?* [4] *Virtutem autem* (deest *autem* in Graeco) *magnitudinis eius quis enunciabit? ἐξαριθμήσεται: aut, καί, quis adiiciet enarrare misericordiam, τὰ ἐλέη, eius?* [5] *Non est minuere, neque adiicere, nec est invenire magnalia Dei, οὐκ ἔστιν ἐλαττῶσαι οὐδὲ προσθεῖναι, καὶ οὐκ ἔστιν ἐξιχνιάσαι τὰ θαυμάσια τοῦ κυρίου,* i. e. opera Dei „sunt in se absoluta, nulla decessione, nulla accessione indigent; sunt praeterea maxime sublimia . . . fieri non potest ut quis investiget mirabilia eius" (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 206). [6] *Cum consummaverit, συντελέσῃ, homo, tunc incipiet, ἄρξεται· et cum quieverit, παύσηται, aporiabitur, τότε ἀπορηθήσεται,* i. e. „si quis putet se absolvisse investigationem et explorationem, tum demum inveniet tantum superesse ut nondum incepisse videatur, ut denuo debeat incipere; ...et si post longum explorationis laborem cessaverit, tum ob negotii magnitudinem et interminabilem amplitudinem perplexus erit inscius quo se vertat et animum despondebit" (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 206). Quodsi opera Dei perfecte investigari et comprehendi nequeunt, quanto minus essentia et proprietates divinae?

Ad incomprehensibilitatem Dei probandam a quibusdam etiam sequentes loci citantur. Prov 25, 27: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* At LXX textum Hebraicum sic reddiderunt: ἐσθίειν μέλι πολὺ οὐ καλόν, τιμᾶν δὲ χρὴ λόγους ἐνδόξους. In textu Masorethico altera pars versiculi est וְחֵקֶר כְּבוֹדִים כָּבוֹד, i. e. „et investigatio gloriae eorum est gloria", quae sententia nullum sensum aptum habet, ut omnes commentatores recentiores concedunt, quare

varii varie textum mutarunt (cf. *Bertheau-Nowack,* Sprüche 150). Syrus alteram partem vertit: „et investigatio sermonum gloriae"; sed haec quoque sententia non praebet bonum sensum neque cum priore parte versiculi bene congruit. Cum igitur textus et commentatores varii dissentiant, versio LXX quae antiquior est quam textus Masorethicus et versiones ceterae praeferenda videtur (cf. pag. 417) in qua duo parallelismi membra bene congruunt sed incomprehensibilitatem Dei non docent. Videas Frankenberg (Sprüche 143) et Strack (Sprüche 85). — Citatur et Is 53, 8: *De angustia, et de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.* His verbis prophetam non incomprehensibilitatem Dei docere velle totus contextus innuit; quomodo verba intellegenda sint, in art. 4 dicetur. — Citatur Ir 32, 19: *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu;* at in Hebraico et Graeco non invenimus *et incomprehensibilis cogitatu* sed καὶ δυνατὸς τοῖς ἔργοις, רב העליליה (cf. *Kittel,* Biblia Hebraica). Videas quae pag. 370 scripta sunt.

5. Infinitas qua essentia et attributa Dei sine ullo termine sunt. Haec proprietas divina in uno tantum loco Vet. Test. explicite docetur, nimirum Ps 146, 5: *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius: et sapientiae eius non est numerus,* לִתְבוּנָתוֹ אֵין מִסְפָּר. Hunc versum etiam Baethgen (Psalmen 429) et Keßler (Psalmen 297) de infinitate scientiae divinae intellegunt.

Citatur quidem saepissime Ps 144, 3: *Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis eius non est finis.* At in Hebraico non habetur *finis* sed *investigatio* (pag. 416) qua voce non infinitas sed incomprehensibilitas exprimitur. Vide tamen pag. 370. — Citatur etiam Bar 3, 25: *Magnus est, et non habet finem: excelsus et immensus.* Verumtamen propheta haec non de Deo sed de domo Dei et loco possessionis eius asserit quod contextus demonstrat; nam immediate antea (v. 24) exclamat: *O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius!* Adhuc clarius ex Graeco elucet: Ὦ Ἰσραήλ, ὡς μέγας ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ, καὶ ἐπιμήκης ὁ τόπος τῆς κτήσεως αὐτοῦ· μέγας καὶ οὐκ ἔχει τελευτήν, ὑψηλὸς καὶ ἀμέτρητος. „Domum Dei, scribit Knabenbauer (Baruch 484) intellege orbem terrarum vel melius ‚universum hoc in quo Deus tamquam in domo sua habitat instar rectoris et patrisfamilias' . . . totam scilicet ditionem Dei in qua Dei potentia et sapientia relucet. Eius finem mensuramve homo nullibi reperit, cf. Ir 31, 37; unde mundus pro hominis aspectu est infinitus, immensus, verbis autem proxime id exprimimus quo sensus nostri percelluntur." Quasi eadem iam Martini (La Sacra Bibbia) ex interpretibus antiquioribus, e. g. Lapide, ad locum annotavit; eadem ratione etiam acatholici Reuß (Baruch 432) et Zöckler (Apokryphen 246) versum intellegunt. Ergo Bar 3, 25 ne in textu Vulgatae quidem infinitatem vel immensitatem Dei exprimit, si a contextu non avellitur; contextum autem semper spectandum esse natura rei, doctrina et exemplum Patrum, historia docent (cf Exegeticam 37 sq). — Neque Ex 33, 19 infinitatem Dei tradit. In Vulgata quidem (cf. pag. 370) legimus: *Ego* (Dominus) *ostendam omne bonum tibi* (Moysi). Cum Moyses Dominum rogaverit: *Ostende mihi gloriam tuam* (v. 18), aliqui cum S. Thoma (Contra Gent. 1, 28) putarunt Deum responso suo insinuare voluisse „in se omnis bonitatis plenitudinem esse". At textus Hebraicus non טוּב *bonum* sed כָּבוֹד *gloriam* (cf. *Buhl,* Handwörterbuch) exhibet quam LXX δόξῃ reddide-

runt; insuper omnes textus, solo Latino excepto, *meam* addunt, ut sensus responsi divini sit: ego omnem gloriam *meam* quam habeo, ostendam tibi; utrum ista gloria infinita sit necne, his verbis absolute sumptis non decernitur. „Deus eam sui sensibilem repraesentationem producet, explicat locum Hummelauer (Exodus 327), quae bonitatem eius non ex aliqua parte tantum sed, quantum fieri possit, totam exhibeat." — Alios locos nonnumquam citatos, e. g. Ps 43, 10; 65, 3; 91, 5 sqq; 92, 4; 103, 24; Is 40, 12 sqq; 1 Par 29, 11 sq; Sap 11, 23; 13, 3 sqq; Eccli 43, 29 sqq; 2 Mach 1, 24, infinitatem Dei non docere ex Vulgata quoque discere possumus.

Implicite vero infinitas in omnibus illis locis traditur quibus Deus omnipotens (vide § 39), aeternus (pag. 390), *τὸ πᾶν* (pag. 389), *Iahve* (pag. 374) nominatur. Nam qui essentialiter et proprie *ipsum esse et totum esse* est seu plenitudinem et perfectionem essendi habet, eo ipso infinitus esse debet. „Deus dicitur *ὁ ὤν*, quia esse et quidem totum esse essentialiter proprium est Dei, ait S. Gregorius Naz. (Orat. 30, n. 18), neque ullatenus terminatum et circumscriptum, quod sit sive ante ipsum sive post ipsum."

6. Immensitas quae est attributum vi cuius Deus nullo loco circumscribitur sed in omnibus locis essentialiter praesens est. — Deum nullo loco circumscribi explicite in oratione Salomonis traditur. *Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram?* inquit (3 Rg 8, 27; 2 Par 6, 18), *si enim caelum, et caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis* vel potius minus *domus haec, quam aedificavi?* Iuxta fidem Salomonis igitur caelum, immo ne altissimum caelum quidem (*caeli caelorum*, שְׁמֵי הַשָּׁמָיִם, est superlativus ut שִׁיר הַשִּׁירִים *canticum canticorum*, i. e. pulcherrimum canticum; cf. *Gesenius-Kautzsch*, Grammatik 438) Deum capere potest, multo minus terra et templum. — Satis clare in Iob 11, 8 sq (cf. pag. 226) quoque pag. 416 citato idem docetur. — Implicite haec veritas in omnibus illis locis continetur quibus infinitas Dei comprobatur; nam qui essentialiter infinitus seu sine ullo termine est, nullo loco finito circumscribi seu concludi vel definiri potest.

Ad demonstrandam immensitatem Dei a quibusdam affertur Ps 8, 2: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua, super caelos.* At sensus membri alterius, in quo vim probandi inveniunt, valde incertus est (cf. *Thalhofer*, Psalmen 82; *Wolter*, Psallite I 57; *Baethgen*, Psalmen 19 sq; *Duhm*, Psalmen 26 sq; *Keßler*, Psalmen 16). Probabiliter totus versus idem significat quod Hab 3, 3 legimus: *Operuit caelos gloria eius: et laudis eius plena est terra* (cf. pag. 386; *Baethgen* l. c.). Ergo locus ad immensitatem probandam non aptus est, quia sensus eius incertus. — Multi citant Bar 3, 25: *Magnus est, et non habet finem: excelsus et immensus.* Avulsus a contextu hic versus immensitatem divinam mire probare videtur; considerato tamen contextu (cf. vv. 24 26) invenimus prophetam non Deum

sed mundum immensum vocare, quemadmodum interpretes catholici et acatholici, recentiores et antiquiores asserunt (cf. pag. 418). Ne in Vulgata quidem hic versus immensitatem divinam probat.

Deum in omnibus locis essentialiter praesentem esse plures loci biblici enuntiant. Locus valde pulcher est Ps 138, 7 sqq: *Quo ibo a spiritu tuo,* מֵרוּחֶךָ? *et quo a facie tua,* מִפָּנֶיךָ, *fugiam?* Spiritus et facies Domini ipsum Deum significant, quatenus in mundo operatur (cf. Gn 1, 2; Ps 138, 6 et pag. 403; *Baethgen,* Psalmen 406). [8]*Si ascendero in caelum, tu illic es:* si descendero in *infernum, ades,* וַאֲצִיעָה שְׁאוֹל הִנָּךְ i. e. et (si) substravero seu lectum meum fecero orcum, ecce tu ades. [9]*Si sumpsero pennas meas diluculo,* אֶשָּׂא כַנְפֵי־שָׁחַר i. e. (si) levavero pennas aurorae, *et habitavero,* וָאֶשְׁכְּנָה i. e. subsedero *in extremis maris:* [10]*Etenim illuc,* גַּם־שָׁם i. e. etiam ibi, scil. in oriente et occidente, *manus tua deducet* vel deduceret *me: et tenebit* vel teneret *me dextera tua.* Sensus est: si homo in locum summum et infimum se transferret, ibi Deum inveniret; si ab oriente cum celeritate aurorae in occidentem volaret, utrobique in potestate Dei maneret. His sententiis omnipraesentiam Dei enuntiari Hoberg (Psalmen 465), Thalhofer (Psalmen 761), Duhm (Psalmen 288), Keßler (Psalmen 284) confitentur. Si forte quis dicat ex verbis Psalmistae iuxta praecepta logica non sequi Deum simul in summo et infimo, in oriente et occidente praesentem esse: respondemus Psalmistam non philosophice sed poetice loqui (cf. *Duhm,* Psalmen 289) et sensum descriptionis poeticae aliis locis mox afferendis definiri. — Locus huic valde similis est Am 9, 1[b] sqq 6: *non erit fuga eis. Fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit.* [2]*Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: et si ascenderint usque in caelum, inde detraham eos.* [3]*Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos. . . .* [5]*Et Dominus Deus exercituum. . . .* [6]*Qui aedificat in caelo ascensionem suam,* מַעֲלוֹתָיו vel עֲלִיָּתוֹ i. e. conclave suum superius, *et fasciculum suum,* וַאֲגֻדָּתוֹ i. e. et fornicem suum *super terram fundavit: qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terrae, Dominus nomen eius.* Quibus verbis propheta explicite docet Deum per potentiam suam ubique adesse; implicite etiam insinuat Deum per essentiam ubique praesentem esse quatenus eum bis cum emphasi *Dominum, Iahve* appellat. *Iahve* enim, plenitudinem essendi possidens, essentialiter infinitus est (pag. 419); esset autem finitus seu terminatus quoad praesentiam, si ab uno solo arceretur: ergo *Iahve* ubique essentialiter praesens est.

Hoc modo etiam Dt 4, 39 huc trahi potest. Verba *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo quod Dominus ipse sit Deus in caelo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius,* directe quidem non omnipraesentiam Dei sed monotheismum docent; pronuntiant Iahven esse Deum verum in caelo et in terra et non esse alium, non pronuntiant directe Deum in caelo et terra praesentem esse. „Solemnis habetur monotheismi professio, explicat Hummelauer (Deuteronomium 223): אלהים articulum habet, pronuntiatur ergo Iahve esse ὁ θεός, unicus Deus, qui unus *in caelo* regnet totique *terrae* imperet" (cf. pag. 398). In nomine tamen *Iahve* omnipraesentia indirecte significata dici potest.

Apud Is 66, 1 *dicit Dominus: Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quae est ista Domus, quam aedificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meae?* Hic versiculus secundum Dillmann-Kittel (Jesaja 526) et Orelli (Jesaja 211) significat Deum qui caelum et terram implet, templo non indigere. Multo clarius omnipraesentia Dei in locis sequentibus docetur. Ir 23, 23 sq: *Putasne Deus,* הַאֱלֹהֵי i. e. num Deus *e vicino ego sum,* i. e. qui a propinquo tantum videt et operatur, *dicit Dominus? et non Deus de longe?* i. e. qui etiam de longinquo videt et operatur (*Duhm,* Ieremia 190; *Orelli,* Ieremia 310). [24] *Si,* אִם i. e. num *occultabitur vir in absconditis: et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* Si Iahve (ter hoc nomen repetitur) caelum et terram, i. e. totum universum (Gn 1, 1) implet, certo ubique praesens est. — Sap 1, 7: *Quoniam spiritus Domini,* πνεῦμα κυρίου, *replevit orbem terrarum,* πεπλήρωκεν τὴν οἰκουμένην· *et hoc, quod continet omnia,* καὶ τὸ συνέχον (scil. πνεῦμα) τὰ πάντα, *scientiam habet vocis,* γνῶσιν ἔχει φωνῆς, i. e. scit omnia quae dicuntur (cf. vv. 6 8). Spiritus Domini seu Deus ipse (pag. 420) omnia continet vel conservat, omnia replet vel in omnibus praesens est. Ob parallelismum membrorum (cf. Exegeticam 41) τὴν οἰκουμένην et τὰ πάντα necnon πνεῦμα et κατέχον eadem significatione accipere debemus (cf. *Zöckler,* Apokryphen 362). — Sap 7, 24; 8, 1: *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique,* διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων, *propter suam munditiam,* i. e. propter naturam suam purissimam (cf. pag. 396). — *Attingit ergo,* διατείνει δέ, *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (cf. pag. 396). In his quoque locis sapientiam divinam omnipraesentem praedicari ipsa significatio verborum ostendit (cf. *Zöckler* l. c.).

Is 40, 12 non omnipraesentiam sed potentiam Dei describit. *Quis mensus est,* inquit, *pugillo,* בְּשָׁעָלוֹ i. e. volâ suâ, *aquas, et caelos palmo ponderavit,* בַּזָּרֶת תִּכֵּן i. e. spithamâ dimensus est? *quis appendit tribus digitis molem terrae,* וְכָל בַּשְּׁלִשׁ עֲפַר הָאָרֶץ i. e. et mensus est trientali (tertia

parte ephae?) pulverem terrae, *et librarit in pondere*, בְּפֶלֶס i. e. libra *montes, et colles in statera*, בִּמְאֹזְנַיִם i. e. bilance? Ad quae Knabenbauer (Isaias II 74) notat: „Dei potentiam ita ad captum omnium describit, ut ea quae nostram omnem cogitationem superant et ingentia nobis apparent, nullo negotio dicat a Deo nosci, ponderari; ‚humanae consuetudinis verbis utitur atque mensuris, ut Dei potentiam per nostra verba discamus' (S. Hier.). Vastam ergo maris magnitudinem Deus vola metitur et immensa caelorum spatia palmo et terrae molem ingentem trientali complectitur." Versus sequentes scientiam Domini describunt. — Neque Sap 16, 15 *tuam manum effugere impossibile est* omnipraesentiam asserunt, uti patet.

Contra immensitatem Domini rationalistae obiciunt: *α)* Iahve iuxta fidem antiqui temporis in caelo non habitavit (*Stade,* Theologie 104); *β)* Iahve primitus in monte Sinai, deinde in montibus Tabor, Ebal et Garizim, Carmeli, necnon in monte Oliveti habitavit unde deos locales Palaestinae depulerat (*Stade,* Theologie 109 sq); *γ)* Iahve in sanctuariis Palaestinae (Sichem, Hebron, Bersabee, Cades etc.) habitavit et quidem ita ut idem Iahve a quolibet sanctuario circumscriberetur: ad contradictionem internam quae in hac fide continetur, Israelitae non attendebant (*Stade,* Theologie 103); *δ)* Iahve in terra Chanaan exclusive habitavit (*Stade,* Theologie 103); *ε)* Iahve in templo habitavit, quatenus in illo arca (cf. pag. 411) conservabatur (*Stade,* Theologie 103 121 sq): similiter *(α—ε)* iam Smend (Lehrbuch 128 sqq) cum aliis rationalistis scripserat. *ζ)* Alii denique iique iam antiquiores obiecerunt Deum testantibus hagiographis descendere et ascendere, appropinquare et recedere, in locis variis habitare. — Quibus obiectionibus opponimus: Deus per hagiographos loquens (pag. 9 sqq) nec falli nec fallere ideoque nec sibi contradicere potest (cf. pag. 409); in locis vero pag. 419 citatis Deus explicite immensitatem suam affirmat: ergo in locis per rationalistas allatis eam negare nequit. Reapse loci quibus rationalistae obiectiones suas confirmare volunt, vim probandi non habent.

Dominum in caelo non habitare Stade ex Am 9, 2 *Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: et si ascenderint usque in caelum, inde detraham eos*, אוֹרִידֵם i. e. deiciam eos, probat. At in hoc loco omnipraesentia Domini docetur, quod Orelli (Amos 83) et Marti (Amos 221) quoque concedunt. Certe ille qui ascendentes in caelum *inde deicit* (*Buhl,* Handwörterbuch; *Nowack,* Amos 156), in caelo esse debet. Hunc locum eligens Stade infelix erat; neque magis prudens illos locos diiudicat quibus innixus Gunkel (cf. *Stade,* Theologie 104) affirmavit secundum fidem hominum antiquissimi temporis Dominum in caelo habitasse. Asserit quidem: Gn 11, 1—9, ubi Dominus descendisse dicitur, est mythus adventicius fidem Israelitarum non referens; in Gn 19, 24 *Igitur Dominus pluit ... a Domino de caelo* aut *a Domino* deleatur

aut *de caelo* = de nube accipiatur; in Gn 21, 17 *vocavitque Angelus Dei Agar de caelo* atque Gn 22, 11 *Angelus Domini de caelo clamavit* manus redigentes illud *de caelo* serius inseruerunt; Gn 28, 12 sq *Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens caelum: Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham* etc. aut stratura recentior aut redactio est. Verumtamen haec audacter asserta ne unico quidem argumento confirmare conatur. Tali ratione agendi utique omnia placita in Scriptura inveniuntur; at ita iam non amplius quaeritur quid sacri libri reapse tradant (pag. 369), sed eis obtruditur quod interpres Hegelianismo praeoccupatus eos tradere vult. Ceterum si homines antiqui temporis putassent *Iahve* in caelo non habitare, ex ista opinione non sequeretur eum revera in caelo non habitare. — Gunkel qui contra Stade retinet *Iahve* iuxta unam opinionem temporis antiqui in caelo habitasse (Genesis 86 sq) simul asserit iuxta aliam opinionem eum in paradiso habitasse suamque assertionem eo probat quod paradisus in Ez 28, 13 *paradisus Dei*, in Is 51, 3 *hortus Domini* nominetur, atque *Iahve* Gn 3, 8 in paradiso deambulasse scribatur (Genesis 6 15). At experientia testatur eum qui in aliquo loco deambulat, non necessario ibidem habitare; quare autem paradisus hortus Dei et Domini nominetur, ex iis quae pag. 414 et infra scripta sunt, elucet. — Dominum primitus in monte Sinai habitasse demonstrari nequit. Nullus ex illis locis quos Stade congessit, et nos pag. 414 attulimus, enuntiat Dominum in Sinai habitasse, sed illuc descendisse ibique apparuisse ac veneratum esse. Sed nec probari potest Iahve postea in Tabor, Ebal et Garizim, Carmelo, monte Oliveti habitasse. Legimus quidem Dt 33, 19 *Populos vocabunt* Zabulon et Issachar *ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiae.* At istum montem esse Tabor, ut Stade vult, demonstrari nequit (*Öttli*, Deuteronomium 117; *Steuernagel*, Deuteronomium 127), et textus nullo modo indicat Iahve in Tabor habitasse. Legimus Dt 11, 29: *pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal*, atque Dt 27, 12 sq: *Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim. . . . Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal.* Legimus 3 Rg 18, 19 Eliam ad Achab dicentem: *Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal . . . prophetasque lucorum*, atque 2 Rg 15, 32 *Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai.* Ex his locis Stade deducit Iahve in montibus nominatis habitasse, quod textus ne una quidem voce indicant.

Eundem Iahve in sacrariis singulis praesentem esse Sacra Scriptura docet; eum a quolibet sacrario circumscribi a Stade sine argumento supponitur itaque contradictio interna gratis asseritur. Quare Dominus ubique praesens (cf. pag. 420) in locis quibusdam specialiter praesens scribatur, Hurter (Compendium II 45) bene declarat: „Cum Dei praesentia, ait, innotescat nobis eiusdem operatione, pro speciali Dei efficientia quae alicubi se prodit, speciali modo Deus quibusdam in locis esse dici poterit, ut in caelo, in iustis, in ecclesia etc. Est ergo (Deus), inquit S. Bernardus (Serm. 6 in dedic. Eccl. n. 2) in omni loco omnia universaliter continens omniaque disponens, sed longe tamen aliter atque aliter. Apud homines malos est praestans atque dissimulans, apud electos homines operans et servans; apud superos pascens et cubans, apud inferos arguens et damnans." — Eadem ratione declarari debet, quod terra Chanaan habitatio Dei ubique praesentis (pag. 420) nominatur. — Quod ad *descendere* in terram et ad *ascendere* in caelum pertinet,

S. Augustinus (Civ. 16, 5) scribit: „Non loco movetur Deus, qui semper ubique est totus, sed *descendere* dicitur, cum aliquid facit in terra, quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter factum praesentiam quodammodo eius ostendat.“ Quare autem hominibus *appropinquare* aut ab eis *recedere* dicatur, S. Thomas (1, q. 9, a. 1 ad 3) sic exponit: „Huiusmodi dicuntur de Deo in Scripturis metaphorice. Sicut enim dicitur sol intrare domum vel exire, in quantum radius eius pertingit ad domum, sic dicitur Deus appropinquare ad nos vel recedere a nobis, in quantum percipimus influentiam bonitatis ipsius vel ab eo deficimus.“

7. Pulchritudo quae Dei infinita perfectio est, „quatenus haec mente cognita delectat“ (cf. *Kleutgen*, De ipso Deo 418). Haec proprietas divina in Sap 13, 3 formaliter enuntiatur. *Quorum*, i. e. ignis, orbis stellarum et luminarium caeli etc. *si specie, τῇ καλλονῇ, delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator, δεσπότης, eorum speciosior, βελτίων*, i. e. melior *est. speciei enim generator haec omnia constituit, ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης* i. e. pulchritudinis auctor, *ἔκτισεν αὐτά*. His verbis hagiographus docet Deum esse pulchrum, quia eum auctorem pulchritudinis vocat: nemo enim dat quod non habet; docet pulchritudinem Dei esse perfectionem eius, quia scribit *quorum si specie*, i. e. pulchritudine *delectati . . . sciant quanto his dominator eorum βελτίων* i. e. melior (*Passow*, Handwörterbuch) *est*, non *speciosior* quod exspectandum erat et a Vulgata exhibetur; docet pulchritudinem Dei esse perfectionem eius, quatenus mente cognita delectat, quia Deum auctorem illius pulchritudinis nominat qua homines *delectati* sunt. — Idem probat Sap 7, 29: *Est enim haec*, scil. sapientia divina (cf. 7, 24 et 8, 1), *speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, εὐπρεπεστέρα ἡλίου καὶ ὑπὲρ πᾶσαν ἄστρων θέσιν, luci comparata invenitur prior, προτέρα* i. e. eminentior (*Zöckler*, Apokryphen 373). Ergo Deus pulchrior est pulcherrimis rebus quae in caelo et terra videntur, quia auctor, *γενεσιάρχης*, omnis pulchritudinis est.

Deum pulchrum esse verba sponsae Ct 1, 15 (hebr. v. 16) *Ecce tu pulcher es*, יָפֶה, *dilecte mi, et decorus*, נָעִים i. e. iucundus vel suavis, significant. Nam Canticum Canticorum coniunctionem Dei cum humanitate allegorice, i. e. similitudine amoris sponsorum et coniugum describit (pag. 216 sq), ergo quae de sponso dicuntur in Deum referenda sunt. Item Ct 5, 10: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus* quam venustatem egregiam sponsa in vv. sequentibus diffuse exponit. — Ut Canticum Canticorum ita etiam Ps 44 coniunctionem Dei cum humanitate allegorice describit. Protestantes recentiores, e. g. Baethgen (Psalmen 126 sq), Duhm

(Psalmen 128), Keßler (Psalmen 100) aliique asserunt quidem hunc Psalmum carmen nuptiale omnino saeculare esse; at Synagoga Vet. Test. et Ecclesia Nov. Test. constantes tenuerunt in Ps 44 coniunctionem Dei cum humanitate allegorice describi (*Baethgen,* Psalmen 126; *Thalhofer,* Psalmen 277 sq), et Deus ipse Hbr 1, 8 sq versus 7 et 8 huius Psalmi directe de Christo interpretatur, ob quam interpretationem authenticam (cf. Exegeticam 69) etiam recentissimi catholici Hoberg (Psalmen 156), Thalhofer (l. c.), Wolter (Psallite II 181) allegoricum intellectum Psalmi retinent. In v. 3 autem legimus: *Speciosus forma* seu pulchritudine pulcher (יָפְיָפִיתָ ex יָפִי יָפִיתָ contractum; cf. *Buhl,* Handwörterbuch 278), i. e. valde pulcher es idque *prae filiis hominum,* מִבְּנֵי אָדָם i. e. magis quam ceteri homines (cf. grammaticam de comparativo vel lexicon ad מִן), *diffusa est gratia,* חֵן i. e. suavitas, *in labiis tuis.* Licet hac sententia directe pulchritudo corporis Christi celebretur, tamen indirecte pulchritudo animae ac divinitatis quoque laudatur, cuius splendor pulchritudo corporalis est (cf. *Hoberg,* Psalmen 157; *Wolter,* Psallite 183).

Pulchritudo Dei etiam in Ps 103, 1 sq poetice effertur. *Domine Deus meus,* exclamat Psalmista, *magnificatus,* גָּדַלְתָּ i. e. magnus, *es vehementer. Confessionem,* הוֹד i. e. maiestatem *et decorem induisti: amictus lumine* cuius pulchritudinem homines admirantur (pag. 424) *sicut vestimento.* — Similiter Isaias (33, 17) prophetavit: *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Hunc regem Iahve-Messiam esse v. 22 ostendit: *Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos.* Videas Duhm (Jesaia 221), Knabenbauer (Isaias I 575), Marti (Jesaja 240), ubi aliae quoque sententiae afferuntur. — Denique pulchritudo Dei in Eccli 24, 17—23 docetur quo in loco hagiographus sapientiam divinam cum plantis maxime pulchris et iucundis comparat, ut summam eius pulchritudinem illustret (*Zöckler,* Apokryphen 303).

Optimam definitionem pulchritudinis, ex Sap 13, 3 sq haustam, Kleutgen (De ipso Deo 418) tradit: „Pulchritudo est rei bonitas, quatenus haec mente cognita delectat." Bene etiam S. Thomas (1, 2, q. 17, a. 1 ad 3) scribit: „Pulchrum est idem bono, sola ratione differens. Quum enim bonum sit, quod omnia appetunt, de ratione boni est, quod in eo quietetur appetitus. Sed ad rationem pulchri pertinet, quod in eius aspectu seu cognitione quietetur appetitus.... Et sic patet, quod pulchrum addit supra bonum quendam ordinem ad vim cognoscitivam, ita quod bonum dicatur id quod simpliciter complacet appetitui, pulchrum autem dicatur id, cuius ipsa apprehensio placet." Hoc sensu intellegendum est illud eiusdem Thomae (1, q. 5, a. 4 ad 1) celebre dictum: „Pulchra sunt, quae visa placent." — Itaque pulchrum idem est

ac bonum, bonum autem et ens „convertuntur“ (*Hagemann*, Metaphysik 24; *Stöckl*, Grundzüge 202); atqui Deus est *ens totum* (pag. 388): ergo est etiam *pulchrum totum* seu pulchritudo absoluta et essentialis. Conferas Pohle (Dogmatik I 136 sqq) qui hanc proprietatem Dei accurate exponit sed Sap 13, 3 non recte ὁ τῆς καλλονῆς γενεσιάρχης citat; in v. 5 utique καλλονῆς, in v. 3 tamen τοῦ κάλλους scriptum est (cf. *Swete*, The Old Testament in Greek II 627). — Idem vir doctus etiam Sap 24, 24 adducit: *Ego mater pulchrae dilectionis.* Sed v. 24 sq in textu Graeco desunt (textus Hebraicus c. 24 nondum inventus est) et forsitan ex Sap 7, 12; 8, 7; Eccli 1, 16 compositi sunt (cf. *Knabenbauer*, Ecclesiasticus 269; Bibelkritik 86 sq) ubi de pulchritudine nihil reperitur: ergo in theologia biblica melius omittuntur (pag. 370).

Si enim textus quidam in versione authentica legitur, non sequitur eum in eodem loco originalium scriptum fuisse; sufficit, si in alio loco scriptorum inspiratorum reperitur. Quam assertionem exemplis confirmare possumus. In Vulgata Sixtina, a Summo Pontifice sollemniter pro authentica declarata (cf. pag. 287 et Biblia Sacra, Oeniponte 1906, Epilogus criticus 153*), inter alia legimus Mt 7, 1: *nolite condemnare, et non condemnabimini;* Mt 24, 47: *Duo in lecto, unus assumetur, et unus relinquetur;* Lc 11, 2: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra.* Hi textus in Vulgata Clementina omissi sunt, quia originaliter in istis locis non exstabant sed ex Lc 6, 37; 17, 34; Mt 6, 10 ascripti sunt. Contra in Vulgata Clementina Mt 27, 35 legimus: *ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem,* quae sententia in Sixtina omissa et iuxta iudicium criticorum ex Io 19, 24 hausta est (cf. Bibelkritik 83; *Wordsworth-White*, Novum Testamentum ad Mt 27, 35). Videas tamen pag. 370.

8. Simplicitas qua Deus omni compositione caret seu nullis partibus constat: neque physicis neque metaphysicis. Haec proprietas Dei in sacris libris Vet. Test. formaliter (cf. pag. 371) non clare et distincte enuntiatur; ex ceteris tamen proprietatibus divinis necessario sequitur, ergo virtualiter in Vet. Test. continetur. a) Deus non constat ex partibus physicis, i. e. realiter distinctis (*Gutberlet*, Theodicee 134). Etenim *α)* Deus est ens a se et independens (pag. 376 sqq); omne physice compositum autem causam componentem habet et a componentibus dependet (*S. Thomas*, 1, q. 3, a. 7): ergo Deus ex partibus physicis non compositus est. *β)* Deus est aeternus et immutabilis (pag. 391 sqq); omne physice compositum autem suis componentibus posterius est (*S. Thomas* l. c.) atque augeri et minui ideoque mutari potest (*Hagemann*, Metaphysik 193): ergo Deus ex partibus physicis non compositus est. *γ)* Deus est infinitus (pag. 418); quod autem ex partibus physicis compositum est, actu infinitum esse nequit (*Stöckl*, Grundzüge 347): ergo Deus ex partibus physicis non compositus est. *δ)* Deus est immensus (pag. 419); omne physice compositum autem loco circumscribitur (*Hagemann* l. c.): ergo Deus ex partibus physicis non compositus est.

Deum ex partibus physicis non compositum esse in Vet. Test. formaliter non traditur, saltem non clare et distincte. Examinemus singulos locos qui a quibusdam ad istam veritatem confirmandam afferuntur. Primo in pluribus locis Deus verus opponitur diis falsis qui ex partibus physicis constant (cf. pag. 403 sqq); ergo concludendum est Deum verum ex partibus physicis non compositum esse. Conclusio valet quidem, simul tamen innuit simplicitatem Dei in illis locis non formaliter sed virtualiter (pag. 371) contineri. Secundo Ex 20, 3 sqq; Dt 4, 15 sqq; 5, 8; Is 40, 18 imagines Dei prohibentur. „Mandato autem, scribit Hummelauer (Exodus 200), prohibentur primum imagines deorum aliorum (v. 3), theraphim et similia; at etiam veri Dei imagines. Pro eo quippe nulla statuitur exceptio in lege ceteroqui omnino universali.“ Plures affirmarunt rationem ob quam Israelitae prohibiti essent quominus Dominum imagine repraesentarent, esse simplicitatem Dei. Verumtamen hagiographus alias tres rationes affert, nimirum ne Israelitae imagines adorarent (Ex 20, 5; *Hummelauer* l. c.); quia Deus „in monte Sinai nulla se specie Hebraeis videndum“ praebuit (Dt 4, 15; *Hummelauer* l. c.); quia Deus propter maiestatem suam similitudine repraesentari nequit: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei* (cf. pag. 388). *Cui ergo similem fecistis,* וְתַדַמְיוּנוּ i. e. similem facietis, *Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* (Is 40, 17 sq; *Duhm*, Jesaia 270; *Marti,* Jesaja 274). Tertio Ex 33, 20; Iob 23, 8 sq; Eccli 43, 35 Deus hominibus invisibilis nominatur. Sed ex eo quod homo Deum videre nequit, non sequitur Deum ne ex subtilissimis quidem partibus physicis constare. Quarto Iob (10, 4) Deum interrogat: *Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu videbis?* Haec verba a nonnullis ad probandam simplicitatem Dei citantur. Sed Iob in hoc loco ignorantiam Deo denegat, non compositionem. „Il mio Giudice non può (come gli nomini) errare per ignoranza, nè per poca avvedutezza; gli occhi di lui sono perspicacissimi.... La seconda parte di questo versetto è una sposizione della prima.“ Ita Martini (h. l.) cum aliis exegetis catholicis (e. g. Lapide, Allioli-Arndt, Knabenbauer); ita etiam protestantes Budde, Dillmann, Duhm, Volck versum explicant, quam explicationem contextus unice veram ostendit.

Quinto Deus dicitur Dominus Deus spirituum (Nm 16, 22; 27, 16); dicitur spiritum dare (Eccli 12, 7; Ps 148, 1—5) et auferre (Eccli 12, 7; Iob 34, 17; Ps 103, 29); dicitur spiritum habere (e. g. Gn 1, 2; 6, 3; Sap 1, 7 etc. ubi spiritus 'Elohim vel Iahve commemoratur); dicitur in uno loco diserte spiritus, scilicet Is 31, 3 *Aegyptus, homo, et non Deus: et equi eorum, caro, et non spiritus:* hic enim homo *caro* et Deus *spiritus* nominatur (cf. *Smend*, Lehrbuch 220; *Oehler*, Theologie 176). Hisce locis simplicitas Dei comprobari videtur; sed non est ita. Nam *spiritus*, רוּחַ, iuxta usum loquendi Vet. Test. varia significat: spiritum narium, spiritum oris, spiritum aeris et quidem auram et ventum, rem inanem, animam tum bestiarum tum hominum, intellectum, voluntatem, affectum, naturam divinam quatenus omnia conservat et gubernat et animat (*Gesenius,* Thesaurus; *Mandelkern,* Concordantiae). Si igitur Deus *spiritus* esse, *spiritum* habere et dare et auferre dicitur, ex solo nomine *spiritus,* רוּחַ, demonstrare nequimus eum ex nullis partibus physicis compositum esse, quia nomen *spiritus* multiplicem habet significationem. Si tamen loci enumerati cum iis comparantur quae alibi (cf. pag. 426) de Deo praedicantur, utique clarescit Deum esse *spiritum* sensu stricto, i. e. eum ex nullis omnino partibus physicis constare. — Stade (Theologie 84) asserit illum *spiritum*, רוּחַ, quo Dominus in Is 31, 3 vocatur, fluidum aurae simile (luftähnliches

Fluidum), non vero spiritum immaterialem significare, cum contrarietas (Gegensatz) inter materiam et spiritum immaterialem nondum percepta fuerit. Nomen *spiritus*, רוּחַ, absolute loquendo auram significare posse mox diximus; sed iste locus Isaiae cum aliis locis conferendus est (cf. pag. 369), iuxta quos Deus spiritus immaterialis est. Utrum contrarietas inter materiam et spiritum illo tempore a populo iam percepta fuerit necne, ad rem non pertinet; non enim quaerimus quid populus senserit, sed quid Deus in sacris libris nos doceat (cf. pag. 369).

Deum spiritum immaterialem esse omnes illi loci negare videntur, in quibus Deo membra corporis humani ascribuntur, scilicet: *facies,* Gn 4, 14; Ion 1, 3; 4 Rg 17, 18 23; *cor,* Gn 6, 6; Os 11, 8; Is 63, 4; *oculi,* Gn 38, 7 hebr.; Dt 11, 22; Eccli 23, 28; *manus* et *brachium,* Ex 6, 6; Dt 4, 34; *os,* Nm 12, 8; Is 1, 20; *aures,* 2 Rg 22, 7; *nares,* 2 Rg 24, 1 hebr.; Is 5, 25 hebr.; *labia* et *lingua,* Is 30, 27; *pedes,* Is 60, 13; 66, 1. Est tamen principium hermeneuticum a S. Augustino et Leone XIII inculcatum, a sensu litterali proprio esse recedendum atque sensum litteralem improprium accipiendum, quotiescumque sensus proprius certae doctrinae rationis vel fidei contradicit (cf. Exegeticam 102 sq). Certissima autem doctrina Scripturae est Deum ex partibus physicis non constare (pag. 426). Ergo membra corporalia Deo ascripta non proprie sed improprie intellegenda sunt. Per anthropomorphismum membra humana Deo ascribuntur, ut ita perfectiones divinas (praesentiam, scientiam, potentiam, operationes varias) facilius percipere possimus (cf. Exegeticam 10).

Ad rem S. Augustinus scribit: „Cogitatio quippe turpiter vana est quae opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circumscribi atque finiri“ (De Trin. 12, 7, 12). „De membris Dei quae assidue Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis huius formam et figuram nos esse crederet similes Deo, propterea et alas habere Deum dixit (Ps 16, 8), quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intellegimus (*Sub umbra alarum tuarum protege me,* legimus in Ps 16, 8, ad quem S. Augustinus respicit): sic et, cum audimus manus, operationem intellegere debemus; et cum audimus pedes, praesentationem; et cum audimus oculos, visionem qua cognoscit; et cum audimus faciem, notitiam qua innotescit; et si quid aliud eadem Scriptura tale commemorat, puto spiritualiter intellegendum“ (Ep. 148, 4, 13).

Similiter omnes illi loci explicandi sunt in quibus Deus *spiritum* habere dicitur. Haec phrasis non supponit Deum etiam corpus habere, uti Stade (Theologie 85) asserit, quia sic Deus, qui alibi se ex partibus physicis constare negat (pag. 426), sibi ipse contradiceret (cf. pag. 369): est potius locutio anthropomorphistica.

Gunkel (Genesis 102 sq) ad Gn 1, 26 *Faciamus Hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* affirmat hominem primario quoad corpus imaginem Dei esse, et Vetus Testamentum ad spiritualitatem Dei sensu stricto se elevare non potuisse; quod ut probet, phrases anthropomorphisticas adducit. Hac in re nihil novi dicit. Iam S. Augustinus

(De Trin. 12, 7, 12) contra quosdam similia asserentes scripsit: „Sicut enim non solum veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, non secundum formam corporis homo factus est ad imaginem Dei, sed secundum rationalem mentem.... Nonne idem beatus Apostolus dicit: *Renovamini... spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem (eum), qui secundum Deum creatus est* (Eph 4, 23 sq).... Si ergo spiritu mentis nostrae renovamur, et ipse est novus homo qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius qui creavit eum, nulli dubium est non secundum corpus neque secundum quamlibet animae partem, sed secundum rationalem mentem ubi potest esse agnitio Dei, hominem factum ad imaginem eius qui creavit eum." Utrum homines Vet. Test. ad spiritualitatem Dei stricte sumptam se elevare potuerint necne, non quaeritur; quaeritur potius, quid Deus de natura sua in sacris libris nobis manifestet. Ipsum non obstantibus locutionibus anthropomorphisticis spiritum immaterialem se manifestare pag. 426 vidimus. Quodsi Deus purus spiritus est, similitudo hominis cum Deo principaliter in anima humana consistat necesse est (cf. cap. 2; Comment. 20). Gunkel supponit sed non probat nec probare potest hominem quoad corpus imaginem Dei esse indeque infert spiritualitatem Dei non esse immaterialem. Quid talis conclusio valeat logici docent.

b) Deus non est compositus ex partibus metaphysicis i. e. logice et quidem virtualiter distinctis (cf. *Gutberlet,* Theodicee 134; *Egger,* Propaedeutica 392 sq; videas tract. philos. de distinctione). Partes metaphysicae sunt: essentia et exsistentia, potentia et actus (Möglichkeit und Wirklichkeit), natura et subsistentia (persona), essentia et attributa, substantia et accidentia, essentia et operatio (actus primus et actus secundus), genus et differentia specifica (cf. *Stöckl,* Grundzüge 347; *Hagemann,* Metaphysik 193; *Egger,* Propaedeutica 393 sq).

Deum ex partibus metaphysicis non compositum esse in Sacra Scriptura Vet. Test. non formaliter quidem sed virtualiter continetur, quatenus haec proprietas ex aliis proprietatibus quae Deo tribuuntur, necessario sequitur. Etenim *α)* Deus est ens a se (pag. 376 sqq), independens (pag. 378), aeternum (pag. 390 sqq); omne compositum autem causam habet, componentibus suis posterius est et ab iis dependet (pag. 426): ergo Deus ne ex metaphysicis quidem partibus compositus esse potest. *β)* Deus vi essentiae suae infinite perfectus est (pag. 418); omnes partes autem vi essentiae suae aliquid imperfectum vel incompletum sunt, partes metaphysicae cum fundamento in re concipiuntur ut aliquid incompletum (*Egger,* Propaedeutica 393): ergo Deus ex partibus metaphysicis compositus esse nequit, quia in infinite perfecto aliquid imperfectum cum fundamento in re concipi seu cogitari non potest. *γ)* Deus est *esse totum* (pag. 388) ad quod perfectiones (attributa, differentia specifica) addi non possunt: ergo neque ex essentia et

attributis neque ex genere et differentia specifica compositus est. Notissimum est illud S. Augustini (Civ. 11, 10) ab omnibus citatum: „Ideo simplex dicitur, quoniam quod habet hoc est, excepto quod relative quaeque persona ad alteram dicitur." *δ)* Deus *est* esse totum (pag. 374 sqq) ideoque qualibet potentialitate, ut dicunt, necessario caret: ergo Deus ex essentia et exsistentia, potentia et actu, natura et subsistentia, substantia et accidentibus, essentia et operatione compositus esse nequit, quia haec omnia potentialitatem quandam includunt (cf. *Gutberlet,* Theodicee 138 sqq; *Stöckl,* Grundzüge 347).

Ex illis proprietatibus igitur quae in Sacra Scriptura Vet. Test. Deo formaliter adiudicantur, iuxta praecepta logica necessario sequitur Deum absolute simplicem esse, eum neque ex physicis neque ex metaphysicis partibus constare. Ne opponant rationalistae homines Vet. Test. ad tantas abstractiones se elevare non potuisse. Nam primo nemo hucusque demonstravit tales conclusiones a Vet. Test. omnino alienas esse; secundo non quaerimus quid homines Vet. Test. senserint, sed quid Deus in sacris libris reapse enuntiaverit (pag. 369).

c) Cum certa hac doctrina biblica pantheismus logicus seu panlogismus quem Hegel (pag. 16) maxime excoluit nullo modo conciliari potest. Asseclae Hegelianismi seu systematis evolutionis (cf. *Hagemann*, Metaphysik 165) in quo recentior schola critica fundatur (pag. 16), dicunt „Deum esse ens universale seu indefinitum quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam" (Vatic., sess. III, cap. 1, can. 4); dicunt universum esse continuam manifestationem vel evolutionem Dei in mundo (eine immerwährende Weltwerdung Gottes); dicunt Deum absolutum continuo „in formis concretis" se praesentare, sed iterum in iis se destruere ut in formis perfectioribus se manifestet: esse monstrum semper devorans semperque ruminans („ein ewig verschlingendes, ewig wiederkäuendes Ungeheuer"; cf. *Hagemann,* Metaphysik 165). Verumtamen cum Deus secundum doctrinam sacrorum librorum sit „actus purus (i. e. lautere Wirklichkeit) sine partibus, sine compositione, sine potentialitate, consequenter neque quicquam emanare potest ex Deo, neque ulla in eo evolutio locum habet" (*Pesch,* De Deo uno 75). De pantheismo et speciatim de Hegelianismo philosophi ex professo tractant.

§ 39. De attributis operandi.

Deus igitur non est ens universale sed personale (pag. 378), non est ens mortuum ut dii gentium (pag. 403) sed *vivum,* actuosum (pag. 380). Haec veritas in pluribus locis Vet. Test. continetur.

Levabo, כִּי־אָשָּׂא i. e. nam levo, *ad caelum manum meam,* ait Dominus, *et dicam,* וְאָמַרְתִּי i. e. et dico: *Vivo ego in aeternum,* חַי אָנֹכִי לְעֹלָם i. e. „quam vere ego aeternum vivo“ (*Hummelauer,* Deuteronomium 531) ... *reddam ultionem hostibus meis* (Dt 32, 40 sq). Manum ad caelum levare est actio symbolica (cf. Exegeticam 11 sq) qua quis Deum testem invocat seu iurat (Gn 14, 22); hanc actionem Deus per semetipsum iurans (Gn 22, 16; Is 45, 23) sibi ascribit vitamque suam ut rem certissimam pignus dat (*Öttli,* Deuteronomium 110). Similiter Nm 14, 21 28; Is 49, 18; Ir 5, 2 etc. — Iosue (3, 10) iussu Domini ad populum locutus est: *In hoc* i. e. miraculis sequentibus, *inquit, scietis quod Dominus* (in Hebraico et Graeco *Dominus* deest) *Deus vivens,* אֵל חַי, *in medio vestri est.* Et Ieremias (10, 10) Dominum Israel cum diis gentium comparans affirmat: *Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens,* הוּא־אֱלֹהִים חַיִּים, *et rex sempiternus.* A Psalmista quoque Deus vivus et fons vitae vocatur: *Sitivit,* צָמְאָה i. e. sitit, *anima mea ad Deum fortem vivum,* לֵאלֹהִים לְאֵל חָי i. e. ad Deum, ad Deum vivum (Ps 41, 3). *Cor meum, et caro mea exultaverunt* vel potius exultant *in Deum vivum,* אֶל־אֵל חָי (Ps 83, 3). *Quoniam apud te est fons vitae,* כִּי־עִמְּךָ מְקוֹר חַיִּים (Ps 35, 10). Videas etiam Os 1, 10; Ir 23, 36. Sequentes loci in se spectati minorem vim probandi habent, quia in iis non hagiographus sed aliae personae loquuntur; cum locis tamen mox citatis collati maiorem vim accipiunt: Gn 16, 14 (cf. 24, 62; 25, 11); Dt 5, 26; 1 Rg 17, 26 36; Is 37, 4 17 (cf. 4 Rg 19, 4 16); Dn 6, 26.

Ad meliorem horum sequentiumque intellectum quaedam lemmata philosophica transcribimus. „Essentia est primum et intrinsecum principium essendi in re seu id quo res est haec res et non alia.... Natura est primum et intrinsecum principium operandi in re. Per hoc enim natura et essentia distinguitur, quod haec ad *esse,* illa ad *operari* refertur.... Substantia opponitur accidentibus et definitur: id quod est per se et non in alio tamquam in subiecto. Dividitur substantia in primam i. e. singularem et secundam i. e. universalem; item in completam et incompletam, quatenus integram naturam specificam exprimit vel partem tantum.... Si essentiam, naturam et substantiam ad invicem comparamus, eas logice quidem differre videmus, realiter vero minime; una quippe eademque realitas est simul principium essendi, substandi et agendi.... Hypostasis seu suppositum etymologice idem significat ac substantia; iuxta usum philosophicum vero et maxime iuxta theologicum hae voces sedulo secernendae sunt. Substantia enim ex dictis etiam incomplete et universaliter sumitur; hypostasis autem semper subiectum aliquod singulare et integrum designat quod de nullo alio praedicatur, et de quo omnia praedicantur quae ad rem pertinent.... Idcirco hypostasis definiri potest: substantia singularis, completa, per se subsistens separatim ab aliis.... *Persona* est hypostasis rationalis.... Celebris quoque

est Boethii definitio: rationalis naturae individua substantia; quae ad priorem revocatur, cum substantia individua idem significet ac substantia singularis et per se existens" (*Egger,* Dogm. spec. 110 sq cum aliis philosophis).

Viva seu *viventia* dicuntur „quaecumque se agunt ad motum vel operationem aliquam; ea vero in quorum natura non est, ut se agant ad aliquem motum vel operationem, viventia dici non possunt" (*S. Thomas,* 1, q. 18, a. 1). Vita tum operationem istam tum principium intrinsecum operationis istius (naturam) significat. Videas Grimmich (Lehrbuch 336 sqq), Stöckl (Grundzüge 271 sqq), Egger (Propaedeutica 362). — Cum Deus infinitus (pag. 418) spiritus simplex sit (pag. 426), cumque „vita spiritus intellegendo volendoque se explicet" (*Hurter,* Compendium II 51), concludamus oportet „Deum verum et *vivum* . . . intellectu ac voluntate infinitum" esse (Vatic., sess. III, cap. 1).

Psalmista (93, 7—10) Dominum intellegere et velle testatur dicens: *Et dixerunt,* וַיֹּאמְרוּ i. e. et dicunt: *Non videbit Dominus:* לֹא יִרְאֶה־יָהּ i. e. non videt Dominus, *nec intelliget* vel potius intellegit *Deus Iacob.* [8] *Intelligite insipientes in populo: et stulti aliquando,* וּכְסִילִים i. e. quando, *sapite.* [9] *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* [10] *Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?* Actus intellectus sunt audire, considerare, scire; actus voluntatis corripere, arguere. Iuxta divinum hoc effatum prius de intellectu, deinde de voluntate Dei loquemur.

I. De intellectu divino.

1. Deus cognoscit omnia exsistentia. *Viditque Deus,* legimus Gn 1, 31, *cuncta quae fecerat.* Ista visio non materialis sed spiritualis (cf. pag. 428) seu cognitio erat qua cuncta quae ad exsistentiam vocaverat comprehendit. — Iob (28, 23 sq) asserit Deum locum sapientiae novisse et viam quae ad eam ducit intellegere: *Ipse enim fines mundi,* לְקְצוֹת־הָאָרֶץ i. e. usque ad fines terrae, *intuetur: et omnia, quae sub caelo sunt, respicit* (ita LXX quoque; in Hebraico pro תַּחַת כָּל־הַשָּׁמַיִם legendum videtur כֹּל תַּחַת הַשָּׁמַיִם, quia alioquin verbum sine obiecto est; cf. *Duhm,* Hiob 136). Secundum fidem pii Iob igitur Deus omnia quae sub caelo exsistunt cognoscit (cf. *Volck,* Hiob 69). — In libro Sapientiae (7, 21; 8, 1) scriptum est: *omnium enim artifex docuit me sapientia,* ἡ γὰρ πάντων τεχνῖτις ἐδίδαξέν με σοφία. . . . *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (pag. 421). Quibus verbis formaliter enuntiantur omnia exsistentia a divina sapientia bene facta (τεχνῖτις) et suaviter disposita; virtualiter enuntiantur omnia ab ea etiam cognita esse, nam qui omnia bene disponit immo omnia bene fecit, omnia bene cognoscat quoque oportet. — Clarissimi loci sequentes sunt: *Domino enim Deo antequam crearentur,*

omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia, πρὶν ἢ κτισθῆναι τὰ πάντα ἔγνωσται αὐτῷ, οὕτως καὶ μετὰ τὸ συντελεσθῆναι (Eccli 23, 29). Sensus patet: *omnia, τὰ πάντα,* Deo cognita sunt, *ἔγνωσται αὐτῷ,* tam priusquam quam postquam ad exsistentiam vocarentur *(πρὶν ἢ κτισθῆναι καὶ μετὰ τὸ συντελεσθῆναι). Opera omnis carnis,* i. e. omnia opera hominum (*Zöckler,* Apokryphen 330) *coram illo, ἐνώπιον αὐτοῦ,* i. e. conspiciuntur ab eo, *et non est quidquam absconditum, καὶ οὐκ ἔστιν κρυβῆναι* i. e. et nihil abscondi potest, *ab oculis eius* (Eccli 39, 24), ergo ipse omnia scit.

Similis videtur Ib 13, 9: *Aut placebit ei quem celare nihil potest.* At Hieronymus non accurate vertit; in Hebraico enim quocum LXX et Itala conveniunt legimus: „num bonum (i. e. vobisne proderit), si vos exploraverit? i. e. inquirit cordium arcana; videt contentione et temeritate atque iudicii praecipitantia male vos in me animatos talia loqui" (*Knabenbauer,* Iob 182). Videas pag. 370.

2. Deus cognoscit conditionate futura. *Ecce, unus est populus, et unum labium omnibus,* dixit Dominus (Gn 11, 6 sq): *coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant;* iuxta Hebraicum autem: et hoc est initium faciendi, et nunc non praeclusum erit ab eis omne quod cogitaverint facere (Comment. 207). [7]*Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum.* Dominus indicat, quid confusione linguarum peracta aut omissa futurum sit. — *Sed ego scio quod non dimittet vos rex Aegypti ut eatis nisi* (pro וְלֹא legendum est cum LXX et Vulgata אִם לֹא; cf. *Kittel,* Biblia Hebraica) *per manum validam,* i. e. per poenas graves a me ei inflictas (Ex 3, 19). *Si non crediderint, inquit, tibi neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis* (Ex 4, 8). Etiam his in locis Dominus Moysi praedixit, quid Pharao, quidque Israelitae conditione quadam posita facturi essent. Cf. et Dt 7, 3 sq. — Notissimus est locus ab omnibus citatus (1 Rg 23, 11 sq): *si* vel an *descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David: Si* vel an *tradent me viri Ceilae, et viros qui sunt mecum, in manus Saul? et dixit Dominus: Tradent.* His responsis Dominus Davidi interroganti manifestavit formaliter quid futurum esset, si in Ceila maneret; virtualiter quid fieret, si de Ceila egrederetur. Reapse Saul Davide de Ceila egresso ad urbem non descendit nec Davidem traditum accepit (v. 13). *Et dixit Ieremias ad Sedeciam: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas haec non succendetur igni: et salvus*

eris tu, et domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas haec in manus Chaldaeorum, et succendent eam igni: et tu non effugies de manu eorum etc. (Ir 38, 17 sq). Eventus monstravit Dominum haec conditionate futura accurate cognovisse (cf. pag. 289). — Deum conditionate futura scire in iucundis demum verbis exprimitur: *raptus est, ἡρπάγη,* scil. iustus morte praeoccupatus (v. 7), *ne malitia mutaret, ἀλλάξῃ, intellectum, σύνεσιν, eius, aut ne fictio, δόλος, deciperet, ἀπατήσῃ, animam illius* (Sap 4, 11).

3. Deus cognoscit simpliciter futura. *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quae gesturus sum:* [18]*cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et BENEDICENDAE sint in illo omnes nationes terrae?* (Gn 18, 17 sq). Et apud Isaiam (46, 9 sq): *ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei:* [10]*Annuncians ab exordio,* בְּרֵאשִׁית, *novissimum,* אַחֲרִית i. e. exitum, *et ab initio,* יְמִקֶּדֶם i. e. et a prisco tempore, *quae necdum facta sunt* vel erant. Ambo loci ostendunt Dominum simpliciter futura cognoscere. Videas etiam Is 44, 7; Ir 1, 5; Dn 13, 42 (Susanna loquitur); Eccli 23, 29 (cf. pag. 433).

4. Deus cognoscit libere futura. *Sed ego scio,* ait Dominus, *quod non dimittet vos rex Aegypti, ut eatis nisi per manum validam* (Ex 3, 19). Cf. Dt 31, 20. Alios locos omittimus, nam hic valet illud Tertulliani (Contra Marc. 2, 5): „De praescientia vero quid dicam? Quae tantos habet testes quantos fecit prophetas.“ Videas n. 5 sequentem.

In Vulgata (cf. pag. 370) vim probandi habere videntur illa verba quae Deus de Abraham dixit: *Scio enim quod praecepturus sit filiis suis, et domui suae post se ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium et iustitiam* (Gn 18, 19). Attamen in Hebraico non legimus *Scio enim quod* sed כִּי יְדַעְתִּיו לְמַעַן אֲשֶׁר i. e. nam cognovi eum seu coniunctus sum cum eo propterea ut *praecepturus sit* etc. (Comment. 289 sq): ergo Deus non de cognitione futurorum loquitur.

5. Deus cognoscit corda et renes i. e. cogitationes, voluntates, affectus hominum. De populo Israel Dominus asseruit (Dt 31, 21): *Scio enim cogitationes eius, quae facturus sit hodie,* כִּי יָדַעְתִּי אֶת־יִצְרוֹ אֲשֶׁר הוּא עֹשֶׂה הַיּוֹם i. e. nam scio cogitationem eius quam ipse habet hodie. — Psalmista testatur: *scrutans corda,* לִבּוֹת, *et renes,* וּכְלָיוֹת, est *Deus,* אֱלֹהִים צַדִּיק i. e. Deus iustus (Ps 7, 10); LXX et Vulgata צַדִּיק ad sequentia trahunt. *Corda et renes* intima hominum significant (*Gesenius,* Thesaurus); cor est sedes intellectus et voluntatis, renes sunt sedes affectuum (*Thalhofer,* Psalmen 79; cf. et *Keßler,* Psalmen 14): ergo Deus etiam intimas cogitationes, volun-

tates, affectus *scrutatur* seu explorat, בֹּחֵן. Haec sententia Ir 11, 20; 12, 3; 17, 10; 20, 12 repetitur. — *Domine,* אֲדֹנָי, *ante te* patens est *omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus* (Ps 37, 10); *ipse enim novit abscondita cordis* (Ps 43, 22). Si *cor* et *renes* coniunguntur, cor sedem cogitationum et voluntatum significat, uti mox scripsimus; si autem *cor,* לֵב, solum ponitur, etiam sedem affectuum notat (cf. *Buhl,* Handwörterbuch; *Mandelkern,* Concordantiae). *Abscondita* igitur *cordis* recte cogitationes, voluntates, affectus interpretamur quos Deus notos habet. — *Domine probasti me, et cognovisti me* vel potius ex Hebraico probas me, et cognoscis me.... [3] *Intellexisti,* בַּנְתָּה i. e. intellegis, *cogitationes meas,* לְרֵעִי i. e. cogitationem meam, *de longe,* מֵרָחוֹק i. e. ex longinquo (Ps 138, 1 3). Vocabulum Aramaicum רֵעַ (praepositum לְ usu Aramaico obiectum inducit; cf. *Kautzsch,* Grammatik des Biblisch-Aramäischen 127) non solum cogitationem sed simul etiam voluntatem significat, ut iam interpretes Iudaei notarunt (*Baethgen,* Psalmen 405): has cogitationes et voluntates Dominus hominem probans et cognoscens (v. 1) ex longinquo i. e. *de excelso caelorum habitaculo* (Dt 26, 15; Is 63, 15; Bar 2, 16; coll. Ps 137, 6; 32, 13 sq; cf. et *Thalhofer,* Psalmen 760) intellegit. Rationem autem cur Deus cogitationes hominum cognoscat, Ps 93, 11 manifestat: *Dominus scit,* יֹדֵעַ, *cogitationes,* מַחְשְׁבוֹת, *hominum, quoniam vanae sunt,* כִּי־הֵמָּה הָבֶל i. e. quia ipsi halitus sunt. Homines cum Deo comparati halitus, vanitas, quasi nihil sunt (Ps 38, 6; pag. 388); ergo cogitationes et consilia eorum a Deo facile percipi possunt (*Thalhofer,* Psalmen 548; *Baethgen,* Psalmen 287).

Prv 15, 11: *Infernus,* שְׁאוֹל, *et perditio,* וַאֲבַדּוֹן i. e. et locus perditionis (cf. Exegeticam 9), patentes sunt *coram Domino: quanto magis corda,* לִבּוֹת, *filiorum hominum?* Orcus et tartarus hominibus omnino absconditi sunt, corda vero hominum etiam nobis nonnumquam patent: quanto magis ergo corda hominum Domino patere debent, cui ne infernus quidem absconditus est (cf. Iob 28, 14 sqq 21 sqq; *Frankenberg,* Sprüche 92; *Strack,* Sprüche 54). Prv 24, 12: *Si dixeris: Vires non suppetunt* videlicet ad eruendum et liberandum (v. 11; cf. *Frankenberg,* Sprüche 136; alii cum textu Masorethico: ecce nescivimus hoc scil. aliquos ad mortem duci et ad interitum trahi, v. 11): *qui inspector est cordis,* הֲלֹא־הוּא לִבּוֹת i. e. nonne explorans corda, *ipse intelligit,* הוּא־יָבִין, *et servatorem animae tuae nihil fallit,* וְנֹצֵר נַפְשְׁךָ הוּא יֵדָע i. e. et observans animam tuam ipse scit, nimirum utrum excusatio tua (v. 11) vera sit necne, *reddet-*

que homini iuxta opera sua, כְּפָעֳלוֹ i. e. iuxta opus suum. In hac interrogatione scriptor inspiratus certum supponit Deum abscondita cordis (pag. 434) et *animae* i. e. principii vitae (pag. 432) explorata ac perspecta habere. Similiter Prv 16, 2; 21, 2. — Ad Samuelem Deus dixit (1 Rg 16, 7): *homo enim videt ea quae parent,* יִרְאֶה לָעֵינַיִם i. e. videt in oculos, *ὄψεται εἰς πρόσωπον*, *Dominus autem intuetur cor,* יִרְאֶה לַלֵּבָב i. e. *ὄψεται εἰς καρδίαν·* qua assertione virtualiter continetur corda hominum ante Dominum aperta esse. — Pulchre eadem veritas Sap 1, 6 sq describitur: *Benignus est enim spiritus sapientiae, φιλάνθρωπον γὰρ πνεῦμα σοφία* (*σοφίας* habet codex A), *et non liberabit maledicum, καὶ οὐκ ἀθῳώσει* i. e. impunem reddet, *βλάσφημον*, *a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, καὶ τῆς καρδίας αὐτοῦ ἐπίσκοπος ἀληθής, et linguae eius auditor.* [7] *Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis* (cf. pag. 421). Sensus est: quia Dominus omnia continet ac replet, omnia verba oris, omnes cogitationes et voluntates cordis, omnes affectus renum cognitos habet; quia hominibus amicus est, conviciatores puniet.

Deum corda hominum cognoscere tam David (1 Par 28, 9; 29, 17) quam Salomon (3 Rg 8, 39; 2 Par 6, 30) professus est; etiam in verbis Iob (13, 9; cf. pag. 433) haec veritas latet. — Ib 42, 2 *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio* eundem sensum habere videtur; at in Hebraico, quocum LXX et Itala conveniunt, legimus וְלֹא־יִבָּצֵר מִמְּךָ מְזִמָּה i. e. et non praeclusum est tibi consilium; „nemo unquam Deum prohibere potest vel impedire, quominus consilia sua exsequatur“ (*Knabenbauer*, Iob 462). Videas quae pag. 370 dicta sunt. — Eccli 16, 20[b] *et omne cor intelligitur ab illo* scil. Deo iuxta Vulgatam vim probandi habet; at in textu Hebraico et Graeco haec verba desunt, quare in theologia biblica melius omittuntur (cf. pag. 370 396; Bibelkritik 83).

6. Deus cognoscit omnia opera hominum. Audiamus Psalmistam: *De caelo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.* [14] *De praeparato habitaculo suo,* מִמְּכוֹן־שִׁבְתּוֹ i. e. de loco habitationis suae, *respexit super omnes, qui habitant terram.* [15] *Qui finxit sigillatim* (= singillatim, singulatim; cf. *Hoberg*, Psalmen 109), יַחַד i. e. coniunctim seu omnia ad unum (*Keßler*, Psalmen 71), *corda eorum* ideoque omnia perspecta habet (pag. 435): *qui intelligit,* הַמֵּבִין, *omnia opera eorum,* אֶל־כָּל־מַעֲשֵׂיהֶם (Ps 32, 13—15). Hic formaliter exprimitur Deum omnia hominum opera cognoscere, quod in Ps 138, 1 sqq per partes docetur. *Domine probasti* vel potius (ex usu linguae Hebraeae) probas *me, et cognovisti* vel cognoscis *me* (pag. 435): [2] *tu cognovisti* vel cognoscis *sessionem meam,* שִׁבְתִּי i. e. sedere meum, *et resurrectionem meam,* וְקִימִי i. e. surgere

meum. [3]*Intellexisti* vel intellegis *cogitationes meas de longe* (pag. 435): *semitam meam, et funiculum meum,* אָרְחִי וְרִבְעִי i. e. ire meum et cumbere meum *investigasti,* זֵרִיתָ i. e. exploras (conferas 4 Rg 19, 27). [4]*Et omnes vias meas praevidisti,* הִסְכַּנְתָּה i. e. cognitas habes: *quia non est sermo in lingua mea.* [5]*Ecce Domine tu cognovisti omnia,* כִּי אֵין מִלָּה בִלְשׁוֹנִי הֵן יְהוָה יָדַעְתָּ כֻלָּהּ i. e. quia non est verbum in lingua mea, ecce Domine (iam) cognoscis totum illum; *novissima, et antiqua: tu formasti me,* אָחוֹר וָקֶדֶם צַרְתָּנִי i. e. retro et ante coarctas me, *et posuisti,* vel ponis *super me manum tuam,* ita ut oculos tuos effugere nequeam (cf. Ib 13, 21; *Thalhofer,* Psalmen 761: *Wolter,* Psallite V 313; *Baethgen,* Psalmen 405; *Duhm,* Psalmen 286). [6]*Mirabilis facta est scientia tua* etc. (pag. 416). [7]*Quo ibo a spiritu tuo?* etc. (pag. 420). [11]*Et dixi: Forsitan tenebrae conculcabunt me* (alii emendant וְיָשׁוּפֵנִי) וָאֹמַר אַךְ־חֹשֶׁךְ יְשׁוּפֵנִי i. e. et si dixero: prorsus tenebrae inhient mihi (alii: operiant me): *et nox illuminatio mea in deliciis meis,* וְלַיְלָה אוֹר בַּעֲדֵנִי i. e. et nox sit (in noctem vertatur) lux circum me (*Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 299). [12]*Quia tenebrae non obscurabuntur a te,* גַּם־חֹשֶׁךְ לֹא־יַחְשִׁיךְ מִמֶּךָּ i. e. etiam tenebrae non caligo fierent pro te, *et nox sicut dies illuminabitur,* וְלַיְלָה כַּיּוֹם יָאִיר i. e. lucem praeberet. In Hebraico additur כַּחֲשֵׁיכָהּ כָּאוֹרָהּ i. e. ita tenebrae sicut lux, scil. pro te; sed verba a Baethgen, Duhm, Keßler glossa declarantur. Sensus horum versuum est: Deus omnes actus hominis exploratos et perspectos habet, cogitationes et verba, sedere et surgere, ire et cumbere totamque vitae rationem *(omnes vias meas);* semper hominem in conspectu suo habet, in quolibet loco eum videt, etiam tenebris involutum ut luce circumfusum conspiceret. Videas Baethgen, Duhm, Keßler, Thalhofer, Wolter.

Illa ארחי ורבעי i. e. ire meum et cumbere meum LXX reddiderunt τὴν τρίβον μου (viam vel ambulationem meam) καὶ τὴν σχοῖνόν μου (stratum ex iuncis factum vel accubitionem meam); interpres Latinus τρίβον *semitam* et σχοῖνον *funiculum* ex iuncis factum intellexit (cf. *Thalhofer,* Psalmen 760; *Wolter,* Psallite V 312; *Passow,* Handwörterbuch). — Illud בעדני ex בְּעַד *circum* et suffixo נִי *me* compositum est, ut philologi (e. g. Buhl, Gesenius-Kautzsch) asserunt et contextus innuit; interpres Graecus (ἐν τῇ τρυφῇ μου) et Latinus *(in deliciis meis)* illud ex בְּ *in* atque עֶדֶן, in plurali עֲדָנִים *voluptates, deliciae* compositum putarunt ac sensu malo accipiebant (*Thalhofer,* Psalmen 762). — Versus 4 sq in LXX et Vulgata nec bene distinctos nec bene translatos esse non solum acatholici verum etiam catholicus Wolter (Psallite V 312 sq) agnoscit atque contextus orationis demonstrat.

Versus antecedentes, ut alii quoque loci iam allati necnon afferendi, manifestant quam merito Leo XIII asseruerit: „si quid ambigue si quid minus accurate inibi (in Vulgata) elatum sit, inspectio praecedentis linguae ... proficiet“ (pag. 370). Simul etiam desiderium excitant, ut Sedes Apostolica versionem Latinam textui originali in quibusdam saltem partibus magis accommodare itaque clariorem reddere dignetur.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP X, fautor studiorum biblicorum secundum principia catholica conformatorum, die 30 Aprilis 1907 (videas *L'Osservatore Romano*, 26 Maii 1907) Ordini S. Benedicti laborem difficillimum (lavoro molto complesso . . . difficile impresa) commisit continuandae collectionis omnium variantium Vulgatae in manuscriptis Vulgatae et operibus Patrum latentium (più diligente e compiuta raccolta delle varianti di essa Volgata che si trovano sia nei codici, sia negli scritti dei Padri) quam celeberrimus Barnabita Carolus Vercellone (l'illustre ed infaticabile P. Vercellone barnabita) inchoavit et usque ad 4 Rg 25, 30 perduxit atque Romae 1860—1864 apud Spithöver duobus tomis folii minoris divulgavit, ut absoluta hac collectione *editio emendatissima Vulgatae Latinae* (una edizione emendatissima della Volgata latina) in lucem edi posset. Qua occasione sapientiae Sedis Apostolicae forsitan tempori critico congruens videbitur illas emendationes textus Latini perficere quae aetate S. Hieronymi omittendae erant ob circumstantias historicas quae hodie non amplius exsistunt.

In Proverbiis quoque et libro Ieremiae homo monetur Deum omnia opera hominum videre. Prv 5, 21: *Respicit Dominus vias hominis,* כִּי נֹכַח עֵינֵי יְהוָה דַּרְכֵי־אִישׁ i. e. nam oppositae oculis (i. e. apertae; cf. Ir 17, 16; *Wildeboer,* Sprüche 16) Domini sunt viae hominis, *et omnes gressus eius considerat, σκοπεύει* (textus Hebraicus incertus est; cf. *Frankenberg,* Sprüche 44). Haec sententia Ib 31, 4; 34, 21 repetitur. — Ir 23, 23 sq: *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longe?* (pag. 421). [24] *Si* (an) *occultabitur vir in absconditis* locis: *et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* (pag. 421).

Haec veritas in pluribus locis libri Ecclesiastici traditur. Eccli 15, 19 sq *quoniam multa sapientia Dei, κυρίου, et fortis* Dominus *in potentia, videns omnes sine intermissione, καὶ βλέπων τὰ πάντα* scil. opera hominum (cf. vv. 11—18; *Knabenbauer,* Ecclesiasticus 184) . . . *et ipse agnoscit omnem operam hominis,* כָּל־מַעֲשֵׂהוּ אִישׁ i. e. *πᾶν ἔργον ἀνθρώπου.* — Eccli 17, 13 16: *Viae illorum* (cf. pag. 437) *coram ipso sunt semper, non sunt absconsae, οὐ κρυβήσονται, ab oculis ipsius.* [16] *Et omnia opera, ἅπαντα τὰ ἔργα, illorum velut sol in conspectu Dei, ἐναντίον αὐτοῦ·* „tam lucida et clara sicut sol omnia opera coram Deo exsistunt; adeo ei singula sunt manifesta, uti sol manifestus est nobis" (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 199): *et oculi eius sine intermissione inspicientes* (in Graeco *inspicientes* deest quidem sed subintellegendum est) *in viis eorum, ἐπὶ τὰς ὁδοὺς αὐτῶν* (cf. pag. 437). — Eccli 23, 28: *et non cognovit* homo peccans (v. 25 sq), *quoniam oculi Domini multo plus, μυριοπλασίως* i. e. decies millies, *lucidiores sunt super solem, ἡλίου φωτεινότεροι, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et ho-*

minum corda (ultima sex verba in Graeco desunt) *intuentes in absconditas partes.* Eccli 39, 24 pag. 433 citavimus. — Eccli 42, 18 20: *Abyssum, et cor hominum investigavit* (cf. pag. 435): *et in astutia eorum excogitavit, καὶ ἐν πανουργεύμασιν αὐτῶν διενοήθην* i. e. et callide facta (*Passow,* Handwörterbuch) eorum cogitavit, וּבְכָל־מַעֲרוּמֵיהֶם יִתְבּוֹנָן i. e. et omnia nuda (= defectus, *Knabenbauer,* Ecclesiasticus 418) eorum cognoscit. [20] *Non praeterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo.* — Ergo iuxta doctrinam Iesu Sirach cogitationes, verba, opera hominis Deo patent, quam fidem Daniel (Dn 2, 22) et Susanna (Dn 13, 42) professi sunt.

7. Deus cognoscit bona ac mala opera hominum. Psalmista enim docet (Ps 10, 5 sq): *Oculi eius* (Domini) *in pauperem* (haec duo verba in Hebraico nunc desunt sed supplenda videntur) *respiciunt: palpebrae eius interrogant,* יִבְחֲנוּ i. e. examinant *filios hominum.* [6] *Dominus interrogat,* יִבְחָן i. e. examinat, *iustum et impium* vel iniustum, צַדִּיק וְרָשָׁע (ordo verborum textus Hebraici ad LXX, Vulgatam, Aquilam conformandus est; cf. *Baethgen,* Psalmen 31; *Duhm,* Psalmen 35). — *Deus tu scis insipientiam* vel iniustitiam (cf. *Buhl,* Handwörterbuch ad אִוֶּלֶת) *meam: et delicta mea a te non sunt abscondita* (Ps 68, 6). — *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo,* לְנֶגְדֶּךָ: *saeculum nostrum,* עֲלֻמֵנוּ i. e. occulta nostra (scil. peccata; cf. Ps 43, 22; *Baethgen,* Psalmen 278; *Thalhofer,* Psalmen 528; attendas ad parallelismum quoque) *in illuminatione vultus tui,* לִמְאוֹר פָּנֶיךָ i. e. in lucem faciei tuae (Ps 89, 8). Ergo etiam peccata hominum, immo occulta eorum in luce scientiae divinae ponuntur. Similes sententias Sophar (Ib 11, 11) atque Eliu (Ib 34, 22) pronuntiarunt (cf. pag. 226).

Sapiens (Prv 15, 3) testatur: *In omni loco oculi Domini* (cf. pag. 428) *contemplantur,* צֹפוֹת i. e. speculantes sunt, *bonos et malos.* — Apud Osee (7, 2) Dominus de peccatoribus populi Israel dicit: *Et ne forte dicant in cordibus suis,* וּבַל־יֹאמְרוּ לִלְבָבָם i. e. et non dicunt ad cor suum, *omnem malitiam eorum me recordatum,* כֹּל־רָעָתָם זָכָרְתִּי i. e. omnis malitiae eorum recordor (oratio directa pro indirecta in Hebraico frequens est): *nunc circumdederunt eos* ut testes accusantes *adinventiones suae,* מַעַלְלֵיהֶם i. e. facinora eorum, *coram facie mea factae sunt,* נֶגֶד פָּנַי הָיוּ i. e. coram facie mea sunt (cf. *Orelli,* Hosea 23; *Knabenbauer,* Oseas 94). *Quia oculi mei,* ait Dominus (Ir 16, 17), sunt *super omnes vias eorum,* i. e. derelinquentium Dominum (v. 11 sq): *non sunt absconditae a facie mea, et non fuit* vel potius non est *occultata iniquitas eorum ab oculis meis.*

Diffuse haec veritas Sap 1, 8—11 exponitur: *Propter hoc* (quia spiritus Domini omnia replet et continet, v. 7) *qui loquitur iniqua, non potest latere, φθεγγόμενος ἄδικα οὐδεὶς μὴ λάθῃ, nec praeteriet illum corripiens iudicium, ἐλέγχουσα ἡ δίκη.* [9] *In cogitationibus* vel conspirationibus, *διαβουλίοις, enim impii interrogatio, ἐξέτασις* i. e. exploratio, *erit: sermonum autem illius auditio, ἀκοή, ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.* [10] *Quoniam auris zeli* i. e. auris Dei zelantis (*Zöckler,* Apokryphen 362) *audit omnia, et tumultus murmurationum, καὶ θροῦς γογγυσμῶν* i. e. et fremitus murmurationum (*Biel,* Thesaurus philologicus) *non abscondetur.* [11] *Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest, φυλάξασθε τοίνυν γογγυσμὸν ἀνωφελῆ, et a detractione parcite linguae, quoniam sermo obscurus, φθέγμα λαθραῖον* i. e. vox occulta, *in vacuum non ibit* i. e. impunita non manebit (*Zöckler,* Apokryphen 362). — In Eccli 17, 17 dicitur: *Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, οὐκ ἐκρύβησαν αἱ ἀδικίαι αὐτῶν ἀπ᾽ αὐτοῦ* i. e. non absconduntur iniquitates eorum (hominum) ab eo, *et omnes iniquitates, ἁμαρτίαι, eorum in conspectu Dei, ἔναντι κυρίου.* — Eccli 42, 18 pag. 439 et Prv 15, 11 pag. 435 citavimus.

Quomodo Deus malum, quod privatio boni est, cognoscat S. Thomas (1, q. 14, a. 10) exponit. „Sunt autem quaedam bona, inquit, quibus accidere potest ut per mala corrumpantur, unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile unumquodque, secundum quod est; unde cum hoc sit *esse mali* quod est privatio boni: per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae."

Itaque Deus iustos et iniustos cognoscit: in iustis sibi complacens eosque beneficiis cumulans; in iniustis sibi displicens eosque puniens. En Ps 33, 16 sq: *Oculi Domini super iustos: et aures eius in preces eorum,* ut eos exaudiat, liberet, speciali sua praesentia (cf. pag. 423) confortet (v. 18 sqq). [17] *Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.* Similiter Ps 1, 6: *Quoniam novit Dominus viam,* דֶּרֶךְ (cf. pag. 437) *iustorum: et iter,* וְדֶרֶךְ, *impiorum* seu iniustorum *peribit.* In bono sensu Deus homines cognoscere dicitur etiam Dt 2, 7; Ps 36, 18; Nah 1, 7 etc.; in malo sensu Ir 21, 10; 44, 11 etc. — Ex 33, 12 17: *Novi te,* o Moyses, *ex nomine, et invenisti gratiam coram me* a Deo per anthropomorphismum dictum est; „locutio desumpta a principibus qui non omnes suos cives, sed paucos dumtaxat norunt, qui ad interiorem familiaritatem admitti et apud eos gratiosi esse solent" (*Strack,* Exodus 270: similiter *Hummelauer,* Exodus 325 sq).

8. Deus cognoscit res minimas et maximas. Etenim Ps 49, 11: *Cognovi omnia volatilia caeli* (עֹף, ita Graecus et Syrus textus quoque; Masorethicus habet הָרִים *montium*), ait Dominus: *et pulchritudo agri mecum est,* וְזִיז שָׂדַי עִמָּדִי i. e. et bestiae agri mecum sunt i. e. mihi praesentes (*Baethgen,* Psalmen 144; *Thalhofer,* Psalmen 308). Ps 146, 4: *Qui numerat multitudinem stellarum,* מוֹנֶה מִסְפָּר לַכּוֹכָבִים i. e. qui constituit numerum stellis: *et omnibus eis nomina vocat.* Ergo Deus astra caeli, quibus singulis nomina dedit et numerum determinavit, necnon aves montium et bestias vallium cognoscit. — Videas et Ib 26, 6 similemque sententiam pag. 435 allatam.

Ab antiquioribus etiam Eccli 1, 2 sq adducitur ubi hagiographus interrogat: *Arenam maris,* θαλασσῶν, *et pluviae guttas, et dies saeculi quis dinumeravit? Altitudinem caeli, et latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?* [3] *Sapientiam Dei praecedentem omnia quis investigavit?* (Loco ultimorum duodecim verborum in Graeco haec tantum legimus: καὶ ἄβυσσον καὶ σοφίαν τίς ἐξιχνιάσει; quam lectionem Knabenbauer [Ecclesiasticus 46] probabiliorem iudicat; reapse v. 3 Vulgatae ex v. 2 et 4 concinnatus videtur. Videas pag. 437.) Sed hagiographus istis verbis non asserit sapientiae divinae *arenam maris* etc. notam esse; asserit e contrario hominem ad notitiam perfectam operum Dei et ad sapientiam plenam pervenire non posse (cf. *Knabenbauer,* Ecclesiasticus 46; *Zöckler,* Apokryphen 262; inspicias contextum versuum 1—10).

9. Deus cognoscit omnia omnino, praeterita et futura. Cognoscit omnia; nam intellegentiae eius non est finis (Ps 146, 5; cf. pag. 418), ipse *scit universa, ὁ εἰδὼς τὰ πάντα* (Bar 3, 32) et habet iuxta fidem Esther *omnium scientiam, πάντων γνῶσιν* (Esth 14, 14). *Cognovit enim Dominus omnem scientiam, πᾶσαν εἴδησιν, et inspexit in signum aevi, εἰς σημεῖον αἰῶνος* „indicia quibus res futurae praesignantur“ (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 418), *annuncians quae praeterierunt, et quae superventura sunt, revelans vestigia occultorum, ἴχνη ἀποκρύφων* (Eccli 42, 19) „quae occultissima sunt.... Tali scientia solum Deum verum esse praeditum etiam Isaias contra idololatras probavit (Is 41, 22 sq; 43, 9).“ Ita Knabenbauer (l. c.). — Deum praeterita et futura scire praeter hunc locum etiam Eccli 39, 25 clare enuntiatur: *A saeculo usque in saeculum, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος εἰς τὸν αἰῶνα* (cf. pag. 391) *respicit, ἐπέβλεψεν·* „Neque praesentia solum clarissime perspicit, scribit Knabenbauer (Ecclesiasticus 393), verum praeterita quoque omnia et quae per totam aeternitatem futura sunt continuo intuetur“; *et nihil est mirabile in conspectu eius,* quia omnia perfecte cognoscit: miramur enim id cuius causam ignoramus (cf. *S. Thomas,* De pot. q. 6, a. 2).

Ps 138, 5 *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima et antiqua* in theologia biblica melius omittuntur (pag. 370 sq), quia verba in textu originali alium habent sensum (cf. pag. 437). Etiam Sap 8, 8: *scit praeterita, et de futuris aestimat* sapientia, non multum probat, quia in Graeco οἶδεν τὰ ἀρχαῖα καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζειν i. e. „novit praeterita et futura conicere" (*Biel,* Thesaurus philologicus) dumtaxat reperimus. Conferas pag. 396 notata.

Stade cum multis aliis rationalistis concedit quidem Iahve omniscium cogitatum fuisse „quatenus fides religiosa huius ideae (Gedankens) indiget" (*Stade,* Theologie 80), quatenus populus illi „scientiam quarumlibet (alle möglichen) occultarum et futurarum rerum tribuebat" (*Stade,* Theologie 87); negat tamen Iahve sensu stricto omniscium fuisse (*Stade,* Theologie 80). Rationes autem ob quas rationalistae recentiores Iahve omniscientiam denegant, tres sequentes sunt. Prima: Iahve non omniscius repraesentatur, quia hoc tunc tantum possibile esset, si ut Deus universi repraesentaretur quod non accidit (*Stade,* Theologie 86 coll. 80 sqq). Retorquemus latentem hunc syllogismum. Si Iahve Deus universi esset, omniscius esse posset; atqui Iahve reapse Deus universi est (pag. 408 sqq): ergo Iahve omniscius esse potest — immo debet, quemadmodum pag. 432 ostendimus. Altera: Iahve iuxta Gn 18, 21 Sodomam *descendere* debuit ut sciret, utrum clamor qui ad eum pervenerat, verus esset an non (*Stade,* Theologie 87); item iuxta Gn 11, 5 de caelo in terram Sennaar *descendere* debuit ut videret civitatem et turrim (*Gunkel,* Genesis 88); Giezi iuxta 4 Rg 5, 24 Eliseo prophetae Domini *abscondere* volebat quae fecerat: ergo Iahve sensu stricto non omniscius repraesentabatur. Respondemus: quid Giezi quidque Sara se risisse negans (cf. Gn 18, 15) cogitaverit, ad rem non pertinet; quaerimus potius quid scriptores inspirati atque Deus inspirans dixerint. Deus autem tum Saram tum Giezi (per Eliseum) redarguit seque acta occulta et interna scire monstravit, ut in iisdem locis narratur. Illi loci autem in quibus Iahve descendisse scribitur ut videret et sciret, iuxta principia catholica ita explicandi sunt ut aliis locis eiusdem Scripturae inspiratae non contradicant (videas pag. 416). Atqui plurimi loci clarissime enuntiant Iahve tam omnipraesentem (pag. 420) quam omniscium (pag. 432) esse. Ergo illud *descendit ut videret* sensu improprio seu anthropopathice (pag. 428) explicandum est, quia alioquin Deus inspirans sibi ipse contradiceret, quod impossibile est (pag. 409). In ista locutione anthropopathismum latere Stade (Theologie 87) nolens volens confitetur; sensus autem est: „Deus exacte, serio, lente et mature inspexit et consideravit...

perinde ac si e caelo in terram Sennaar descendisset, uti faceret homo" (*Lapide,* ad Gn 11, 5, ex S. Augustino). Tertia: Iahve iuxta Gn 3, 8 sqq nescivit peccatum Adae et Evae quod casu detexit; nescivit latibulum eorum ideoque eos vocavit; nescivit quomodo peccatum patratum fuerit, quare in Adam et Evam inquisivit. Iam pag. 408 diximus, et protestans Oehler (Theologie 158) quoque profitetur in prioribus Genesis capitibus Iahve ut Deum totius universi, ut creatorem et dominum absolutum caeli et terrae omniumque quae in iis sunt proponi; qua talis vero omnia scire debet (pag. 436): ergo isti loci omniscientiam Domini negare nequeunt, quia alioquin scriptor inspiratus et Deus inspirans sibi contradicerent (pag. 416). Et revera, Dominum peccatum protoparentum casu detexisse, latibulum eorum et modum peccandi nescisse hagiographus nullo vocabulo innuit, sed Gunkel sine ullo argumento in textum imponit. Interrogare posse non solum nescientem verum etiam scientem, non solum ignorantem sed etiam increpantem experientia testatur et Holzinger (ad Gn 3, 9) cum S. Augustino contra Gunkel retinet. Deum protoparentes interrogasse ut explicitam peccati commissi confessionem eliceret, Dillmann et Strack protestantes ad Gn 3, 11 asserunt (cf. Comment. 73). Nulla igitur ex tribus hisce rationibus vim probandi habet.

Breviter illas quoque rationes discutiamus quibus innixi antiquiores quidam omniscientiam Dei negarunt, nimirum: Dominus recordari (e. g. Gn 8, 1; 9, 15; Thren 5, 1) et oblivisci (e. g. Ps 12, 1; 41, 10; Is 49, 14 sq) scribitur. Has phrases anthropopathicas esse illi loci commonstrant qui Dominum omniscium proclamant (pag. 432). Quia effectus talis est ac si Deus alicuius oblitus aut recordatus esset, per anthropopathismum oblivio aut recordatio ei ascribitur (cf. pag. 397). — Saepius in Sacra Scriptura adverbium *forte* ita adhibetur, ut omniscientiam Dei excludere videatur, e. g. Gn 3, 22: *ne forte mittat manum suam* Adam, *et sumat etiam de ligno vitae* etc.; Ez 2, 4 sq: *Haec dicit Dominus Deus:* 5 *Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant* etc.; Ir 26, 2 sq: *Haec dicit Dominus: . . . si forte audiant et convertantur.* At textus Hebraicus habet in primo loco פֶּן = *ne* (sine *forte*), in secundo אִם . . . וְאִם = *sive . . . sive* (sine *forte*), in tertio אוּלַי quod *forsitan* significare potest. Sed iam S. Hieronymus (In Ir 26, 3) notavit hanc locutionem anthropopathicam esse. „Verbum ambiguum *forsitan* maiestati Domini non potest convenire, inquit, sed nostro loquitur affectu ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex praescientia eius quasi necessitate vel facere quid vel non facere cogatur."

II. De voluntate divina.

1. Deus bonus seu benignus est, i. e. pronus ad bona largienda. — Philosophi (*Gutberlet,* Theodicee 207; cf. et *Hagemann,* Metaphysik 206; *Stöckl,* Grundzüge 202) triplicem bonitatem divinam distinguunt: bonitatem essentialem vel absolutam quae est

ipsa Dei essentia (pag. 387), nam „bonum et ens convertuntur“ (*Stöckl,* Grundzüge 202, aliique philosophi); bonitatem moralem quae idem est ac sanctitas Dei (vide num. 4); bonitatem relativam quae est propensio voluntatis ad bona largienda, nam „bonum est diffusivum sui“ (*Gutberlet,* Metaphysik 51, aliique philosophi). Bonitas relativa quam hic tractamus, proprio nomine benignitas vocatur (cf. *Gutberlet,* Metaphysik 51).

Deus *bonus,* טוֹב, appellatur חַנּוּן *favens,* quatenus bona ex gratia seu favore, חֵן, largitur; Deus *caritatis,* חֶסֶד, quatenus bona ex caritate diffundit; *misericors,* רַחוּם, quatenus donis suis miseros sublevat; *longanimis* vel *patiens,* אֶרֶךְ אַפַּיִם i. e. tardus ad iram, quatenus punitionem peccatorum differt eorumque conversionem exspectat; *indulgens,* quatenus poenitentibus peccata dimittit. Varias has formas eiusdem bonitatis divinae Deus ipse ante Moysen transiens una sententia comprehendit. Legimus enim Ex 34, 6 sq: *Quo transeunte coram eo, ait,* וַיַּעֲבֹר יְהוָה עַל־פָּנָיו וַיִּקְרָא i. e. *καὶ παρῆλθεν κύριος πρὸ προσώπου αὐτοῦ καὶ ἐκάλεσεν,* videlicet ipse Dominus transiens, ut Moyses Nm 14, 17 testatur et interpretes communiter sentiunt: *Dominator Domine Deus,* יְהוָה יְהוָה אֵל, *misericors et clemens,* רַחוּם וְחַנּוּן, *patiens et multae miserationis,* אֶרֶךְ אַפַּיִם וְרַב־חֶסֶד, *ac verax,* וֶאֱמֶת i. e. fidelis, *qui custodis misericordiam,* נֹצֵר חֶסֶד i. e. custodiens caritatem *in millia* i. e. „in mille generationes“ (*Hummelauer,* Exodus 330): *qui aufers,* נֹשֵׂא i. e. auferens, *iniquitatem, et scelera, atque peccata* i. e. „omnis generis iniquitatem“ (*Hummelauer* l. c.). Geminato nomine יְהוָה Deus essentiam (pag. 388) seu bonitatem suam essentialem proclamat; reliqua nomina supra declaravimus. — Haec verba Dei facta sunt „pulcherrima Israelis confessio“, ut Keßler (Psalmen 294) bene notat. Repetuntur enim a Moyse (Nm 14, 18), ab Iona (4, 2; cf. pag. 238), ab Ioele (2, 13), in 2 Esr 9, 17, in Psalmis (85, 5 15; 102, 8; 144, 8 sq); ultimum locum adducimus: *Miserator,* חַנּוּן, *et misericos,* וְרַחוּם, *Dominus: patiens,* אֶרֶךְ אַפַּיִם, *et multum misericors,* וּגְדָל־חָסֶד i. e. et magnus caritate. [9] *Suavis,* טוֹב, *Dominus universis: et miserationes eius,* וְרַחֲמָיו, *super omnia opera eius* diffusae sunt (*Hoberg,* Psalmen 475; *Wolter,* Psallite V 412; *Baethgen,* Psalmen 425).

Loci biblici in quibus benignitas divina secundum varias suas formas celebratur, tam multi sunt ut necessariae brevitatis causa paucos tantum seligere possimus; qui omnes scire desiderat, concordantias verbales vel reales revolvat quas in Exegetica (pag. 36 44) enumeravimus. — Deum *benignum,* טוֹב, esse in hexa-

emero (Gn 1, 1—31) aperte scribitur. Operibus enim singulorum dierum nota additur: *Et vidit Deus quod esset bonum,* טוֹב, et in fine hagiographus refert: *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona,* טוֹב מְאֹד. Ergo Deus creaturis suis bonitatem communicavit, „diffusivum sui“ seu benignum se revelavit. Cum hac relatione congruit Sap 11, 25: *Diligis enim omnia quae sunt, τὰ ὄντα πάντα, et nihil odisti, βδελύσσῃ* i. e. abominaris, *eorum quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti, μισῶν τι κατεσκεύασας.* Deus igitur tam creans quam conservans creaturas suas diligit seu bona iis largitur (cf. pag. 444). Videas Ps 103, 28; 144, 15 sq ubi Deus distributor donorum describitur, implens *omne animal,* לְכָל־חַי i. e. omne vivens, *benedictione,* רָצוֹן i. e. bonis (cf. lexicon).

Nonnulli citant etiam Sap 12, 1: *O quam bonus, et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus!* Ob rationem pag. 370 allatam possunt citare; in theologia biblica tamen hic locus melius omittitur, quia in textu originali sic scriptum est: τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμά ἐστιν ἐν πᾶσιν, quae verba eundem sensum habent ac Sap 7, 24; 8, 1 (cf. pag. 421).

Bonitas et caritas Domini praedicantur in Ps 24, 10; 32, 5; 35, 6; 85, 15; 99, 5; 102, 8; 105, 1; 110, 4; 117, 1 sqq: *Confitemini* (pag. 386) *Domino quoniam bonus,* טוֹב: *quoniam in saeculum* (pag. 391) *misericordia eius,* חַסְדּוֹ. Apud Ieremiam (31, 3) autem Dominus populo Israel profitetur: *Et in charitate,* וְאַהֲבַת, *perpetua,* עוֹלָם (pag. 391) *dilexi te,* אֲהַבְתִּיךְ, *ideo attraxi te, miserans,* עַל־כֵּן מְשַׁכְתִּיךְ חָסֶד i. e. „ideo protraxi tibi gratiam . . . te continuo cum gratia et miseratione sustentavi“ (*Knabenbauer,* Ieremias 375). — Misericordia Domini extollitur Os 11, 8ᵇ: *Conversum est,* נֶהְפַּךְ, *in me cor meum,* ait Dominus; quomodo haec sententia intellegenda sit, sequentia manifestant: *pariter conturbata est poenitudo mea,* יַחַד נִכְמְרוּ נִחוּמָי i. e. coniunctim incaluerunt misericordiae meae. Similiter Ir 31, 20ᵇ: *Idcirco conturbata sunt,* הָמוּ, *viscera mea,* מֵעַי, *super eum* (Ephraim): *miserans miserebor eius,* רַחֵם אֲרַחֲמֶנּוּ i. e. certo miserebor eius (cf. grammaticam de usu infinitivi), *ait Dominus.* Pulcherrime Dominus per Isaiam misericordiam suam illustrat. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur,* מֵרַחֵם, *filio uteri sui?* interrogat atque respondet: *et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (Is 49, 15; cf. Ps 26, 10). *Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent: misericordia autem mea,* וְחַסְדִּי, *non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur: dixit miserator tuus,* מְרַחֲמֶךָ, *Dominus.* Videas etiam Hab 4, 2; Thren 3, 22; Dn 9, 9; Eccli

2, 13; 17, 28; 18, 12: *Miseratio, ἔλεος, hominis circa, ἐπί, proximum suum:* „sibi aequalem, erga paucos; nam singuli beneficia vel miserationem praestare possunt paucissimis ex omnibus hominibus“ (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 208); *miseratio, ἔλεος, autem Dei super, ἐπί, omnem carnem* „quae itaque duplici modo quam maxime eximie hominis misericordiam superat: Deus eam praestat iis qui infinito intervallo distant et inferiores sunt, eam praestat omnibus qui per saeculorum cursum orbem terrarum incoluerunt, incolunt, incolent“ (*Knabenbauer* l. c.).

De indulgentia denique Domini hi loci clarissimi sunt: *si fuerint peccata vestra ut coccinum,* כַּשָּׁנִי (ita 4 manuscripta, versio Graeca, Latina, Syriaca; כַּשָּׁנִים, textus Masorethicus), *quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus,* כַּתּוֹלָע i. e. quasi coccum, *velut lana alba* (deest *alba* in Hebraico, sed subintellegitur) *erunt.* „Lana deponere non potest quantavis hominum industria atque labore quos bibit ante a vermiculo aut e conchylio succos; dicit ergo Deus se eluiturum esse sordes ex animis eosque ita puros et candidos redditurum ac si nullas a peccato sordes contraxissent“ (*Knabenbauer,* Isaias I 46). Conferas Is 43, 25; 44, 22; *Mich 7, 17 sqq;* Eccli 2, 13; 17, 28; Ps 102, 1 sqq: *Benedic anima mea Domino: . . .* [3] *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. . . .* [11] *Quoniam secundum altitudinem caeli a terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se.* [12] *Quantum distat Ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.* [13] *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se:* [14] *quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus: . . .* [22] *benedic anima mea Domino.* Haec verba Psalmistae commentario non indigent.

Deus dicitur quidem misericordiam, חֶסֶד (pag. 444), facere his qui diligunt eum (Ex 20, 6; Dt 5, 10); omnia diligere quae fecit (Sap 11, 25; cf. pag. 445); sapientia aeterna asserit quidem: *deliciae meae esse, cum filiis hominum,* וְשַׁעֲשֻׁעַי אֶת־בְּנֵי אָדָם i. e. et delicias meas habens in filiis hominum (Prv 8, 31): nihilominus scriptor inspiratus testatur: *Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas eius,* ἐν ἴσῳ γὰρ μισητὰ θεῷ καὶ ὁ ἀσεβῶν καὶ ἡ ἀσέβεια αὐτοῦ (Sap 14, 9). Etiam Psalmista concinit: *qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam,* וְאֹהֵב חָמָס שָׂנְאָה נַפְשׁוֹ i. e. et eum qui violentiam diligit, odio habet anima eius i. e. Dei (Ps 10, 6; cf. *Wolter,* Psallite I 88; *Baethgen,* Psalmen 31; *Duhm,* Psalmen 35; conferas verba antecedentia et consequentia). Quomodo haec asserta conciliari possunt? Respondet S. Thomas (1, q. 20, a. 2 ad 4): „Deus autem peccatores, in quantum sunt naturae quaedam, amat: sic enim et *sunt* et ab ipso sunt. In quantum vero peccatores sunt, non *sunt* sed ab *esse* deficiunt, et hoc in iis a Deo non est: unde secundum hoc ab ipso odio habentur.“

Deus qui in locis pag. 445 citatis tam bonus praedicatur, in aliis locis hominibus mala immittere perhibetur: *si* vel potius an *erit malum in civitate*, interrogat Amos (3, 6), *quod Dominus non fecerit?* Et sapiens affirmat (Eccli 11, 14): *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas,* πλοῦτος i. e. divitiae, *a Deo sunt,* παρὰ κυρίου ἐστίν. Videas Is 45, 6 sq quoque pag. 401 citatum. Qua ratione hi loci conciliari possunt? Iterum S. Thomas (1, q. 19, a. 9) respondet: „Impossibile est quod aliquod malum, in quantum huiusmodi, appetatur. . . . Tamen aliquod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum. . . . Malum autem quod coniungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Numquam igitur appeteretur malum, nec per accidens, nisi bonum cui coniungitur malum, magis appeteretur quam bonum quod privatur per malum. . . . Malum naturalis defectus vel malum poenae vult (scil. Deus) volendo aliquid bonum cui coniungitur tale malum; sicut volendo iustitiam vult poenam et volendo ordinem naturae servari vult quaedam naturaliter corrumpi." — Ceterum conferantur quae sapiens de hac re dicit: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in,* ἐπ', *perditione vivorum. Creavit enim, ut essent omnia,* ἔκτισεν γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα (Sap 1, 13 sq). *Deus creavit hominem inexterminabilem,* ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, *et ad imaginem similitudinis suae,* καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος, *fecit illum. Invidia autem diaboli mors* cum ceteris malis (Comment. in Genesim 57) *introivit in orbem terrarum,* εἰς τὸν κόσμον.

2. Deus potens est, i. e. ea quae vult, etiam facere potest. a) Deum potentem esse seu magna facere posse non solum nomina eius *'El, 'Eloah, 'Elohim* (pag. 372 sqq) et *Schaddai* (pag. 383) indicant, verum etiam opera eius manifestant quibus bonitatem suam revelare voluit (pag. 445); videas Gn 1, 1—31; Ps 103, 24; 144, 4—12; Eccli 18, 1—6. b) Deum ista opera magna cum facilitate patrasse in Gn 1, 1—31 implicite, in Ps 32, 9 et 148, 5 explicite docetur: *Quoniam ipse dixit, et facta sunt,* ait Psalmista: *ipse mandavit, et creata sunt* (cf. Iudith 16, 17).

c) Deum omnipotentem esse seu omnia facere posse quaecumque voluerit, probabiliter nomen *Schaddai* (pag. 383), certo autem nomen *Iahve* ipsi proprium demonstrat (cf. pag. 374 sqq). Nam illi qui essentialiter plenitudinem essendi possidet (pag. 388), nihil potentiae deesse potest. Ergo omnes loci in quibus Deus *Iahve* appellatur, implicite omnipotentiam eius enuntiant. — At explicite quoque omnipotentia in sacris litteris Deo adiudicatur. *Dixit autem Dominus,* יְהוָה, *ad Abraham: . . . Numquid Deo,* מֵיְהוָה, *quidquam est difficile,* הֲיִפָּלֵא (Gn 18, 13 sq), i. e. num Domino quidquam nimis arduum (videas קָשָׁה in lexico vel grammatica) seu impossibile est? (*Gesenius,* Thesaurus 1102). Haec verba apud Ieremiam (32, 17 27) repetuntur. Videas Ib 42, 2 pag. 436 citatum. *Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit,* inquit Psalmista (134, 6), *in caelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.* Per Isaiam (46, 10) Dominus annuntiat: *Consilium meum stabit, et*

omnis voluntas mea fiet, וְכָל־חֶפְצִי אֶעֱשֶׂה i. e. et omnem voluntatem meam faciam. Clarissime omnipotentia Dei in libro Sapientiae exprimitur. Sap 7, 27 pag. 396 citavimus. Sap 11, 22: *Multum enim valere, tibi soli supererat semper, τὸ γὰρ μεγάλως ἰσχύειν πάρεστίν σοι πάντοτε* i. e. magna potentia praesto est tibi semper, *et virtuti brachii tui quis resistet?* Similiter Sap 12, 18: *subest enim tibi, cum volueris, posse, πάρεστιν γάρ σοι, ὅταν θέλῃς, τὸ δύνασθαι.* Sap 18, 15 demum *sermo, λόγος,* Dei explicite *omnipotens, παντοδύναμος,* nominatur. Quam omnipotentiam Iosaphat (2 Par 20, 6), Iudith (16, 17), Mardochaeus (Est 13, 9) professi sunt.

Praetermittimus Gn 50, 19 ubi Ioseph fratribus dixisse narratur: *num Dei possumus resistere voluntati?* quia in textu originali legimus כִּי תַחַת אֱלֹהִים אָנִי quod LXX verterunt: τοῦ γὰρ θεοῦ ἐγὼ εἰμί i. e. ego voluntati Dei subiectus, תַּחַת, sum, ergo id non ulciscar quod Deus sapientissime permisit et ad utilitatem plurimorum disposuit (Comment. h. l.; cf. *Hoberg,* Genesis 414; *Hummelauer,* Genesis 607). — Si Deus aliquid non absolute sed conditionate vult, impletio voluntatis eius utique a conditione vel a libertate hominibus concessa dependet, e. g. eversio Ninives (cf. pag. 238 sq). Ita intellegendi sunt loci sequentes: *vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret* (Prv 1, 24; cf. Is 65, 12; 66, 4; Ir 7, 13). *Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? an quod* vel potius quid *expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* (Is 5, 4) i. e. „quid ergo causae habuit, ut meam exspectationem falleret?“ (*Knabenbauer,* Isaias I 105, cum aliis.) Denique: *mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis* (Ez 24, 13).

Rationalistae asserunt *Iahve* sensu stricto non fuisse omnipotentem, cum primitus deus iuxta alios deos non autem Deus totius universi esset (*Stade,* Theologie 80 86); ipsum fuisse omnipotentem, quatenus in populo et terra Israel summa potestate potiretur (*Stade,* Theologie 86 sq), et quatenus fides religiosa ideae omnipotentiae indigeret (*Stade,* Theologie 80 86). Quibus reponimus: α) Iahve numquam deus localis sed semper Deus totius universi fuit (pag. 407). β) In locis supra citatis Iahve obiective et absolute, non solum in populo et terra Israel vel in fide seu opinione hominum omnipotens appellatur (cf. et *Dillmann-Kittel,* Handbuch 244 sq). γ) Iam in nomine *Schaddai,* certo in nomine *Iahve* omnipotentia Dei absoluta continetur (pag. 447; cf. et *Oehler,* Theologie 139 sq).

3. Deus iustus, צַדִּיק, est, i. e. unicuique iuxta meritum suum praemia aut poenas distribuit. Quod Pohle (Dogmatik I 110) de monotheismo asserit, etiam de iustitia Dei dicere possumus, videlicet eam „sicut filum rubrum per omnia folia scriptorum Vet. Test. trahi“. Tam multi loci biblici eam celebrant, ut celebriores dumtaxat afferre possimus; qui omnes vult scire, concordantias verbales vel reales revolvat quas in Exegetica 36 44 enumeravimus. — a) Abraham Dominum pro Sodomis rogans inter alia dixit: *Absit a te,* חָלִלָה לְךָ, *ut rem hanc facias, et occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius,* וְהָיָה כַצַּדִּיק כָּרָשָׁע i. e. fiatque ita iusto

sicut impio, *non est hoc tuum,* חָלִלָה לָּךְ i. e. absit a te: *qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc,* הֲשֹׁפֵט כָּל־הָאָרֶץ לֹא יַעֲשֶׂה מִשְׁפָּט i. e. iudicans omnem terram non reddet ius? Sensus est: Deus, iudex totius terrae iustissimus esse et cuilibet iuxta opera eius reddere debet (ergo iustum cum iniusto punire nequit), quia iuste iudicare ad notionem vel naturam cuiuscumque iudicis veri pertinet (Comment. 291). Quam sententiam Abrahae Deus suo agendi modo (cf. vv. sequentes) veram approbavit. Locutusque est Dominus populo Israel (Ex 20, 5 sq): *ego sum Dominus,* יְהוָה, *Deus tuus,* אֱלֹהֶיךָ, *fortis, zelotes,* אֵל קַנָּא i. e. *θεὸς ζηλωτής, visitans iniquitatem patrum in filios,* עַל־בָּנִים, *ἐπὶ τέκνα, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me:* [6] *et faciens misericordiam,* חֶסֶד (cf. pag. 444) *in millia* (cf. pag. 444) *his qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea.* His verbis, quae Ex 34, 7; Nm 14, 18; Dt 5, 9; 7, 9 repetuntur, Deus iustitiam suam formaliter proclamavit. In cantico iussu Domini composito sequentia populo inculcantur: *Dei perfecta sunt opera,* הַצּוּר תָּמִים פָּעֳלוֹ i. e. praesidium (pag. 399) est (scil. Dominus), perfectum opus eius (cf. *Steuernagel,* Deuteronomium 115), *et,* כִּי i. e. nam, *omnes viae eius* (cf. pag. 437) *iudicia,* מִשְׁפָּט i. e. iudicium, seu iustae sunt: *Deus fidelis,* אֵל אֱמוּנָה i. e. Deus fidei est, *et absque ulla iniquitate,* וְאֵין עָוֶל i. e. *καὶ οὐκ ἔστιν ἀδικία, iustus et rectus* est ipse, צַדִּיק וְיָשָׁר הוּא (Dt 32, 4). In hoc loco fidelitatem atque iustitiam Dei commendari commentatores communiter sentiunt (cf. *Bertholet,* Deuteronomium 96; *Hummelauer,* Deuteronomium 517; *Steuernagel,* Deuteronomium 115).

Saepe iustitia divina in Psalmis, Proverbiis, libro Iob celebratur. In Psalmis 9, 8 sq; 10, 6 sqq; 17, 25; 18, 12; 35, 7; 47, 11; 84, 11 14; 88, 15; 110, 3; 118, 137 142; 128, 4; 144, 17 etc. *Iustitia tua,* צִדְקָתְךָ, *sicut montes Dei,* כְּהַרְרֵי־אֵל, legimus Ps 35, 7: iustitia qua Deus bonis gratiam et fidelitatem (v. 6) praestat, tam firmiter stat ut montes ab eo fundati (*Baethgen,* Psalmen 101; *Thalhofer,* Psalmen 227); *iudicia tua,* מִשְׁפָּטֶיךָ, malos condemnantia sunt tam abscondita atque horrenda sicut *abyssus multa,* תְּהוֹם רַבָּה, cuius fontes tempore diluvii rupti sunt (Gn 7, 11) ita ut omnes perderentur, exceptis hominibus et bestiis qui in arca erant, quare additur: *Homines, et iumenta salvabis* vel ex usu linguae Hebraicae salvas *Domine* (cf. *Keßler,* Psalmen 78; *Wolter,* Psallite I 592 sq). In Ps 88, 15 haec pulchra reperitur sententia; *iustitia et iudicium,* צֶדֶק וּמִשְׁפָּט, iusta distributio praemiorum et poenarum et ius in omnibus observatum sunt *praeparatio,* מְכוֹן i. e. basis, *sedis tuae,*

כִּסְאֶךָ i. e. throni vel regiminis tui. *Misericordia,* חֶסֶד (cf. pag. 444), *et veritas* vel fidelitas, וֶאֱמֶת, *praecedent faciem tuam,* יְקַדְּמוּ פָּנֶיךָ i. e. astant ante faciem tuam; gratia et fidelitas sunt nuntiae quas Deus iustus ad populum suum mittit (*Keßler,* Psalmen 192; cf. *Thalhofer,* Psalmen 519; *Wolter,* Psallite III 302).

Montes Dei, arbores Domini idem sunt ac montes a Deo fundati, arbores a Domino plantatae (*Baethgen,* Psalmen 101 308) quod Ps 103, 16 probare possumus: *Saturabuntur ligna campi,* עֲצֵי יְהוָה i. e. ligna Domini, inquit Psalmista; quomodo hoc parallelismi membrum intellegendum sit, statim manifestat subiungens: *et cedri Libani, quas plantavit.* Ita et Baethgen (l. c.) qui *cedros Dei* (Ps 79, 11) eadem ratione interpretatur (Psalmen 248). E contrario Gesenius (Thesaurus 48 sq) quem plurimi sequuntur, scribit: „Dei esse dicuntur, quaecumque in suo genere eximia, praestantia sunt, quandoquidem egregia quaeque ad deos ipsos auctores referre solebant prisci homines." — Duhm (Psalmen 103) *montes Dei* illos montes intellegit in quibus „deus vel entia superiora habitant". At videas quae pag. 409 de hac opinione rationalistarum exposuimus.

Celebratur in Prv 24, 12: *reddetque* inspector cordis et servator animae (cf. pag. 435) *homini iuxta opera sua,* necnon in Iob 8, 3; 10, 14; 14, 17; 33, 26; 34, 10 12; 36, 6 etc.; videas argumentum et finem huius libri pag. 224 sqq expositum. — Praedicatur a prophetis: Is 3, 11; 59, 17; Ir 17, 10; 32, 19; Thren 1, 18; Ez 18, 20: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum.* „Unicuique reddetur secundum opera sua" (*Knabenbauer,* Ezechiel 184), non alterius.

Inter Ez 18, 20 et Ex 20, 5 sq (cf. pag. 449) contradictio adesse videtur. Nam ibi Deus iniquitatem patrum in tertiam et quartam generationem visitare dicitur, hic autem tam iustis quam iniustis iuxta opera sua, non aliorum, praemia aut poenas promittit. Sed inspiciamus contextum, et contradictio evanescet. Ez 18, 19 legimus: *Et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius iudicium, et iustitiam operatus est, omnia praecepta mea custodivit, et fecit illa, vivet vita.* In Ex 20, 5 autem Deus illos posteros patrum iniquorum puniturus nuntiatur qui *oderunt* eum. Ergo ambo loci optime congruunt (cf. *Strack,* Exodus 227; *Knabenbauer,* Ezechiel 184).

Denique iustitia Dei in Sap 5, 19 sqq; 12, 15; Eccli 16, 12 sqq; 35, 22 sqq in memoriam hominum revocatur. *Cum ergo sis iustus, iuste omnia, τὰ πάντα, disponis, διέπεις· ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, αὐτὸν τὸν μὴ ὀφείλοντα κολασθῆναι καταδικάσαι, exterum aestimas, ἀλλότριον ἡγούμενος, a tua virtute* (Sap 12, 15). — Professi sunt iustitiam divinam Tobias (Tob 3, 2), Azarias (Dn 3, 31), Daniel (Dn 9, 14), principes Israel (2 Par 12, 6).

b) Iustitia Dei implicite in illis locis docetur qui Deo acceptionem personarum denegant. Nam *acceptio personarum,* נַשֹּׂא

פָּנִים, *προσωπολημψία* (cf. 2 Par 19, 7), illud vitium est quo praemia et poenas distribuens non internam dignitatem sed condicionem externam (פָּנִים, *πρόσωπον*, personam): potentiam, divitias, nobilitatem respicit. Hoc vitium in Dt 10, 17; Ib 34, 19; Sap 6, 8; Eccli 35, 15 sq; 2 Par 19, 7 Deo denegatur. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης* i. e. non enim reverebitur personam dominus omnium, *nec verebitur magnitudinem cuiusquam, οὐδὲ ἐντραπήσεται μέγεθος* i. e. neque respiciet magnitudinem: *quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus, ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων* (Sap 6, 8). Sensus est: magnum et parvum, praepositum et subditum, nobilem et ignobilem, divitem et pauperem eodem modo tractat Deus qui omnes fecit omniumque dominus est.

c) Iustitiam suam Deus revelavit praemiis afficiens iustum Noe et familiam eius (Gn 6, 8 sqq), Abraham oboedientem (Gn 12, 1 sqq), Ioseph pium (Gn 37, 2 sqq), Iob patientem (Ib 1, 1 sqq), David iustum ac paenitentem (2 Rg 1, 1 sqq), Tobiam pium (Tob 1, 1 sqq), populum Israel conversum (1 Esr 1, 1 sqq) etc.; necnon poenis afficiens protoparentes peccantes (Gn 3, 1 sqq), Cain fratricidam (Gn 4, 1 sqq), homines depravatos (Gn 6, 1 sqq), pentapolim luxuriosam (Gn 18, 16 sqq), Pharaonem pertinacem (Ex 7, 14 sqq), Israelitas murmurantes (Nm 11, 1 sqq) et diis alienis servientes (Iud 2, 10 sqq), Saulem inoboedientem (1 Rg 15, 1 sqq), regnum Israel et Iuda monitiones prophetarum neglegentia etc. Haec aliaque exempla in parte priore huius operis recensentur.

Iustitia sensu latiore idem est ac summa omnium virtutum vel sanctitas. Hoc sensu Noe *iustus*, צַדִּיק (Gn 6, 9; 7, 1) appellatur; hoc sensu Abraham vocabulum *iusti* adhibuit (Gn 18, 25 sqq); hoc sensu eandem vocem in Proverbiis (e. g. 4, 18; 10, 3 6 sq 11 16 30 sqq) et Psalmis (e. g. 5, 13; 30, 19; 33, 20; 36, 25 29 sqq; 71, 7) recurrentem videmus. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens,* כְּאוֹר נֹגַהּ i. e. sicut lux aurorae, *procedit et crescit,* הוֹלֵךְ וְאוֹר i. e. magis magisque illucescens (cf. Gn 8, 3; Comment. 147), *usque ad perfectam diem* (Prv 4, 18). „Paragona la vita de' giusti all' aurora nascente, bene scribit Martini (La Sacra Bibbia h. l.), di cui la luce va sempre crescendo sino al giorno perfetto. Così questi figliuoli della luce ... si avanzano di virtù in virtù fino alla perfezione.... E siccome l' aurora finisce nel sole, così i giusti mediante la pienezza della sapienza e della grazia e finalmente della gloria in Dio si trasformano." Videas Frankenberg (Sprüche 39), Bertheau-Nowack (Sprüche 30).

Stade (Theologie 88 sqq) asserit *Iahve* fuisse quidem custodem iuris et morum sed non iustum (Hüter von Recht und Sitte, aber nicht gerecht); Iahve usum moremque custodisse, disciplinam in minoribus et maioribus, privatis et publicis rebus diligenter severeque rexisse, quaslibet ordinis stabiliti violationes punivisse: ipsum tamen praemia et merita non iuxta meritum sed studio partium (acceptione personarum) ductum distri-

buisse. Ad probandam hanc gravissimam accusationem ante omnia repetit Iahve fuisse deum nationalem Iudaeorum et qua talem semper pro populo suo stetisse etsi culpis involuto. Verumtamen Iahve numquam deus nationalis sed semper Deus totius universi, creator et dominus omnium fuit (pag. 408) et qua talis omnes eodem modo tractare debet (Sap 6, 8; cf. pag. 451). Deinde notat Iahve testantibus locis biblicis hominibus praemia aut poenas distribuere quomodo et quando sibi placuerit; ipsius esse quando aliquem respicere, audire et exaudire velit. At ex eo quod Iahve tempus modumque remunerandi aut puniendi eligit, iuxta praecepta logica non sequitur eum non iuste retribuere. Tertio asserit Iahve non solum iniustos verum etiam iustos punire; peccatum ad libitum observare aut neglegere posse. Reponimus: Iahve ad libitum peccatum observare aut neglegere posse Stade asserit quidem sed nullo argumento probat; Iahve ipse contrarium affirmat, quemadmodum loci pag. 448 sqq adducti commonstrant. Dominum etiam iustis mala immittere Sacra Scriptura utique testatur; hac tamen agendi ratione non iniustum se ostendit, quia sic iustos magis purgat (pag. 225 sq) iisque bona maiora providet (pag. 447). Denique scribit ab Iahve innocentem Abimelech punitum, Abraham autem mentientem regique miseriarum tempestates excitantem defensum fuisse. Sed Abraham restrictione mentali utens non mentitus est, quia Sara reapse soror eius erat, neque regi miserias positive excitavit; Dominus vero regem Abimelech affligebat ut eum a malis gravioribus custodiret, quemadmodum in eodem contextu legimus (Gn 20, 1—7). Conservans igitur regem a malis gravioribus atque restituens Abrahae sororem et uxorem Iahve non iniustum sed iustum simulque benignum se monstravit. Ceterum relegas quae pag. 396 scripsimus.

4. Deus sanctus, קָדוֹשׁ, est i. e. bonum amore et malum odio prosequitur. Dicunt (cf. *Oehler,* Theologie 168) notionem sanctitatis divinae unam ex difficillimis notionibus biblicis esse. Sed Dominus ipse insinuat, quomodo sanctitas sua intellegenda sit: *sancti estote,* וִהְיִיתֶם קְדֹשִׁים, inquit Lv 11, 44 sq, *quia ego sanctus sum,* כִּי קָדוֹשׁ אָנִי: atqui sanctitatem humanam Dominus duobus istis comprehendit *Declina a malo, et fac bonum* (Ps 36, 27; cf. Eccli 7, 20): ergo concludamus oportet sanctitatem divinam quoque in amore boni et odio mali consistere.

Radix קדשׁ *purum esse, splendere* significat; cf. assyr. *ḳuddušu* = purum, splendens (*Buhl,* Handwörterbuch). *Sanctus* nominatur qui a malo separatus et bono addictus est (cf. *Orelli,* Jesaja 28). Duplex hoc momentum (separatio et addictio) in libro Exodi exprimitur. *Quis similis tui in fortibus,* בָּאֵלִם i. e. in diis, *Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate,* בַּקֹּדֶשׁ? (Ex 15, 11) coll. *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta,* וְגוֹי קָדוֹשׁ (Ex 19, 6). In loco priore separatio a reliquis, in altero coniunctio cum aliquo innuitur (cf. *Strack,* Exodus 209 223 sq; *Oehler,* Theologie 164 sqq). Quo sensu non solum personae (Ex 29, 44: sacerdotes), verum etiam tempora (Gn 2, 3: dies septimus), loca (Ex 3, 5: locus in quo Moyses stetit), res (Ex 29, 44: altare et tabernaculum; Dt 23, 14: castra) sancta vocantur. — Stade (Theologie 88) verisimile putat sed non probat קדוש et קדש originaliter res et personas significasse, in quibus deus quidam sē manifestavit, vel quae ad ipsum pertinebant. Sententia a nobis propugnata usu loquendi biblico confirmatur.

Utile fuerit notare quae Egger (Dogm. spec. 98 sq) scribit. „Moraliter vero sanctitas est conformitas subiecti moralis cum suprema regula morum; quae quidem conformitas negative in puritate a peccatis, positive in exercitio virtutum, praesertim in stabili adhaesione ad ultimum finem per caritatem consistit. . . . Suprema namque regula morum, ut Ethica docet, radicaliter est ipsa divina essentia, formaliter et efficienter intellectus et voluntas divina. In essentia namque divina fundatur omnis ordo tam physicus quam moralis; ab intellectu autem et voluntate divina omnis lex, sive naturalis sive positiva, in ultima analysi pendet. Tam impossibile ergo est, ut Deus deficiat a regula morum, quam impossibile est, ut deficiat a semetipso. Proinde est essentialiter sanctus, immo subsistens sanctitas.“ Eadem conclusio ex essentia divina (pag. 388 sq) deducitur.

a) Sanctitas Dei affirmatur in Ex 15, 11 pag. 452 citato necnon Lv 11, 44 sq item pag. 452 citato, qui locus Lv 19, 2; 20, 26; 21, 8 repetitur. Sanctus appellatur Deus in Ios 24, 19; Ps 5, 5; 21, 4; 76, 14; 98, 3 5 9; 110, 9. In fine Psalmi 98 hagiographus profitetur: *sanctus Dominus Deus noster,* קָדוֹשׁ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ; etiam in vv. 3 5 affirmat קָדוֹשׁ הוּא i. e. sanctus ipse, scil. *Iahve,* non *nomen* et *scabellum pedum eius* ut constructio Vulgatae innuit (*Wolter,* Psallite III 518 sq; cf. *Hoberg,* Psalmen 359; commentarios protestantium ac textum Hebraicum).

Sanctus celebratur Deus a prophetis: ab Os 11, 9; ab Is 6, 3; 40, 25; 43, 3 15; 54, 5; 57, 15 etc. (cf. pag. 384); ab Hab 1, 12; ab Ez 39, 7. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum,* קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ יְהוָה צְבָאוֹת, clamabant seraphim (Is 6, 3). „Magna emphasi chori seraphim alternatim Dei sanctitatem praedicant, ait Knabenbauer (Isaias I 128). Atque id quidem iuremerito. Nam omnium consiliorum atque operum Dei haec est summa, ut Dei sanctitas manifestetur, ut ordo ille sacrosanctus iuris et iustitiae inter homines instituatur, reparetur, promoveatur, ut homines ipsi ad aliquam divinae sanctitatis participationem et imitationem evehantur.“ *Quia haec dicit Excelsus, et sublimis,* legimus Is 57, 15, *habitans aeternitatem,* שֹׁכֵן עַד i. e. sedens in perpetuum (*Gesenius,* Thesaurus 991), *et sanctum nomen eius,* וְקָדוֹשׁ שְׁמוֹ i. e. et *Sanctus* est nomen eius (ita commentatores communiter; cf. et pag. 384): *in excelso et in sancto habitans,* מָרוֹם וְקָדוֹשׁ אֶשְׁכּוֹן i. e. in excelso (caelo) et in sanctuario (ita *Knabenbauer,* Isaias II 381; contra *Duhm,* Jesaia 403; *Marti,* Jesaja 371, vertunt: in excelso et ut sanctus) habito, *et cum contrito et humili spiritu,* וְאֶת־דַּכָּא וּשְׁפַל־רוּחַ, habito: *ut vivificet,* לְהַחֲיוֹת i. e. ad vivificandum, *spiritum humilium, et vivificet,* וּלְהַחֲיוֹת i. e. et ad vivificandum, *cor contritorum.* „Idem ille Deus, interpretatur Knabenbauer (Isaias II 381), qui in altis-

simis caelis et in sanctuario habitat i. e. in templo quoque peculiari modo suam praesentiam manifestat, etiam non dedignatur habitare in animo contrito et humili, in animo afflicto; et hac sua inhabitatione novam vitam et vigorem tribuit contritis et afflictis." Sanctitas Dei hic pulcherrime describitur. Deus super omnes imperfectiones creaturarum elevatus *(Excelsus, et sublimis, habitans aeternitatem)*, ab omni immunditia eorum separatus (*Sanctus* est nomen eius) vocatur; nihilominus in sanctuario et in animis eorum qui sincera cum humilitate et contritione peccata sua confitentur, habitare dicitur, ut iis sanctitatem conferat eosque sibi conformes reddat (cf. pag. 453).

Per Ezechielem (39, 7) Dominus praedixit: *Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, et non polluam nomen sanctum meum amplius: et scient Gentes quia ego Dominus sanctus Israel* (קָדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל, alii autem קָדוֹשׁ בְּיִשְׂרָאֵל; cf. *Kittel*, Biblia Hebraica). In hoc loco Dominus ter se *sanctum* dicit; quod autem ad profanationem nominis pertinet, Knabenbauer (Ezechiel 398 sq; cf. et *Orelli*, Ezechiel 153) notat: „Deus nomen suum quasi profanat vel profanari sinit, dum populus Dei ab inimicis affligitur (36, 20), dum scelera et oppressiones et insolentia hostium impune grassantur: hisce enim sanctitati eius maxima infertur iniuria; quare sceleribus punitis apparet *sanctus in Israel;* vide 37, 28; Os 11, 9." — Sanctitatem Dei demum professi sunt Eliphaz (Ib 15, 15), Anna (1 Rg 2, 2), Bethsamitae (1 Rg 6, 20).

b) Sanctitas Dei in variis locis negari videtur. Etenim *α)* iuxta Ex 3, 22; 11, 2; 12, 35 sq furtum praecepit; iuxta 2 Rg 12, 11 incestum Salomonis et 16, 10 maledictionem Semei providit; iuxta Os 1, 2 prophetae mandavit ut uxorem fornicationum sumeret filiosque fornicationum sibi faceret. *β)* Secundum Ex 7, 3 cor Pharaonis induravit et secundum Is 6, 9 per prophetam cor populi excaecavit, oculos eius clausit et aures aggravavit, ne converteretur. *γ)* Ex 2 Par 18, 21 regem Achab per prophetas mendaces decepit.

Respondemus in genere. Iuxta generalia principia hermeneutica (pag. 396) loci biblici sic explicandi sunt ut inter eos nulla contradictio admittatur, et loci obscuri ex claris declarentur. Deus autem affirmat se neque mala moralia neque mortem peccatoris neque deceptionem hominum velle. Hagiographi enim testantur: *non Deus volens iniquitatem tu es* (Ps 5, 5); *Abominatio est Domino via impii* (Prv 15, 9; cf. 6, 16 sqq); *Omne execramentum erroris odit Dominus, πᾶν βδέλυγμα* i. e. omne peccatum (*Zöckler*, Apo-

kryphen 286 sq) *ἐμίσησεν κύριος*, רָעָה וְתוֹעֵבָה שָׂנֵא יְהוָה i. e. malum et abominationem odit Iahve (Eccli 15, 13 21); *Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium, ἄνεσιν* i. e. licentiam, *peccandi* (cf. *Zöckler,* Apokryphen 287; *Passow,* Handwörterbuch). Iterum: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (Ez 18, 23 32; 33, 11). „Quibus verbis venia offertur peccatoribus et Dei voluntas, immo promptitudo et desiderium declaratur, ut non cogatur infligere poenas, sed ut impius redeat ab iniquitate" (*Knabenbauer,* Ezechiel 185). Denique: *Non dicas: Ille me implanavit,* הוּא הִתְקִיצַנִי i. e. *αὐτός με ἐπλάνησεν· non enim necessarii sunt ei homines impii* (Eccli 15, 12) i. e. ne dicas: Dominus me „seduxit, errare fecit, a recto abduxit, cur te impelleret ad malum? cui bono? neque enim opus habet peccatore" (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 183). Ergo ne Dominus sibi ipse contradicere statuatur, loci nobis obiecti sensu litterali improprio exponendi sunt (cf. pag. 428). „Generatim notari debet, ait Hurter (Compendium II 67), genium esse linguae Hebraicae, ut verba actionem proxime significantia de iis metonymice usurpentur qui operis auctores non sunt sed eius praebent occasionem, cum illud non impediunt adeoque permittunt. Quare cum Deus peccata permittat, quae eo non permittente non fierent, . . . immo quandoque aliqua faciat quae aliis peccandi occasionem (sed ex ipsorum malitia) praebent, quod ipse praevidet: non mirum, si pro hac duriori loquendi indole linguae Hebraicae ipsi haec opera quodammodo tribuantur."

Respondemus in specie. Deum nulla ratione furtum praecepisse pag. 101 in fine demonstravimus. De matrimonio Osee pag. 247 sq locuti sumus. Mulier vocatur fornicationum quia antea huic vitio dedita erat (*Knabenbauer,* Oseas 22, cum plurimis aliis); filii nominantur fornicationum, vel quia mater eorum antea fornicatrix erat (Lapide, Rohling, multi alii) vel quia „nativitate et nomine destinantur, ut populi peccatis contra Deum i. e. fornicationibus poenam debitam in symbolo repraesentent" (*Knabenbauer,* Oseas 25). In neutra explicatione mandatum Dei sanctitatem offendit; sententia ab Orelli (Hosea 6) et Nowack (Hosea 14) propugnata, mulierem et filios ob infidelitatem in matrimonio expertam ita appellatos fuisse, demonstrari nequit. Reliqui loci nullam continent difficultatem, si ad genus loquendi biblicum (cf. supra) attendamus. De induratione Pharaonis pag. 100 conferas. „Deus non dicitur indurare aliquos directe, quasi in eis causet malitiam,

sed indirecte, in quantum scilicet ex his, quae facit in homine intus vel extra, homo sumit occasionem peccati, et hoc ipse Deus permittit. Unde non dicitur indurare quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam" (*S. Thomas,* In Rom. 9, l. 3).

De Is 6, 10 *Excaeca* vel incrassa *cor populi huius, et aures eius aggrava: et oculos eius claude* vel obline: *ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* Knabenbauer (Isaias I 138 sqq) sequentia scribit: „Dura, immo nimis dura haec verba multis visa sunt.... Quare interpretes Latini communiter etiam textum Hebraicum (quocum Vulgata, non vero LXX congruunt) ita emolliunt, ut futura praedici velint et *excaeca* etc. idem significare sibi persuadeant quod: denuntia excaecationem (cf. S. Thom., Mald., Lap., Sa, Osor., Pint., Men., Tir., Gord., Calm.).... Effectus illi funesti locutione *ne videat* etc. tamquam mente et animo loquentis intenti declarantur. Quomodo hoc, dum Deus malum intendere non possit? Id considerantes multi particulas illas et modos loquendi solum ἐκβατικῶς, non vero τελικῶς accipi debere docent. At ... nisi verbis perspicuis vim inferre eaque ad impropria detorquere volueris, non poteris affirmare intentionem quidem verbis enuntiari, at solam intellegendam esse consecutionem.... Communiter quidem loquimur Deum permittere mala, permittere obcaecationem; at permissio talis ita concipi debet, ut Deus qui homini libertatem concessit et abusum libertatis praevidit, etiam illa quae ex abusu libertatis sequuntur, peccata scil. suae gubernationi et fini quem intendit subservire faciat i. e. res ita ordinet ac disponat, ut ipsa mala et peccata divinae gubernationis sapientiam, potentiam, iustitiam patefaciant ac promoveant. Atque hoc modo ipsa mala intendi dicuntur, et hunc ordinem describunt atque inculcant locutiones illae s. Scripturae v. g. lex subintravit, ut abundaret delictum.... Bene monet ... Deum excaecare non solum quatenus gratiam subtrahat et peccatorem deserat, sed etiam ingerendo correptiones, monitiones, miracula aliaque beneficia quibus ipsi secundum reprobum sensum abutentes efficiantur deteriores magisque indurentur." Ita Knabenbauer. Huc pertinent illa S. Augustini (De grat. et lib. arb. 21, 43): „Quando legitis in litteris veritatis a Deo *seduci* homines aut *obtundi* vel *obdurari* corda eorum, nolite dubitare praecessisse mala merita eorum, ut iuste ista paterentur."

In difficillima hac materia tria semper ante oculos habeamus oportet. Primum: Deus ex natura sua peccatum velle nequit. Nam „peccatum, in quantum peccatum est, consistit in aversione voluntatis creatae ab ultimo fine. Impossibile est autem, quod Deus faciat voluntatem alicuius ab ultimo fine averti, cum ipsemet sit ultimus finis.... Est ergo hoc Deo conveniens, quod omnia ad seipsum convertat et per consequens quod nihil avertat a seipso. Ipse autem est summum bonum. Unde non potest esse causa aversionis voluntatis a summo bono, in quo ratio culpae consistit" (*S. Thomas*, De malo q. 3, a. 1). — Secundum: Deus non tenetur ut peccata impossibilia reddat ideoque ne indirecte quidem causa peccatorum est. Deus non tenetur „impedire iis mediis malum quae illud impossibile reddant, ait Hurter (Compendium II 67 sq): alioquin numquam posset naturas liberas condere quas sibi permittat, ut pro arbitrio agant ... quocirca iis tantum mediis tenetur uti quae hinc quidem sufficiunt ad impediendum malum, inde vero non laedunt dignitatem conditionemque naturae rationalis". Quid inde sequatur, S. Thomas

(2, 1, q. 79, a. 1) exponit: „Non imputatur ei, quod alius peccet sicut causae peccati, sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem potens et debens gubernare.“ — Tertium: si Deus peccata non permitteret, non patrarentur; Deus quaedam facit quae occasio peccandi evadunt (cf. pag. 455) quapropter peccata sensu improprio Deo ascribi possunt.

5. Deus aemulans (zelotes) est i. e. idololatriam, violationem foederis, oppressionem populi sui, omnia peccata severe vindicat. Vindicat idololatriam: Ex 20, 5; 34, 14; Dt 4, 24; 5, 9; 6, 15; 32, 21; Ios 24, 19 sq; Ps 77, 58 sq; Ez 16, 38 etc. Legimus Ex 34, 14: *noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes,* קַנָּא, *nomen eius, Deus est aemulator,* אֵל קַנָּא הוּא i. e. Deus zelans est ipse. Vindicat violationem foederis: Ex 32, 10; Nm 25, 3; Dt 31, 17 etc.; sed etiam oppressionem populi sui: Ioel 2, 18; Is 10, 17; 63, 15; Zach 1, 14; 8, 2: *Haec dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno,* קִנֵּאתִי לְצִיּוֹן קִנְאָה גְדוֹלָה, *et indignatione magna zelatus sum eam,* וְחֵמָה גְדוֹלָה קִנֵּאתִי לָהּ. „Est zelus amor boni cum indignatione contrarii (Alb.) vel ingens amor rei amatae qui parit iram ingentem in eos qui rem amatam laedere vel amanti eripere satagunt (Lap.). Quare zelus in bonum Sionis et indignatio magna in hostes intellegitur, qua populum ab eorum oppressione vindicare vult; illa enim hostium punitio zelum Dei pro suis ostendit“ (*Knabenbauer,* Zacharias 300). Vindicat omnia peccata: Ex 20, 5; Nah 1, 2; Sap 1, 10; 5, 18 etc. *Accipiet armaturam zelus* vel potius zelum *illius,* *λήμψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ, et armabit creaturam ad ultionem* vel propulsationem *inimicorum,* *καὶ ὁπλοποιήσει τὴν κτίσιν εἰς ἄμυναν ἐχθρῶν. Induet pro thorace iustitiam,* *ἐνδύσεται θώρακα δικαιοσύνην, et accipiet pro galea iudicium certum* vel potius sincerum, *καὶ περιθήσεται κόρυθα κρίσιν ἀνυπόκριτον. sumet scutum inexpugnabile aequitatem* vel potius sanctitatem, *ὁσιότητα· acuet autem duram iram,* *ἀπότομον ὀργήν, in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum,* *ὁ κόσμος, contra insensatos* (Sap 5, 18—21). Hic Deus imaginibus variis describit stultos i. e. peccatores seu inimicos suos iuste, sincere, sancte a se puniendos esse, adiuvantibus ut in Aegypto rebus creatis. Conferas Martini (La Sacra Bibbia h. l.), Zöckler (Apokryphen 369).

In locis supra citatis affectus Domini nonnumquam vividius exponuntur, e. g. Nah 1, 2: *Deus aemulator, et ulciscens Dominus: ulciscens Dominus et habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis.* Sunt anthropopathismi (cf. pag. 397); nam in *Iahve* infinite perfecto (pag. 418 sq) defectus humani esse nequeunt.

6. Deus fidelis est i. e. servat quod promittit. Nonnullos locos fidelitatem divinam enuntiantes iam supra adduximus, nimirum Ex 34, 6 sq: *Dominator Domine Deus ... verax,* אֱמֶת i. e. fidelis, *qui custodis misericordiam in millia* (cf. pag. 444). Nm 23, 19: *Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit?* (cf. pag. 393). Dt 7, 9: *Et scies quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis et fidelis,* הוּא הָאֱלֹהִים הָאֵל הַנֶּאֱמָן i. e. ipse est Deus verus (אֱלֹהִים cum articulo, cf. pag. 398), Deus fidelis, *custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, et his qui custodiunt praecepta eius in mille generationes* (cf. pag. 444). Dt 32, 4: *Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius iudicia: Deus fidelis,* אֵל אֱמוּנָה i. e. Deus fidei seu fidelitatis, *et absque ulla iniquitate, iustus et rectus* (cf. pag. 449).

Fidelitas divina praesertim in Psalmis celebratur, e. g. Ps 24, 10: *Universae viae* (cf. pag. 437) *Domini, misericordia et veritas,* חֶסֶד וֶאֱמֶת i. e. gratia et fidelitas (*Hoberg,* Psalmen 79; *Thalhofer,* Psalmen 173; *Wolter,* Psallite I 331; commentatores protestantes), *requirentibus testamentum eius et testimonia eius.* — Ps 84, 11 sq: *Misericordia, et veritas,* חֶסֶד־וֶאֱמֶת i. e. gratia et fidelitas, *obviaverunt sibi,* נִפְגָּשׁוּ i. e. altera alteri occurrit: *iustitia, et pax,* צֶדֶק וְשָׁלוֹם, *osculatae sunt,* נָשָׁקוּ i. e. se osculantur. [12]*Veritas,* אֱמֶת, *de terra orta est,* תִּצְמַח i. e. progerminat, *et iustitia,* וְצֶדֶק, *de caelo prospexit,* נִשְׁקָף i. e. prospicit. In versibus 9—14 huius Psalmi tempus Messiae describitur (*Thalhofer,* Psalmen 496; *Wolter,* Psallite III 230) quo attributa Dei concorditer operantia (obviant sibi, osculantur se) apparebunt: gratia eaque promissa implens atque iustitia eaque pacem conferens; fidelitas divina in terra fructus varios affert (progerminat), iustitia autem de altitudine caeli omnia circumspiciens unicuique suum tribuit (cf. *Keßler,* Psalmen 186). — Ps 56, 11 (cf. 35, 6; 107, 5): *Quoniam magnificata est,* גָּדַל i. e. magna est, *usque ad caelos misericordia tua,* חַסְדֶּךָ, *et usque ad nubes veritas tua,* אֲמִתֶּךָ i. e. fidelitas tua (cf. v. 1 sqq); gratia et fidelitas Dei caelum et terram, totum universum implent (*Wolter,* Psallite II 414). — Ps 116, 1 sq: *Laudate,* הַלְלוּ, *Dominum omnes Gentes,* כָּל־גּוֹיִם: *laudate eum,* שַׁבְּחוּהוּ i. e celebrate eum, *omnes populi,* כָּל־הָאֻמִּים: [2]*Quoniam confirmata est,* גָּבַר i. e. invaluit, *super nos misericordia eius,* חַסְדּוֹ: *et veritas Domini,* וֶאֱמֶת־יְהוָה, *manet in aeternum,* לְעוֹלָם הַלְלוּ־יָהּ i. e. est in aeternum. Laudate Dominum. Cf. Ps 25, 3; 39, 12; 70, 22; 88, 15 (pag. 449 sq); 137, 2 etc.

אֱמֶת pro אֱמֶנֶת (ab אָמַן *fulcivit*) tam fidelitatem quam veracitatem significare potest (*Gesenius*, Thesaurus); qualis significatio in locis singulis accipienda sit, contextus monstrat. In Vulgata אמת plerumque *veritas*

vertitur; subintellegendum est: in promissis servandis (cf. *Georges,* Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch).

Denique fidelitas Dei ab Ieremia ut una ex rationibus quibus spes eius innitebatur in Lamentationibus (3, 21—24) profertur. [21] *Haec recolens in corde meo,* זֹאת אָשִׁיב אֶל־לִבִּי i. e. hoc (scil. id quod in v. 22 sq dicitur) converto ad cor meum (= in pectus meum demitto), *ideo sperabo* vel spero, videlicet: [22] *Misericordiae Domini,* חַסְדֵי יְהוָה, *quia non sumus consumpti,* כִּי לֹא־תָמְנוּ i. e. quia non desierunt (תָּמְנוּ = תַּמּוּ; cf. Syriacam; *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 72; *Kittel,* Biblia Hebraica h. l.; *Budde,* Klagelieder 94; *Löhr,* Klagelieder 14; *Öttli,* Klagelieder 214; *Thenius,* Klagelieder 154 sq cum *Ewald,* Lehrbuch § 65 b, et contextu; de constructione videas *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 368. *Knabenbauer,* Lamentationes 409, cum Vulgata תָּמְנוּ = תַּמּוּ accipit et contrarias sententias tacet): *quia non defecerunt miserationes eius,* רַחֲמָו. [23] *Novi diluculo,* חֲדָשִׁים לַבְּקָרִים i. e. novae sunt quovis mane (scil. misericordiae et miserationes: ita plerique interpretes antiquiores ac recentiores), *multa est fides tua,* רַבָּה אֱמוּנָתֶךָ i. e. magna est fidelitas tua. „Uti lux diei quotidie nobis affertur, ita novae apparent et inexhaustae exsistunt singulis diebus miserationes Dei... hae autem prodeunt, quia fidelitas Dei est magna, ampla, copiosa. . . . Qua consideratione intime motus vates in v. 24 exclamat: *Pars mea* i. e. sors et portio et hereditas mea est *Dominus*“ (*Knabenbauer,* Lamentationes 410): *propterea expectabo eum.*

Stade (Theologie 86) asserit Iahve fidelitatem suam eo maxime manifestasse quod cum populo Israel ad bellum profectus sit (cf. Iud 5, 1 sqq; 2 Rg 5, 24): Iahve enim a principio essentialiter deum belli esse (Er ist eben von Anfang an wesentlich Kriegsgott) qui populum contra hostes adiuvabat (Theologie 59), bella populi bella sua considerabat (Theologie 86), ideo *Dominus Deus exercituum* appellabatur (Theologie 73), cum arca in qua habitabat, in castra et proelium portabatur (Theologie 73 86). Quibus reponimus: α) Iahve in arca habitasse, quemadmodum Stade intellegit, et propter bella *Deum exercituum* nominatum esse falsissimum est (cf. pag. 382 411). β) Iahve populum suum contra hostes bellantem adiuvisse idque in exitu de Aegypto, in deserto, in occupatione terrae sanctae, tempore iudicum et regum, post exsilium in parte priore vidimus: ex hoc tamen iuxta praecepta philosophica non sequitur Iahve essentialiter deum belli esse. Eadem Scriptura Sacra (pag. 369) quae ista bella narrat, etiam refert Iahve essentiam suam contrario prorsus modo declarasse (pag. 374 sqq 388 sqq): unum acceptare et alterum respuere iuxta praecepta logica non licet. γ) Cum igitur essentia Domini non in eo consistat quod deus belli sit, inferri nequit Dominum fidelitatem suam auxiliando bellantes praecipue monstrasse. δ) Iuxta usum loquendi vocabulum אמת fidem significat „qua quis sibi constat, promissa servat

et exsequitur" (*Gesenius*, Thesaurus 117) quaecumque fuerint: ergo Stade contra usum loquendi fidelitatem Domini ad res militares praesertim spectare affirmat. Dominus contrarium asserit (cf. pag. 458).

7. Deus verax est i. e. numquam contra veritatem aliquid loquitur. Formaliter et explicite hoc attributum divinum in locis sequentibus docetur. Nm 23, 19: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur* (pag. 393). 1 Rg 15, 29: *Porro Triumphator in Israel non parcet* vel potius non mentietur (pag. 394). Ps 32, 4: *Quia rectum,* יָשָׁר i. e. verax (*Gesenius,* Thesaurus 641, aliique) *est verbum Domini, et omnia opera eius in fide* seu fidelitate, בֶּאֱמוּנָה. Verba Domini cum veritate et opera eius cum promissione congruunt (cf. *Wolter,* Psallite I 507). Ps 118, 160: *Principium,* רֹאשׁ i. e. summa, *verborum tuorum, veritas,* אֱמֶת. Omnes partes revelationis divinae veritas sunt (*Thalhofer,* Psalmen 695; similiter commentatores protestantes). — Virtualiter veracitas Dei in omnibus illis locis continetur qui ei infinitam (pag. 418) scientiam (pag. 432) et sanctitatem (pag. 452) adiudicant. Propter omniscientiam falli nequit et propter sanctitatem infinitam fallere nequit: ergo verba eius vera sint necesse est.

Contra veracitatem Dei obiciuntur: a) patriarcha Iacob approbante Deo mentitus est (cf. *Egger*, Dogm. spec. 100). At totus contextus (Gn 27, 1—32, 32) monstrat Deum mendacium Iacobi non approbasse sed graviter punivisse (cf. Comment. h. l.). b) Iob (12, 24 sq) asserit principes populi a Deo decipi ita ut errent quasi ebrii. Sed non omnia quae in libro Iob leguntur, vera sunt (pag. 226); videas ea quoque quae pag. 455 diximus. c) Stade (Theologie 90) affirmat Israelitas cum gentilibus credidisse homines a Deo infatuari, et citat 2 Rg 15, 31; Iud 9, 23; 3 Rg 12, 15; 22, 20 sqq; 4 Rg 3, 10 13. Verumtamen in 2 Rg 15, 31 hagiographus narrat Davidem audientem *quod et Achitophel esset in coniuratione cum Absalom* dixisse: *Infatua, quaeso,* סַכֶּל־נָא, *Domine consilium Achitophel* (cf. pag. 196) i. e. stultum seu irritum fac consilium eius (*Gesenius,* Thesaurus 953; *Buhl,* Handwörterbuch 494); quid in hac declaratione philologica contra veracitatem Dei continetur? Si autem vertere volueris: „fac ut stultum appareat consilium Achitophel", id observare debes quod ad locos ceteros notandum est. Legimus enim Iud 9, 23 Dominum inter Abimelech et habitatores Sichem spiritum pessimum misisse (cf. pag. 157); 3 Rg 12, 15 Roboam voluntati populi non acquievisse, quia Dominus eum aversatus fuerat (cf. pag. 226); 3 Rg 22, 20 sqq regem Achab a Deo per prophetas mendaces deceptum esse (cf. pag. 230); 4 Rg 3, 10 13 Ioram regem Israel dixisse: *congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab* (cf. pag. 232 sq). Primum et ultimum locum (2 Rg 15, 31 et 4 Rg 3, 10 13) praetermittere possumus, quia hagiographus non proprio nomine loquitur sed refert dumtaxat quid David et Ioram dixerint (cf. pag. 11 sq). Reliqui loci vero, quibus 2 Rg 17, 14 *(Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum)* addimus, ea ratione explicandi sunt quam pag. 456 diffuse tractavimus, quia alioquin Deus sibi ipsi contrarius esset quod philosophice impossibile est (pag. 409).

8. Deus sapiens est i. e. ita omnia disponit, ut finem ipsis propositum consequantur. — Possumus sapientiam theoreticam et practicam distinguere. Sapientia theoretica sensu latiore est „cognitio rerum per causas ultimas et altissimas“ (*Stöckl*, Grundzüge 1; *Grimmich*, Lehrbuch 1); sensu strictiore autem est „cognitio teleologica“ (*Hagemann*, Metaphysik 203) qua quis ita res disponere scit ut ad finem suum perveniant (cf. *Stöckl*, Grundzüge 356). Sapientia practica in eo consistit quod quis reapse ita res disponit ut finem ipsis propositum consequantur. Sacra Scriptura Deo non tantum sapientiam theoreticam, quae in omniscientia eius includitur (cf. notionem sapientiae theoreticae cum notione omniscientiae; pag. 432 sqq), sed etiam practicam ascribit, qua omnes creaturas bene ordinat et suaviter disponit.

Deum sapientem esse formaliter traditur in locis sequentibus. Prv 3, 19: *Dominus sapientia*, בְּחָכְמָה, *fundavit terram, stabilivit caelos prudentia*, בִּתְבוּנָה i. e. intellegentia. — Ps 103, 24: *Quam magnificata*, מָה־רַבּוּ i. e. quam multa facta (*Buhl*, Handwörterbuch) *sunt opera tua Domine! omnia in sapientia*, בְּחָכְמָה, *fecisti: impleta est terra possessione tua*, קִנְיָנֶךָ i. e. creatura tua, operibus tuis. — Ps 146, 5: *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius: et sapientiae eius*, לִתְבוּנָתוֹ, *non est numerus*. Licet in Hebraico non *sapientiae* sed *intellegentiae* (cf. supra) legamus, tamen hic adduci potest, quia in Prv 3, 19 תְּבוּנָה et חָכְמָה synonyma adhibentur. Item in Ib 12, 13: *Apud ipsum est sapientia*, חָכְמָה, *et fortitudo, ipse habet consilium*, עֵצָה, *et intelligentiam*, וּתְבוּנָה. — Ir 51, 15: *Qui fecit terram in fortitudine sua, praeparavit orbem in sapientia sua*, בְּחָכְמָתוֹ, *et prudentia sua*, וּבִתְבוּנָתוֹ, *extendit caelos*. Eadem omnino verba Ir 10, 12 leguntur ubi tamen Vulgata non bene *facit, praeparat, extendit* in praesenti vertit.

Perbelle sapientia Dei in libro Sapientiae et Ecclesiastici describitur. Sap 7, 15: *ipse sapientiae dux est, et sapientium emendator, αὐτὸς καὶ τῆς σοφίας ὁδηγός ἐστιν καὶ τῶν σοφῶν διορθωτής·* Deus homines ad sapientiam perducit et sapientia imbutos emendat, si errant. *Vapor, ἀτμίς, est enim virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera, καὶ ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής· et ideo nihil inquinatum in eam incurrit, παρεμπίπτει. candor, ἀπαύγασμα* i. e. splendor repercussus, *est enim lucis aeternae, et speculum sine macula, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον, Dei maiestatis, τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας* i. e. Dei operationis efficacis, *et imago bonitatis illius* (Sap 7, 25 sq). *Attingit ergo a fine usque*

ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap 8, 1; cf. pag. 421). His sententiis Deus non solum sapiens sed fons et exemplar sapientiae omnia disponentis appellatur. — Eccli 1, 1: *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum, πᾶσα σοφία παρὰ κυρίου, καὶ μετ' αὐτοῦ ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα.* Eccli 15, 19 (18): *quoniam multa* est *sapientia Dei, τοῦ κυρίου.* Eccli 42, 21: *Magnalia sapientiae suae decoravit* (pag. 393). Etiam in his locis Deus non solum sapiens sed fons sapientiae vocatur.

Daniel (2, 20 sqq) professus est: *Sit nomen Domini benedictum a saeculo et usque in saeculum: quia sapientia et fortitudo eius sunt . . . dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam . . . teque laudo: quia sapientiam, et fortitudinem dedisti mihi.*

Virtualiter sapientia Dei in omnibus illis locis continetur, in quibus opera eius bene ordinata praedicantur, e. g. Gn 1, 31: *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et* ecce *erant valde bona.* In antecedentibus versibus singula opera bona dicuntur, hic cuncta valde bona pronuntiantur. Una ex rationibus ob quas cuncta valde bona dicuntur, est ordo consensusque quo singulae partes universi inter se congruunt atque id assequuntur ad quod creatae sunt (Comment. 23). Atqui omnia ita disponere ut ad finem praefixum perveniant, sapientiae est. Ergo Deus, creator mundi, sapiens est. — Continetur etiam in illis locis qui Deum omniscientem (pag. 432) atque omnipotentem (pag. 447) dicunt. Etenim propter omniscientiam optime perspectum habet, quomodo res disponi debeant ut finem assequantur; propter omnipotentiam autem a nullo impediri potest, quominus per apta media res ad finem volitum perducat.

Propter omniscientiam et omnipotentiam suam Deus etiam malis physicis (pag. 447) atque moralibus seu peccatis (pag. 456) bene uti potest. „Neque Deus omnipotens, ait S. Augustinus (Ench. n. 11), . . . ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo."

9. Deus beatus est. Beatitudo est „status omnium bonorum congregatione perfectus" (*Boethius,* De consol. philos. 3, 2, quem philosophi et theologi communiter sequuntur). Deum in hoc statu esse formaliter duo dumtaxat, virtualiter autem multi loci biblici tradunt.

a) Formaliter haec veritas continetur in Ps 35, 9 sq: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae,* יִרְוְיֻן מִדֶּשֶׁן בֵּיתֶךָ i. e. ubertim satiabuntur ex pinguedine domus tuae: *et torrente voluptatis tuae potabis eos,* וְנַחַל עֲדָנֶיךָ תַּשְׁקֵם i. e. et de rivo deliciarum tuarum

bibere facies eos. [10] *Quoniam apud te est fons vitae: et in lumine tuo videbimus lumen.* Homines pii possunt edere pinguedinem quae symbolum bonorum optimorum (cf. Ir 31, 14; *Baethgen,* Psalmen 101; *Duhm,* Psalmen 104) et tam copiosa est ut partem tantum (מִן, *ab;* cf. *Baethgen* l. c.) consumere queant; possunt bibere de rivo deliciarum, quo nomine Psalmista ad fluvium paradisi in ʿEden alludit (*Duhm* l. c.) et abundantiam voluptatum significat; tam adeps quam rivus aquarum delicias insinuat (*Baethgen* l. c.; *Duhm* l. c.) quas Dominus in domo sua, in templo et in caelo, amicis suis distribuit: ergo Deus delicias exquisitas et abundantes possidet, quia nemo dare potest quod non habet, Deus beatus est, quod v. 10 confirmatur. In v. 10 enim Psalmista declarat, quare homo apud Deum tot tantasque delicias inveniat: Deus *fons* seu origo *vitae* (cf. pag. 432) est. Beatitudo entium intellegentium in perfectione vitae seu operationis consistit (cf. *Egger,* Propaedeutica 410); consistit in eo quod intellectus veritatem et voluntas summum bonum possidet. Fons autem vitae perfectae, „exsistentiae in se satiatae, omnia bona in se comprehendentis" (*Keßler,* Psalmen 78) Deus est. Ergo homo, si voluerit, per Deum beatus redditur. Idem sensus in altero parallelismi membro invenitur: *in lumine tuo videbimus lumen.* Nam אוֹר *lumen, lux* felicitatem significat (pag. 401), ita ut sit sensus: per felicitatem tuam, בְּאוֹרְךָ, perveniemus ad felicitatem (cf. *Hoberg,* Psalmen 121; *Thalhofer,* Psalmen 227; *Wolter,* Psallite I 594).

Baethgen (Psalmen 101 sq) asserit נחל significare rivum perenniter fluentem, at non est verum: significat etiam *torrentem* i. e. rivum hiemis seu pluviarum tempore dumtaxat fluentem (*Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch), neque perennitatem sed abundantiam deliciarum innuit, ut plerique commentatores sentiunt. — Utrum in v. 10 aliae quoque veritates expressae sint, infra examinabimus.

Valde similis est Ps 15, 10 (hebr. 16, 11): *Notas mihi fecisti* vel potius facies (videas verba antecedentia) *vias vitae* i. e. rationem (pag. 437) qua ad vitam perfectam pervenire possim; in quo autem ista vita consistat duo membra sequentia manifestant: *adimplebis me laetitia cum vultu tuo,* שְׂבַע שְׂמָחוֹת אֶת־פָּנֶיךָ i. e. abundantia laetitiarum est ante faciem tuam: *delectationes in dextera tua usque in finem,* נְעִמוֹת בִּימִינְךָ נֶצַח i. e. suavitates in dextera tua perpetuo (cf. *Baethgen,* Psalmen 43 sq). Si ante faciem et ad dexteram Domini abundantes laetitiae et suavitates sunt, ad quas iustus perducitur, Dominus sine dubio beatitudinem possidet.

Verba *Notas mihi fecisti . . . in finem* in multis operibus (etiam commentariis ab Hoberg, Thalhofer, Wolter editis) ut v. 11 signantur. At tres Vaticanae editiones Clementinae verba ista ad v. 10 trahunt; videas editionem meam vel Caroli Vercellone.

b) Virtualiter beatitudo Dei seu status omnium bonorum congregatione perfectus docetur *α)* in locis qui Deo aeternitatem ascribunt, quia haec est „interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio“ (*Boethius*, De consol. philos. 5, 6; cf. pag. 390 sqq). *β)* In locis qui Deum omniscientem (pag. 432), omnipotentem (pag. 447), pulcherrimum (pag. 424), infinitum (pag. 418), plenitudinem essendi habentem (pag. 380) dicunt. Ille enim cui quoad operationem et essentiam nihil omnino deest, reapse beatus est. *γ)* In illis locis qui Deum *Schaddai* i. e. sibi sufficientem (pag. 383) nominant. Nam quicumque „sibi sufficiens est nullo indigens, ille vere beatus est“ (*Egger*, Propaedeutica 410).

Egger (Dogm. spec. 105) scribit: „ait Psalmista: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (Ps 15, 2); quod verum non esset, si Deus ad plenam suam beatitudinem ullo bono creato indigeret“. Ex Vulgata, quacum LXX congruunt, haec conclusio deduci potest; in textu originali tamen scriptum est: אֲדֹנָי אַתָּה טוֹבָתִי בַּל־עָלֶיךָ i. e. Dominus meus es tu, bonum mihi non est supra te, aliis verbis: tu es summum bonum meum (*Baethgen*, Psalmen 40; *Keßler*, Psalmen 31; *Thalhofer*, Psalmen 114 sq; *Wolter*, Psallite I 139, cum *S. Hieronymo*). Videas tamen quae de Vulgata pag. 370 dicta sunt.

ARTICULUS IV.

DE PERSONIS DIVINIS.

In articulo praecedenti demonstravimus Deum esse *unum* (pag. 398 sqq) eumque *personalem* (pag. 430 sq). Libri Nov. Test. autem contestantur in Deo esse *tres personas* realiter distinctas quae unam eandemque essentiam habent (videas Theol. bibl. Nov. Test.). Ex quo patet definitionem personae humanae, quam Boethius naturae rationalis individuam substantiam descripsit (pag. 432), in personam divinam non quadrare, quia in uno Deo non tres substantiae individuae naturae divinae esse possunt. Propterea S. Thomas (1, q. 29, a. 4) docet: „In intellectu substantiae individuae, i. e. distinctae et incommunicabilis, intellegitur in divinis relatio“. Plura de hac re in Theologia biblica Nov. Test. vel in operibus dogmaticis inveniuntur. — Hic quaerimus: Quid de personis divinis sacri Libri Vet. Test. continent?

§ 40. Pluralitas personarum in Vet. Test. adumbratur.

Pluralitatem personarum divinarum Sacrae Scripturae Vet. Test. non tam clare et distincte ut libri Nov. Test. enuntiant; inveniuntur tamen etiam in Vet. Test. loci qui iuxta usum loquendi et contextum explicati saltem obscure significant in Deo uno esse plures personas realiter distinctas. Etenim a) sunt loci in quibus Deus de se pluraliter loquitur. Gn 1, 26 sq: *et ait* Deus, וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים, *καὶ εἶπεν ὁ θεός· Faciamus,* נַעֲשֶׂה, *ποιήσωμεν, Hominem,* אָדָם, *ad imaginem* nostram, בְּצַלְמֵנוּ, *et similitudinem nostram,* כִּדְמוּתֵנוּ (Samaritanus et LXX praemittunt ו, *καί*). . . . [27] *Et creavit Deus,* וַיִּבְרָא אֱלֹהִים, *hominem ad imaginem suam,* בְּצַלְמוֹ: *ad imaginem Dei,* בְּצֶלֶם אֱלֹהִים, *creavit illum,* בָּרָא אֹתוֹ, *masculum et feminam creavit eos,* זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם. Hagiographus de 'Elohim in singulari loquitur: *et ait . . . Et creavit . . . ad imaginem suam . . . creavit illum . . . creavit eos;* 'Elohim vero ipse de se in plurali loquitur: *Faciamus . . . ad imaginem* nostram *et similitudinem nostram.* Sensus obvius huius loci, iuxta usum loquendi et contextum intellecti, est: 'Elohim ad alios loqui. Ita locum intellegunt Iudaeus Philo (De mundi opific. 24; De profug. 13), protestantes Budde (Urgeschichte 484), Gunkel (Genesis 101 sq), Holzinger (Genesis 10), catholicus liberalissimus Engert (Weltschöpfung 41 sq) aliique antiquiores ac recentiores interpretes. Atqui 'Elohim neque ad deos alios neque ad angelos loquitur: non ad deos alios, quia tales in veritate non exsistunt, ut ipse testatur (pag. 402 sq): non ad angelos, quia v. 27 huic opinioni contrarius est. Ibi enim scriptor inspiratus (cf. pag. 8 sqq) testatur hominem ab 'Elohim loquente (non ab angelis) et quidem ad imaginem 'Elohim loquentis (non angelorum) creatum esse, quare sententia *Faciamus Hominem ad imaginem* nostram *et similitudinem nostram* de 'Elohim loquente tantum accipi possunt. Cum autem 'Elohim istis verbis nihilominus ad alios loquatur, quemadmodum supra diximus, inferamus oportet in Deo plures vel saltem duas personas realiter distinctas esse. Ita concludunt sancti Patres consensu unanimi (cf. *Petavius,* De Trin. 2, 7, 4 sqq; *Hummelauer,* Genesis 107), Corluy (Spicilegium 205), Hoberg (Genesis 15), Hummelauer (l. c.), Kaulen (Schöpfungsbericht 74), viri dogmatici communiter.

„Nec fas est credere, ait S. Augustinus (Civ. 16, 6, 1), ad imaginem angelorum hominem factum aut eandem esse imaginem angelorum et Dei: ideo recte intellegitur pluralitas Trinitatis. Quae tamen Trinitas, quia unus est Deus, etiam cum dixisset *Faciamus, et fecit,* inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei;* non dixit: Fecerunt dii aut ad imaginem deorum.“ —

Holzinger (Genesis 10; cf. et *Gunkel*, Genesis 101) explicationem sanctorum Patrum plurimorumque interpretum catholicorum „abusum trinitarium“ (trinitarischen Mißbrauch) vocat, quin tamen assertionem suam ullo argumento confirmet. Pro Hegelianis enim qui Deum ens universale seu indefinitum, in formis concretis se praesentans iterumque se destruens, monstrum semper devorans semperque ruminans declarant (pag. 430), sine ullo argumento constare debet Trinitatem impossibilem ideoque locum aliter explicandum esse.

Sed quomodo Gunkel (l. c.), Holzinger (l. c.), alii interpretes Hegelianismo addicti locum explicant? Dicunt: 'Elohim ad alias personas loquitur (bene, etiam nos dicimus; cf. pag. 465); atqui aliae hae personae in Deo ipso esse nequeunt (de hac re non amplius disputandum esse censent): ergo 'Elohim ad alios 'Elohim loquitur. Asserunt scriptorem hexaemeri fuisse quidem certissime monotheistam, retinuisse tamen ex quadam ratione pluralem numerum quem in polytheisticis documentis Babyloniis invenerat, ex quibus narrationem suam hauserat. His assertionibus sequentia opponimus: α) Hegeliani interpretes ob suas quas de Deo conceperunt opiniones decisum supponunt in Deo plures personas esse non posse; at opiniones eorum omnino falsae sunt (cf. pag. 16 407 sqq). β) 'Elohim per scriptorem inspiratum loquens (pag. 8 sqq) nobis narrat quid ipse dixerit; ille ipse autem qui tam sollemniter et constanter affirmat se solum esse Deum verum ac praeter se nullum deum alium exsistere (pag. 398 sqq), narrare nequit se ante creationem hominis ad deos alios dixisse *Faciamus* etc. Semper retinere debemus omnes libros sacros a Tridentino enumeratos divinitus inspiratos esse, ideoque Deum ipsum per hagiographos ad nos loqui ea ratione quae pag. 9 sqq exposita est. γ) 'Elohim ad alios 'Elohim a se essentialiter distinctos non locutum esse contextus proximus ostendit. Nam homo ab 'Elohim loquente (non ab aliis diis) et ad imaginem 'Elohim loquentis (non aliorum deorum) creatus dicitur (pag. 465). Ne opponatur nobis verba *ad imaginem suam,* בצלמו, in LXX deesse; reliqui enim testes critici (manuscripta Hebraica, Aquila, Symmachus, Theodotion, versio Latina et Syriaca) ea continent, quare a Ball, Ginsburg, Kittel aliisque recte genuina iudicantur. Idem contextus proximus prohibet, quominus cum Philone (De mundi opific. 24; De profug. 13) et aliis exegetis Deum ad angelos loqui censeamus; vide pag. 465. δ) Hexaemeron ex polytheisticis documentis Babyloniis desumptum non est, quod infra de creatione mundi tractantes demonstrabimus. ε) Etiam supposito sed non concesso hagiographum narrationem suam ex polytheisticis documentis hausisse, pluralem certo mutasset, si polytheismum redoleret, quia ipse monotheista rigidus fuit, ut omnes concedunt (cf. *Zapletal*, Schöpfungsbericht 27). ζ) Quod quidam cum Dillmann (Genesis 31) putarunt, videlicet scriptorem hexaemeri ob suam de Deo conceptam opinionem scribere noluisse *et ait Deus:* Faciam *hominem ad imaginem meam et similitudinem meam,* versu sequenti confutatur ubi certo scribit: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.*

Ex his patet quam immerito etiam Loisy (Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse 59; cf. *Zapletal*, Schöpfungsbericht 27) atque Engert (Weltschöpfung 41 sq) opinionem Gunkeli amplexentur. Sed opuscula amborum nihil aliud sunt quam epitome operum a rationalistis Germaniae, praesertim a Gunkel, Guthe, Holzinger, Stade, Winckler, Zimmern conscriptorum, uti comparatio voluminum docet: ergo non mirum est quod sententias Hegelianorum contineant. Engert non rubescit scribens etiam divisionem humanitatis in genus masculinum et

femininum *(masculum et feminam creavit eos)* iuxta exemplaria caelestia peractam esse, si verba textus spectemus.

Omnes illi qui numerum pluralem neque de Trinitate neque ex documentis polytheisticis declarare voluerunt, alias explicationes proposuerunt. Alii dicunt esse pluralem maiestatis vel invitationis (reflexionis, consultationis) internae. At pluralis maiestatis, a Persis et Graecis adhibitus (1 Esr 4, 18; 1 Mach 10, 19; 11, 31; 15, 9) in antiquioribus libris sacris non occurrit (*Dillmann*, Genesis 31; *Gunkel*, Genesis 101; *Holzinger*, Genesis 10); pluralis invitationis internae in nullo loco alio invenitur (*Dillmann* l. c.; *Holzinger* l. c.): ergo neque hic supponendus est. Alii cum Dillmann (Genesis 31) pluralem ideo positum iudicant, quod Deus complexus vivus et personalis potentiarum sit; sed Gunkel (Genesis 101) hanc opinionem recte reicit, quia Deus ut complexus seu unio personalis potentiarum in singulari loqui debet.

Zapletal (Schöpfungsbericht 26 sqq) singulas istas explicationes repudians cum Strack (Genesis[1] 3) asserit hunc pluralem ex forma plurali *'Elohim* declarandam esse. Quod exegeta catholicus sine ullo argumento communem Patrum et interpretum catholicorum explicationem repudiet, iam in se mirum est; praesertim autem mirum est, si sententia ab ipso proposita improbabilis invenitur. Nomen *'Elohim* tam cum singulari quam cum plurali construi omnes concedunt (pag. 373); at hoc concesso textus non explanatur, sed quaestio recurrit: quare in v. 26 sq hagiographus de 'Elohim in singulari scribit *(ait, creavit, suam)*, 'Elohim autem de se loquens pluralem adhibet *(Faciamus nostram)*? Illa sola interpretatione, quam Holzinger „abusum trinitarium" vocat (pag. 466) et Zapletal ut „nimiam" repudiat, omnes et singulae difficultates solvuntur (Comment. 18).

Minocchi (Genesi 12 sq) scribit: „Avendo noi già escluso, che questo capitolo sia stato scritto in conseguenza di una diretta rivelazione da Dio fatta al sacro scrittore, non possiamo vedervi una chiara allusione al dogma cristiano della Trinità.... Perciò stesso noi possiamo riconoscere, in questa oscura espressione, una tendenza dello spirito religioso ebraico, guidato da Dio inspirante, verso il puro concetto della Trinità cristiana." Verumtamen dogma Trinitatis iuxta consensum Patrum et theologorum catholicorum (videas opera dogmatica) est mysterium sensu strictissimo quod sola revelatione supernaturali accipi, non autem humana ratione inveniri potest. Ergo sententia Minocchi, nullo argumento probata, adoptari nequit. Videas *Pohle*, Dogmatik I 319 sqq.

Similis est Gn 11, 6 sqq: *et dixit* Dominus, וַיֹּאמֶר יְהוָה, *καὶ εἶπεν κύριος· Ecce, unus est populus, et unum labium omnibus: . . .* [7] *Venite igitur,* הָבָה, *δεῦτε, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum . . .* [8] *Atque ita divisit eos Dominus,* יְהוָה. Loquitur Iahve, praeter quem deus alius non exsistit (pag. 398 sqq); invitat alios ad linguam hominum confundendam, nam illud *Venite,* הָבָה, non de uno sed de pluribus (saltem de duobus) accipiendum est, ut v. 3 sq ostendunt et interpretes antiquiores ac recentiores concedunt: ille autem qui reapse linguam hominum confudit itaque homines divisit, a scriptore inspirato Iahve dicitur. Cum in Domino exsecutio cum intentione propter omniscientiam et omnipotentiam convenire debeat, inferamus oportet invitatos ad con-

fundendum ab Iahve confundente non distinctos fuisse ideoque in Iahve personam invitantem et personas invitatas distinguendas esse.

„Putant aliqui, scribit Lapide (ad Gn 11, 7), Deum hic loqui angelis, angelos enim adiuvisse hanc linguarum confusionem: ita S. Augustinus (lib. 16, Civit. cap. 9), Philo, Caiet. et Perer. Sed verius est Deum Patrem hic loqui, non quidem alteri cuipiam Deo, ut obiiciebat Iulianus apostata, sed suo Filio et Spiritui Sancto. . . . Sicut enim ibi creatio non angelorum sed solius Dei fuit opus, ita pariter fuit et hic haec linguarum confusio.“ — Gunkel (Genesis 87) et Holzinger (Genesis 111) cum Stade aliisque rationalistis opinionem Iuliani apostatae repetunt et amplexantur; Hummelauer (Genesis 337) in medio relinquit, utrum sententia cum S. Augustino de angelis an cum S. Ephremo de Trinitate intellegenda sit. Contextus tamen, uti diximus, sententiam S. Ephremi, S. Chrysostomi, Ruperti, Lapide, Hoberg aliorumque interpretum et dogmaticorum plurimorum commendat.

Alius locus, in quo pluralitas personarum divinarum forma plurali adumbratur, est Gn 3, 22: *Et ait* Dominus Deus, יְהוָה אֱלֹהִים, *κύριος ὁ θεός· Ecce Adam quasi unus ex nobis,* כְּאַחַד מִמֶּנּוּ, *factus est, sciens,* לָדַעַת, *τοῦ γινώσκειν, bonum et malum.* Iahve-'Elohim per ironiam vel sarcasmum loquitur (Comment. 87). Illud *quasi unus ex nobis* neque deos alios significare potest, quia Iahve constanter asserit praeter se deum alium non exsistere (pag. 398 sqq); sed neque angelos bonos indicat, quia angeli boni in antecedentibus nondum nominati sunt, atque protoparentes non sicut angeli sed sicut Deus ipse fieri volebant (perlegas Gn 3, 1—5). Quomodo verba intellegenda sint contextus docet. Tam *'Elohim* (pag. 465) quam *Iahve* (pag. 467) loquens pluralitatem personarum divinarum insinuavit; ergo inferendum est etiam *Iahve-'Elohim* eadem ratione locutum esse. Quare Hoberg (Genesis 47), Hummelauer (Genesis 172), Lapide (ad Gn 3, 22) aliique cum dogmaticis viris in isto versu Trinitatem adumbratam vident.

Locus classicus est Gn 19, 24: *Igitur Dominus,* וַיהוָה, *pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de caelo,* מֵאֵת יְהוָה מִן־הַשָּׁמָיִם. Iuxta hunc locum *Iahve* cum Abraha et Lot in terris conversans (cf. Gn 18, 1—19, 23) ab *Iahve* in caelis habitante pluviam ignis et sulphuris venire fecit. Cum autem Iahve quoad essentiam unus sit (pag. 398), in eo duas saltem personas distinguere debemus. Ita S. Irenaeus (Contra haer. 3, 6), S. Cyprianus (Ad Quirin. 3, 33), S. Hilarius (De Trin. 4, 29), S. Hieronymus (In 1 Oseae) aliique interpretes locum intellegunt.

Dillmann (Genesis 274), Gunkel (Genesis 193), Holzinger (Genesis 156), Hummelauer (Genesis 416), Strack (Genesis [2] 72) aliique acatholici putant מאת יהוה esse = ἐκ Διός idemque significare ac מן־השמים; sed ita una aut

altera phrasis superflua est, quare Gunkel (l. c.), Holzinger (l. c.), Kittel (Biblia Hebraica) cum Olshausen opinantur phrasim alteram esse glossam serius additam, quam opinionem tamen nullo argumento probant. At contraria omnino via incedendum est, videlicet: omnes testes critici phrasim illam duplicem exhibent; cum autem improbabile sit eandem ideam quattuor verbis immediate se excipientibus exprimi, phrases sic explicare debemus, ut tautologia evitetur, quam explicationem contextus remotus (Gn 1, 26; 3, 22; 11, 7) nobis insinuat.

Multi antiquiores putarunt mysterium Trinitatis tribus istis viris seu angelis symbolice significatum fuisse qui Abrahae apparuerunt (Gn 18, 2; Comment. 283); at ex usu loquendi et contextu haec sententia vix probari poterit neque consensu communi Patrum commendatur. — Alii pluralitatem personarum forma pluralis nominum *'Elohim* et *Adonai* (pag. 373 382) insinuatam censent (cf. Comment. 2). In se haec forma pluralis pluralitatem personarum non probat, quia alio modo bene explicari potest (pag. 373 sq); si tamen hunc pluralem cum Gn 1, 26; 3, 22; 11, 7; 19, 24 comparamus, concedere possumus hac forma pluralis Trinitatem obscure doceri (cf. Comment. 2).

b) Pluralitas personarum divinarum in illis locis docetur, ubi *angelus Domini,* מַלְאַךְ יְהוָה, vel *angelus Dei,* מַלְאַךְ אֱלֹהִים, Deus nominatur. Saepe Scripturae de angelo Domini loquuntur, uti notissimum est. In plurimis locis (e. g. Ex 33, 1 sqq; cf. pag. 414; et alibi) evidenter spiritus caelestis a Deo distinctus intellegendus est; de his angelis infra loquemur. In aliis vero locis (e. g. Gn 16, 7 coll. v. 13; 18, 1 sqq; 22, 15 sqq; 31, 11 sqq; 48, 15 sq; Ex 3, 2 sqq; 14, 19 coll. 13, 21; Nm 20, 16 coll. Ex 14, 24; Iud 6, 11 sqq) angelus Domini clare et certe Deus nominatur. Locus celeberrimus est Ex 3, 2 sqq: *Apparuitque ei Dominus,* מַלְאַךְ יְהוָה, *ἄγγελος κυρίου, in flamma ignis de medio rubi...* 4 *Cernens autem Dominus,* יְהוָה, *quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi...* 6 *Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob....* 14 *Dixit Deus ad Moysen: EGO SUM QUI SUM. Ait: Sic dices filiis Israel: QUI EST, misit me ad vos* (cf. pag. 374 sqq). In hoc loco angelus Domini, מַלְאַךְ יְהוָה, semetipsum *Iahve* et *'Elohim* appellat; idem sensus ceteris locis supra citatis subest. Atqui מַלְאָךְ *angelus* (ab inusitato לָאַךְ *misit, legavit*) essentialiter missum seu legatum, ideoque מַלְאַךְ יְהוָה *angelus Domini* vel מַלְאַךְ אֱלֹהִים *angelus Dei* missum seu legatum Domini vel Dei significat (cf. *Gesenius,* Thesaurus; *Fürst,* Handwörterbuch; *Buhl,* Handwörterbuch). Iuxta usum loquendi universalem et constantem autem nemo semetipsum mittere seu legare dicitur; missus seu legatus et mittens seu legans sunt semper personae realiter distinctae. Ergo in uno (pag. 398 sqq) Deo, 'Elohim vel Iahve, duae personae

realiter distinctae sint necesse est: persona mittens seu legans atque persona missa seu legata.

Qui cum Ecclesia catholica retinet S. Scripturam divinitus inspiratam esse (pag. 8 sqq), ideoque Deum ipsum qui nec falli nec fallere potest, in ea ad nos loqui (pag. 409); qui considerat, quomodo missus seu legatus a Deo sollemniter se Deum nominet: hic, inquam, secundum praecepta logica concludere debet in uno Deo esse duas personas realiter distinctas.

Loci supra citati tam clari sunt, ut protestantes quoque concedant angelum a Deo missum in eis *Deum* nominari. Videas Dillmann-Kittel (Handbuch 325 sqq), Gunkel (Genesis 170 sq), Kautzsch-Guthe (Bibelwörterbuch 157 sq), Oehler (Theologie 203 sqq), Smend (Lehrbuch 123 sqq), Stade (Theologie 96 sqq), quibuscum multi alii consentiunt. Protestantes antiquiores, qui adhuc mysterium Trinitatis credebant, cum Patribus Ecclesiae ex istis locis concludebant hunc angelum Domini esse alteram personam divinam a persona mittente realiter distinctam (cf. *Oehler*, Theologie 209). Recentissimi protestantes, asseclae pantheismi vel systematis evolutionis (pag. 430), non solum mysterium Trinitatis verum etiam personalitatem Dei mundum transcendentis negant (pag. 16) et propterea conclusionem a nobis deductam agnoscere nequeunt et illos locos alio modo explicare conantur. Alii (Vatke, De Wette, Ewald, Hitzig, Kaiser, Reuß, multi recentiores; cf. *Oehler*, Theologie 209, et *Stade*, Theologie 96) asserunt מלאך significare *missionem*, i. e. apparitionem Dei non hypostaticam. At huic explicationi tam usus loquendi quam contextus repugnat. Nam מלאך numquam *missionem* in abstracto, sed semper *missum* in concreto significat (*Stade*, Theologie 96); contextus autem locorum pag. 469 citatorum evidenter docet מלאך esse personam (pag. 430 sqq) eamque a persona mittente realiter distinctam (pag. 469; cf. *Oehler*, Theologie 210). — Alii (*Gunkel*, Genesis 107 sq; *Kautzsch-Guthe*, Bibelwörterbuch 157; *Stade*, Theologie 97; asseclae eorum) sequentia asserunt: narrationes, in quibus angelus Domini se Deum nominans occurrit, fabulae sunt, et difficultas antiquiore ac recentiore tempore agitata facile solvi potest. Fabulae antiquiores de Iahve valde simpliciter loquuntur: Iahve personaliter apparet, gressus et vox eius audiuntur, forma eius videtur; tempus recentius talem simplicitatem intellegere non potuit: sublimiores de natura Iahve notiones informaverat, ita ut non Iahve ipsum, sed angelum eius apparuisse diceret. Scriptor recentioris huius temporis igitur pro *Iahve* posuit *angelum Iahve*, at non consequenter, quia fabulae antiquae tam fideles sunt, ut totam narrationem immutare non posset. Propterea narratur e. g. ancillae Hagar angelus Domini apparuisse, sed nihilominus refertur Dominus ipse ab ea visus esse. Ita Gunkel (l. c.). Secundum Stade (l. c.) antiquissimo tempore narrarunt *numina loci* apparuisse, tempore recentiore affirmarunt *Iahve* qui numina loci expulerat apparuisse, tempore recentissimo dixerunt *angelum Iahve* apparuisse, quin tamen narrationes antiquiores consequenter permutarent. — Ad haec respondemus generatim: Hegeliani seu asseclae systematis evolutionis ob notionem de Deo conceptam (cf. pag. 16 430) consequenter tales assertiones proponere ac defendere debent; at Hegelianismus seu systema evolutionis philosophice ac theologice omnino falsum est (cf. pag. 430), quare etiam conclusiones ex hoc systemate „cum logica consequentia“ deductae necessario falsae sunt, quemadmodum in logica docetur. Protestantes semper repetunt se puram sacrorum librorum doctrinam tradere; atqui usus loquendi atque contextus commonstrant in Deo uno (pag. 398 sqq) esse duas personas, personam mittentem ac personam missam (pag. 469): ergo protestantes, si in asser-

tione sua semper repetita constantes esse volunt, puram hanc doctrinam biblicam tradere debent. At illi ipsi qui dictitant se liberos a praeiudiciis seu opinionibus praeiudicatis (cf. Exegeticam 51 sqq 85 sqq) Scripturam explicare, ob falsum systema evolutionis adoptatum claram doctrinam biblicam pervertunt. Respondemus speciatim. α) Narrationes in quibus angelus Domini se Deum nominat, non sunt fabulae: nam scriptor inspiratus proprio nomine loquitur, ut e contextu elucet, ergo falsa narrare nequit (pag. 9 sqq). β) Non quaerimus, quid homines antiqui temporis senserint, sed quid Deus per hagiographum loquens hominibus revelaverit: hic autem angelum Domini Deum nominat. γ) Quae Stade de numinibus loci asserit, iam pag. 407 sqq falsa demonstravimus. δ) Hagiographos de natura Iahve sublimiter sentientes, simul tamen stupidius scribentes supponunt. Nam ille revera stupidus est, qui ob sublimes suas de natura Iahve conceptas notiones in una parte narrationis pro ipso Iahve angelum Iahve ponit, sed in altera parte eiusdem narrationis atque contextus ipsum nomen Iahve relinquit. Si ob sublimes suas ideas in una parte fabulam (uti supponunt) mutavit, consequenter in altera quoque mutare debuit, ne in tam artum contextum contradictionem inferret itaque stupidum se monstraret. Unum eundemque scriptorem (cuius inspirationem hic tacemus) sublimes de Deo notiones habentem, simul tamen in arto contextu contradictiones fabricantem statuere a sana logica abhorret.

Angelus Dei vel Domini igitur in nonnullis locis biblicis alteram personam divinam significat, quae ad redimendum genus humanum a prima persona mittitur. *Ecce ego mitto angelum meum,* i. e. praecursorem meum, *et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator,* הָאָדוֹן, *quem vos quaeritis, et angelus testamenti,* וּמַלְאַךְ הַבְּרִית, *quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum* (Mal 3, 1). Angelus testamenti ob parallelismum membrorum (cf. Exegeticam 41) idem est ac Dominator, utraque vox Iahve significat (ut lit. d probabimus); Iahve autem missus, i. e. מַלְאָךְ, necessario personam mittentem supponit, quae divina esse debet, quia Iahve ab aliis non dependet (pag. 378). — Plures citant Is 9, 6^{b} *καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ,* scil. redemptoris, *Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, magni consilii angelus, ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας καὶ ὑγείαν αὐτῷ.* Sed haec versio non est accurata, ut omnes commentatores recentiores concedunt; Vulgata textum Hebraicum accuratius reddit: *et vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis* (videas lit. d).

Si angelus Domini se *Iahve* et *'Elohim* nominans atque ut Deus loquens et operans altera persona divinitatis est, cum Patribus Ecclesiae, scholasticis, exegetis recentioribus quaerere possumus, utrum altera persona divina sub specie visibili immediate apparuerit, locuta et operata sit, an spiritus creatus quidem sub ista specie visibili apparuerit, locutus et operatus sit, sed nomine et auctoritate alterius personae divinae, ita ut verba et facta eius recte personae divinae tribui possent. Hanc quaestionem Oehler (Theologie 206 sqq) diffuse tractat; nos breviter

respondemus. Sententia probabilior nobis videtur alteram personam divinam revera immediate sub specie visibili apparuisse, locutam et operatam esse. Nam ille *angelus Domini* non solum ab hagiographo diserte *Iahve* nominatur, sed ipse quoque sollemniter profitetur se esse *SUM QUI SUM, Deum* Abraham et Isaac et Iacob, immo permittit (Iud 6, 18 sq) ut sibi sacrificium offeratur (cf. *Oehler*, Theologie 207 sq). Si ille angelus Domini revera non divina persona fuisset, neque sine mendacio se *Iahve* et *'Elohim* nominare neque sine impietate sibi sacrificium offerri permittere potuisset, quia sacrificia iuxta constantem doctrinam biblicam soli Deo offeruntur. Ne obiciant nobis verba et acta legati recte verba et acta legantis dici posse. Nam legati Dei erant omnes angeli a Domino ad homines missi; quare igitur Deus in Scriptura alios ab Iahve distinguit, alium vero diserte Iahve nominat? Ceterum manet ista difficultas, quod nullus legatus Dei se Deum dicere vel sibi sacrificium offerri permittere potest. — Multi theologi antiquiores ac recentiores e contrario probabilissimum censent alteram personam divinitatis non immediate sub specie visibili apparuisse, sed per spiritum creatum in illa specie cum hominibus conversatam esse. At haec sententia cum locis supra citatis pugnat neque argumentis logice validis confirmatur. Appellant consensum Patrum. Sed Patres ne materialiter quidem consentiunt (cf. *Oehler*, Theologie 206 209); et si consensus materialis adesset, nemo probare posset consensum formalem quoque adesse, qui solus interpretem ligat (videas pag. 25). Idem multo magis de scholasticis valet. Appellant locos Novi Testamenti, qui tradere videntur alteram personam divinam non in Vetere, sed in Novo Testamento immediate apparuisse, locutam et operatam esse. S. Paulus enim scribit: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula* (Hebr 1, 1 sq). Sed in hoc loco Paulus de apparitionibus angelorum non loquitur; comparat potius revelationem Dei per Prophetas traditam cum revelatione per Filium incarnatum facta (cf. Bisping, Kübel, Weiß ad hunclocum). Iterum: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio, et inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est* (Hebr 2, 2 sq; cf. Gal 3, 19). Sed neque heic apostolus de apparitionibus illius angeli Domini sed de modo diverso loquitur, quo lex antiqua et lex nova promulgata est (Bisping, Weiß ad hunc locum). Item: Τῆς φιλοξενίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε, διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. Vulgata constructioni Graecae nimis inhaerens obscure vertit: *Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis* (Hebr 13, 2). Alludit Paulus ad hospitalitatem Abrahae (Gn 18, 1 sqq) et Lot (Gn 19, 1 sqq) qui nescientes angelos hospitio receperunt (cf. pag. 469; Comment. 283 sqq 294 sqq), sed de natura illius angeli qui *Iahve* nominatur, nihil definit.

c) Pluralitas personarum in iis quoque locis Proverbiorum, Sapientiae, Ecclesiastici innuitur, ubi *sapientia divina* a Deo realiter distinguitur. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam.* [25]*Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera...* [26]*candor, ἀπαύγασμα, est enim lucis aeternae, et speculum sine ma-*

cula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius. [27] *Et cum sit una, omnia potest: et in se permanens omnia innovat...* (Sap 7, 24—27; cf. pag. 396). *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap 8, 1). *Haec illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit,* [2] *et eduxit illum a delicto suo* (Sap 10, 1 sq). In hoc loco hagiographum de sapientia divina loqui eique immutabilitatem, omnipraesentiam, omnipotentiam ascribere iam pag. 394 396 421 448 notavimus. Hanc sapientiam a Deo realiter distinguit eam vaporem virtutis Dei, emanationem sinceram claritatis omnipotentis Dei, candorem lucis aeternae, speculum maiestatis Dei, imaginem bonitatis illius appellans. Atqui unus dumtaxat Deus immutabilis, omnipraesens, omnipotens exsistit (pag. 398 sqq). Ergo ista sapientia divina atque Deus, a quo realiter distinguitur, duae personae deitatis eiusdem realiter distinctae esse debent. Quam conclusionem S. Paulus confirmat, qui de Filio Dei testatur quod *sit splendor gloriae, ἀπαύγασμα τῆς δόξης, et figura substantiae eius, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* (Hebr 1, 3).

Prv 8, 22—31 de sapientia divina legimus: *Dominus,* יְהוָה, *possedit me,* קָנָנִי, *ἔκτισέν* (sed Aquila, Symmachus, Theodotion *ἐκτήσατό*) *με, in initio* (בְּרֵאשִׁית: ita S. Hieronymus in suo codice Hebraeo scriptum invenit, itaque Syrus vertit et Targum; sed textus Masorethicus habet accusativum רֵאשִׁית, LXX *ἀρχήν*) *viarum suarum,* דַּרְכּוֹ (ita Kittel cum LXX, Symmacho, Vulgata punctandum censet; textus Masorethicus habet דַּרְכֹּו i. e. viae suae), *antequam quidquam faceret a principio,* מִקֶּדֶם מִפְעָלָיו מֵאָז i. e. prius quam opera sua antiquitus, LXX *εἰς ἔργα αὐτοῦ.* [23] *Ab aeterno,* מֵעוֹלָם, *πρὸ τοῦ αἰῶνος* (cf. pag. 390 sq) *ordinata sum,* נִסַּכְתִּי i. e. constituta sum (LXX *ἐθεμελίωσέν με*), *et ex antiquis antequam terra fieret,* מֵרֹאשׁ מִקַּדְמֵי־אָרֶץ i. e. a principio, a primordiis terrae, *ἐν ἀρχῇ, πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι.* [24] *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta* vel nata *eram... ante colles ego parturiebar....* [27] *Quando praeparabat caelos, aderam...* [28] *quando circumdabat mari terminum suum... quando appendebat fundamenta terrae.* [30] *Cum eo eram cuncta componens,* וָאֶהְיֶה אֶצְלוֹ אָמוֹן i. e. et eram apud eum artifex: *et delectabar* scil. de munere artificis (Strack et Wildeboer ad h. l.) *per singulos dies, ludens* scil. operabar (Strack et Wildeboer ad h. l.) *coram eo omni tempore;* [31] *ludens in orbe terrarum: et deliciae meae esse, cum filiis hominum* (pag. 446). In sententiis Prv 8, 22—31 descriptis sapientiam ut personam divinam ab alia persona divina realiter

distinctam proponi pro iis valde perspicuum est, qui doctrina Nov. Test. imbuti sunt. *In principio, ἐν ἀρχῇ, erat verbum,* inquit S. Ioannes (1, 1—3) *et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.* [2]*Hoc erat in principio apud Deum.* [3]*Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, οὐδὲ ἕν.* Quod evangelista de verbo, *λόγῳ*, testatur, auctor Proverbiorum de sapientia affirmat. In principio, quando neque caelum neque terra neque mare exstitit, sapientia iam erat apud Deum, et quidem ut artifex quae cum gaudio et facilitate operata est. Atqui phrasis *caelum et terra et mare* totum mundum, universitatem rerum creatarum significat (Gn 1, 1: 2, 1; Ex 20, 11; cf. Comment. 3). Ergo sapientia quae ante creationem caeli et terrae et maris iam erat, non temporalis sed aeterna, non creatura sed Deus universitatem rerum creatarum transcendens, creator mundi est, et quidem ab illa persona cuius sapientia nominatur et apud quam esse asseritur, realiter distincta. — Contra hanc explicationem Frankenberg (Sprüche 60 sq) obicit אָמוֹן non artificem sed *filium* seu *alumnum* significare, quod iam Noldius et Michaelis (cf. *Gesenius,* Thesaurus) cum Aquila *(τιθηνουμένη)* opinabantur et Buhl (Handwörterbuch) dubitans praeferre videtur. Cui obiectioni opponimus: primo, versio Graeca, Latina, Syriaca et plerique philologi ac commentatores, non solum antiquiores sed etiam recentiores (Gesenius et Fürst; Bertheau-Nowack et Strack) significationem artificis seu opificis retinent; secundo, si significatio vocabuli אָמוֹן absolute loquendo dubia esset, contextus eam determinaret, quia Sap 7, 21 sapientia *πάντων τεχνῖτις, omnium artifex,* et Io 1, 3 verbum seu *λόγος omnia ad unum* creans dicitur: in Proverbiis, Sapientia, Evangelio Ioannis autem idem Deus inspirans loquitur; tertio, si vocabulum אָמוֹן in Proverbiis reapse filium vel alumnum significaret, quid deinde? sapientia appellaretur *filia Dei* ante creationem universi genita, ut in libro Sapientiae (pag. 472). Sed iam instat gravior obiectio. — Bertheau-Nowack (Sprüche 56), Frankenberg (Sprüche 58), Strack (Sprüche 34), Wildeboer (Sprüche 27, sed dubitans) cum aliis v. 22 textus Masorethici sic vertunt: „Iahve creavit me ut initium viae suae i. e. creationis suae, ut primum operum suorum antiquitus", atque sapientiam creaturam primam Dei declarant. Versio ac declaratio non est nova; iam Ariani textum ita explicarunt (cf. *Wildeboer,* Sprüche 27), quae explicatio absolute loquendo repudiari nequit. Verumtamen v. 22 sic quoque verti potest: „Iahve possedit me in initio viae suae i. e. creationis

suae, prius quam opera sua antiquitus." Etenim קָנָה non tantum *creavit*, sed etiam *possedit* significat (cf. Gn 4, 1; *Fürst*, Handwörterbuch; *Gesenius*, Thesaurus; *Buhl*, Handwörterbuch) itaque Aquila, Symmachus, Theodotion verbum intellexerunt. Deinde S. Hieronymus (Ep. 140 ad Cypr.; cf. *Bertheau-Nowack* l. c.; *Wildeboer* l. c.) diserte notat: „Ita enim scriptum est *Adonai canani bresith dercho*"; ceterum etiam accusativus רֵאשִׁית eodem modo reddi potest ac בְּרֵאשִׁית, quemadmodum Bertheau-Nowack (l. c.) et Wildeboer (l. c.) candide fatentur (videas et *Gesenius-Kautzsch*, Grammatik 377 sq). Quo facto sequens membrum respondens קֶדֶם מִפְעָלָיו non vertendum est *primum operum suorum* sed potius *prius quam* (videas מִן in lexico vel grammatica) *opera sua* quod Bertheau-Nowack (l. c.) et Wildeboer (l. c.) iterum candide fatentur, et versiones antiquae expresserunt. Si iam quaerimus, quam ex versionibus absolute possibilibus contextus commendet, nullum dubium relinquitur. In fine sectionis (i. e. Prv 8, 22—31) scriptor inspiratus testatur sapientiam ante creationem universi iam apud Deum fuisse, et propterea universitatem rerum tempusque cum ea coniunctum (videas philosophiam) transcendere: ergo concludamus oportet scriptorem inspiratum in principio eiusdem sectionis eandem doctrinam, non vero contrariam proponere; eum non docere sapientiam esse primam Dei creaturam. Haec conclusio iis confirmatur quae Sap 7, 24—8, 1 scripta sunt. Ibi enim sapientia immutabilis, ubique praesens, omnipotens vocatur (pag. 473): ergo Deus, qui librum Sapientiae et Proverbiorum inspiravit sibique contradicere nequit (pag. 416), sapientiam in libro Proverbiorum primam suam creaturam dicere non potest, quia nulla creatura immutabilis, ubique praesens, omnipotens est.

Locus valde similis est Eccli 24, 5—7 12 14: *Ego* (*sapientia*, cf. v. 1) *ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam:* [6] *Ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram:* [7] *Ego in altissimis, ἐν ὑψηλοῖς, habitavi, et thronus meus in columna nubis....* [12] *Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, καὶ ὁ κτίσας με κατέπαυσεν*, i. e. quiescere fecit, *τὴν σκηνήν μου....* [14] *Ab initio, et ante saecula, πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς, creata sum, ἔκτισέν με, et usque ad futurum saeculum non desinam, καὶ ἕως αἰῶνος οὐ μὴ ἐκλίπω.* Verba *primogenita* usque *indeficiens* inclusive in LXX desunt; textus Hebraicus huius capitis nondum inventus est: ceterum in hac quaestione indifferens est, utrum genuina sint necne. Totus

locus secundum Sap 7, 24—8, 1 et Prv 8, 22—31 declarandus est, quia tres loci eundem habent auctorem inspirantem (pag. 369). Ergo illud *πρὸ τοῦ αἰῶνος* atque *ἕως αἰῶνος* de aeternitate sensu stricto (pag. 390 sq) intellegendum (pag. 475); illud *κτίσας με* atque *ἔκτισέν με* autem de possessione (pag. 475) accipiendum est: probabiliter in textu Hebraico idem verbum קָנָה scriptum est, quia Eccli 24 manifeste ad Prv 8 respicit. Sapientia ut *verbum, λόγος* (Io 1, 1 sq) per anthropomorphismum (cf. Exegeticam 10) *ex ore* (pag. 428) *Altissimi* (pag. 382) prodiisse dicitur *primogenita ante omnem creaturam;* haec verba, si non genuina fuerint (pag. 475), saltem glossa cum contextu omnino congruens sunt (cf. supra). Sequentia *Ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens*, si genuina sunt (pag. 475), „ad primum verbum Domini *Fiat lux*“ alludunt (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 264); *et sicut nebula texi omnem terram* ad spiritum Dei qui super aquas ferebatur, alludere videntur (cf. *Zöckler,* Apokryphen 302; *Knabenbauer,* Ecclesiasticus 264). Habitatio et thronus sapientiae in caelo erat (cf. pag. 420 sq), tandem Deus „iussit sapientiam sedem figere in Israel“ (*Knabenbauer*, Ecclesiasticus 264): conferas *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. . . . Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Io 1, 10 sq 14).

Eadem ratione explicandi sunt Eccli 1, 4: *Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiae ab aevo,* atque Sap 9, 9: *tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc cum orbem terrarum faceres.* Secundum Prv 8, 22 sqq intellegendus est Prv 30, 4: *Quis ascendit in caelum atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terrae? quod nomen est eius, et quod nomen filii eius, si nosti?* Sapientia divina, quae Prv 8, 30 אָמוֹן *artifex* (gen. masc.) appellata est, Prv 30, 4 בֵּן *filius* Dei vocatur (cf. *Bertheau-Nowack,* Sprüche 169; *Strack,* Sprüche 97; *Wildeboer,* Sprüche 85; *Schell,* Dogmatik II 42).

Omittimus Eccli 1, 1: *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum,* quia in LXX haec tantum habentur: Πᾶσα σοφία παρὰ κυρίου καὶ μετ' αὐτοῦ ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα. Textus Hebraicus capitis primi nondum inventus est; videas tamen quae pag. 370 de Vulgata dicta sunt. — Schell (Dogmatik II 42 sq) etiam in sequentibus locis alteram personam divinam insinuatam invenit: *per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine a principio,* in textu originali haec tantum leguntur: καὶ τῇ σοφίᾳ ἐσώθησαν (Sap 9, 19); *Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, λόγος, qui sanat omnia* (Sap 16, 12); *sermo tuus, τὸ ῥῆμά σου, hos, qui in te crediderint, conservat*

(Sap 16, 26); *Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, ὁ παντοδύναμός σου λόγος, de caelo a regalibus sedibus, durus debellator, ἀπότομος πολεμιστής, in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus, ξίφος ὀξύ* i. e. gladium acutum, *insimulatum imperium tuum portans, φέρων, et stans replevit omnia morte, et usque ad caelum attingebat stans in terra, καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δ' ἐπὶ γῆς* (Sap 18, 14—16). Zöckler (Apokryphen 392 sq) cum multis aliis putat λόγον, *sermonem* a regalibus sedibus descendentem et primogenita Aegyptiorum occidentem fuisse spiritum creatum cui hagiographus poetice proprietates divinas attribuerit; Reuß (Das Alte Testament VI 377) istam opinionem reprobat ac censet aut personificationem operationis divinae aut personam distinctam statuendam esse. Sensus igitur huius loci incertus est, quod de ceteris quoque a Schell adductis valet.

d) Pluralitas personarum divinarum in illis locis traditur, ubi Messias a Deo mittente distinguitur et nihilominus Deus vocatur. Ps 2, 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hunc Psalmum Messianicum esse synagoga Iudaeorum, Ecclesia Christianorum (Act 4, 25 sq), S. Paulus (Act 13, 33; Hebr 1, 5; 5, 5), interpretes antiquiores ac recentiores, catholici et acatholici retinent (cf. Hoberg, Thalhofer, Wolter; Baethgen, Duhm, Keßler); immo notant titulum *Messiae* atque *Filii Dei* ex hoc Psalmo haustum esse. Sensus autem originalis istius v. est: *Tu es Filius meus* naturalis (cf. Hebr 1, 5), qua talem *ego hodie,* scil. die resurrectionis, *te* declaravi ac demonstravi (*genui,* יָלַד improprie sumptum); qui sensus certe subest Act 13, 33 sq: *resuscitans Iesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius iam non reversurum in corruptionem* etc., et innuitur Rom 1, 4: *τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ . . . ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν* i. e. qui demonstratus est Filius Dei . . . per resurrectionem ex mortuis. Sensus consequens est: Christus, qui per resurrectionem ex mortuis demonstratus est Filius Dei naturalis, eo ipso ex Patre ante omnia saecula natus sit oportet (*genui,* יָלַד proprie sumptum). Conferas Exegeticam 98 sq. Ergo in isto v. iuxta declarationem authenticam (cf. pag. 12 et Exegeticam 69) S. Pauli Messias et Deus appellatur et a Patre distinguitur. — Ps 44, 7 sq: *Sedes tua Deus,* כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים, *ὁ θρόνος σου, ὁ θεός, in saeculum saeculi: virga directionis,* שֵׁבֶט מִישׁוֹר i. e. sceptrum iustitiae, *virga* seu sceptrum *regni tui.* [8] *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus,* אֱלֹהִים אֱלֹהֶיךָ, *ὁ θεός, ὁ θεός σου, oleo laetitiae* i. e. te honoravit (cf. Lc 7, 38; Io 12, 3 coll. Phil 2, 8 sqq; *Thalhofer,* Psalmen 280 sq) *prae consortibus tuis.* Psalmum 44 Messianicum esse pag. 425 demonstravimus; in eo Messias

bis (v. 7 et 8) *'Elohim, Deus* vocatur ut ille a quo missus est (cf. v. 3 et 8): ergo duae personae divinae distinguuntur. Protestantes qui Psalmum Messianicum esse negant (pag. 424 sq) nomen *'Elohim* eliminare conantur, sed conatus eorum vani sunt (*Thalhofer,* Psalmen 280). Baethgen (Psalmen 128 sq) v. 7ª vertit: „thronus tuus est thronus Dei" et in v. 8 pro *'Elohim* priore *Iahve* ponit; sed hae mutationes contra unanime testimonium versionum antiquarum et S. Pauli (Hebr 1, 8 sq) pugnant. Idem valet de opinione Duhm (Psalmen 129) cum aliis asserentis in v. 7ª originaliter scriptum fuisse יְהוָה *erit,* hoc יְהוִה intellectum ac denique אֱלֹהִים suppositum esse.

Dupliciter protestantes in hac re contra logicam peccant: prius sine ullo argumento logice valido Psalmum Messianicum esse negant (pag. 425) et deinde ob praeconceptam suam opinionem textum mutant, quem omnes testes critici genuinum comprobant, et auctoritas S. Pauli confirmat. Vera scientia non est habitus simpliciter asserendi sed habitus rite probandi, quod ex sana philosophia patet.

Ps 109, 1 3: *Dixit Dominus Domino meo,* נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי: *Sede a dextris meis ... ex utero ante luciferum genui te,* ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐξεγέννησα σε, מֵרֶחֶם מִשְׁחַר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ i. e. „ex utero aurorae tibi ros iuventutis tuae". Etiam hunc Psalmum Messianicum esse non solum synagoga Iudaeorum atque Ecclesia Christianorum verum etiam ipse Christus (Mt 22, 41 sqq; Mc 12, 35 sqq; Lc 20, 41 sqq) et apostoli eius (Act 2, 34 sq; 1 Cor 15, 25; Hebr 1, 13; 5, 6; 7, 17; 10, 13) constantes docuerunt, interpretes antiquiores et recentiores (*Hoberg,* Psalmen 401; *Thalhofer,* Psalmen 634; *Wolter,* Psallite IV 217, catholici; *Baethgen,* Psalmen 330 sqq, protestans) retinuerunt; levissimas illas rationes, ob quas Duhm (Psalmen 256) et Keßler (Psalmen 238) et Cheyne et quidam catholici moderni contra testimonium Christi et apostolorum eius Psalmum Messianicum esse negant, protestans Baethgen (l. c.) explodit. *Iahve* igitur ad Messiam, לַאדֹנִי, dixit: *ex utero ante luciferum genui te.* Hoberg (Psalmen 403) cum Patribus et exegetis antiquioribus in *genui te* paternitatem personae primae, in *ante luciferum* aeternitatem, in *ex utero* substantiam divinam insinuatam videt. „Uterus ergo Dei, ait, metaphorice est substantia, quoniam ex utero homines gignunt, et ea quae gignuntur, eandem habent naturam quam et genitores"; similiter Thalhofer (Psalmen 637 sq), Wolter (Psallite IV 219). Ergo genitus a generante distinguitur sed eiusdem naturae divinae esse affirmatur. Textum Masorethicum v. 3 non incorruptum esse plerique sentiunt (cf. *Baethgen,* Psal-

men 334; *Duhm,* Psalmen 255; *Thalhofer,* Psalmen 638). Emendetur מִשַּׁחַר atque יְלִדְתִּךָ ac deleatur לְךָ טַל ut glossa (cf. *Baethgen* l. c.; *Hoberg,* Psalmen 403), et cum textu Graeco, Latino (Syro) convenit.

Is 7, 14: *Ecce virgo,* הָעַלְמָה, *concipiet et pariet filium, et vocabitur,* וְקָרָאת i. e. et vocabit, *nomen eius Emmanuel,* עִמָּנוּ אֵל i. e. Nobiscum Deus. Per Matthaeum ipse Dominus declarat (cf. pag. 12) se istis verbis Isaiae conceptum et partum virginalem Mariae praenuntiasse. *Hoc autem totum factum est,* inquit, *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus* (Mt 1, 22 sq). De celeberrimo hoc loco infra diffusius loquemur, ideoque interim ascribimus quae Knabenbauer (Isaias I 178) recte notat. „Proxime ergo nomine hoc declaratur, filium istum pignus esse quod Deus sit nobiscum, quod opem et auxilium sit laturus in rebus angustis. Ex ipso et solo nomine *Emmanuel,* quamvis nomen hoc alibi non inveniatur, nondum potest inferri puerum istum revera *esse Deum nobiscum.* Sunt enim, uti notum est, plurima nomina apud Hebraeos cum nomine Dei vel Iahve composita, quae ex ratione etymologica explicantur: El est benignus; El est salus; Iahve est donator, propitius, sapiens, protector, certator, potens, iustus, excelsus, iudex etc. etc. Iam per se liquet, si eiusmodi nomina hominibus imponuntur, ex sola nominis *Deus nobiscum* impositione vel appellatione nos nondum ad pueri illius divinam naturam concludere posse. Verum cum in subsequentibus (8, 8; 9, 6 7; 11, 1 sq) istius pueri maiestas ac divinitas plane declaretur, simul edocemur iam hoc loco nos nomen hoc non solum symbolicum ac promissorium, sed reale ac proprium iuremerito explicare. Puer ergo iste ita vocabitur non tantum quia auxilium Dei nobis affert et in se quasi in pignore illud promittit, verum quia ipse *est Deus nobiscum.* Unde mysterio Incarnationis patefacto aptissime eo nomine et divinam et humanam naturam Messiae inter se consociatam declarari manifestum est . . . et ita plene explicant nomen plerique.“ Atqui hic Messias in contextu (cf. vv. 14 sqq) a Domino eum mittente realiter distinguitur. Ergo duae personae divinae insinuantur. — Is 9, 6 (hebr. 5): *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.* Prophetam hic de Messia ad utilitatem nostram (bis *nobis* ait) mittendo loqui non tantum inter-

pretes catholici, sed etiam acatholici (Dillmann, Duhm, Marti, Orelli etc.) agnoscunt. Natura illius parvuli cui „iure quodam nativo imperium ac regnum“ debetur (*Knabenbauer,* Isaias I 224) et tamquam onus imponitur (*Dillmann,* Jesaja 93) nominibus variis exprimitur (*Dillmann* l. c.; *Duhm,* Jesaia 67; *Knabenbauer,* Isaias I 225). In editionibus officialibus Vulgatae (Sixtinae et Clementinae) per commata sex nomina distinguuntur; melius tamen fuerit cum Dillmann, Duhm, Marti, Orelli etc. quattuor statuere, videlicet: פֶּלֶא יוֹעֵץ i. e. admirabilis consiliarius, אֵל גִּבּוֹר i. e. *Deus fortis,* אֲבִי־עַד i. e. „pater aeternus i. e. qui in sempiternum est pater, qui se suis perpetuo patrem benignum praestabit“ (*Knabenbauer,* Isaias I 226), שַׂר־שָׁלוֹם i. e. princeps pacis, qui hominibus bonae voluntatis pacem affert (Is 9, 7; Lc 2, 14). Nomen principale est אֵל גִּבּוֹר. Dillmann (Jesaja 93) cum multis protestantibus negat hoc nomine divinam parvuli naturam indicari asserens eo heroem virtute divina instructum significari. Knabenbauer (Isaias I 225 sq) tamen merito scribit: „*Deus fortis, El gibbor;* divinam designari naturam, certissimum est: ita enim appellatur *Iahve* Dt 10, 17; ita Ir 32, 18; Neh 9, 32 appellatur, dum Ieremias et Nehemias preces ad eum fundunt. Eodemque modo nomen hic deberi intellegi ipse Isaias apertissime nos docet, quia 10, 20 21 Iahve vocat *Sanctum Israel* et in membro parallelo eundem *El gibbor.* Hac appellatione et divinae naturae designatione cum praeterea 7, 14 et hoc ipso versu humana simul declaretur natura, divinae Incarnationis mysterium pro veteris foederis conditione adumbratur.“ Etiam in hoc contextu Messias mittendus a Deo mittente realiter distinguitur, quapropter duae personae in una deitate (pag. 398) innuuntur. — Eandem veritatem Isaias in 35, 4 et 40, 3 10 (cf. Mal 3, 1) repetit.

Plures theologi antiquiores etiam Is 53, 8 *generationem eius,* דורו, *quis enarrabit* citarunt putantes prophetam de origine Messiae loqui. Plerique Patres haec verba utique de origine divina intellexerunt, at intellectum suum numquam ut sensum Ecclesiae proposuerunt (cf. Exegeticam 65), ita ut consensus eorum non formalis sed materialis dumtaxat sit, a quo recedere possumus, si graves rationes id suadeant (cf. pag. 25). Tales rationes revera adsunt. Nam vocabulum דור saepissime in Scriptura recurrens numquam originem, sed aetatem, homines cuiusdam aetatis vel speciei, habitationem significat (cf. Exegeticam 65; *Buhl,* Handwörterbuch; *Fürst,* Handwörterbuch; *Gesenius,* Thesaurus). Quare Duhm (Jesaia 371) cum aliis דורו *habitationem eius* declarat; plerique tamen (e. g. Buhl, Dillmann, Fürst, Knabenbauer, Orelli) *aequales* Christi interpretantur, ita ut sit sensus: „quis explicet pravitatem Iudaeorum illius saeculi“? Cf. Knabenbauer (Isaias II 310) qui pro hac sententia antiquiores quoque interpretes affert. Idem (II 311) alii explicationi satis vulgatae, iuxta quam דורו

posteritatem seu posteros Christi significat, iure haec opponit: „ei acquiescere non possum, quia cum in hoc versu sermo sit de iis quae mortem comitantur et de ipsa morte et in v. 9 de sepultura, demum in v. 10 propheta progreditur ad declarandum, quales fructus ex morte sint exorituri. Unde hoc iam loco inter mortis adiuncta et ipsam mortis annuntiationem aliquid de fructibus eius tangi non est probabile, praesertim cum in tota hac oratione ordo adeo clarus observetur." — Alii afferunt Bar 3, 36—4, 1 *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum.* [37] *Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Iacob puero suo, et Israel dilecto suo.* [38] *Post haec in terris visus est,* ὤφθη, *et cum hominibus conversatus est,* συναναστράφη. [1] *Hic liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum.* Primo quasi aspectu videtur ac si *Deus* in terris apparuisse dicatur, praesertim in versione Latina. Examinato autem contextu (3, 9—4, 4) alia sententia multo probabilior evadit. Baruch in versibus citatis demonstrat *sapientiam* Deo placentem (3, 9—13) non apud homines (3, 14—28) sed apud Deum omniscientem et omnipotentem inveniri (3, 29—37[a]) qui eam populo Israel in lege manifestavit (3, 37[b]—4, 4). Illud ὤφθη atque συναναστράφη non de Deo sed de sapientia in lege manifestata intellegamus oportet (cf. *Reuß,* Das Alte Testament VI 433; *Knabenbauer,* Baruch 488). De sensu accommodato a Patribus et Ecclesia (in liturgia) adhibito cf. Exegeticam 111 sqq; de versione Vulgatae cf. pag. 370. — Adducitur etiam Mich 5, 2: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio,* מִקֶּדֶם, *a diebus aeternitatis,* עוֹלָם. Prophetam nativitatem Messiae annuntiare certum est (cf. Mt 2, 5 sq); verba *egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis* aeternitatem sensu stricto acceptam significare posse lubenter concedimus; at ea de aeternitate proprie dicta intellegi debere ex hoc loco absolute sumpto demonstrari nequit, quia notio aeternitatis in S. Scriptura variat (cf. pag. 390 sq). Si vero Mich 5, 2 cum locis supra citatis conferimus, in quibus Messias Deus nominatur, concludere debemus aeternitatem sensu stricto accipiendam esse.

e) Pluralitas personarum divinarum denique in illis locis adumbratur, ubi praeter Patrem et Filium etiam Spiritus Sanctus innuitur. „Sed distinctio personalis Spiritus Sancti, recte monet Pesch (De Deo trino 260), nisi in luce novi testamenti et ex solis principiis hermeneuticis vix ex vetere testamento demonstrari poterit." Qui doctrina christiana institutus mysterium Trinitatis iam credit, in locis variis Vet. Test. vestigia eius inveniet quae alius non videbit. Examinemus brevissime locos celebriores. Gn 1, 2[b]: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Ex hoc loco tertia Trinitatis persona stricte loquendo demonstrari nequit, quia *Spiritus Dei* in Scriptura saepius ens summum significat, quatenus omnia conservat, evolvit et animat, disponit ac dirigit (Comment. 5), quin personae distinguantur. — Nm 6, 24 sqq: *Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.* Quare in hac forma benedictionis sacerdotalis nomen Domini ter invocetur,

ex parallelismo membrorum satis declarari poterit. — Ps 32, 6: *Verbo Domini caeli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Adest parallelismus membrorum ad verbum *Fiat* alludens, sequitur enim in v. 9: *Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt* (Comment. 6 sq). — Ps 66, 7b sq: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Est optatio secundum Nm 6, 24 sqq formulata. — Ps 103, 30: *Emittes spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae.* Conferas Gn 1, 2 et Ps 32, 6 9. — Is 6, 3: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus* (deest *Deus* in Hebraico et Graeco) *exercituum.* Ad hunc textum Knabenbauer (Isaias I 130) scribit: „Sollemne illud trisagion mysterium innuere SS. Trinitatis, communis est sententia s. Patrum et interpretum. Idque recte. Nam etsi minime opus est assumere ipsum Isaiam hoc carmine de eo mysterio esse edoctum vel eum in voce ter repetita tres indicare personas, in *Domino* exercituum unam divinitatem cognovisse vel suspicatum esse, nobis tamen quibus aliunde ea nota est veritas, ex hac ipsa cognitione ultima panditur et intima ratio, cur angelici spiritus ita canant, et cur canticum tale Spiritus Sanctus litteris consignatum voluerit." — Sap 1, 7: *Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod* vel potius et hic, qui *continet omnia, scientiam habet vocis.* Videas pag. 421 et Gn 1, 2 supra. — Sap 9, 1 sq 4 9 11 17: *Deus patrum meorum, et Domine misericordiae, qui fecisti omnia verbo tuo,* 2 *et sapientia tua constituisti hominem . . .* 4 *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam . . .* 9 *et tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc cum orbem terrarum faceres . . .* 11 *scit enim illa omnia, et intelligit. . . .* 17 *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis.* In hoc loco primam et secundam personam distingui certum est (cf. pag. 473 476); probabiliter in v. 17 etiam tertia persona saltem obscure indicatur, licet hunc v. quoque ex parallelismo membrorum explicare possimus.

ARTICULUS V.

DE COGNOSCIBILITATE DEI.

In hoc articulo examinabimus, utrum Deus unus (pag. 398 sqq) secundum doctrinam biblicam Vet. Test. „naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci" possit (Vatic. sess. III, cap. 2), et quid de possibilitate atheismi, dualismi, polytheismi sentiendum sit.

§ 41. Deus unus naturaliter cognosci potest.

Locus classicus est Sap 13, 1—10: *Vani autem, μάταιοι μὲν γὰρ, sunt omnes homines, πάντες ἄνθρωποι φύσει, in quibus non subest scientia Dei, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία· et de his, quae videntur bona, καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν, non potuerunt intelligere eum, qui est, οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα, neque operibus attendentes, τοῖς ἔργοις προσχόντες, agnoverunt quis esset artifex, ἐπέγνωσαν τὸν τεχνίτην·* [2] *sed aut ignem . . .* (pag. 405). [3] *Quorum si specie delectati, τῇ καλλονῇ τερπόμενοι, deos putaverunt, θεοὺς ὑπελάμβανον, sciant quanto his dominator eorum speciosior est, γνώτωσαν πόσῳ τούτων ὁ δεσπότης ἐστὶ βελτίων· speciei enim generator haec omnia constituit, ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά.* [4] *Aut si virtutem, et opera eorum mirati sunt, εἰ δὲ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ ἐκπλαγέντες, intelligant ab illis, quoniam qui haec fecit, fortior est illis, πόσῳ ὁ κατασκευάσας αὐτὰ δυνατώτερός ἐστιν·* [5] *a magnitudine enim speciei, et creaturae, ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς καὶ κτισμάτων, cognoscibiliter poterit creator horum videri, ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται.* [6] *sed tamen adhuc in his minor est querela, ἀλλ' ὅμως ἐπὶ τούτοις ἐστὶν μέμψις ὀλίγη. Et hi enim fortasse errant, καὶ γὰρ αὐτοὶ τάχα πλανῶνται, Deum quaerentes, et volentes invenire.* [7] *Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt, ἐν γὰρ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ ἀναστρεφόμενοι διεραυνῶσιν, et persuasum habent quoniam bona sunt quae videntur, καὶ πείθονται τῇ ὄψει ὅτι καλὰ τὰ βλεπόμενα.* [8] *Iterum autem nec his debet ignosci, πάλιν δ' οὐδ' αὐτοὶ συγγνωστοί.* [9] *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum, στοχάσασθαι τὸν αἰῶνα· quomodo huius Dominum non facilius invenerunt, τὸν τούτων δεσπότην πῶς τάχιον οὐχ εὗρον:* [10] *Infelices autem sunt, ταλαίπωροι δὲ κτλ.* (pag. 405 sq). — Nexus huius sectionis cum antecedentibus et subsequentibus talis est. Hagiographus 12, 27 affirmavit in Aegyptios *finem condemnationis*, i. e. mortem primogenitorum et suffocationem militum in mari rubro (*Zöckler*, Apokryphen 382) venisse, quia *verum Deum negabant*. Hanc affirmationem in 13, 1 sqq declarat ac demonstrat *(γάρ)* dicens illos qui Deum verum nesciebant, fuisse *vanos* quidem *(μάταιοι μέν)* et venia indignos *(οὐδ' αὐτοὶ συγγνωστοί)*; illos vero qui idola mortua colebant, fuisse omnino *infelices* vel potius miseros *(ταλαίπωροι δέ)* quod 13, 10—15, 19 comprobat. De tempore praeterito loquens verba in praeterito adhibet: *παρῆν, ἴσχυσαν, ἐπέγνωσαν κτλ.*, quod Vulgata quoque plerumque retinuit; quia tamen ea quae hagiographus de Aegyptiis asseruit, de omnibus Deum verum neganti-

bus (cf. 12, 27) valent, Vulgata in 13, 1 praesens substituit: *sunt, non subest.*

Omnes homines igitur qui Deum verum non cognoverunt *(οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία)* scriptor inspiratus *vanos, ματαίους φύσει,* appellat. *Μάταιοι, vani,* sunt stulti qui in studiis suis successu vel fructu carentes sunt (cf. *Passow,* Handwörterbuch); *μάταιοι φύσει, vani natura* ii vocantur qui revera seu reapse tales sunt (conferas Gal 4, 8 *τοῖς φύσει μὴ οὖσιν θεοῖς, iis, qui natura non sunt dii,* et *Benseler-Kaegi,* Handwörterbuch). Ergo si facultatibus suis naturalibus rite usi fuissent, si in studiis suis successu respondente non caruissent, ad notitiam Dei pervenissent. Etenim a rebus bonis, i. e. ab entibus (cf. pag. 444) quae in mundo conspiciuntur, ad *eum, qui est, τὸν ὄντα,* i. e. ad *Iahve* (cf. pag. 374 sqq 376 in fine sqq; *Zöckler,* Apokryphen 382); ab *operibus, ἔργοις* i. e. a rebus factis seu „ab entibus ab alio" (cf. *Passow,* Handwörterbuch) quae attente considerabant, ad factorem, *τεχνίτην,* ad „ens a se"; a mirabili *pulchritudine* lucis et luminariorum (pag. 405 424) qua delectabantur, ad maiorem pulchritudinem absoluti domini (*δεσπότου,* cf. *Passow,* Handwörterbuch) atque creatoris rerum pulchrarum *(τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά)*; a *virtute* atque *efficacia (δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ)* ventorum et aquarum (pag. 405) quas admirabantur, ad fortiorem et efficaciorem fabricatorem *(ὁ κατασκευάσας)* concludere potuerunt. Nam ex magnitudine universitatis rerum creatarum *(κτισμάτων)* et pulchritudinis earum creator *(ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν) videtur (θεωρεῖται):* non oculis corporis sed rationis, non immediate sed mediate, *ἀναλόγως* i. e. rationi et relationi seu proportioni convenienter (cf. *Passow,* Handwörterbuch; *Zöckler,* Apokryphen 383); relationi inter causam efficientem et effectum exsistenti convenit, ut ratio a rebus factis ad factorem se elevet eique omnes qualitates bonas in rebus creatis inventas modo eminenti ascribat.

Nihilominus *(ἀλλ' ὅμως)* in illos homines qui opera Dei ut deos coluerunt (v. 2) vituperatio minus gravis *(μέμψις ὀλίγη)* cadit quam in idololatras (cf. v. 10 sqq et pag. 406), quia ii quoque qui Deum quaerunt et invenire volunt, facile *(τάχα)* errant. Nam opera Dei considerantes et investigantes conspectu eorum *(τῇ ὄψει)* ita alliciuntur et fascinantur *(πείθονται)*, ut ea pro diis habeant; et hic error eo declarari potest quod opera quae considerant, reapse pulchra sunt *(ὅτι καλὰ τὰ βλεπόμενα).* Hoc non obstante repetendum est *(πάλιν δ' οὐδ')*, quod ne hi quidem venia digni *(αὐτοὶ συγγνωστοί)*

sunt. Si enim *saeculum* seu mundum vel universum *aestimare, στοχάσασθαι* i. e. investigare (cf. *Passow,* Handwörterbuch) potuerunt, *facilius (τάχιον)* absolutum dominum *(δεσπότην)* mundi *invenire* seu exsistentiam Dei cognoscere potuissent.

Ergo *Iahve, ὁ ὤν,* seu Deus unus (pag. 380) „naturali humanae rationis lumine" quo homines mundum investigant ac proprietates rerum creatarum aestimant, „e rebus creatis certo cognosci" potest; nam scriptor inspiratus non de opinione magis minusve probabili sed de cognitione certa loquitur, ut usus loquendi (significatio verborum adhibitorum) et contextus commonstrant.

Illud φύσει *natura* Zöckler (Apokryphen 382) cum aliis iuxta Eph 2, 3 ἦμεν φύσει τέκνα ὀργῆς *eramus natura filii irae* interpretari vult. Sed Paulus in isto loco peccatum originale docet (cf. *Bisping* in Eph 2, 3) ob quod Iudaei et gentiles iam a nativitate irae divinae obnoxii sunt, quae sententia ad contextum libri Sapientiae minus quadrare videtur. — Hagiographus Deum *absolutum dominum* astrorum et creatorem pulchritudinis earum vocans probabiliter ad Sabaeismum (pag. 406) valde diffusum respexit. Phrasim *speciei, et creaturae,* καλλονῆς καὶ κτισμάτων plures ἓν διὰ δυοῖν intellegunt, qui intellectus possibilis sed non necessarius est. — Vulgata τάχιον in v. 9 *facilius,* sed τάχα in v. 6 *fortasse* vertit; ob contextum *facile* vertendum est. — *Saeculum,* αἰών (pag. 391) in Scriptura per metonymiam (cf. Exegeticam 9) etiam res creatas (mundum) significat quae tempore continentur (*Gesenius,* Thesaurus 1036, ad עוֹלָם). — Ex eo quod hagiographus Deum unum non cognoscentes venia non dignos nominat, inferendum est homines non tantum posse sed etiam debere ad notitiam Dei pervenire.

Zöckler (Apokryphen 383) ad v. 5 bene notat summam sententiam argumenti physicotheologici hic tam sollerter quam acute exprimi: „Es ist der Grundgedanke des physikotheologischen Gottesbeweises, der hier auf ebenso sinnige als treffende Weise ausgedrückt wird." Cognitio exsistentiae ac proprietatum Dei non immediata sed mediata (ἀναλόγως) est. Ratio enim ex doctrina hagiographi ab entibus bonis sed finitis ad ens infinitum (τὸν ὄντα, cf. pag. 380), ab operibus (rebus factis) ad opificem (factorem), a pulchritudine operum ad maiorem pulchritudinem opificis, a virtute et efficacia rerum factarum ad maiorem potentiam factoris concludere potest atque debet. — Contra multi protestantium, pantheismum (pag. 16 430) nondum amplexantium, censent exsistentiam Dei non syllogismis sed interno momento religioso et morali probari posse. Köstlin (cf. Real-Encyklopädie für protestantische Theologie[2] V 305 sqq) inter alia scribit: Ultimae rationes fidei christianae qua Deum et hunc determinatum Deum credimus, non in argumentationibus logicis innituntur sed in factis et experientiis internae vitae religiosae, animi, cordis, affectus etc. quaerendae sunt. Sed cum momento religioso hic momentum morale ab initio insolubiliter coniunctum est: experientia (Innewerden) Dei ut moraliter postulantis etc. „Secundum hos theologos Dei exsistentia stricte probari nequit, sed sensu religioso apprehenditur, notat Pesch (De Deo uno 19). Obiectum huius sensus fortasse est chimaera, fortasse ens impersonale, fortasse nescio quid aliud. . . . Si veram Dei notionem proponunt (protestantes isti), hanc non stricte demonstrari posse dicunt sed exhiberi et ostendi, quatenus ratiocinatio quasi materiam praebeat, quam sensus ille religiosus tamquam

suum proprium obiectum summa cum certitudine amplectatur." Hac doctrina etiam animos non acatholicos fascinari res est non abscondita: istam doctrinam falsam esse Sapiens (13, 1 sqq) implicite, philosophi autem ex professo demonstrant, ad quos lectorem remittimus.

In ceteris libris Vet. Test. cognoscibilitas Dei supponitur quidem (*Dillmann-Kittel,* Handbuch 203 sq) sed diserte non docetur, si Ps 13, 1 *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus* (cf. Ps 10, 5 sec. Hebr.) excipiamus; Eccli 43, 29—35 pro cognitione Dei naturali vix afferri poterit. — Cognitionem Dei supernaturalem i. e. per fidem ex formali Dei locutione haustam omnes libri Vet. Test. possibilem aut supponunt aut diserte docent. Conferas quae pag. 7 sqq 369 409 416 scripta sunt.

§ 42. De possibilitate atheismi, dualismi, polytheismi.

1. Atheismus est negatio Dei mundum transcendentis. Ut scriptores profani (cf. *Passow,* Handwörterbuch, ad *ἄθεος*) ita Scriptura Sacra atheos theoreticos et practicos distinguit. Athei practici sunt homines qui Deum exsistere sciunt vel credunt sed nihilominus vivunt ac si Deus non exsisteret. De his Psalmista (10, 5 sec. Hebr.) asserit: *Non est Deus in conspectu eius,* אֵין אֱלֹהִים כָּל־מְזִמֹּתָיו i. e. *non est Deus* sunt omnes machinationes eius, quasi dicat: omnes cogitationes et machinationes eius, omnia consilia et turpiter facta eius (videas מְזִמָּה) sunt „practica negatio Dei" (*Keßler,* Psalmen 21). Athei theoretici vero sunt homines qui exsistentiam Dei mundum transcendentis in corde (pag. 434 sq) negant vel saltem addubitant. De his Psalmista (13, 1) testatur: *Dixit insipiens,* נָבָל, *in corde suo,* בִּלְבּוֹ: *Non est Deus,* אֵין אֱלֹהִים. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis,* הִשְׁחִיתוּ הִתְעִיבוּ עֲלִילָה i. e. „corruptum, abominabile fecerunt actum suum" (*Baethgen,* Psalmen 36): *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (ultima quinque verba in Hebraico hic desunt, sed v. 3 etiam leguntur). Scriptor inspiratus in priore parte versus supponit esse homines (נָבָל sine articulo, cf. grammaticam) qui non solum factis et verbis verum etiam *in corde suo,* i. e. cogitationibus suis exsistentiam Dei negent, ergo possibilitatem atheismi theoretici agnoscit (cf. *Keßler,* Psalmen 28); simul tamen atheos theoreticos stultos, mente imbecilles, viribus deficientes vocat (cf. verbum נָבָל et *μάταιοι* pag. 484) atque in altera parte versus atheismum practicum causam atheismi theoretici indicat (cf. *Keßler,* Psalmen 28).

Ex comparatione Ps 10 et 13 cum Sap 13, 1 sqq hae consequentiae de possibilitate atheismi profluunt: a) atheismus practi-

cus omnino possibilis est, quam consequentiam plurimi loci biblici confirmant. b) Atheismus theoreticus temporalis etiam possibilis est vel ob imbecillitatem mentis et defectum virium vel ob malam vitam quae Deum iustum (pag. 448) horret (cf. *Heinrich,* Dogmatische Theologie III 30). c) Atheismus theoreticus continuatus tamen in iis qui usu rationis gaudent, impossibilis est, quia cognitio Dei unius facilior est quam investigatio mundi (pag. 485).

„Neque vero esse possunt, ait Pesch (De Deo uno 14), athei ‚theoretici negativi', i. e. homines qui usu rationis praediti Deum invincibiliter et inculpabiliter, etiam quantum ad primitivam illam notitiam, ignorant, nisi forte ad breve tempus. . . . Possunt tamen homines perversa voluntate adeo corrumpere rationem suam, ut saltem ad tempus iudicent Deum non esse, seu ut sint ‚athei theoretici positivi' etc." Videas et Heinrich (Dogmatische Theologie III 30).

2. Dualismus est assertio duorum principiorum summorum: principii boni ac principii mali (pag. 404). Persas iam ante Christum (pag. 404) et Manichaeos post Christum dualismum amplexatos esse ex historia constat (cf. *Nikel,* Kulturgeschichte 248). Ex doctrina autem biblica dualismus irrationalis et falsus est. Nam Deus est *ὁ ὤν*, *τὸ πᾶν*, *ipsum esse, totum esse* (pag. 388 sq), et idcirco duo dii exsistere nequeunt (pag. 380). „Si extra illum est aliquid, iam non omnium est *πλήρωμα* neque continet omnia, acute argumentatur S. Irenaeus (Adv. haer. 2, 1); deerit enim *πληρώματι* hoc quod extra eum dicent." Insuper *Iahve* docet non tantum bona sed etiam mala a se venire (videas pag. 401 447 456), ergo principium malum excludit.

Dualismum irrationalem esse philosophice quoque demonstrari potest. „Si Deus bonus vi naturae est *ipsum esse,* consequenter eius oppositum, scilicet Deus malus, est *ipsum non-esse.* Sed hoc est ipsum nihilum; nihil autem non exsistit. Ergo Deus malus nullus est." — „Duo suprema principia vel aeque potentia sunt vel unum altero potentius. Si primum, se mutuo elidunt, ideoque nec ullum bonum nec malum ullum erit; si alterum, vel solum bonum vel solum malum superstes erit. Et revera, si mala huius mundi, ut dualistae contendunt, Deo bono repugnant, multo magis exsistentia summi mali repugnabit. Quaero enim: num Deus bonus vult illud expellere vel non vult? Si non vult, licet possit, ergo exsistentia mali bonitati Dei non repugnat, contra ac dualistae docent. Si vult, at non potest, ergo manifesto habemus Deum imbecillem, ideoque nullum Deum." Ita Egger (Dogm. spec. 53 sq) cum aliis philosophis.

3. Polytheismus est assertio plurium deorum. Hunc possibilem esse Sacra Scriptura Vet. Test. in plurimis illis locis docet qui narrant non gentiles dumtaxat plures deos coluisse (cf. pag. 403 sqq) sed populum electum quoque ad polytheismum valde inclinatum fuisse (pag. 151 223 227 sqq 261 sqq), a qua inclinatione in exsilio

Babylonio sanabatur. Instat autem gravis quaestio, quomodo polytheismus possibilis sit, licet cognitio Dei unius tam facilis (pag. 485) atque irrationabilitas plurium deorum tam manifesta (pag. 487) sit. Hagiographi tres rationes afferunt quibus istud factum declarent, nimirum: a) imbecillitatem rationis humanae (pag. 484); b) perversitatem voluntatis humanae (pag. 486; cf. Rom 1, 18 21—23 25); c) interventum daemonum, שֵׁדִים i. e. spirituum malorum (Dt 32, 17; Ps 105, 37). Imbecillis in se, fascinata a concupiscentiis ac spiritibus malis ratio humana polytheismum amplecti potuit.

De hac re etiam philosophi et dogmatici tractant, quorum opera inspicere potes. — Plures dogmatici citant Ps 95, 5; Is 1, 29; 2, 8; 31, 7; 37, 19; 41, 29; 44, 9 sqq; Ir 1, 16; 50, 2; Bar 6, 44 sqq; 4 Rg 19, 18; Ez 6, 6; Dn 5, 4, ut interventum spirituum malorum probent. At in locis citatis iuxta textum originalem (cf. pag. 370) hagiographi non de daemonibus sed simpliciter de idolis loquuntur. Utrum Bar 4, 7 de daemonibus an de idolis intellegendum sit non patet, quia textus originalis deest (pag. 297); LXX et Vulgata ibi quoque δαιμόνια vertunt, ubi textus originalis simpliciter de idolis loquitur (cf. pag. 402).

CAPUT II.

DE VERITATIBUS AD DEI OPERA SPECTANTIBUS.

Agendum est in tribus articulis de creatione, redemptione, consummatione mundi et praesertim generis humani.

ARTICULUS I.

DE CREATIONE MUNDI.

Sacra Scriptura Vet. Test. prius creationem universitatis rerum generatim tradit, deinde de hominibus et angelis speciatim loquitur.

§ 43. De creatione universitatis rerum.

1. Deus res omnes quae extra eum exsistunt, ex nihilo produxit. Liber Genesis (pag. 130) versu celeberrimo incipit: *In principio creavit Deus caelum, et terram,* בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν (Gn 1, 1).

a) Hic necesse est ut significationem vocabulorum definiamus. Quid אֱלֹהִים, θεός, *Deus* significet, iam pag. 372 sqq diximus. Phrasim הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ *caeli et terra* ut assyr. *šamê u erṣitu* universitatem rerum denotare etiam protestantes philologi (Buhl, Fürst, Gesenius) et commentatores (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Strack) asserunt.

Quod ad verbum בָּרָא *creavit* attinet, plures theologi affirmant illud semper actionem soli Deo propriam et ab omni materia independentem, productionem ex nihilo, numquam vero actionem hominis significare. At utrique affirmationi ipsa Sacra Scriptura contradicit. Nam בָּרָא in formis pi'el et hiph'il actiones hominum, non Dei denotat. Iosue ad filios Ioseph dixit: *Si populus multus es, ascende in silvam, et succide,* וּבְרֵאתָ, *tibi spatia in Terra Pherezaei et Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim... transibis ad montem, et succides tibi* vel potius eum, וּבְרֵאתוֹ (Ios 17, 15 18). Dominus ad Ezechielem (21, 24; Vulgata 21, 19) dixit: וְיַד בָּרֵא בְּרֹאשׁ־דֶּרֶךְ עִיר בָּרֵא i. e. „et locum effinge, in bivio urbis finge eum" (*Gesenius,* Thesaurus 236; alii aliter, cf. commentarios). Item (Ez 23, 47): *Et lapidentur lapidibus populorum, et confodiantur,* יִבְרֵא, *gladiis eorum.* Sacerdotem Heli autem interrogavit: *Quare... magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias,* לְהַבְרִיאֲכֶם רֵאשִׁית i. e. ut saginaretis vos de primitiis (*Buhl,* Handwörterbuch), *omnis sacrificii Israel populi mei* (1 Rg 2, 29). In formis kal et niph'al utique actionem Dei significat, at saepe actionem qua ex materia praeexsistente aliquid fecit. Verbum בָּרָא enim notat formationem animalium (Gn 1, 21), generis humani (Gn 1, 27; 5, 1 sq; 6, 7; Dt 4, 32; Ps 89, 48 hebr.; Is 45, 12), hominum singulorum (Eccli 12, 1; Is 54, 16), populi Israel (Is 43, 1 15), Israelitarum singulorum (Is 43, 7; Mal 2, 10), venti (Am 4, 13), stellarum (Is 40, 26), lucis et tenebrarum (Is 45, 7), cordis mundi (Ps 51, 12 hebr.), miraculorum (Nm 16, 30; Ir 31, 22) etc. Videas Mandelkern (Concordantiae) vel Gesenius (Thesaurus). Materia ex qua Deus aliquid fecit, non nominatur quidem sed propter contextum subintellegi debet, si Deus ventum, lucem, stellas, animalia, homines etc. creasse (בָּרָא) scribitur. Denique רֵאשִׁית *principium* generatim primum in genere suo, speciatim primum momentum temporis aut relative aut absolute sumpti significat (cf. *Gesenius,* Thesaurus), e. g. initium anni (Dt 11, 12), principium regni (Gn 10, 10); בְּרֵאשִׁית מַמְלֶכֶת *in principio regni* apud Ieremiam (26, 1; 27, 1; 28, 1; 49, 34) recurrit, מֵרֵאשִׁית *a principio* ab Isaia (46, 10; cf. pag. 434) atque מִבְּרֵאשִׁית *a principio* ab Ecclesiastico (15, 14) absolute adhibetur. Etiam בְּרֵאשִׁית *in principio* in Gn 1, 1 absolute accipi debet ita ut primum momentum seu punctum temporis absolute sumpti significet. Nam S. Ioannes qui in prologo evangelii sui manifeste ad initium Genesis respicit (cf. Belser, Bisping, Weiß in Io 1, 1 sqq) illud בְּרֵאשִׁית, ἐν

ἀρχῇ, absolute intellegit scribens: *In principio, ἐν ἀρχῇ, erat verbum. . . . Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, οὐδὲ ἕν.* Idem antiqua transscriptio litterarum בראשית confirmat; antiqui enim non solum *Βρησίθ* sine articulo, sed etiam *Βαρησέθ, Βαρησήθ* cum articulo litteras transscripserunt (cf. *Field,* Hexapla ad Gn 1, 1) qua transscriptione altera clare exprimitur principium temporis absolute accipiendum esse.

b) Quibus praemissis duce S. Ioanne, interprete authentico (cf. Exegeticam 69), versum primum Genesis sic explicamus: In primo momento temporis absolute sumpti, ante quod nihil, *οὐδὲ ἕν*, factum erat, 'Elohim universitatem rerum produxit, i. e. e statu possibilitatis ad exsistentiam vocavit, et quidem ex nihilo seu nulla materia praeexsistente. Plures quidem interpretes recentiores (videas lit. c) affirmant 'Elohim in principio caelum et terram ex materia iam exsistente formasse. Quibus opponimus: materia ab eis supposita aut ens participatum et finitum aut ens non participatum et infinitum est. Ens non participatum et infinitum materia esse nequit, quia duo entia infinita seu plenitudinem essendi habentia exsistere non possunt (pag. 380); si autem materia est ens participatum et finitum, ergo ens ab alio factum, ipsa quoque ab 'Elohim facta est. Etenim illud ens mundum creans, quod Gn 1, 1—2, 3 'Elohim nominatur, a scriptore inspirato Ex 20, 11 Iahve appellatur (cf. pag. 381). *Iahve* autem essentialiter est *esse ipsum, esse totum,* ideoque causa efficiens omnium rerum *esse participatum* habentium (pag. 389). Ergo etiam materia, utpote ens participatum, ab Iahve-'Elohim (pag. 381) facta sit necesse est, idque in primo illo momento temporis quo iuxta S. Ioannem omnia facta sunt. — Quae cum ita sint, in Gn 1, 1 reapse omnes res quae extra Deum exsistunt, ab Iahve-'Elohim ex nihilo productae traduntur. Vis argumenti non in בָּרָא *creavit* (cf. pag. 489) neque in בְּרֵאשִׁית *in principio* neque in הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ *caeli et terra,* sed in eo continetur quod *Iahve-'Elohim* creasse dicatur, extra quem materia independens et ab eo non facta exsistere nequit (cf. supra).

Quodsi Gn 1, 1 absolute consideremus, dicere possemus materiam iam ante principium temporis (vide lit. c) ab *Iahve-'Elohim* factam fuisse; si tamen Gn 1, 1 cum Io 1, 1 sqq comparamus, invenimus materiam ipsam *in principio* factam esse, cum evangelista testetur: *In principio erat verbum. . . . Omnia per ipsum facta sunt* (vide supra). Hic est sensus Ecclesiae catholicae. „Hic solus verus Deus, docet Vatic. (Sess. III, cap. 1), . . . simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.“ Cui declarationi canon 5 adiungitur: „Si quis non confiteatur mundum resque

omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas . . . anathema sit." — Cum hac doctrina Concilii declaratio Hummelaueri (Genesis 85 sq) minus bene convenire videtur. „Cum ergo reapse mundus creatus scribatur *in principio,* inquit, disquirunt porro auctores, in cuius rei principio seu initio creatus sit. Vox per se indeterminata contextu determinatur: intelligas igitur principium non indeterminate et absolute, quasi nihil omnino Deus ante caelum terramque creaverit, non angelos, non mundos alios a nostro penitus diversos; sed principium eorum quae modo narranda veniunt, hexaemeri operum. . . . Si ergo tempus intellegas illud quo modo narranda fuere effecta, tempus hexaemeri, bona est interpretatio. Si tempus intellegas indeterminate, ut exprimatur principium cuiusvis temporis seu momentum illud, quod primum omnium fuit et quo ipsum tempus esse coepit, minus tuto tramite incedis." At, si cum Concilio Vaticano asserimus „simul ab initio temporis" creaturam angelicam et mundanam creatam esse, satis tuto tramite incedimus.

Ut melius intellegantur quae in antiquioribus operibus exegeticis leguntur, hic adicimus quae Egger (Dog. spec. 166 sq) cum aliis theologis de terminis technicis scribit: „Sensu stricto et ecclesiastico creatio definitur *productio ex nihilo sui et subiecti,* vel cum S. Thoma (In 2 Sent. d. 1, q. 1, a. 2; cf. *Vatic.,* Sess. III, can. 5) *productio rei secundum totam substantiam.* Ut hoc intellegatur, adverte in omni productione aliquid fieri quod prius non erat: in generatione enim producitur nova substantia, in alteratione novum accidens. Et sic omnis productio fit *ex nihilo sui,* quia id quod fit, nondum erat. Verum in omnibus productionibus naturalibus, tum substantialibus tum accidentalibus, supponitur subiectum seu materia ex qua aliquid fit, et quae in effectu aliquo modo permanet. Idcirco nulla productio naturalis est productio rei *ex nihilo subiecti* neque secundum *totam substantiam,* sed est tantum quaedam immutatio subiecti praeiacentis. In creatione autem non supponitur sed ponitur subiectum quoad *primum esse.* Est ergo productio ex absoluto nihilo seu productio rei quoad totam substantiam. In qua tamen definitione particula *ex nihilo* non designat ‚causam materialem sed ordinem tantum, sicut cum dicitur: ex mane fit meridies idest post mane fit meridies' (Id. 1, q. 45, a. 1 ad 3). — Creatio distinguitur in primam et secundam. Creatio prima est productio materiae elementaris ex nihilo, de qua sermo est initio libri Genesis: *In principio creavit Deus caelum, et terram.* Creatio secunda est productio specierum ex materia elementari quam Deus in hexaemero perfecit. De hac creatione secunda Sapiens (11, 18) loquitur: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa* (ἐξ ἀμόρφου ὕλης). Creatio simpliciter dicta tum formationem materiae tum productionem ex nihilo, idque maxime, significat."

c) Quod ad constructionem grammaticalem attinet, versum 1 propositionem principalem (Hauptsatz) versibus 2 et 3 coordinatam, non vero propositionem secundariam (Nebensatz) versui 2 vel 3 subordinatam (cf. Exegeticam 41) accipimus. Ita constructionem intellexerunt Masorethae, omnes versiones antiquae, omnes Patres Ecclesiae et plerique interpretes antiquiores tum catholici tum acatholici (cf. *Dillmann,* Genesis 16) necnon recentissimi catholici Hoberg (Genesis 9), Kaulen (Schöpfungsbericht 9 sq), Nikel (Gene-

sis 107), Zapletal (Schöpfungsbericht 6) atque acatholicus Kautzsch (Die Heilige Schrift des Alten Testamentes[2], Freiburg i. B. und Leipzig 1896). Tot tantosque viros doctos errasse argumentis peremptoriis demonstrandum erat; sed rationes quae contra sententiam eorum producuntur, valde leves sunt, uti mox videbimus. Istam constructionem confirmat quoque contextus proximus et remotus (cf. Exegeticam 37 sqq). Proximus, nam in versibus sequentibus (Gn 1, 4—2, 3) scriptor constructiones planas et simplices adhibet, quare recte concludimus eum etiam in initio sectionis (Gn 1, 1—3) planas et simplices adhibuisse. Holzinger (Genesis 1) confitetur constructionem ab antiquioribus propugnatam semper eo commendari quod sic initium plenum et forte (ein voll und kräftig einsetzender Anfang) evadat; Wellhausen (Prolegomena[6] 386) constructionem quam recentiores quidam praeferunt (cf. notas), desperatam (diese Konstruktion ist verzweifelt) vocat. Constructionem antiquam confirmat contextus remotus, scil. prologus evangelii S. Ioannis qui illud בראשית *in principio* absolute accipiendum suadet, quo admisso versus 1 propositio principalis et coordinata intellegatur oportet (cf. *Gunkel,* Genesis 92 sq).

Recentiores quidam interpretes versum 1 propositionem secundariam accipiunt eamque versui aut 2 aut 3 subordinant. Reuß (Das Alte Testament III 190) cum paucis protestantibus (cf. *Dillmann,* Genesis 17) vertit: „[1]Cum Deus incepit caelum et terram creare, [2]tunc erat terra inanis et vacua, et tenebrae tegebant oceanum, sed spiritus Dei ferebatur super aquas. [3]Tunc dixit Deus: Fiat lux“ etc. Sed haec versio nunc ab omnibus repudiatur. E contrario protestantes Dillmann (Genesis 17), Gunkel (Genesis 93), Holzinger (Genesis 1), etiam Reuß (l. c. in nota) necnon catholici liberales, qui simpliciter opiniones istorum protestantium repetunt, Engert (Die Weltschöpfung, München 1907, 34), Minocchi (Genesi, Firenze 1907, 1 sq), Loisy (Les mythes babyloniens, Paris 1901, 16) versum 1 propositionem antecedentem, versum 3 propositionem consequentem, versum 2 interpositionem seu parenthesim declarant atque sic vertunt: „[1]In principio cum Deus crearet caelum et terram — [2]terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas — [3]tunc dixit Deus: Fiat lux“ etc. Sensus huius versionis est: cum Deus mundum formare inciperet, lucem eduxit; chaos autem tunc iam erat (*Gunkel,* Genesis 93; *Holzinger,* Genesis 2; sectatores eorum).

Gunkel (Genesis 93) et qui opiniones eius amplectuntur, in Gn 1, 1—3 materiam increatam, ab 'Elohim non factam sed formatam tantum supponunt. At haec suppositio vana est. Nam *'Elohim* caelum et terram creans idem est atque *Iahve,* praeter quem materia ab ipso non facta exsistere nequit (videas pag. 490). Si materia non *in principio* facta est, antea ab Iahve producta esse debet (pag. 490). Notionem quam interpretes Hegeliani (pag. 16) de *Iahve* conceperunt, falsissimam esse pag. 407—416 429 sq demonstravimus.

Si quis igitur in constructione hac quam ipse Wellhausen desperatam vocat (cf. supra) sibi complacet, eam adoptare potest quin ad materiam

ab Iahve non factam perveniat. Sed videamus nunc, quibus rationibus desperata haec constructio a recentissimis exegetis acatholicis atque liberalibus catholicis contra constructionem antiquiorem tantis argumentis confirmatam (pag. 491 sq) defendatur. Dicunt: α) haec constructio grammaticaliter possibilis est, sive ברא ut infinitivum *bᵉro'* sive ut perfectum kal *bara'* punctes (*Dillmann,* Genesis 17; *Gunkel,* Genesis 93; *Holzinger,* Genesis 1). Eam absolute possibilem esse non negamus (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 428); at considerato contextu valde improbabilis apparet (pag. 492), quare ipse Kautzsch cum aliis eam reicit (pag. 492). β) Illud בראשית plerumque in statu constructo adhibetur (pag. 489), ergo etiam in Gn 1, 1 ita accipiendum est (*Dillmann,* Genesis 17). Reponimus: in statu absoluto quoque adhibetur (pag. 489), ergo etiam in Gn 1, 1 ita intellegi potest. γ) Sententia Gn 2, 4ª *Istae sunt generationes caeli et terrae, quando creata sunt* verisimiliter primitus inscriptio capitis primi erat, ergo hodiernus v. 1 superfluus erat; istam inscriptionem capitis redactor subscriptionem fecit, qua occasione initium capitis sic formasse opinamur ut nunc legitur: quare בראשית ברא significat *in principio cum crearet* (*Dillmann,* Genesis 17, et alii cum eo). Verumtamen Gn 2, 4ª numquam inscriptio capitis erat (Comment. 44), propterea conclusiones inde deductae fundamento carent nullamque vim probandi habent; ipsum Dillmann de assertione sua non persuasum fuisse expressiones „verisimiliter, opinamur" satis indicant. δ) Illa constructio simili constructione in Gn 2, 4ᵇ—7 confirmatur (*Dillmann,* Genesis 17; *Gunkel,* Genesis 93; *Holzinger,* Genesis 1; sectatores eorum). Etenim hic vertendum est: „[4b]Tempore quo Dominus Deus terram et caelum crearet — [5]cum nondum virgulta in terra essent, necdum plantae germinarent, quia Dominus Deus nondum pluerat super terram, et homines nondum erant qui agrum colerent; [6]sed amnis egrediebatur e terra et irrigavit omnem superficiem agri — [7]tunc formavit Dominus Deus hominem" etc. (Comment. 46). Reponimus: asserunt quidem ita vertendum esse sed probare nequeunt. Eodem saltem iure Gn 2, 4—7 sic reddi possunt: „[4]Istae sunt generationes (seu historia) caeli et terrae, postquam creata sunt, postquam fecit Dominus Deus caelum et terram (eandem sententiam in Sciptura, praesertim Vet. Test., saepissime per parallelismum synonymum bis enuntiari res notissima est; cf. Exegeticam 41). [5]Et omne virgultum campi nondum erat in terra, et omnis planta campi nondum germinabat, quia non pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur humum. [6]Et nebula ascendebat e terra et irrigavit omnem superficiem humi. [7]Et formavit Dominus Deus hominem" etc. (Comment. 43—46). Quae versio illam constructionem desperatam nulla ratione commendat. ε) „Hic modus incipiendi forsitan stilus narrationum creationis fuit (mag gewesen sein), ut etiam in initio Babylonii mythi creationis plene respondens verborum compositio (Periodenbau) invenitur" (*Gunkel,* Genesis 93), quam sententiam Minocchi (Genesi 2) fideliter repetit: „Dal che (inizio del Poema babilonese della Creazione del mondo) ricaverebbesi essere forse stato carattere generale delle antichissime tradizioni cosmogoniche nell' Asia anteriore, d' incominciare con simile introduzione stilistica." Haec ratio nihil valet, quia narratio biblica a narrationibus gentium non dependet (videas n. 2). ζ) Illa constructio etiam a celebri rabbino medii aevi Ishaqi (Iarchi) proposita et ab Hummelauer acceptata est (*Minocchi,* Genesi 2). Mirandum est quod Minocchi ad virum medii aevi, liberalibus catholicis exosi, appellet sed etiam inutile est, quia nullus Iudaeorum ceterorum sententiam eius amplexatus est (*Kaulen,* Schöpfungsbericht 9 sq). Si Hummelauer (Genesis 90) eam adoptat, non

sequitur eam veram esse; pag. 491 quoque sententiam eius minus rectam invenimus.

Hae sunt rationes quibus interpretes recentiores sententiam antiquiorum elidere volunt; sententiam quam omnes viri docti tenebant, qui textum Hebraicum Graece et Latine reddiderunt quique linguam Hebraeorum melius nobis callebant; sententiam quam etiam auctoritas S. Ioannis evangelistae commendat (cf. pag. 491 sq).

d) *Caelum et terram* universitatem rerum significare pag. 488 diximus. Quaerunt autem interpretes, utrum universum iam formatum an informe significetur. Nos qui phrasim *in principio* absolute sumpsimus (pag. 489), consequenter *caelum et terram* metonymice (cf. Exegeticam 9) materiam informem intellegimus ex qua caelum et terra formata sunt. Hic intellectus contextu comprobatur. Nam Sapiens (Sap 11, 18) testatur: *omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa* vel potius informi, ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Et scriptor Genesis, qui in v. 1 caelum et terram creatam asserit, in v. 2 terram inanem et vacuam nominat atque in v. 6 sqq caelum aereum et sidereum formatum narrat. „Informis illa materia quam de nihilo Deus fecit, ait S. Augustinus (De Gen. contra Manich. l. 1, c. 7, n. 11), appellata est primo caelum et terra, non quia iam hoc erat sed quia hoc esse poterat; nam et caelum scribitur postea factum.“ Etiam Wellhausen (Composition[3] 185) nobiscum consentit, necnon antiquiores interpretes protestantes (cf. *Dillmann,* Genesis 16).

Dillmann (Genesis 16 18), Gunkel (Genesis 93), Holzinger (Genesis 3), sectatores eorum asserunt *caelum et terram* non materiam informem sed mundum formatum denotare, et opinionem suam argumentis sequentibus stabilire conantur: α) phrasis *caelum et terra* alibi mundum ordinatum significat neque de chao intellegi potest; β) mundus, quatenus chaos erat, in v. 2 non *caelum et terra*, sed simpliciter *terra* appellatur; γ) creatio chai contradictoria est, nam mundus ante creationem chaos erat (*Gunkel* l. c.). Respondemus ad α): phrasis *caelum et terra* sensu litterali proprio universum formatum atque sensu litterali improprio per metonymiam notissimam universum nondum formatum (cf. supra) denotare potest. Qualis significatio in variis locis accipi debeat, ex contextu eruendum est. Postquam universum a Deo formatum est, quemadmodum Gn 1, 3 ad 2, 3 narratur, phrasis *caelum et terra* utique mundum formatum significat; sed antequam formatum est, consequenter mundum nondum formatum, materiam informem denotat. *Caelum et terram* de chao intellegi non posse Gunkel affirmat sed non probat; Wellhausen et protestantes antiquiores (cf. supra) cum Patribus Ecclesiae et interpretibus catholicis contrarium sentiunt et contextu probant (cf. supra). Ad β): hagiographus in v. 2 scribere potuisset *caelum et terra autem erant inania et vacua* quod Dillmann (Genesis 16) desideraret, potuit tamen per synecdochen (pars pro toto) etiam simpliciter scribere *terra autem erat inanis et vacua,* et quidem iure optimo, quia materia caeli aerei in terra inani et vacua erat (cf. v. 6 sqq) quod Dillmann (l. c.) ipse concedit. Ad γ): chaos

creatum esse contradictorium in se Gunkel nulla ratione confirmare potest. Chaos, χάος apud scriptores Graecos et Latinos informem materiam originalem denotat (cf. *Passow*, Handwörterbuch; *Georges*, Handwörterbuch): utrum creata sit necne, vocabulum non indicat; notio *Iahve* creantis autem materiam non creatam essentialiter excludit (pag. 490), ideoque chaos creatum non est contradictorium in se sed postulatum necessarium notionis *Iahve*. — Lagrange (Revue biblique 1896, 381) creationem materiae absolute informis ideam falsam vocat. Hoc omnes ex philosophia cognitum habemus. At nullus interpres asserit materiam originalem absolute informem fuisse; asserimus eam relative informem, i. e. nondum in praesentem formam et ordinem mundi, κόσμου, redactam (cf. Gn 1, 3 sqq) fuisse. Minocchi (Genesi 3) putat decisionem inter duas sententias, utrum *caelum et terra* in Gn 1, 1 mundum non formatum an formatum significet, dogmatice non necessariam et critice non definibilem esse. Transeat. Sed propter notionem *Iahve* omnes illi interpretes qui cum Dillmann, Gunkel, Holzinger *caelum et terram* iam formata intellegunt, ita ut in v. 1 generaliter enuntietur quod in v. 3 sqq per partes describitur (Comment. 3), confiteri debent materiam originalem seu elementariam ab *Iahve* ante illud *in principio* creatam fuisse (pag. 492), quae sententia tamen minus probabilis est (pag. 493).

In Sacra Scriptura tres caeli commemorantur (cf. Bisping et Heinrici in 2 Cor 12, 2), videlicet aereum ubi aer, nubes, volucres (cf. Mc 14, 62; Mt 6, 26); sidereum ubi astra (cf. Gn 22, 17; Hebr 11, 12); empyreum ubi Deus cum bonis habitat (cf. Mt 6, 9; 25, 34 46). Item commemorantur exercitus caeli: exercitus aerei sunt venti et fulgura (Ps 102, 21; 103, 4); exercitus siderei sunt sidera (Dt 17, 3); exercitus empyrei sunt angeli (3 Rg 22, 19). Si igitur hagiographus explicite testatur Deum caelum et terram et omnia quae in eis sunt creasse (Gn 2, 1; Ex 20, 11), implicite etiam asserit Deum angelos creasse. Quapropter Vaticanum cum Lateranensi IV declaravit Deum ab initio temporis spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, creaturam condidisse (pag. 491), quin tamen quaestionem de tempore creationis angelorum definiendo decidere vellet (Comment. 3).

Deum universitatem rerum ex nihilo produxisse implicite in omnibus illis locis traditur, ubi Deus *Iahve* nominatur, quatenus *Iahve* essentialiter et necessario quodlibet ens non creatum excludit (pag. 380 389). Si igitur Smend (Lehrbuch 24) et multi protestantes alii asserunt ideam creationis ex nihilo per Iahve patratae non antiquam esse neque originem religionis Hebraeorum attingere, a veritate longissime recedunt. Nam haec idea iam in ipso nomine *Iahve* includitur, ergo tam antiqua est ac nomen Iahve (cf. pag. 376 sqq) cuius vim Deus ipse declaravit (pag. 374 sqq) ut auctor inspiratus testatur. Concedendum utique est creationem ex nihilo formaliter et explicite ante tempus Machabaeorum in sacris Libris non doceri.

Citantur quidem Ps 32, 6 9; 88, 12; 89, 2; 101, 26 sqq; 103, 2 5; 134, 6; 145, 6; 148, 5; Prv 8, 22 24 sqq; Is 42, 5; 45, 18; Ir 10, 12; Iudith 16, 17; Est 13, 9 sq; Sap 1, 14; Eccli 24, 5. At in nullo horum locorum creatio ex nihilo seu creatio prima (pag. 491) explicite

docetur; omnes de creatione secunda (pag. 491) intellegi possunt eo magis quod ad Gn 1, 1—2, 3 alludunt. Insuper in Iudith 16, 17 et Est 13, 9 sq non hagiographus sed Iudith et Mardochaeus loquuntur.

Primus et unicus locus Vet. Test. in quo creatio ex nihilo formaliter et explicite traditur (cf. *Zöckler,* Apokryphen 116), est 2 Mach 7, 28: *Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus.* Clarius in Graeco: ἀξιῶ σε, τέκνον, ἀναβλέψαντα εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἰδόντα γνῶναι, ὅτι οὐκ ἐξ ὄντων (ita *Swete;* aliae editiones habent ἐξ οὐκ ὄντων· sensus idem est; cf. *Zöckler,* Apokryphen 116) ἐποίησεν αὐτὰ ὁ θεός, καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος οὕτω γίνεται. Quae verba non sunt scriptoris inspirati sed matris septem fratrum Machabaeorum. Quodsi Pohle (Dogmatik 371) ex nota hagiographi (v. 21) *singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia* infert ista verba matris forsitan pretium textus inspirati habere nimium asserit; Hurter (Compendium II 200) scribit: „Quia tamen morosus disputator forte excipiat, verba haec relata quidem esse ex divina inspiratione, non tamen constare, num mulier illa, etsi sancta, fuerit in loquendo inspirata, ea tamquam verbum Dei non urgemus. Ad ea tamen merito provocare possumus, quatenus insigne continent testimonium traditionis et fidei synagogae." Forsitan sic dicere possumus: mater fratrum Machabaeorum ista verba non quidem ex divina inspiratione protulit, sed hagiographus protestans matrem singulis filiis locutam esse sapientia repletam ea approbavit, ita ut non quidem divinitus inspirata (cf. pag. 9 sqq) sed tamen divinitus approbata, ergo vera habenda sint.

2. Deus sex diebus mundum universum formavit. a) *In principio creavit Deus caelum et terram* (Gn 1, 1; cf. pag. 488 sqq). *Terra* (cf. pag. 494) *autem erat inanis,* תֹּהוּ i. e. vastitas seu vasta, carens ordine, *et vacua,* בֹּהוּ i. e. vacuitas seu vacua, sine illis rebus quibus postea repleta est; *et tenebrae erant super faciem abyssi,* עַל־פְּנֵי תְהוֹם, *et Spiritus Dei ferebatur super aquas,* וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם. Abyssus, תְּהוֹם, aquas profundas et copiosas significat (*Buhl,* Handwörterbuch; *Gesenius,* Thesaurus), in quarum superficie, עַל־פְּנֵי, tenebrae et Spiritus Dei i. e. ipse 'Elohim, quatenus omnia conservat, evolvit et animat, disponit ac dirigit (cf. Sap 1, 7; Ps 103, 30), incubans, מְרַחֶפֶת, erat sicut avis incubat ovis ea fovens, evolvens perficiens (cf. Comment. 4 sq). Quantum temporis spatium inter creationem primam atque secundam (pag. 491) effluxerit Scriptura non indicat; si periti rerum naturalium millia millium annorum postulant, pro his inter v. 1 et 2 et 3 locus omnino sufficiens est.

Formatio mundi sex diebus absoluta est ideoque opificium sex dierum (*ἡ ἑξαήμερος δημιουργία* vel simpliciter *τὸ ἑξαήμερον*) appellatur. Die 1 Deus lucem formavit, eam a tenebris distinxit, lucem diem et tenebras noctem vocavit (Gn 1, 3—5). Die 2 firmamentum, רָקִיעַ i. e. expansum, orbem caeruleum formavit, aquas sic divisit

ut aliae in forma liquidi sub firmamento exsisterent, aliae in forma vaporis super terram elevatae essent, firmamentum caelum vocavit (Gn 1, 6—8). Die 3 aquas sub firmamento exsistentes ab arida separavit, aridam terram et aquas maria vocavit; deinde terram herbas, plantas, arbores germinare fecit (Gn 1, 9—13). Die 4 luminaria formavit, quae diem noctemque dividerent, in signa et tempora et dies et annos essent, super terram lucerent (Gn 1, 14 ad 19). Die 5 aquatilia et volatilia formavit (Gn 1, 20—23). Die 6 animalia in terra commorantia eaque domestica et fera et reptilia formavit; deinde hominem ad imaginem et similitudinem suam fecit (Gn 1, 24—31). *Die septimo* Deus generibus et speciebus iam formatis alia non amplius addidit et in hoc sensu requievit, יִשְׁבֹּת; ac propterea, *quia* scilicet *in ipso cessaverat,* שָׁבַת i. e. quieverat, *ab omni opere suo,* die septimum *sanctificavit,* וַיְקַדֵּשׁ i. e. e numero dierum negotiosorum segregavit (cf. lexicon) et diem feriatum, שַׁבָּת i. e. requiem, instituit (Gn 2, 1—3).

רקיע i. e. expansum (cf. Is 40, 22; Ps 103, 2) aspicientibus firmum apparet, ideoque caeli ab Eliu *solidissimi quasi aere fusi* describuntur (Ib 37, 18); aquae iuxta apparentiam externam de caelo veniunt, quare super firmamentum diffusae dicuntur; luminaria in firmamento fixa videntur, propterea in eo posita asseruntur. Hagiographos in rebus physicis non secundum „intimam adspectabilium rerum constitutionem" sed secundum apparentiam externam scripsisse, quae revera talis est, pag. 12 ostendimus. — Luminaria caeli sunt *in signa,* i. e. indicant res varias: plagas caeli, cursum tenendum, tempestates; sunt *in tempora* statuta, i. e. efficiunt et manifestant tempora anni, menses, hebdomades, tempora sementis et messis aliorumque negotiorum, tempora festorum; sunt *in dies et annos,* quatenus haec spatia cursu suo efficiunt et secernunt. — Distinctio maris et continentis cum procreatione plantarum unum opus diei 3 constituit, quia plantae ad consummationem ac perfectionem terrae pertinent; similiter formatio animalium terrestrium atque hominis unum opus diei 6 constituit, quia homo est dominus animalium quae ad commodum eius creata sunt. - Aquatilia et volatilia iuxta Dillmann (Genesis 29) ideo simul creata narrantur, quod inter aquam et aera, inter naturam et propagationem istorum animalium similitudo adest. Vulgata cum LXX vertit v. 20: *Producant aquae reptile . . . et volatile,* ita ut quis opinari possit aquatilia et volatilia ex aqua formata esse; sed textus originalis verti debet: „redundent aquae aquatilibus . . . et volatilia volitent", ergo non indicat materiam, ex qua formata sunt. — Requies Dei non sic accipienda est ac si creator defatigatus fuisset, quia contextus indicat Deum maxima cum facilitate creasse: dixit seu iussit, et factum est ita. Per anthropopathismum (pag. 397) scribitur. Neque asseritur requievisse absolute, sed *ab universo opere quod patrarat,* i. e. a producendis speciebus novis. — Benedictione et sanctificatione diei septimi iuxta sententiam hagiographi a Deo sabbatum institutum esse etiam Gunkel (Genesis 105) aliique acatholici concedunt. — Plura de singulis versibus in Comment. 4—25 reperiuntur.

b) *Dies* hexaemeri (pag. 496) neque spatia 24 horarum neque spatia chronologice ordinata sunt. Non spatia 24 horarum. Nam *α)* idem vocabulum in eodem contextu iuxta praecepta logica et hermeneutica eandem significationem habere debet. Atqui vocabulum *dies*, *ἡμέρα*, יום, in Gn 2, 2 sq certo spatium ca 9000 annorum significat (cf. pag. 23 in fine), quia *dies septimus* seu requies Dei adhuc perdurat ac perdurabit. Ergo concludamus oportet *dies* hexaemeri quoque spatia plurium milium annorum innuere. Minocchi (Genesi 23) negat יום *dies* periodum indeterminate longam significare. At quietem Dei iam ca 9000 annorum perdurantem et amplius perduraturam — ergo periodum satis longam — tam hagiographus (Gn 2, 2 sq) quam Dominus (Ex 20, 11; 31, 17) *diem* appellat. Si autem *dies* improprie periodum significat, consequenter *mane* et *vespere* improprie initium et finem periodi significant. Diei septimo formula *Et factum est vespere et mane, dies septimus* ideo non additur, ut hic *dies* adhuc perdurare innuatur, quemadmodum S. Augustinus, Frc. Delitzsch, Schöpfer, Zschokke asserunt (Comment. 24). *β)* Periti rerum naturalium asserunt astra spatio 24 horarum sine miraculo formari nequivisse, sed ad formationem eorum milia annorum necessaria fuisse. Miracula autem consentientibus philosophis ac theologis sine necessitate statuenda non sunt. Ergo *diem* quo astra formata sunt, spatium plurium milium annorum intellegamus necesse est uti diem quietis Dei, et consequenter quemlibet diem alium hexaemeri. *γ)* Iidem viri periti docent lucem astrorum spatio plurimorum annorum indiguisse, usquedum ad terram pertingeret, nisi miracula statuerimus, quae sine necessitate statuenda non sunt. Atqui Adam iam die sexto in luce ambulabat (Gn 2, 19—25 coll. Gn 1, 14 sqq). Ergo dies hexaemeri non sunt spatia 24 horarum. *δ)* Item affirmant nos ex palaeontologia seu scientia fossilium concludere debere, quod post creationem plantarum et animalium evolutiones factae sint longissima intervalla postulantes, quibus flora et fauna fossilia et petrefacta fieri potuerint. Ergo dies hexaemeri non sunt spatia 24 horarum.

Sing. יום et plur. ימים etiam *tempus* sive determinatum sive indeterminatum significare, apud Gesenius (Thesaurus), Fürst (Handwörterbuch), Buhl (Handwörterbuch) invenies. — Si periti rerum naturalium pro singulis hexaemeri operibus milia milium annorum postulant, habeant sibi. *Dies*, יום, certo ca 9000 annorum significans (cf. supra), etiam milia milium annorum significare potest; *quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus* (2 Petr 3, 8; cf. Ps 89, 4, pag. 393). — Praetermisimus rationem ab aliquibus allatam, videlicet ante solem formatum

dies lunares 24 horarum exsistere non potuisse, quia sol iam ante lucem creatus erat, uti mox videbimus.

Dies hexaemeri non chronologice ordinati sunt. Hoc patet *α)* ex contextu. Hagiographus enim prius de luce solari, deinde de corpore solis; prius de divisione diei ac noctis, deinde de luminaribus divisionem efficientibus; prius de plantis florentibus et fructificantibus, deinde de radiis solis, sine quibus plantae crescere nequeunt, loquitur. Si auctor *eruditus omni sapientia Aegyptiorum* (Act 7, 22 coll. Ex 2, 10) ita scribit, satis innuit se non chronologicum ordinem, non contextum historicum (cf. Exegeticam 45) servare voluisse. Quod autem contextum psychologicum et quidem associationem idearum (cf. Exegeticam 45 sq) observaverit, clare ostendit. Etenim ob analogiam attributionis et quidem ob relationem internam (cf. Exegeticam 4) cum formatione continentis germinationem plantarum, cum formatione hominis formationem animalium coniunxit itaque tam diei 3 quam diei 6 duo opera assignavit (pag. 497); et ob analogiam proportionis i. e. ob similitudinem (cf. Exegeticem 4 sq) formationem aquatilium ac volatilium simul narravit (pag. 497).

Putarunt antiquiores atque recentiores Moysen in v. 3 non de luce solari sed de luce quadam a sole independente, diem noctemque dividente, plantas fovente et evolvente loqui; sed versus sequentes ostendunt Moysen de ea luce loqui quae a sole dependet. Putarunt alii luminaria die 4 non creata esse sed apparuisse, luce eorum tunc ad terram perveniente; sed idem verbum *fiat*, יהי, in eodem contextu eandem significationem habere debet, nimirum significationem formandi, non apparendi.

Hoc patet *β)* ex cosmogonia. Nunc omnes viri docti concedunt solem esse centrum systematis solaris, ad quod terra pertinet: ergo sol ante terram, non autem post eam formari debuit. Propterea dies hexaemeri non chronologice ordinati sunt, quia die 3 terra et die 4 sol formatus scribitur. Hoc patet *γ)* ex palaeontologia. Viri docti (cf. *Hasert*, Antworten der Natur 32) distinguunt periodum azoicam, in qua strata terrae nec floram nec faunam monstrant; palaeozoicam, in qua herbas aquaticas et filices, pisces et amphibia invenimus; mesozoicam, in qua coniferae, sauriani, volucres occurrunt; kaenozoicam (tertiariam et quaternariam), in qua praeter floram recentiorem etiam mammalia et corpora humana reperiuntur. In stratis igitur terrae flora (plantae) atque fauna (animalia) simul petrefacta invenitur, quare dies hexaemeri, in quibus flora et fauna secernuntur, non chronologice ordinati sunt, vel saltem opera quaedam non chronologico ordine inseruntur.

Iuxta notissimum principium hermeneuticum a sensu veluti obvio discedendum est, si certa doctrina rationis vel experientiae eum tenere prohibet (cf. Exegeticam 102 sq).

Quae cum ita sint, censemus Deum revera sex diebus, i. e. sex periodis plurium milium annorum mundum universum formasse. *Sex enim diebus,* testatur Dominus ipse (Ex 20, 11), *fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt:* quod testimonium falsum esse nequit (cf. pag. 409 460). Censemus autem singulas periodos et singula opera Dei non chronologice sed idealiter ordinata esse, quemadmodum opera Christi in evangelio S. Matthaei non chronologice sed historico-dogmatice seu idealiter disposita sunt (cf. Exegeticam 46). Idea, iuxta quam hagiographus periodos et opera hexaemeri ordinavit, satis perspicua est. Prius opus distinctionis (productionem regionum), deinde opus ornatus (productionem exercituum, cf. pag. 381 sq); prius generalia, deinde particularia; prius imperfectiora, deinde perfectiora narrat. — Etiam historiographum res idealiter dispositas narrare posse, quin veritatem laedat, res notissima est (cf. Exegeticam 45). Solum necessarium est, ut aliquo modo indicet se non contextum historicum (ordinem chronologicum) sed psychologicum servare velle, quod scriptor hexaemeri reapse fecit (pag. 499).

Quomodo periodi et opera hexaemeri chronologice ordinanda sunt? Nihil certi sed opinio tantum magis minusve probabilis statui potest. Periti rerum naturalium putant unicam esse materiam fundamentalem, cuius partes vario numero ac modo compositae elementa 75 constituant (*Hasert,* Antworten der Natur 8). Haec materia fundamentalis in principio a Deo ex nihilo producta est (*Hasert,* Antworten der Natur 53 sqq). — Varia attractione et condensatione partium istius materiae subtilissimae globi fiebant, quorum unus terra erat. — Hic globus, ex spiritibus naturalibus constans, propter condensationem ardebat. Decrescente autem ardore elementa coniungebantur: graviora (platina, aurum, ferrum etc.) in medio manserunt, leviora (acida etc.) in peripheria. — Acida condensata ut pluvia in globum ardentem cadebant, ut vapores ascendebant, iterum ut pluvia cadebant etc. Qua ratione globus terrae adhuc liquidus refrigerabatur, partes solidae altitudinis inaequalis efficiebantur, super quas pluviae veniebant et aquae manebant. Refrigerato globo ardenti tenebrae super aquas profundas diffusae erant (cf. *Hasert,* Antworten der Natur 16 sqq; *Stöckl,* Grundzüge 268 sq).

Si haec placita peritorum vera sunt, periodi et opera hexaemeri forsitan modo sequenti chronologice ordinari possint. Nimirum: die 1 corpora lucis formata; die 2 aquae subter et super firmamentum distributae; die 3 mare a continente segregatum; die 4 lux et tenebrae divisae; die 5 plantae et animalia producta; die 6 homo creatus est. — Operibus hexaemeri ita dispositis res duae evanescunt quae animos multorum commovent, quod scilicet tam 3 quam 6 diei duo opera assignentur (pag. 497) et animalia terrestria non aeque ac volatilia et aquatilia benedictionem accipiant. Si enim plantas et animalia omnia periodo 5 formata dicamus

(quod palaeontologia commendat; cf. pag. 499), pro die 3 et 6 unum dumtaxat opus remanet, atque omnia animalia sive in aquis sive in terris sive in aere commorantia eandem benedictionem accipiunt.

Explicatio hexaemeri a nobis tradita vocatur theoria *periodistica-idealis*, quia periodos idealiter ordinatas statuit. Haec explicatio nostra cum theoria *periodistica-concordistica* non confundenda est. Concordistae enim recte quidem nobiscum docent *dies* hexaemeri periodos significare; male tamen subiungunt periodos hexaemeri eo ordine quo in Genesi enumerantur cum periodis geologicis concordare seu convenire. Conferas dies Genesis (pag. 496 sq) cum periodis geologicis (pag. 499).

Praeter duas has theorias aliae quoque propositae ac propugnatae sunt quas breviter enumeramus, quia iam obsoletae inveniuntur. Qui plura desiderat Comment. 39—43 et opera ibi citata inspiciat. — *1. Theoria seu explicatio litteralis Patrum.* Patres et Doctores Ecclesiae, theologi catholici et acatholici usque ad saec. XVIII communiter docuerunt Deum 6 spatiis 24 horarum sibi eo ordine succedentibus quo in Genesi referuntur, mundum formasse; sed hanc explicationem suam numquam ut sensum ipsius Ecclesiae proposuerunt, quare eam relinquere possumus (cf. pag. 25), quia rationes gravissimae nos urgent (pag. 498 sq). — *2. Theoria seu explicatio allegorica Patrum.* S. Augustinus cum paucis aliis docuit Deum omnia elementa mundi *simul* (Eccli 18, 1) creasse eisque vires et leges et primordia vitae indidisse; ex illis autem elementis sine speciali influxu Dei singula quaeque evoluta esse et quidem spatiis temporis ad evolutionem necessariis. At illud *simul*, κοινῇ, non significat Deum omnia eodem tempore, sed communiter, i. e. sine ulla exceptione creasse (videas commentatores); ipsa vero allegorica explicatio cum textu sacro (Gn 1, 3 sqq; Ex 20, 9—11; 31, 15—17) pugnat et propterea hodie ab omnibus exegetis relicta est. — *3. Theoria diluvialis seu explicatio litteralis recentiorum.* Quidam interpretes recentiores (cf. Comment. 40) communem Patrum et Doctorum et theologorum antiquiorum explicationem sustinere volentes ea quae contra illam obiciuntur aut vera esse negant aut per diluvium declarant aut ad omnipotentiam Dei confugiunt. Quibus opponimus: si non omnia, saltem nonnulla certa sunt, e. g solem esse centrum systematis ad quod terra pertinet, et in stratis terrae floram simul cum fauna petrefactam reperiri (pag. 499); haec facta diluvio non declarari posse omnes confiteri debent; ad omnipotentiam autem Dei vel ad miracula sine necessitate non confugiendum est (pag. 8). Ceterum in „Compendio della Dottrina Cristiana" iussu Pii PP. X in typografia Vaticana 1905 impresso pag. 355 traditur: „e sebbene avesse potuto compiere la grand' opera in un solo istante, volle impiegarvi sei periodi di tempo, che la Scrittura Santa chiama *giorni*, i. e. et quamvis potuisset complere magnum opus in uno solo instanti, voluit impendere ei sex periodos temporis, quas Scriptura Sancta vocat *dies*." Ergo etiam interpretes catholici explicationem litteralem Patrum et Doctorum antiquiorum relinquere et theoriam periodisticam-idealem amplexari possunt, quia neque necessarium neque conveniens est, ut interpretes catholici magis conservantes sint quam ipse Papa. — *4. Theoria seu explicatio restitutionalistica.* Defensores huius theoriae opinantur in Gn 1, 3 sqq non formationem primariam sed restitutionem terrae devastatae narrari, periodos geologicas ante hexaemeron

collocandas, strata et fossilia istis evolutionibus ac devastatione declarandas, hexaemeron vero litteraliter proprie intellegendum esse. At haec theoria nullo argumento probari potest et insuper difficultates pag. 498 sq enumeratas non tollit. 5. *Theoria seu explicatio idealis.* Pauci (cf. Comment. 42) affirmarunt non Deum sex diebus mundum formasse et septimo die requievisse, sed hagiographum opus Dei in sex dies seu momenta divisisse, ut ideam religiosam doceret hominem sex diebus operari et septimo die requiescere debere. 6. *Theoria seu explicatio visionaria.* Hummelauer, Hoberg, Schöpfer opinionem protestantium Ebrard, Lange, Hahn, Kurtz (cf. Comment. 42) amplexantur asserentium Deum non sex diebus operatum esse et septimo die requievisse sed septem visionibus creationem et requiem Adae monstrasse. 7. *Theoria seu explicatio hymnologica.* Clifford catholicus (cf. Comment. 42) putat non Deum sex diebus creasse et septimo die requievisse sed hagiographum hymno vel carmine liturgico cuilibet diei hebdomadis opus quoddam Dei assignasse. His tribus theoriis clarissima verba Domini opponimus quae Ex 20, 9—11; 31, 15—17 referuntur. *Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. . . . Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum* (Ex 20, 9—11). Loquitur ipse Dominus et populo Israel inculcat ut dies sex operetur, die septimo autem requiescat, eo quod Deus sex diebus mundum universum creavit et septimo die ab opere suo requievit (pag. 497) ac propterea diem septimum a diebus ceteris segregavit. Ergo sabbatum sanctificandum iubetur non quia hagiographus opus Dei in sex momenta divisit, non quia Deus Adae septem visionibus creationem et requiem suam ostendit, sed quia Deus reapse sex spatiis operatus est et septimo spatio ab opere cessavit atque hanc hebdomadam suam exemplar hebdomadis humanae esse voluit (Comment. 24). Ex eo quod hebdomada divina exemplar hebdomadae humanae proponitur, sequitur quidem hebdomadam divinam ex septem spatiis constare, ut in Ex 20, 9 sqq legimus; non vero sequitur illa spatia eiusdem longitudinis fuisse ac dies hebdomadae humanae, nam sabbatum humanum post 24 horas absolvitur, sabbatum autem divinum adhuc perdurat (pag. 498).

Novissima est theoria seu explicatio mythologica-naturalis. Praecipui patroni huius explicationis sunt sequentes: Lenormant (Les origines de l'histoire d'après la bible et les traditions des peuples orientaux, Paris 1880/1882), Loisy (Les mythes babyloniens et les premiers chapitres de la Genèse, Paris 1901), Zapletal (Der Schöpfungsbericht, Freiburg in der Schweiz 1902), Holzhey (Schöpfung, Bibel und Inspiration, Stuttgart und Wien 1902), Peters (Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung, Paderborn 1905; Bibel und Naturwissenschaft, Paderborn 1906; Glauben und Wissen im ersten biblischen Schöpfungsbericht, Paderborn 1907), Koch (Das zwanzigste Jahrhundert, München 1906), Engert (Die Weltschöpfung, München 1907), Minocchi (Genesi, Firenze 1907); ultimus vir doctus candide fatetur se opiniones protestantium Dillmann, Gunkel, Holzinger, Ieremias, Schrader, Winckler, Zimmern etc. et catholici Lagrange (eos sequentis atque exscribentis) amplecti.

Enumerati viri catholici (Lenormant, Loisy, Zapletal, Holzhey, Peters, Koch, Engert, Minocchi, Lagrange) non in singulis rebus accidentalibus quidem, tamen in his substantialibus conveniunt quae praesertim in opusculis a Peters et Engert conscriptis clare proponuntur: α) Scriptura inspirata in rebus profanis errores continet, non autem in ideis reli-

giosis. β) Ideae religiosae in Gn 1, 1—2, 3 exprimuntur: unus Deus exsistit, hic omnia creavit eaque bona, genus humanum ab uno pari descendens est praeses omnium creaturarum, sabbatum sanctificandum est. γ) Ad proponendas hasce veritates religiosas hagiographus mythis gentium et falsis opinionibus aetatis suae usus est. δ) Modum creationis mundi hagiographus describere noluit. ε) Ideas religiosas pro veris habere debemus, vestitum orationis vero ut falsum relinquere possumus. ζ) Credere debemus Deum mundum creasse et sabbatum sanctificandum esse; negare autem possumus Deum sex diebus operatum esse et septimo die requievisse. Hebdomada humana non ad exemplar hebdomadae divinae instituta, sed hebdomada divina ad exemplar hebdomadae humanae conficta est (*Peters,* Glauben und Wissen 38 sq; cf. et *Minocchi,* Genesi 15 sq).

Lubenter ac sincere credimus viros quosdam pro Ecclesia Romana laborare, scientiam catholicam promovere, obiectiones infidelium cura radicali auferre velle: Peters e. g. in opusculis suis amorem Ecclesiae sic manifestat, ut nemo eum addubitare possit; via tamen in qua progrediuntur, cum constanti traditione et doctrina Ecclesiae conciliari nequit. Etenim α) asserunt Scripturam inspiratam in rebus profanis errores continere. Sed hanc assertionem Leo XIII utpote catholicae notioni inspirationis et communi doctrinae Patrum contrariam evidenter reprobavit (cf. pag. 9 et *Engert,* Weltschöpfung 4 sq). Et quia nihilominus multi (e. g. *Peters,* Bibel und Naturwissenschaft 44) putabant Leonem XIII quoad res profanas in libris inspiratis errores admittere, Pius X die 4 Iulii 1907 propositionem 11 „Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat" ceu reprobatam ac proscriptam ab omnibus haberi mandavit. Die 18 Novembris 1907 autem declaravit ac decrevit: „Si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatis tueatur, censurâ ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicae Sedis* irrogatâ, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis." Ergo ea confirmata sunt quae pag. 9 sqq scripsimus: si auctor inspiratus qua talis proprio nomine loquitur, si suas sententias profert, si sententias aliorum approbat vel suas facit, *nihil* a veritate alienum ponere potest.

β) Proclamant hagiographum factum dumtaxat creationis, non autem modum eius tradere velle. At contextus contrarium omnino manifestat: auctor inspiratus non solum factum sed etiam modum seu historiam creationis describere vult. „Si hoc tantum dicere voluisset, Deum mundum ex nihilo creasse eumque bene fecisse, id simplicius simulque clarius exprimere potuisset, recte monet Wellhausen (Prolegomena[6] 296). Vult sine dubio realem eventum originis mundi ad verum exprimere, vult theoriam cosmogonicam tradere (Hätte er bloß sagen wollen, Gott habe die Welt aus nichts geschaffen und er habe sie gut geschaffen, so hätte er das einfacher ausdrücken können und zugleich deutlicher. Er will ohne Zweifel den tatsächlichen Hergang der Entstehung der Welt naturgetreu schildern, er will eine kosmogonische Theorie geben)." Haec verba Holzinger (Genesis 18) citat et approbat. Consonat Gunkel (Genesis 119): „Auctorem non solum id intendere, inquit, ut ideam religiosam creationis illustret, sed etiam realem eventum originis mundi narrare velle, numquam negandum erat (Daß es dem Verfasser nicht nur darauf ankam, den religiösen Gedanken von der Schöpfung zu illustrieren, sondern daß er zugleich den wirklichen Hergang der Entstehung der Welt erzählen will, hätte man niemals leugnen sollen)." Atqui hagiographi „ea omnia

eaque sola" quae Deus iussit, et recte mente conceperunt et fideliter conscribere voluerunt et apte infallibili veritate expresserunt (*Leo XIII*, Provid. 61; cf. pag. 9). Ergo Deus ipse, qui nec falli nec fallere potest (pag. 409), in Gn 1, 3—2, 3 „realem eventum originis mundi" nos. docere vult, non solum factum creationis, ut interpretes liberales proclamant.

γ) Affirmant hebdomadam divinam ad exemplar hebdomadae humanae confictam esse. Sed Dominus ipse contrarium testatur (pag. 502), scilicet se hebdomadam humanam ad exemplar hebdomadae divinae instituisse.

δ) Dicunt *dies* hexaemeri esse spatia 24 horarum; mundum vero ob rationes pag. 499 allatas non sex diebus civilibus (cf. Comment. 8) formatum esse: ergo vestitum orationis (pag. 503) cum veritate non convenire. Attamen *sabbatum Dei* adhuc perdurans demonstrat dies hebdomadae divinae esse spatia longissima (pag. 498).

ε) Contendunt denique relationem creationis alteram (Gn 2, 5—25) relationi priori (Gn 1, 1—2, 3) quoad modum seu historiam creationis contradicere, ergo neutram in hac re veram esse. At haec affirmatio neque cum catholica notione inspirationis neque cum contextu congruit. Non congruit cum catholica notione inspirationis. Nam Deus per hagiographum loquens in Gn 1, 1—2, 3 reapse modum creationis narrare voluit (pag. 503), quare ista relatio vera esse debet (pag. 503 sq); idem autem Deus etiam Gn 2, 5—25 inspiravit (pag. 8 sq): ergo altera haec relatio, quam vocant, priori contradicere nequit, quia Deus per hagiographum proprio nomine loquentem (pag. 9 sq) eam nobis proponens sibi contradicere nequit (pag. 416). Non congruit cum contextu. Catholici interpretes liberales (cf. *Peters*, Glauben und Wissen 1 sqq) exegetas protestantium sequentes asserunt in Gn 2, 5—25 alteram adesse relationem creationis eamque priori (Gn 1, 1—2, 3) contrariam; at neutrum verum est. Non adest altera relatio creationis. Nam in Gn 2, 5—25 non narratur creatio caeli et terrae, non narratur creatio lucis, non narratur creatio firmamenti, non narratur divisio maris et continentis, non narratur creatio luminarium, non narratur creatio aquatilium; narratur solummodo creatio plantarum, creatio animalium in terra et aere commorantium, creatio Adae et Evae. Narratio autem, in qua creatio tam multarum ac principalium rerum tacetur, non altera relatio creationis (ut *Oehler*, Theologie 75 sq, bene notat), sed repetitio et amplificatio creationis operum diei 5 et 6 chronologice ordinatorum (videas pag. 500) nominari potest. Non adest relatio priori contraria. Asserunt quidem: in Gn 1, 1—2, 3 plantae et animalia ante hominem formata referuntur; in Gn 2, 5—25 vero plantae et animalia post hominem formata dicuntur. At haec assertio interpretum protestantium et catholicorum liberalium omnino arbitraria est. Textus Hebraicus enim in Gn 2, 8 19 imperfectum consecutivum exhibet (ויטע *vaiitta'* et ויצר *vaiizer*) quod ut plusquamperfectum verti potest, si contextus id suadet (cf. *Gesenius-Kautzsch*, Grammatik 312 sqq 329), quapropter Vulgata bene reddit *plantaverat* atque *formatis* vel melius formaverat (Comment. 58 sq), quia Deus per hagiographum proprio nomine loquentem tam in Gn 1, 1—2, 3 quam in Gn 2, 5—25 nobis narrans sibi contradicere nequit (pag. 416). Asserunt iuxta Gn 1, 1 sqq terram aquis involutam, iuxta Gn 2, 5 autem aridam fuisse; sed in Gn 1, 1 sqq terra ante segregationem maris, in Gn 2, 5 vero post segregationem describitur, quod Gn 1, 9 sqq et Gn 2, 6 sqq commonstrant. Videas plura in Comment. 98, ubi omnes contradictiones apparentes examinantur ac diluuntur.

c) Cosmogonia biblica non ex cosmogoniis gentium hausta est, sed tam cosmogonia biblica quam cosmogoniae gentium ex primitiva revelatione divina profluunt. Inter narrationem biblicam et narrationes gentium cosmogoniam, *κοσμογονίαν* i. e. ortum mundi, referentes adesse tales similitudines reales et verbales, ut affinitas narrationum negari nequeat, hodie catholici et acatholici agnoscere debent (Comment. 27).

Breviter narrationes gentium proponimus, ut quilibet lector ipse iudicare possit, utrum affinitas a nobis affirmata exsistat necne. *Narratio Aegyptiorum.* In initio aquae originales tenebris involutae (Nun) erant quibuscum spiritus originalis indissolubiliter coniunctus erat. Hic spiritus effecit, ut ex aquis ovum prodiret. Ex ovo deus lucis seu Ra (pag. 404) exiit qui deos reliquos (pag. 404) creavit, mundum formavit, vitam produxit, devictis rebellibus hunc ordinem stabilivit. Homines in rota figuli a deo formati sunt (Comment. 25). *Narratio Phoenicum.* In principio erat chaos tenebrosum et spiritus. Operante spiritu chaos factum est materia semina vitalia continens (Mώτ) quae formam ovi induit. Ovum diffissum est; ex una parte caelum, ex altera terra formabatur: caelum corporibus, terra animantibus replebatur ex ista materia productis. Duo animantia (ἄνεμος Κολπία et Βάαυ vel Βάου) deinde protoparentes generis humani (Αἰών et Πρωτόγονος) procrearunt (Comment 25 sq). *Narratio Indorum.* In initio chaos tenebrosum et spiritus originalis erat. Spiritus luce sua tenebras pepulit et postea aquas cum semine vitali creavit. Ex isto semine ovum factum est, in quo Brahma ortus est. Hic cogitando ovum diffidit atque ex eo caelum et terram ceterasque res formavit (Comment. 26). *Narratio Graecorum.* Primum est chaos, oriuntur terra (γαῖα) et abyssus (τάρταρος) et amor (ἔρως). Chaos tenebras et noctem generat, ex quibus aether et lux oriuntur; terra caelum astris ornatum, montes, mare, fontes procreat (Comment. 26). *Narratio Etruscorum* (Tuscorum, Tyrrhenorum) qui iam antiquissimo tempore ex Asia (Lydia) in Italiam venerunt. Hi docent demiurgum seu fabricatorem mundi sex spatiis temporis, quorum unumquodque mille annos aequaverit, omnia creasse: primo caelum et terram, secundo firmamentum, tertio mare et aquas ceteras, quarto solem et lunam et stellas, quinto animalia omnia, sexto hominem (Comment. 26). *Narratio Persarum.* Persae quoque referunt mundum sex periodis formatum esse. *Narratio Babyloniorum et Assyriorum.* Cum caelum et terra nondum nominarentur (i. e. nondum exsisterent) neque dii creati essent, erant Apsû (i. e. aquae dulces) et Tiâmat (i. e. aquae salsae). Ex his dii prodierunt. nimirum Mummu, Lahmu et Lahamu, Anšar et Kišar, Anu, Illil (i. e. Bel antiquior), Ea alii (pag. 403). Ea et uxor eius Damkina procrearunt Marduk vel Maruduk vel Merodach (i. e. Bel iuniorem). Apsû cum Mummu et Tiâmat deos ceteros perdere voluit, quia via seu operatione eorum turbabatur. Attamen ipse et Mummu ab Ea devicti sunt, ut videtur. Quapropter Tiâmat undecim species monstrorum creavit nonnullosque deos in partes suas traxit, quorum unum (Kingu) ducem exercitus et distributorum sortium constituit. Anšar ab Ea de his machinationibus certior factus, primo Anu et deinde Nudimmut ad debellandam Tiâmat misit, qui tamen re infecta redierunt. Idcirco Anšar deum Marduk ad praelium instigavit; hic annuit, si victoria parta rex mundi et distributor sortium a diis reliquis constitueretur, quam conditionem dii congregati

acceperunt. Marduk ad potentiam suam demonstrandam ante oculos deorum verbo effecit, ut vestis dispareret ac iterum appareret; deinde armis ornatus et curru quadrigarum vectus illam Tiâmat atque exercitum eius aggressus est. Desperantibus adiutoribus Tiâmat sola ei restitit. Marduk eam occidit; adiutores eius (deos et monstra) comprehendit, deo Kingu distributionem sortium eripuit. Tiâmat ipsam divisit, ex una parte eius caelum et ex altera terram effingens. In caelo astra posuit, in terra homines ac bestias ex limo sanguine divino madefacto formavit, hominibus cultum deorum imposuit (Comment. 26 sq).

Manifestam affinitatem quae inter has narrationes gentium atque narrationem biblicam observatur, olim nonnulli sic declarare voluerunt, ut dicerent narrationes gentiles ex Sacra Scriptura desumptas esse. Sed haec opinio saltem quoad narrationem Babyloniorum et Assyriorum amplius sustineri nequit quae iam ca 2000 a. Chr., ergo ante Genesim (ca 1500 a. Chr.) litteris mandata videtur (Comment. 27). Nunc e contrario plurimi viri docti (Gunkel, Holzinger, Schrader, Winckler, Zimmern protestantes et sectatores eorum protestantes atque catholici) affirmant narrationem biblicam ex narrationibus Babyloniorum et Assyriorum necnon Phoenicum et Aegyptiorum depromptam esse. Probabile dicunt iam antiquo tempore mythos Babyloniorum et Assyriorum in notitiam Phoenicum et Chananaeorum venisse atque ab Israelitis una cum mythis aliorum populorum, praesertim Phoenicum et Aegyptiorum, acceptatos et novo modo dispositos et pedetemptim de polytheismo purgatos esse. Contendunt hos mythos ab Israelitis traditos scriptorem codicis sacerdotum tempore exilii industrie retractasse, verbis et sententiis de polytheismo purgatis spiritum sacerdotalem ac supernaturalismi Iudaici inspirasse (Comment. 27 sq).

Verumtamen, licet Israelitae mythos gentium cognoverint, narratio biblica ex eis desumpta esse nequit. Nam *a)* in omnibus cosmogoniis gentium polytheismus, in cosmogonia biblica autem purus monotheismus docetur, uti nunc omnes viri docti concedunt (Comment. 29): ergo quoad hanc partem narratio biblica ex mythis gentium hausta esse nequit. Ne dicant Israelitas istos mythos pedetemptim de polytheismo purgasse atque monotheismo conformasse. Nemo enim adhuc declarare potuit, quomodo Israelitae cum polytheistis conversantes naturali evolutione, uti supponunt, ex polytheismo ad monotheismum soli se elevaverint. Si teste historia nullus ceterorum populorum magis cultorum naturali evolutione ad monotheismum se elevavit, concludere debemus neque populum Iudaicum minus cultum naturali evolutione ad monotheis-

mum pervenire et mythos gentium de polytheismo purgare potuisse (Comment. 28). Vim huius conclusionis Frd. Delitzsch eludere volebat asserens ca 2500 a. Chr. Hammurabi regnante in Babylonia monotheismum viguisse. Verumtamen non solum doctissimi Assyriologi (Bezold, Jensen, Oppert) sed etiam ipsae leges Hammurabi in quibus plures dii nominantur (cf. *Winckler*, Die Gesetze Hammurabis, Leipzig 1903) assertum Delitzschi evidenter falsum esse commonstrant (cf. Comment. 29). — *β)* In omnibus cosmogoniis gentium materia elementaria aeterna, non creata supponitur; in cosmogonia biblica autem temporalis, a Deo ex nihilo producta pronuntiatur (pag. 490): ergo etiam quoad hanc partem narratio biblica ex mythis gentium hausta esse nequit. Ne asserant Israelitas naturali evolutione a materia aeterna ad materiam ex nihilo productam progressos esse. Licet enim viri docti disputent, utrum creatio proprie dicta sine revelatione positiva cognosci possit an non, tamen omnes concedunt reapse nullum philosophum gentilem ratiocinando ad productionem ex nihilo pervenisse. Quare inferamus oportet neque populum Iudaicum minus cultum naturali rationis lumine ad productionem materiae elementariae ex nihilo se elevare potuisse (Comment. 29). — *γ)* In omnibus cosmogoniis gentium theogonia, i. e. origo deorum ex materia elementaria describitur, duo principia, materia et spiritus, semper exsistentia explicite vel implicite statuuntur, caelum et terra et quae in eis sunt, praeliis formata monstrantur, vires naturales loquentes vel agentes (dii et monstra) inducuntur; contra in cosmogonia biblica prosopopoeiae phantasticae desunt atque unicum principium increatum et nulli materiae subiectum docetur quod omnia sine pugna, solo verbo formavit: ergo etiam quoad has partes narratio biblica ex mythis gentium hausta esse nequit. Affirmarunt quidem populum Iudaicum minus cultum naturali evolutione mythos gentium magis cultarum a rebus phantasticis et polytheisticis et absurdis purgasse; sed nemo adhuc declarare potuit, quomodo populus minus cultus naturali evolutione ad cosmogoniam certissime puriorem et saniorem pervenerit quam gentes magis cultae (Comment. 30). — *δ)* In nulla cosmogonia gentium institutio sabbati et implicite institutio hebdomadis septem dierum narratur quae in cosmogonia biblica legitur: ergo etiam quoad hanc partem narratio biblica ex mythis gentium hausta esse nequit. Affirmarunt quidem Delitzsch, Gunkel, Ieremias, Schrader-Zimmern (Comment. 30) et cum eis Minocchi (Genesi 15 sq) sabbatum Israe-

litarum ex institutionibus Babyloniorum declarandum esse, cum apud hos nomen *šabattu* vel *šapattu* occurrat atque dies 7 14 19 21 28 cuiuslibet mensis a diebus ceteris secernantur. Sed reponimus: primum, apud Babylonios dies 7 14 21 28 insuper 19 cuiuslibet mensis, apud Israelitas vero quilibet dies 7 anni sine respectu ad initium mensis celebrabatur; secundum, nullo argumento confirmari potest diem 7 14 19 21 28 *šabattu* nominatum fuisse, immo probabile est diem 15 mensis ita vocari; tertium, isti dies Babyloniorum notantur nefasti, atri quibus opera plura sed non omnia omittenda erant, ut infortunia evitarentur, erant dies ieiunii et poenitentiae: sabbatum vero Israelitarum erat dies laetitiae quo homines requiescebant, ut Deum colerent; quartum, Babylonii 5 dies hebdomadis, Aegyptii et Graeci 10, Israelitae autem iuxta dispositionem exordii Genesis 7 numerabant, quae numeratio ex institutionibus Babyloniorum declarari non potest, sed neque ex cosmogoniis Etruscorum et Persarum quae probabiliter a cosmogonia biblica dependent. Quibus omnibus consideratis Barth, Bezold, Siegfried-Guthe, Strack quoque candide profitentur narrationem biblicam quoad institutionem sabbati et hebdomadis 7 dierum ex mythis gentium non desumptam esse (Comment. 30 sq).

Rationes quibus protestantes Gunkel, Holzinger, Schrader-Zimmern (Comment. 31) et catholici exegetae eos exscribentes demonstrare conantur cosmogoniam biblicam ex cosmogoniis gentium depromptam esse, sequentes sunt: α) Secundum cosmogonias gentium in principio chaos, aquae profundae et tenebrosae erant, ex quibus reliqua formabantur; eadem in cosmogonia biblica legimus: ergo haec ex illis quae antiquiores sunt, deprompta apparet. Respondemus, inter chaos cosmogoniarum gentium et cosmogoniae biblicae exsistere differentias essentiales quae nulla evolutione naturali declarari possunt (pag. 506 sq). Nam chaos illud est aeternum, hoc temporale; illud est increatum et deos plures procreans, hoc a Deo uno ex nihilo productum; illud est principium diis plerumque infensum, hoc Deo oboediens; ex illo pugnis, ex hoc per verbum omnia formantur. — β) In cosmogonia biblica chaos iisdem nominibus vocatur quae in cosmogoniis gentium occurrunt; nam *tehom* idem est atque assyr. *tiâmtu, tâmtu, tâmdu, tiâmat* (cf. *Buhl,* Handwörterbuch) et *bohu* idem ac phoenic. βάαυ vel βάου (cf. *Buhl,* Handwörterbuch): ergo cosmogonia biblica ex cosmogoniis gentium sumpta est. Reponimus, hic quoque differentias intercedere. Etenim *tiâmat* significat mare velut personam aut bestiam inductum et βάου vacuitatem humana specie indutam; e contrario denotat *tehom* semper mare et *bohu* semper vacuitatem, quatenus obiective exsistunt, sine fictione personarum. Cum autem significatio propria sit prior quam mythologica (*Nikel,* Genesis 69), nomina cosmogoniae biblicae ex cosmogoniis gentium non dependent, eo magis quod vox *tohu* in nulla inveniatur, ut omnes concedunt. Quodsi *tehom* in Gn 1, 2 sine articulo ponitur, non sequitur illud esse nomen proprium personae mythologicae, quia Ps 105, 9 et Is 63, 13 cum articulo ponitur et usus articuli in Scriptura generatim non tam constans est, ut ex eo deduci possit, utrum nomen

aliquod sit proprium an appellativum (*Nikel*, Genesis 70). — γ) In nonnullis cosmogoniis gentium spiritus ovum ex aquis produxisse narratur, ex quo cetera formata sint; in cosmogonia biblica quoque Spiritus Dei aquis incubans describitur: ergo narratio biblica ex mythis gentium hausta videtur. Mira consonantia in hac re ultro concedenda tunc probaret cosmogoniam biblicam ex cosmogoniis gentium haustam esse, si alio modo explicari non posset; potest autem ex communi fonte declarari quem cosmogoniae variae supponunt: ergo. Nemo asserit cosmogoniam biblicam, Aegyptiorum et Phoenicum hinc atque cosmogoniam Indorum illinc invicem dependere (*Nikel*, Genesis 121); nihilominus in utraque eadem idea spiritus aquis incubantis occurrit, quare communem fontem postulare debemus, ex quo omnes profluxerunt. — δ) In cosmogonia biblica de effectibus Spiritus incubantis (Gn 1, 2) nihil narratur; in Gn 1, 3 novum principium mundum formans inducitur: ergo inter v. 2 et v. 3 lacuna quaedam reperitur quae nobis insinuat cosmogoniam biblicam ex cosmogoniis gentilium desumptam esse, omissa theogonia quae inter v. 2 et v. 3 collocanda fuerat. Attamen, in v. 3 non novum principium inducitur, quia iuxta usum loquendi biblicum idem ens summum et ʾElohim et Spiritus nominatur (pag. 481); Spiritus Dei materiam creatam una cum viribus naturalibus conservabat atque ad varias evolutiones naturales (pag. 498) cooperatione sua concurrebat, ergo efficiens erat; idcirco inter v. 2 et v. 3 nulla lacuna reperitur quae theogonia gentium resarcienda esset. nam idem ens summum quod mundum in principio ex nihilo produxit et postea verbo formavit, interim super aquas ferebatur seu materiam elementariam evolvebat.

ε) Secundum fidem Israelitarum tam lux quam tenebrae a Deo creatae sunt (Is 45, 7); secundum cosmogoniam biblicam vero tenebrae a Deo nec creantur nec bonae pronuntiantur: ergo cosmogonia biblica non ex fide Israelitarum hausta est sed ex cosmogoniis gentium, in quibus tenebrae increatae repraesentantur. Verumtamen tenebrae in cosmogonia biblica reapse creatae dicuntur. Nam Deus in principio creavit caelum et terram; terra autem creata tenebris involuta erat: ergo tenebrae cum terra creatae sunt. Ratio ob quam tenebrae non dicuntur bonae, probabiliter haec est, quod non sint ens quoddam positivum sed potius defectus lucis, ut philosophi docent. — ζ) In cosmogoniis gentium divisio lucis et tenebrarum (saltem implicite, quatenus *Ra* et *Marduk* dii lucis sunt) necnon divisio aquarum superiorum et inferiorum (divisio ipsius *tiâmat*) narratur; utraque divisio in cosmogonia biblica quoque occurrit: ergo haec ex illis utpote antiquioribus dependet. Sed istas divisiones experientia quotidiana atque apparentia externa hominem quemlibet docet, ita ut summum concludere possimus singulos scriptores cosmogoniarum secundum quotidianam experientiam atque apparentiam externam similia narrasse, quin invicem dependeant; insuper istae divisiones in cosmogonia biblica sine ulla fictione personarum describuntur, quae in cosmogonia Aegyptiaca et Babylonia offendit et conclusionem contrariam suggerit (cf. pag. 508). — η) Cosmogonia biblica soli et lunae dominium adiudicat, quod cultum astrorum gentilem redolet: ergo ex mythis gentium petita est. At, solem et lunam diei et noctis dominari experientia quotidiana quemlibet docet, quare ille quoque de dominio illorum scribere potest qui astra non colit; praeterea hagiographus diserte enuntiat astra a Deo creata esse et quidem in ministerium hominum, ergo cultum astrorum impugnat. — ϑ) Plurales *ʾElohim* et *Faciamus* reliquiae polytheismi sunt, ergo cosmogonia biblica ex polytheisticis cosmogoniis gentium deprompta est. Iam pag. 466 demonstravimus istos plurales non reliquias polytheismi

esse; deficiente autem fundamento etiam conclusio inde deducta deficit. — ι) In cosmogonia biblica homo ad imaginem Dei creatus asseritur, qua locutione Deo species corporalis ascribitur ut in cosmogoniis gentium: ergo cosmogonia biblica ex his hausta apparet. Verumtamen homo non tam corporalibus quam spiritualibus proprietatibus imago et similitudo Dei est (vide § 44, n. 3), quapropter ista conclusio tota concidit. — κ) Secundum cosmogoniam biblicam vegetabilia hominibus ac bestiis in escam dantur; in mythis quoque gentium antiquissimis pax primae aetatis praedicatur: ergo cosmogonia biblica ex his sumpta videtur. Sed ex mira ista consonantia ultro concedenda tunc tantum logice sequeretur narrationem biblicam ex mythis gentium petitam esse, si alio modo declarari nequiret; atqui consonantia narrationis biblicae et mythorum gentium ex fonte communi explicari potest (cf. pag. 509): ergo haec quoque conclusio concidit. — λ) Iuxta narrationem biblicam Deus opera singula inspexit et bona vidit; haec vero examinatio et approbatio indicat opera etiam mala fieri potuisse, et placitis gentium conformis invenitur: quare cosmogonia biblica ex mythis gentium dependere conspicitur. At haec explicatio contextui hexaemeri omnino contraria est. Deo enim qui solo verbo et nullis resistentibus creasse dicitur (pag. 507), opus aliquod minus feliciter evenire potuisse ipsumque ob hanc causam opera singula examinasse absurde asseritur; iuxta circumstantias historicas res idcirco bonae enuntiantur, ut antiquissimus error orientalis confutetur, quo res nonnullae a principio malo productae ideoque malae dicebantur (cf. pag. 401 404; Comment. 7). — μ) Ex fide Israelitarum Deus semper operatur; secundum cosmogoniam biblicam autem opere consummato requiescit: ergo saltem haec pars ex cosmogoniis gentium hausta est. Respondemus, ex fide Israelitarum Deum et operari et requiescere: operatur creaturas conservans, cum eis cooperans, eas ad finem suum dirigens (vide n. 8—10 infra); requiescit, quatenus nova genera novasque species amplius non format (pag. 497). Ergo cosmogonia biblica cum fide Israelitarum optime congruit, quare ne hinc quidem mutuatio ex mythis gentium inferri potest.

ν) In aliis libris S. Scripturae, praesertim poeticis (qui infra consulto varie ordinantur) praelium Dei cum mari vel cum monstris explicite vel implicite (alludendo) narratur: praelium Dei cum mari in Ps 103, 6—9; Ib 7, 12; 26, 12; 38, 10 sq; Prv 8, 29; Is 50, 2; 51, 10; Ir 5, 22; 31, 35; Ps 32, 7; 64, 8; 73, 13; 88, 10; Eccli 43, 25; Ps 45, 4; Is 17, 12 sqq; Hab 3, 8; Nah 1, 4; Ps 17, 16 sqq; 92, 3 sq; 76, 17; 105, 9, cf. Is 59, 19; praelium Dei cum monstris, et quidem cum *rahab* in Is 51, 9; Ps 88, 10 sqq; Ib 26, 12 sq; 9, 13 (cf. Ps 86, 4; Is 30, 7; Ps 40, 5), cum *leviathan* in Ps 73, 12 sqq; Is 27, 1; Ib 40 sq; cf. 3, 8; Ps 103, 26, cum *behemoth* in Ib 40 (cf. Is 30, 6; Ps 67, 31), cum *dracone (tannîn)* in Is 27, 1; 51, 9; Ib 7, 12; Ps 73, 13; Ez 29, 3 sqq; 32, 2 sqq; Ir 51, 34 (cf. 36, 44); cf. 2 Esr 2, 13; Esth 10, 4—12; Dn 14, 22—26, cum *serpente (nahas)* in Am 9, 2 sq; Ib 26, 13; Is 27, 1 (cf. *Schrader-Zimmern*, Keilinschriften 507 sq). Atqui antiquior haec narratio seu cosmogonia mythis gentium, praesertim Babyloniorum valde similis est (cf. pag. 505). Ergo cosmogonia biblica ex cosmogoniis gentium desumpta, pedetemptim purgata atque transformata et in recentiore forma libro Genesis praefixa esse comprobatur. Contra hanc conclusionem sequentia notamus: primum, liber Genesis ante libros supra citatos scriptus est (pag. 21 sq 369), ergo non recentiorem sed antiquiorem formam cosmogoniae continet; secundum, in libris supra citatis potentia divina cui omnia in principio parebant et nunc quoque oboedire debent, variis imaginibus poetice describitur, dum in Gn 1, 1—2, 3 cosmogonia prosaice narratur; ter-

tium, nihil nos impedit quominus cum Nikel (Genesis 123) aliisque concedamus hagiographos voces adhibuisse quae in toto oriente usurpabantur ideoque ex parte etiam in mythis gentium occurrunt: in mythis Babyloniorum *draco* et *serpens* quidem inveniuntur, *rahab*, *leviathan*, *behemoth* vero desiderantur; quartum, experientia quotidiana hominem docet aquas divisas maiore potentia coerceri, quod factum variis imaginibus praelium Dei et aquarum repraesentatur (*Nikel*, Genesis 122); quintum, talis purgatio et transformatio mythorum gentium qualem interpretes nominati supponunt, naturali evolutione omnino impossibilis est, quemadmodum pag. 506 sqq monstravimus. — Quibus omnibus perpensis non solum catholici interpretes conservantes, verum etiam protestantes Dillmann et Wellhausen negant cosmogoniam biblicam ex mythis gentium dependere (videas Comment. 34).

Cosmogonia biblica igitur non ex cosmogoniis gentium hausta est; manet tamen factum cosmogonias gentium tam inter se quam cum cosmogonia biblica in pluribus similes esse (pag. 505). Hae similitudines quae inter cosmogonias invicem non dependentes exsistunt (vide pag. 509), communem fontem requirunt (*Dillmann*, Genesis 11), ut patet. Qui fons communis non sola ratio atque experientia naturalis esse potest, sed revelatio supernaturalis esse debet. Nam nullus populus, ne maxime excultus quidem, pura ratione et experientia vel naturali evolutione ad monotheismum atque productionem mundi ex nihilo se elevavit (pag. 507); in cosmogonia populi Iudaici autem qui minus excultus erat quam plures alii, monotheismus et productio ex nihilo docentur: hoc factum non ex naturali ratione et experientia declarari potest, alioquin etiam populi magis exculti istas doctrinas invenissent, sed solum ex revelatione supernaturali a Deo hominibus communicata (Comment. 35 sq). — Revelationem primitivam traditione propagatam populi varii iuxta suas conditiones, tempora et loca, culturam et statum civilem mutabant, partim augebant partim minuebant: itaque dissimilitudines inter cosmogonias varias inventae clarescunt. Quod iam Berosus notaverat (cf. *Schrader-Zimmern*, Keilinschriften 489), etiam Gunkel (Genesis 115 sqq), Holzinger (Genesis 21), Nikel (Genesis 49 sqq), Schrader-Zimmern (Keilinschriften 500 sq) aliique asserunt, nimirum in cosmogonia Babylonia eventus naturales allegorice describi. Statum terrae tempore hiemali et vernali, praelium virium naturae tempestate adorta conspicuum, conditionem suam civilem Babylonii in originem mundi transtulerunt. — Ex ista traditione populorum hagiographus Deo movente et illustrante puram revelationem primitivam selegit et conscripsit (cf. pag. 9 sqq) atque perturbatis traditionibus gentium quibuscum Israelitae vivere debebant, consulto opposuit (*Nikel*, Genesis 124),

quemadmodum S. Ioannes evangelista doctrinam suam haeresibus illorum opposuit, inter quos Christiani degebant (Comment. 35).

Ex iis quae n. 1 et 2 scripsimus, apparet Deum universitatem rerum *in tempore* et quidem sex periodis (pag. 500) formasse, postquam eam *in principio*, i. e. in primo momento temporis (pag. 489) ex nihilo produxit (pag. 490). Fuerunt quidem qui dicerent illud *in principio* idem significare atque *in Filio Dei* per quem teste S. Paulo (Col 1, 16) *condita sunt universa in caelis, et in terra, visibilia, et invisibilia.* Sed quamvis verum sit Deum omnia *in Filio suo* seu per Verbum creasse, tamen haec veritas per illud *in principio* non exprimitur; nam S. Ioannes (1, 1—3) ad Gn 1, 1 alludens (pag. 489) Verbum a principio distinguit scribens: *In principio erat verbum . . . omnia per ipsum facta sunt* (Comment. 2 sq). — Egger (Dogm. spec. 173 sq) bene notat: „Tempus relationem praeteriti et futuri includit; praeteritum autem fuit sed non amplius est, futurum erit sed nondum est. Tempus ergo res contingentes, quae possunt esse et non esse, supponit. Unde hoc sensu cum S. Augustino (De Civ. Dei l. 11, c. 6) dicere possumus, quod procul dubio non est mundus factus *in* tempore sed *cum* tempore' (scilicet reali). Quoniam vero tempus possibile mundo praecessit, dici quoque debet mundum creatum esse *in* tempore (scilicet possibili)."

3. Deus *solus* mundum ex nihilo produxit ac deinde formavit. In Gn 1, 1—2, 3 (pag. 496 sq) creatio tum prima tum secunda (cf. pag. 491) soli *'Elohim,* in Ex 20, 11; 31, 17 (pag. 502) creatio secunda soli *Iahve* ab auctore inspirato ascribitur. — In Ps 95, 5 (pag. 402) dii gentium אֱלִילִים i. e. vanitates vocantur seu veri dii esse negantur; Domino, *Iahve,* i. e. uni Deo vero (pag. 398) creatio caelorum tribuitur: ergo inferendum videtur creationem caelorum opus proprium Dei veri esse. Concinit Ps 135, 2—9: *Confitemini Deo deorum: . . .* 3 *Confitemini Domino dominorum: . . .* 4 *Qui facit mirabilia magna solus,* לְבַדּוֹ: . . . 5 *Qui fecit caelos in intellectu: . . .* 6 *Qui firmavit terram super aquas: . . .* 7 *Qui fecit luminaria magna: . . .* 8 *Solem in potestatem diei: . . .* 9 *Lunam, et stellas in potestatem noctis.* His sententiis Psalmista testatur Dominum Deum caelum et terram, i. e. totum universum, לְבַדּוֹ i. e. „in solitudine sua" vel solum (*Gesenius,* Thesaurus 179) creasse.

Apud Isaiam legimus: *Quis mensus est pugillo aquas, et caelos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera?* (pag. 421 sq). *Quis adiuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, et ostendit illi? Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam iustitiae, et erudivit eum scientiam, et viam prudentiae ostendit illi? . . . Et cui assimilastis me, et adaequastis, dicit sanctus?* (Is 40, 12—14 25.) Item: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens caelos solus,* לְבַדִּי i. e. in solitudine mea (*Gesenius* l. c.), *stabiliens*

terram, et nullus mecum (Is 44, 24; cf. *Kittel*, Biblia Hebraica). Conferas etiam Is 45, 6 sq (pag. 401) 18 necnon Is 44, 6; 48, 12 (pag. 389). In his quoque locis creatio universi soli Deo tribuitur. — Etiam Ieremias (10, 10—12) dicit: *Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, et rex sempiternus* (pag. 431). . . . [11]*Sic ergo dicetis eis: Dii, qui caelos et terram non fecerunt, pereant* vel potius peribunt *de terra, et de his, quae sub caelo sunt.* [12]*Qui facit* vel potius fecit *terram in fortitudine sua, praeparat* vel potius praeparavit *orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos* (cf. pag. 461). Versus 11 lingua Aramaica scriptus (cf. pag. 306; sed אֱלָהּ in fine est Hebraicum) parenthesis est, qua Israelitae exsulantes instruuntur quid de diis gentium credere ac profiteri debeant; versus 10 et 12 nectendi sunt (videas commentatores), quo facto sensus talis invenitur: creatio caeli et terrae est opus Deo viventi et vero tam proprium, ut omnes dii qui caelum et terram non crearunt, qua falsi dii subter caelum et super terram auferendi sint. Ergo Ieremias quoque creationem universi soli Deo vero adiudicat.

Classicus locus Ib 38, 4—8 reperitur. Dominus Iobum interrogat: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae?* . . . [5]*Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam,* קָו i. e. funem mensorium? [6]*Super quo bases illius solidatae sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius.* [7]*Cum me laudarent simul astra matutina,* בְּרָן־יַחַד כּוֹכְבֵי בֹקֶר, *et iubilarent omnes filii Dei,* וַיָּרִיעוּ כָּל־בְּנֵי אֱלֹהִים? [8]*Quis conclusit ostiis mare* etc. Dominus de formatione continentis et maris loquitur atque exercitus caelestes, i. e. angelos et sidera (pag. 381), tunc iam praesentes fuisse testatur quo testimonio ea confirmantur, quae pag. 500 de ordine chronologico creationis secundae proposuimus. At his exercitibus caelestibus iubilationem dumtaxat, nullam vero cooperationem tribuit; formationem continentis et maris Dominus sibi soli ascribit: ergo concludamus oportet Deum solum continentem et mare atque eo magis caelum cum exercitibus suis creasse.

Filii Dei sunt angeli (cf. Ib 1, 6; Ps 28, 1; pag. 33); *astra* vocantur *matutina,* quia Dominus de tempore matutino mundi loquitur (cf. pag. 500; *Dillmann,* Hiob 324; *Volck,* Hiob 90; similiter *Knabenbauer,* Iob 427, cum S. Thoma, Estio aliisque). Angeli sensu proprio *iubilabant* (cf. Ps 28, 1; 148, 2), sidera autem sensu improprio seu metaphorico Deum *laudabant* i. e. splendore, pulchritudine, ordine suo creatorem celebrabant (cf. Ps 18, 1; 148, 3; Eccli 43, 1 sqq; *Dillmann* l. c.; *Volck* l. c.; *Knabenbauer* l. c.).

4. Deus mundum valde bonum creavit. Haec veritas in capite 1 Genesis clare docetur. Nam septies hagiographus notat

Deum vidisse *quod esset bonum,* כִּי־טוֹב, opus scil. a se patratum: in vv. 4 8 (iuxta LXX; cf. Comment. 9) 10 12 18 21 25; in fine autem adiungit: *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et* ecce *erant valde bona,* וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד. Antiquissimo errore orientali res nonnullae a principio malo productae ideoque malae dicebantur (pag. 401 404; Comment. 7); contra hunc errorem Deus per scriptorem inspiratum opera singula cum voluntate sua congruentia seu bona pronuntiat (Comment. 7). Totum vero mundum, creatione hominis completum, propter ordinem consensumque quo singulae partes inter se congruunt itaque cumulatam perfectionum divinarum complexionem manifestant, valde bonum dixit.

5. Deus mundum ad manifestandas perfectiones divinas et ad utilitatem hominum creavit. De fine mundi loquentes ex philosophia quaedam lemmata assumere debemus. *Finis* generatim est illud bonum, propter quod aliquid fit. Finis *operis* vel finis *internus* est bonum, ad quod opus ab agente ordinatur cuique constitutione seu natura sua inservit; e. g. finis internus horologii est indictio temporis. Finis *operantis* vel finis *externus* est bonum, quod operans pro se assequi vult et quo ad agendum movetur; e. g. finis externus artificis horologiorum est plerumque acquisitio pecuniae. Finis operis et operantis idem esse possunt; e. g. si quis studet ut scientiam assequatur, nam scientia ab operante intenta est simul bonum ad quod studium naturâ suâ ordinatur. Quodsi finis operantis alius est quam finis operis, hic alter medium adhibetur ad priorem illum assequendum. Videas *Gutberlet,* Metaphysik 153; *Hagemann,* Metaphysik 45; *Stöckl,* Grundzüge 230. Quibus lemmatibus suppositis quaerimus: qualis est finis operis et operantis in creatione mundi? quid Sacrae Litterae respondent?

a) Finis internus mundi primarius est manifestatio perfectionum divinarum. Haec quoque veritas iam in capite 1 Genesis continetur. Nam rationalis causa rationabiliter operans secundum ideam exemplarem agere debet (cf. *Gutberlet,* Metaphysik 167 sq; *Hagemann,* Metaphysik 46; *Stöckl,* Grundzüge 229). Obiectiva autem idea exemplaris Dei mundum creantis alia esse nequit quam ipsa essentia divina (cf. pag. 378 520), quatenus imitabilis est. Atqui Deus universa opera creata valde bona, i. e. cum voluntate sua convenientia pronuntiavit (cf. supra). Ergo universitas rerum essentiam divinam imitatur seu perfectiones Dei in se exprimit itaque manifestat.

Omnia illa quae in caelis et in terra sunt, sive rationabilia sive irrationabilia, constitutione seu natura sua perfectiones Dei manifestare Psalmista et Isaias propheta notissimis ac pulcherrimis sententiis tradunt, ut interpretes catholici et acatholici confitentur. *Caeli enarrant gloriam Dei,* מְסַפְּרִים כְּבוֹד־אֵל, *et opera manuum eius annunciat firmamentum,* וּמַעֲשֵׂה יָדָיו מַגִּיד הָרָקִיעַ (Ps 18, 2). Sensus est: *caeli* manifestant *gloriam,* כָּבוֹד, Dei, i. e. cumulatam perfectionum divinarum complexionem (cf. pag. 514; *Buhl,* Handwörterbuch), et *firmamentum* monstrat, quid potentia *(manus)* divina facere *(opera)* possit (*Baethgen,* Psalmen 55; *Keßler,* Psalmen 42). At licet perfectiones divinae praecipue in caelo eluceant (cf. *Thalhofer,* Psalmen 139 sq), etiam in terra conspiciuntur. Etenim Isaias (6, 3) Seraphim conclamantes audivit: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum* (pag. 482), *plena est omnis terra gloria eius,* מְלֹא כָל־הָאָרֶץ כְּבוֹדוֹ i. e. plenitudo universae terrae (praedicatum) est gloria eius (subiectum), aliis verbis: gloria Dei terram universam implet (*Gesenius,* Thesaurus 789; *Dillmann-Kittel,* Jesaja 57). Utrumque in Ps 96, 6 coniungitur: *Annunciaverunt* vel annunciant (cf. grammaticam) *caeli iustitiam eius,* צִדְקוֹ (pag. 448 sqq): *et viderunt* vel vident *omnes populi gloriam eius,* כְּבוֹדוֹ (cf. *Keßler,* Psalmen 208; *Thalhofer,* Psalmen 560). Idem in Is 44, 6; 48, 12 (pag. 389) atque Sap 13, 1 sqq (pag. 405 483) manifeste continetur.

Omittimus Prv 16, 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.* Textus Vulgatae a multis sic explicatur: Deus caelum et terram et omnia quae in eis sunt, „propter gloriam suam" creavit, i. e. „hoc fine, ut immensam suae essentiae, bonitatis, potentiae et sapientiae gloriam creaturis suis patefaceret eamque illis quoad fas est communicaret, ut illae eius participes fierent. . . . Etiam eos quos praevidit fore impios, si a se crearentur, sibique et gloriae suae reluctaturos, creavit tamen et permisit male agere, ut reddita eis pro culpis admissis poena quam merentur, in eis iustitiae suae gloriam patefaciat." Ita Lapide (in Prv 16, 4) et plurimi cum eo; quem sensum in Vulgata expressum omnes ob rationem pag. 370 allatam retinere possunt. In theologia biblica tamen ad ceteras quoque versiones antiquas atque ad ipsum textum originalem recurrere debemus (pag. 370), qui testes critici in hac causa cum Vulgata non conveniunt, ut iam Lapide notavit. Syrus et Chaldaeus supponunt quidem *propter ipsum,* at referunt illud non ad Deum sed ad

hominem pium (cf. *Bertheau-Nowack,* Sprüche 99), de quo hagiographus in vv. antecedentibus loquitur. „Sicque clara est antithesis inter obedientes et malos sive inobedientes, quod Deus omnia opera sua ac praesertim caelum praeparavit obedientibus sibi; inobedientibus vero praeparavit malum, id est exitium et gehennam“ (*Lapide* in Prv 16, 4). Vulgata, Syrus, Chaldaeus in textu Hebraico לְמַעֲנֵהוּ (ex מַעֲנֶה et לְ et suffixo) = לְמַעֲנוֹ supponunt quod *propter se* vel *propter eum* verti potest (cf. *Bertheau-Nowack,* Sprüche 99). Hodiernus textus Hebraicus לַמַּעֲנֵהוּ (cum articulo) habet quod *in finem suum* verti debet; ita etiam לְמַעֲנֵהוּ (sine articulo), quam lectionem Kittel (Biblia Hebraica), Gesenius-Kautzsch (Grammatik 420) praeferunt (vide tamen Ios 7, 21; Is 24, 2; Mich 2, 12; 1 Esr 10, 14; *Wildeboer,* Sprüche 48) verti potest (*Gesenius,* Thesaurus 1051). Propterea Bertheau-Nowack (Sprüche 99), Frankenberg (Sprüche 96), Fürst (Handwörterbuch), Gesenius (Thesaurus), Strack (Sprüche 56), Wildeboer (Sprüche 48) textum Hebraicum כֹּל פָּעַל יְהוָה לַמַּעֲנֵהוּ וְגַם־רָשָׁע לְיוֹם רָעָה sic vertunt: „omne fecit Iahve in finem suum, etiam impium in diem malum.“ Sensus est, quamlibet rem in finem quemdam a Deo factam esse; qualis autem iste finis sit, in textu Hebraico non exprimitur. Sed neque in textu Graeco; LXX enim vertunt: *πάντα τὰ ἔργα τοῦ κυρίου μετὰ δικαιοσύνης, φυλάσσεται δὲ ὁ ἀσεβὴς εἰς ἡμέραν κακήν.* Ob hanc dissensionem testium antiquissimorum Prv 16, 4 in theologia biblica melius omittitur, qua agendi ratione contra praecepta ecclesiastica non peccatur, quemadmodum pag. 395 sq ostendimus.

Omittimus quoque Ps 148, 1 sqq a pluribus adductum. Nam Psalmista non dicit creaturas ad manifestationem perfectionum Dei factas esse, sed optat ut de caelis (v. 1) ac de terra (v. 7) cunctae creaturae Domino *Alleluia* (vv. 1 14) concinant, eo quod populo Israel cornu salutis erexit (v. 14; cf. Lc 1, 69; *Baethgen,* Psalmen 432; *Keßler,* Psalmen 299 sq; *Thalhofer,* Psalmen 795; *Wolter,* Psallite V 470 sq). — Similiter de cantico trium puerorum (Dn 3, 57 sqq) iudicandum est.

Homines in specie a Deo creati sunt, ut non solum natura et constitutione verum etiam libera operatione sua perfectiones divinas manifestent: Deum principium et finem et dominum suum agnoscant, mandata eius observent, moribus suis speculum bonitatis eius efficiantur. Hanc veritatem hagiographi saepius repetunt. In Gn 2, 3 (Ex 20, 8—11; 31, 13—17) *sabbatum* institutum narratur (cf. pag. 497), ut homo quoad operationem suam imago Dei fieret, sex diebus operaretur et septimo requiesceret, itaque Deum principium et finem mundi coleret (Comment. 24 sq). — Adamo in paradiso collocato *praeceptum* impositum est, ut observatione eius

supremum Dei dominium profiteretur (Gn 2, 16 sq; Comment. 56 sq). — Homines peccatis maculatos Deus aquis diluvii perdidit (pag. 33 sqq) et piae familiae Noe servatae *observationem voluntatis suae* inculcavit (Gn 9, 4 sqq; Comment. 157 sq). — Abrahamum Dominus de terra et urbe et cognatione idololatra eduxit, ut per eum *notitia et cultus* veri Dei conservaretur (Gn 12, 1 sqq; Ios 24, 2 sq; Comment. 220 sqq).

Ad populum Israel autem Moyses locutus est: *Dominus elegit te hodie* (vel Dominus te dicere fecit hodie; cf. *Steuernagel,* Deuteronomium 96; *Hummelauer,* Deuteronomium 433) *ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia praecepta illius: et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam,* לְתִתְּךָ עֶלְיוֹן עַל כָּל הַגּוֹיִם אֲשֶׁר עָשָׂה לִתְהִלָּה וּלְשֵׁם וּלְתִפְאָרֶת: *ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est* (Dt 26, 18 sq). Illa sententia *in laudem, et nomen, et gloriam suam* non est coniungenda cum *gentibus quas creavit* sed cum *populo Israel* quem Moyses alloquebatur (cf. Ir 13, 11; 33, 9; Is 62, 3; Soph 3, 19 sq; commentarios in Dt 26, 19). Dominus populum Israel omnibus gentibus creatis sublimiorem fecit, ut ab ipso *laudem,* תְּהִלָּה, *famam,* שֵׁם, *gloriam,* תִּפְאֶרֶת, reciperet: per ipsum verbis atque operibus inter gentes (cf. Soph 3, 19 sq) celebraretur. — Apud Isaiam (43, 6 sq) Dominus affirmat: *Dicam Aquiloni: Da: et Austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terrae.* [7] *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum,* כֹּל הַנִּקְרָא בִשְׁמִי וְלִכְבוֹדִי בְּרָאתִיו יְצַרְתִּיו אַף־עֲשִׂיתִיו i. e. omnem vocatum nomine meo et quem ad gloriam meam creavi, formavi et feci. v. 7 est declaratio v. praecedentis; iidem qui in v. 6 filii et filiae Domini dicuntur, in v. 7 nomine Iahve vocati (cf. Ir 14, 9; pag. 385) nominantur: sunt autem Israelitae (cf. contextum et commentarios in Is 43, 7). Hos Deus *creavit* seu „exsistentia vitaque" donavit, *formavit* vel vita donatos ulterius efformavit et erudivit, demum *fecit* „ad debitum perfectionis culmen" adducens (*Knabenbauer,* Isaias II 129), ut gloriam eius (כָּבוֹד, cf. pag. 515) manifestarent. — Uti formatio ita etiam restitutio populi Israel ad honorem Domini peracta est. *Propter me, propter me faciam,* inquit Dominus (Is 48, 11), *ut non blasphemer* (LXX accuratius *ὅτι τὸ ἐμὸν ὄνομα βεβηλοῦται*): *et gloriam meam,* וּכְבוֹדִי, *alteri non dabo.* „Si populum desereret, gloriam suam daret idolis, in gentium aestimatione idola censerentur Deo fortiora (S. Thom.), interpretatur Knabenbauer (Isaias II 220), et

populum quem ad suae gloriae manifestationem creavit (cf. 43, 6 7), propterea non potest sub servitute gentium relinquere, ut serviant diis alienis, quia ita revera gloriam suam traderet idolis."

Ecclesiasticus denique testatur (17, 7 sq): *Posuit (Deus) oculum suum super corda illorum (hominum) ostendere illis magnalia, τὸ μεγαλεῖον, operum suorum,* [8] *ut nomen sanctificationis collaudent, καὶ ὄνομα ἁγιασμοῦ αἰνέσουσιν· et gloriari in mirabilibus illius* (haec quinque verba in LXX desunt; textus Hebraicus capitis 17 non est inventus), *ut magnalia enarrent operum eius.* „Deus ponit oculum suum super hominem, quando eum illuminat et providenti cura regit, scribit Knabenbauer (Ecclesiasticus 197). Hoc loco igitur dicitur Deus *corda illorum,* i. e. hominis mentem ita illustrasse, ut *magnalia operum* cognoscere et rite aestimare posset." Finis autem istius illustrationis est, ut homines nomen sanctum Dei (pag. 384 sq) celebrent et opera eius magna aliis quoque annuntient: ergo manifestatio perfectionum Dei.

b) Finis internus mundi secundarius est utilitas hominum. Deus mundum formans dixit: *Faciamus Hominem,* אָדָם = homines (sing. collect.; cf. Comment. 18), *ad imaginem, et similitudinem nostram: et praesit,* וְיִרְדּוּ i. e. dominentur, *piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae* vel potius „et domesticis et cunctis feris terrae" (Dillmann, Gunkel, Hoberg, Hummelauer, Kittel; cf. Comment. 19), *omnique reptili, quod movetur in terra* (Gn 1, 26). Deus voluit, ut homines creandi omnibus animalibus ad utilitatem suam uterentur (cf. Comment. 19; Hummelauer, Hoberg, Lapide). Hominibus autem creatis Deus benedixit dicens: *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam,* i. e. operamini eam et fructibus eius utimini (Comment. 21), *et dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram* (Gn 1, 28). *Subiicite eam,* וְכִבְשָׁהָ, *et dominamini,* וּרְדוּ, proprie „calcare, pedibus subiicere" significant, qua expressione forti principatus hominibus datus et ususfructus lectis verborum coloribus depingitur (cf. Ps 8, 7—9; Comment. 21).

Post diluvium universale (pag. 37 sqq) Deus familiae Noe servatae benedictionem originalem dedit ac dixit: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae, et super omnes volucres caeli, cum universis quae moventur super terram: omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt. Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia* (Gn 9, 1—3). Quibus

verbis Deus hominibus etiam ius animalia mactandi et edendi concessit quod antea non habuerant (Comment. 155 sqq). *Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam,* וּרְבוּ־בָהּ i. e. crescite in ea (Gn 9, 7), pro qua phrasi probabilius legendum est וּרְדוּ־בָהּ i. e. et dominamini eius (cf. Gn 1, 28; pag. 518; Comment. 158). Ergo terra et omnia quae in ea sunt, hominibus ad usumfructum conceduntur, ad utilitatem eorum a Deo designantur.

c) Finis externus mundi seu id quo Deus ad creationem permotus est (pag. 514), non erat acquisitio perfectionis vel beatitudinis, sed bonitas ipsius. Deus mundum „non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam . . . perfectionem" (Vatic. sess. III, cap. 1) creavit, quia plenitudinem essendi in se complectens sibi nihil acquirere nihilque desiderare potest (pag. 389); Deus mundum „bonitate sua" (Vatic. ibidem) creavit, quia „bonum est diffusivum sui" (pag. 444). Haec veritas in omnibus illis locis continetur quibus demonstravimus Deum esse *esse ipsum, esse totum* (pag. 388 sq), Deum esse *bonum* (pag. 443 sqq). Omittimus Ps 15, 2 *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges,* quia in textu originali legimus: „Dominus meus es tu, bonum mihi non est supra te" (pag. 464), ideoque in eo non exprimitur Deum bonis creatis non egere.

Philosophi (cf. *Gutberlet,* Theodicee 240 sqq) gloriam Dei internam et externam distinguunt. Gloria Dei interna (increata, infinita) est cumulata perfectionum divinarum complexio (pag. 515); gloria Dei externa (creata, finita) est manifestatio gloriae internae in creaturis. „Estque haec gloria vel patens et clara, uti in hominibus et Angelis, vel tacita et muta, uti in creaturis irrationabilibus: hae enim muta voce glorificant Deum, sicut opus glorificat suum opificem" (*Lapide* ad Prv 16, 4).

Gloriae suae internae, utpote infinitae, augmentum desiderare Deus creans non potuit; sed neque gloria externa potuit „proprie esse finis Dei, quem scilicet Deus sibi appetierit, ut propter eam assequendam crearit universum et operetur omnia, tum quia haec gloria . . . nihil addit gloriae increatae et infinitae quam Deus in se habuit habetque ab aeterno, tum quia haec gloria sive glorificatio potius est bonum creaturarum quam Dei. Creaturae enim felicitas est quod suum agnoscat, amet, colat et glorificet creatorem iuxta illud: *Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te,* ut ait S. Augustinus 1 Conf. 1". Ita Lapide ad Prv 16, 4.

6. Deus mundum in sapientia creavit. In quo sapientia practica, de qua hic loquimur, consistat pag. 461 exposuimus. Ibi etiam loci biblici citantur in quibus Deus formaliter caelum et terram et omnia quae in eis sunt, sapienter creasse dicitur, nimirum Prv 3, 19; Ps 103, 24; Ir 51, 15 (10, 12); Eccli 42, 21. —

Virtualiter Deus mundum sapienter creasse in omnibus illis locis nuntiatur qui universitatem rerum manifestationem gloriae Dei nominant (pag. 514 sqq). Nam opus gloriam opificis manifestat, si ita constitutum est, ut finem sibi propositum consequatur (pag. 461).

Nonnulli citant Sap 11, 21b: *sed omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* At verba immediate praecedentia ostendunt, hagiographum non de sapienti creatione mundi sed de sapienti punitione Aegyptiorum loqui (cf. *Reuß,* Das Alte Testament VI 367; *Zöckler,* Apokryphen 380; *Martini,* La Sacra Bibbia, ad Sap 11, 21). — De Is 40, 12 pag. 421 sq videas.

7. Deus mundum cum libertate creavit. De libertate ex philosophia (cf. *Stöckl,* Grundzüge 45 sqq 357 sq) haec lemmata assumimus: libertas physica negative definita est immunitas a necessitate physica et distinguitur in immunitatem a necessitate externa seu coactione et immunitatem a necessitate interna seu naturali; positive definita est facultas inter duo eligendi et dividitur in libertatem contradictionis (exercitii), specificationis et contrarietatis, quatenus est facultas eligendi inter velle aut non velle, hoc vel illud velle, bonum aut malum velle. Libertas contrarietatis in Deo infinite perfecto (pag. 418 sq) esse nequit, quia defectus est, ut philosophi demonstrant. Si igitur asserimus Deum mundum cum libertate creasse, libertatem contradictionis et specificationis intellegimus. — Libertas Dei creantis asseritur in Ps 113, 3 (altera numeratio) *Deus autem noster in caelo: omnia quaecumque voluit* vel vult, *fecit* vel facit (cf. grammaticam Hebr.). Item in Ps 134, 6 *Omnia quaecumque voluit* vel vult, *Dominus fecit* vel facit *in caelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.* Nabuchodonosor quoque professus est (Dn 4, 32): *iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus caeli quam in habitatoribus terrae: et non est qui resistat manui eius, et dicat ei: Quare fecisti?*

Deum immunem esse a necessitate externa patet, quia ens a se et independens est (pag. 378 388 sqq); sed a necessitate interna quoque immunis esse debet. Bonum est quidem diffusivum sui (pag. 444); at hoc principium philosophicum Deo non ita applicari potest, ut cum essentia eius pugnet. „Falsissimum autem est, Deum ex infinita sua perfectione ac bonitate optimum creare debere. . . . Sed Deus neque ad optimum *secundum quid* tenetur. Perfectio Dei enim eadem manet, sive creet sive non creet; sive hunc mundum sive alium creet. . . . Certe una perfectio non excludit aliam, et propterea bonitas Dei talis concipi non debet, ut excludat libertatem.“ Ita Egger (Dogm. spec. 176) cum aliis philosophis.

8. Deus mundum indirecte ac directe conservat. Philosophi (cf. *Gutberlet,* Theodicee 245 sqq; *Hagemann,* Metaphysik

218 sqq; *Stöckl,* Grundzüge 369) indirectam seu negativam et directam seu positivam conservationem mundi distinguunt: indirecte Deus mundum conservat, quatenus eum non destruit; directe (idque immediate) eum conservat, quatenus ei *ipsum esse* in principio productum continuo communicat. Haec conservatio a philosophis creatio continuata appellatur. — Mundum a Deo indirecte conservari plurimi theologi sententia 2 Mach 8, 18 descripta probant: *Nam illi quidem,* scil. hostes populi Israel, *armis confidunt, ait, simul et audacia, τόλμαις· nos autem in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos, et universum mundum, καὶ τὸν ὅλον κόσμον, uno nutu delere, καταλαβεῖν, confidimus.* At in isto loco non hagiographus sed Iudas Machabaeus loquitur (cf. contextum): ergo testimonium divinum non adest (cf. pag. 11); insuper *delere, καταλαβεῖν,* non de annihilatione sed superatione intellegendum est, uti contextus demonstrat. Recte tamen conservatio mundi indirecta ex omnipotentia divina concluditur (cf. pag. 447 sq).

Mundum a Deo directe conservari Psalmista affirmat dicens (Ps 118, 91): *Ordinatione tua perseverat dies,* לְמִשְׁפָּטֶיךָ עָמְדוּ הַיּוֹם i. e. iuxta ordinationes tuas perseverant (scil. caelum et terra; cf. v. 89 sq; *Baethgen,* Psalmen 362) hodie: *quoniam omnia serviunt tibi.* Uti hagiographus voluntati Dei ascribit quod caelum et terra creata sint (pag. 520), sic ordinationibus voluntatis divinae ascribit quod usque hodie perseverent et non annihilata sint. — In specie conservatio animalium et hominis in Scriptura Deo adiudicatur. *Avertente autem te faciem, turbabuntur,* ait Psalmista (103, 29): *auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.* Similiter Eliu asserit (Ib 34, 14 sq): *Si (Deus) . . . spiritum illius* (lege *suum*) *et flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur.* Iob quoque professus est (Ib 12, 10): *In cuius (Domini) manu anima omnis viventis, et spiritus universae carnis hominis* (cf. pag. 226). Secundum hos locos exsistentia animalium et hominum omnino a Deo dependet (cf. *Budde,* Hiob 60 203; *Knabenbauer,* Iob 173 389; *Volck,* Hiob 37). — Universitatem rerum a Deo conservari clarissime in libro Sapientiae docetur. Sapiens enim non solum affirmat orbem terrarum a Spiritu Domini *contineri,* i. e. in exsistentia sua conservari (Sap 1, 7; cf. pag. 421), verum etiam adiungit (11, 26): *Quomodo autem posset aliquid permanere, πῶς δὲ ἔμεινεν ἄν τι, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur? ἢ τὸ μὴ κληθὲν ὑπὸ σοῦ διετηρήθη;* Hac interrogatione rhetorica hagio-

graphus docet res a Deo ad exsistentiam vocatas permanere non posse, nisi Deus eis *ipsum esse* continuo communicaret. „Nam quemadmodum omnia ut essent, creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est; ita etiam, nisi conditis rebus perpetua eius providentia adesset atque eadem vi, qua ab initio constitutae sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent. Atque *id* Scriptura declarat, quum inquit: Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? (*Catech. Conc. Trid.* p. 1, c. 2, n. 21.)

Conservatio mundi cum creatione prima intime coniuncta est. Immo „conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat *esse*“ (*S. Thomas* 1, q. 104, a. 1 ad 4). Propterea ad demonstrandam conservationem mundi illos locos citare possumus, quibus creationem primam probavimus (cf. pag. 488 sqq). „Deus non potest communicare alicui creaturae ut conservaretur in *esse* sua operatione cessante, inquit S. Thomas (1, q. 104, a. 1 ad 2), sicut non potest ei communicare quod non sit causa *esse* illius. Intantum enim indiget creatura conservari a Deo, inquantum *esse* effectus dependet a causa essendi.“ — Plura de hac ratione ad philosophiam et theologiam systematicam spectant.

9. Deus ad operationes creaturarum physice et immediate concurrit. Secundum philosophos (cf. *Gutberlet,* Theodicee 255 sqq; *Hagemann,* Metaphysik 221 sqq; *Stöckl,* Grundzüge 370 sq) concursus Dei physicus mediatus in eo consistit quod Deus creaturis vires agendi dedit ac conservat; concursus Dei physicus immediatus autem in eo quod Deus ad exercitium virium creaturis tributarum cooperatur. — Concursus Dei physicus mediatus in ipsa creatione et conservatione mundi includitur; concursus eius physicus immediatus in Scriptura non obscure docetur.

Legimus enim: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu: et sic repente praecipitas me? Memento quaeso quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me: Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum* (Ib 10, 8—12). Similis sententia Eccl 11, 5 et 2 Mach 7, 22 sq reperitur. — *Rigans montes de superioribus suis,* i. e. de nubibus: *de fructu operum tuorum,* i. e. de pluvia et rore, *satiabitur terra: Producens foenum iumentis, et herbam servituti* vel potius utilitati *hominum* (Ps 103, 13 sq; cf. *Baethgen,* Psalmen 308; *Keßler,* Psalmen 219; *Thalhofer,* Psalmen 594). *Oculi omnium in te sperant Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione* (Ps 144, 15 sq;

cf. Ps 103, 27 sq). *Praecinite Domino in confessione* (pag. 386): *psallite Deo nostro in cithara. Qui operit caelum nubibus: et parat terrae pluviam. Qui producit in montibus foenum: et herbam servituti hominum* (cf. *Kittel,* Biblia Hebraica). *Qui dat iumentis escam ipsorum: et pullis corvorum invocantibus eum* (Ps 146, 7—9). — *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis* (Is 26, 12).

In his locis effectus causarum secundarum ipsi causae primae tribuuntur. Absolute loquendo ad declarandum hoc assertum concursus Dei physicus mediatus sufficit. Sensus tamen obvius locorum citatorum, a quo sine necessitate non recedendum est (cf. Exegeticam 103), concursum immediatum significat (cf. *Dillmann,* Hiob 90; *Duhm,* Hiob 58 sq; *Dillmann-Kittel,* Jesaja 235; *Wolter,* Psallite V 445).

„Non solum autem Deus universa quae sunt, providentia sua tuetur atque administrat; verum etiam quae moventur et agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit ut, quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen, quum eius occultissima vis ad singula pertineat et, quemadmodum Sapiens testatur, attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter" (*Catech. Conc. Trid.* p. 1, c. 2, n. 22). — Locos supra citatos iuxta sensum eorum obvium eo magis de concursu Dei physico immediato intellegimus quod hic concursus iam in essentia Dei (pag. 388 sq) includitur. „Deus... solus est *ens per essentiam* suam, ait S. Thomas (Contra gent. l. 3, c. 66), omnia autem alia sunt *entia per participationem,* nam in solo Deo *esse* est sua essentia. *Esse* igitur cuiuslibet exsistentis est proprius effectus eius, ita quod omne quod producit aliquid in *esse,* hoc facit, inquantum agit in virtute Dei." Non sufficit autem concursus Dei physicus mediatus (pag. 522), sed requiritur immediatus. Etenim res quaelibet operatur iuxta essentiam seu naturam suam (pag. 431); atqui omnes res creatae quoad essentiam seu naturam suam a Deo dependent: ergo etiam operationes rerum creatarum, in se ipsis spectatae, a Deo dependere debent (*Hagemann,* Metaphysik 221). Hoc fit, si Deus causas secundas „intima virtute ad motum atque actionem ... impellit" (cf. supra) vel ad exercitium virium creaturis tributarum cooperatur. — Plura de hac re in philosophia et theologia systematica traduntur.

10. Deus omnes res creatas ad finem earum dirigit. Secundum Stöckl (Grundzüge 379) *providentia* divina est gubernatio rerum ad finem earum et manifestat se in *cura* qua Deus creaturas omnes per apta media ad finem perducit. — Haec veritas formaliter et explicite in libro Sapientiae continetur. *Pusillum et magnum ipse (Deus) fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus,* ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων (6, 8; pag. 451). *Attingit ergo (sapientia divina) a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (8, 1; pag. 396). *Omnia in mensura, et numero, et pondere*

disposuisti (11, 21: pag. 520). *Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus, ᾧ μέλει περὶ πάντων* (12, 13). *Tua autem, Pater, providentia gubernat* scil. navigium, *ἡ δὲ σή, πάτερ, διακυβερνᾷ πρόνοια* scil. *πλοῖον· quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam* (14, 3). Denique 17, 2 hagiographus *perpetuae providentiae, τῆς αἰωνίου προνοίας*, meminit. Eum in locis citatis providentiam divinam sensu supra declarato intellegere usus loquendi et contextus comprobant. — Virtualiter providentia divina in illis locis continetur, ubi cura paterna, immo materna Dei describitur. Is 49, 15 in pag. 445 iam citavimus; similes sunt Is 40, 11; 46, 3; Ps 26, 10. — Providentia divina etiam ex Prv 16, 33 *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*, וּמֵיְהוָה כָּל־מִשְׁפָּטוֹ i. e. sed a Domino sententia eius (scil. sortis), recte concluditur.

Saepius ad probandam providentiam divinam citatur Eccl 5, 5: *neque dicas coram angelo: Non est providentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Hic locus ob rationem pag. 370 allatam in theologia systematica citari potest; in theologia biblica tamen omitti debet. Nam in textu Hebraico et Graeco non scribitur *Non est providentia*, sed כִּי שְׁגָגָה הִיא, ὅτι Ἄγνοιά ἐστιν. Gietmann (Ecclesiastes 206) asserit quidem: „Rectissime, ut mihi videtur, Hier. שְׁגָגָה הִיא vertit: ‚Non est providentia'; nam de voto in hoc versu non iam agitur." Verumtamen שגגה numquam providentiam, sed errorem, delictum „imprudenter commissum vel omnino levius delictum" significat (*Gesenius*, Thesaurus; *Fürst*, Handwörterbuch; *Buhl*, Handwörterbuch); insuper in textu Hebraico et Graeco negatio *non* deest. Quae cum ita sint, non tantum recentiores interpretes protestantes (Hitzig-Nowack, Reuß, Siegfried, Volck, Wildeboer), sed etiam ipse Hieronymus (Comment. in Eccl 5, 5) locum de errore sive peccato imprudenter commisso, non autem de providentia intellegunt. — Omittimus etiam Idt 9, 5: *Omnes enim viae tuae paratae sunt, et tua iudicia in tua providentia posuisti.* Nam in textu Graeco pro *in tua providentia posuisti* simpliciter legitur ἐν προγνώσει, ergo incertum est, quid Iudith reapse dixerit (cf. pag. 278 sq). — Quomodo mala physica et moralia, quae in mundo conspiciuntur, cum providentia divina conciliari possint, pag. 447 456 sq breviter exposuimus; diffusius haec materia in philosophia et theologia systematica tractatur.

§ 44. De hominibus.

1. Creatio protoparentum generis humani in libro Genesis sic describitur: *et ait* Deus (textus Hebraeus et Graecus): *Faciamus Hominem,* אָדָם (singularis collectivus, ut omnes commentatores sentiunt et sequentia monstrant). . . . *Et creavit Deus hominem . . . masculum et feminam creavit eos* (pluralis ponitur, quia אָדָם singularis collectivus est). In hoc loco (1, 26 sq) factum astruitur; in 2, 7 21 sq modus exponitur (Comment. 17 sqq): *et homo non erat qui operaretur terram. . . . Formavit igitur Dominus Deus*

hominem de limo terrae, עָפָר מִן־הָאֲדָמָה i. e. ex pulvere de humo, *et inspiravit in faciem eius,* בְּאַפָּיו i. e. in nares eius, *spiraculum* seu spiritum *vitae,* נִשְׁמַת חַיִּים, *et factus est homo in animam viventem* vel in animal vivum, לְנֶפֶשׁ חַיָּה (Comment. 48 sq). *Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. . . . Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius* (Gn 2, 18 20). *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem* cui etiam spiritum vitae inflavit, uti ex comparatione huius loci cum 1, 27 et 3, 1 sqq elucet, *et adduxit eam ad Adam. — Et vocavit Adam nomen uxoris suae, Heva,* חַוָּה, *eo quod* ipsa, הִוא, *mater esset,* הָיְתָה, *cunctorum viventium,* כָּל־חָי (Gn 3, 20; Comment. 85).

Ex his textibus deducimus: a) primum masculum primamque feminam quoad corpus et spiritum immediate a Deo creatos esse. Hic est obvius sensus litteralis textuum, a quo iuxta antiquum principium hermeneuticum, a Leone XIII (Provid. 43) inculcatum, minime discedendum est „nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere" (cf. Exegeticam 103). Atqui nulla nos cogit necessitas, ut obvium sensum litteralem dimittamus; nam viri in scientiis naturalibus versatissimi ac recentissimi Reinke et Wasmann profitentur investigationem rerum naturae seu scientiam naturalem „de origine hominis nihil scire . . . usque hodie ne minimum quidem explorasse" (cf. *Peters,* Glauben und Wissen [1907] 59). Immo contextus suadet, ut obvium sensum litteralem retineamus, et quidem contextus proximus. Etenim liberales quoque interpretes catholici concedunt illud *et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae* de directa et immediata communicatione spiritus vitalis accipiendum esse (cf. *Koch,* Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 260), ergo etiam alterum *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae* atque *Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem* de directa et immediata actione Dei accipiendum esse concludimus. Quam conclusionem contextus remotus confirmat. Post peccatum Deus Adae dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram,* אֶל־הָאֲדָמָה i. e. in humum, *de qua,* כִּי מִמֶּנָּה i. e. quia ex ea, *sumptus es* (Gn 3, 19). Ecclesiastes testatur: *τὰ πάντα ἐγένετο ἀπὸ τοῦ χόος,* מִן־הֶעָפָר, *καὶ τὰ πάντα ἐπιστρέψει εἰς τὸν χοῦν,* אֶל־הֶעָפָר (3, 20); et iterum: *Ante-*

quam . . . revertatur pulvis, הֶעָפָר, *in terram suam;* הָאָרֶץ, *unde erat,* כְּשֶׁהָיָה, *ὡς ἦν, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (12, 7). Cui concinit Sapiens (7, 1): *Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου,* atque Ecclesiasticus: *Deus creavit de terra hominem* (17, 1); *καὶ ἄνθρωποι πάντες ἀπὸ ἐδάφους, καὶ ἐκ γῆς ἐκτίσθη Ἀδάμ* (33, 10). S. Paulus quoque asserit: *Primus homo de terra, terrenus* (1 Cor 15, 47; cf. Bisping et Heinrici ad h. l.). — De Eva Adam „divini Spiritus instinctu" (*Trid.,* Sess. 24, initio, cf. Comment. 63) sequentia pronuntiavit: *Hoc* vel potius haec, זֹאת, *nunc,* הַפַּעַם i. e. hac vice vel tandem aliquando (cf. Comment. 63) *os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec,* לְזֹאת, *vocabitur Virago* seu vira, אִשָּׁה, *quoniam de viro,* מֵאִישׁ, *sumpta est* haec, זֹאת (Gn 2, 23; cf. Comment. 63). In Ecclesiastico (17, 5) legimus: *Creavit ex ipso adiutorium simile sibi:* sed in textu Graeco haec verba desunt, textus Hebraicus huius partis nondum inventus est (cf. pag. 349 370). Certo genuinum autem est testimonium S. Pauli scribentis: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. . . . Verumtamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ἐκ τοῦ ἀνδρός· ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo* (1 Cor 11, 8 sqq). Quae cum ita sint, cum Pesch (De Deo creante 47 sqq), Specht (Lehrbuch der Dogmatik I 226 sqq), plurimis antiquioribus tenemus reapse primum masculum ex limo primamque feminam ex costa viri formatos esse. Hoc utique non materialiter intellegendum est, ac si Deus manibus suis corpus viri et mulieris formasset atque ex ore suo eis spiritum vitalem inflasset (cf. pag. 428): Deus primos homines uti ceteras mundi partes verbo seu iussione sua formavit (cf. Gn 1, 3 sqq; Comment. 48 sq 61 sqq). — Quare Deus corpus mulieris non ex limo sed ex corpore viri formaverit, Pesch (l. c.) ita declarat: „Elegit Deus hunc modum productionis Evae, ut sic Adamus secundum Dei similitudinem sit principium totius speciei humanae, ut manifestetur intima necessitas, quae debet exsistere inter coniuges, ut ostendatur vir caput mulieris, ut figuretur Ecclesiae ad Christum relatio (*S. Thom.* 1, q. 92, a. 2)." Videas Comment. 62.

Mivart (Genesis of Species 277; Lessons from Nature 177) aliique viri catholici putant corpus bruti cuiusdam iugi evolutione ita perfectum evasisse, ut recipiendae animae rationalis, quae in locum animae irrationalis successerit, aptum fuerit; Adami corpus non immediate de limo

terrae formatum esse, sed mediate dumtaxat, quatenus videlicet Deus corpori evoluto unius brutorum primitus de humo formatorum animam rationalem infuderit. — Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 281) cum Lagrange (Revue Biblique 1897, 365 368) asserit Evam in veritate non ex latere Adae sumptam esse: narrationem esse parabolam, quam opinionem iam Caietanus proposuerat (cf. *Hummelauer,* Genesis 149). Hummelauer (Genesis 149 sq) et asseclae eius in medio relinquunt, utrum formatio Evae ex latere Adae in rerum natura an in sola visione facta sit; Hoberg (Genesis 36) alteram hanc sententiam amplectitur.

Reponimus contra Mivart: Adam inter omnia animalia, quorum naturam perspexerat et nominibus enuntiaverat, non invenit adiutorem sibi similem; Evam vero sibi similem adiutricem agnovit, quia *os de ossibus suis, et caro de carne sua* erat (Gn 2, 19 sqq): ex quo concludimus corpus Adae non fuisse de ossibus et carne bruti, quia alioquin etiam inter bruta adiutorem sibi similem invenire potuisset. Praeterea Adam *de terra sumptus* (Gn 3, 19) et Eva *de viro sumpta* (Gn 2, 23) dicitur; ex eadem phrasi concludere debemus Adamum eadem ratione de terra sumptum fuisse, qua Eva de viro sumpta est: Eva autem immediate de viro sumpta est (cf. infra), ergo etiam Adam immediate de terra sumptus est. Denique hagiographus refert quod *factus est homo in animam viventem* seu animal vivum (pag. 525), postquam Deus corpori formato spiritum vitalem inflavit, ergo ante inspirationem illius spiritus corpus non erat vivum; fuisset autem iam antea vivum, si Deus corpori bruti evoluto animam humanam inspirasset, quapropter opinio Mivart aliorumque exegetice falsa conspicitur. Ceterum constat, quod haec opinio „neque Darwinistis satisfaciat neque eorum adversariis. Siquidem illi totius hominis a brutis originem repetunt; ut autem eodem in corpore anima rationalis subintret in locum eius quae ante fuisset, animae belluinae, id violenter, immo ridicule fingitur. Quod si quis defendat, vix poterit quin admittat aut animam quae primum fuerit belluina, eandem postea evasisse rationalem aut animae illi belluinae superadditam esse alteram rationalem duplicemque iam homini inesse animam. Crassus error uterque“ (*Hummelauer,* Genesis 129).

Reponimus contra Koch, Lagrange, Hoberg: S. Paulus Corinthiis relationem inter virum et mulierem exsistentem exponens (pag. 526) consentientibus catholicis (e. g. Bisping et Cornely) et acatholicis (e. g. Heinrici et Schnedermann) commentatoribus epistolae ad narrationem libri Genesis respicit ac docet mulierem reapse ex viro sumptam esse uti nunc vir reapse ex muliere nascitur. Haec doctrina scriptoris inspirati falsa esse nequit (cf. pag. 12); esset autem falsa, si Eva non in veritate, sed in parabola vel visione tantum ex viro sumpta fuisset: ergo Eva non in parabola vel visione, sed in veritate ex Adam sumpta est. — Idem ex Gn 2, 23 sq eruitur, quae verba Adam „divini Spiritus instinctu“ protulit. „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum, docet Trid. (Sess. 24, initio), primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: *Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una.*“ Cum Christus verba versus 24 tamquam a Deo prolata referat (Mt 19, 4 sq), cumque ista verba grammatice et logice verbis versus 23 annexa sint, Tridentinum recte etiam versum 23 inspirationi divinae ascribit. Minocchi (Genesi 54 sq) quidem cum Lagrange asserit: „Il concilio di Trento . . . non insegna direttamente che il v. 24 debba mettersi in bocca di lui (Adamo, divinamente inspirato). Apparisce piú naturale di scorgervi una riflessione dell' autore.“ Haec sententia protestantium Dillmanni, Gunkeli, Holzingeri, Stracki cum claris verbis

Tridentini pugnat et ab ipso Frc. Delitzsch reicitur (Comment. 64). Supposito autem, sed non concesso, Adamum sola verba versus 23 divinitus inspiratum pronuntiasse, nihilominus demonstrare possumus Evam revera ex Ada sumptam esse. Nam Adam a Deo inspiratus proclamavit: *haec vocabitur Viragô, quoniam de viro sumpta est* haec (pag. 526). Quae nominatio et confirmatio falsa esset, si prima mulier non revera de ossibus et carne primi viri fuisset; homo autem divinitus inspiratus falsa dicere nequit (pag. 9 sqq): ergo Eva revera ex Adam sumpta est. Utrum duo nomina איש et אשה ad eandem radicem pertineant necne, nihil interest. Nam primi homines non Hebraica sed originali lingua loquebantur, et postea vocabulis primitivis vocabula similia linguarum variarum substituebantur, quibus ortus mulieris ex viro insinuaretur (Comment. 63 sq; *Hummelauer,* Genesis 147).

„Inter Patres et theologos, scribit Pesch (De Deo creante 52), semper fuit unanimis sententia: Adami corpus directe formatum esse ex limo terrae, Evae vero corpus ex Adamo.... Porro inter veteres theologos nulla umquam fuit dubitatio hac de re." Iuxta monitum Summi Pontificis Pii X (Quoniam in re biblica, n. XIII) autem „Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit numquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negleget". Inter haec temeraria novatorum commenta sententiae eorum numerandae sunt, qui affirmant primos homines quoad corpus a brutis descendere, quia haec opinio nullo argumento scientifico probari potest (cf. pag. 525), necnon eorum qui cum Lagrange et Minocchi (Genesi 46) aliisque putant „nulla di positivo sull' origine immediata del corpo dell' uomo" in c. 2 Genesis doceri, quia hac assertione communis interpretatio traditionalis (utique non infallibilis) omnino gratis repudiatur (cf. pag. 525). Cogente necessitate traditionalem interpretationem non infallibilem relinquere possumus, uti pag. 25 diximus; at gratis eam relinquere temerarium est.

Ex textibus pag. 524 sq citatis deducimus: b) Adamum et Evam protoparentes totius generis humani esse. Praeadamitae quidem docuerunt ante Adamum alios homines creatos, coadamitae autem statuerunt cum Adamo alia paria a Deo formata fuisse: Scriptura vero praedicat Adamum et Evam primos homines esse atque ab eis totum genus humanum descendere. Etenim ante formationem Adae *homo non erat qui operaretur terram* (Gn 2, 7), post eam Deus dixit: *Non est bonum esse hominem solum* (Gn 2, 18), et hagiographus testatur: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius* (Gn 2, 20), adiungens Adamum mulieri a Deo formatae nomen *Heva* imposuisse *eo quod* ipsa erat *mater cunctorum viventium* (Gn 3, 20). Ultima haec verba sunt hagiographi (*Strack,* Genesis[2] 15) non Adae, ergo vera esse debent (pag. 9 sqq). Denique scriptor inspiratus libri Sapientiae (10, 1) de sapientia divina affirmat: *Αὕτη πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου μόνον κτισθέντα διεφύλαξεν*, qua sententia Adam non solum primus homo creatus sed

etiam pater totius generis humani (*κόσμου*, cf. pag. 45) proponitur. Ob haec testimonia Patres et theologi consensu unanimi docent omnes omnino homines ab Adam et Eva descendere.

Contra hanc doctrinam sequentia obiciuntur: *α)* si praeter Adam et Evam alii homines a Deo non creati fuissent, Cain interfecto Abel non timere potuisset, ne ex Eden eiectus occideretur (Gn 4, 14). Respondemus: Adam et Evam post Cain et Abel alios quoque liberos genuisse certum est (cf. Gn 5, 4); nonnullos eorum iam tunc natos et adultos fuisse, quando Cain ex Eden eiectus est, i. e. ca 130 Adae (Comment. 100), valde probabile est: ab his igitur consanguineis suis timuit, ne fratricidium vindicarent (Comment. 105, ubi Frc. Delitzsch, Hoberg, Hummelauer, Lapide, Selbst, Strack citantur). — *β)* „Nisi fuissent alii homines a Deo creati praeter Adamum et Evam, debuissent fratres sorores suas uxores ducere, quod est contra legem naturalem." Huic obiectioni Pesch (De Deo creante 74) opponit: „Quod matrimonia primorum hominum attinet, evidens est, si Deus creavit solos Adamum et Evam et per eos voluit terram hominibus impleri, matrimonia licita fuisse inter fratres et sorores et proximos cognatos; neque enim haec res tam absolute est contra legem naturae, ut sub nulla condicione possit esse licita." Similiter Dillmann, Selbst, Strack, Zschokke (cf. Comment. 107). — *γ)* Si omnes homines ab Adam et Eva descendunt, quomodo iam Cain civitatem aedificare potuit (Gn 4, 17)? Respondemus: in textu sacro non asseritur Cain statim post nativitatem filii sui Henoch urbem aedificasse eamque magnam fuisse. Urbes, עָרִים, fuerunt „saepe minoris moduli, ut vel ex eo colligas quod in terra Cananaea 31 urbes regiae, in una tribu Iudae 124 עָרִים recensentur (Ios XV)". Ita Gesenius (Thesaurus 1005). Vivente Cain posteri eius ita multiplicari potuerunt, ut sufficientes urbis parvae habitatores adessent, quemadmodum Zschokke, Selbst, Lapide censent (Comment. 107). Ceterum verba Hebraici et Graeci textus וַיְהִי בֹּנֶה עִיר, *καὶ ἦν οἰκοδομῶν πόλιν* non exprimunt, Cain urbem consummasse (*Strack*, Genesis[2] 21). — *δ)* Unitati generis humani diversitas familiarum et linguarum hominum obstare videtur. Verumtamen inter familias vel classes hominum differentiae essentiales non exsistunt. Nam omnes homines ex corpore et anima constant; corpus omnium eiusdem structurae essentialis est; anima omnium intellectu et libera voluntate praedita necnon religionis et moralitatis capax est. Differentiae vero accidentales reapse exsistentes, uti di-

versus color, diversa formatio corporis accidentalis, praesertim cranii, diversitas intellectualis et moralis „ex variis externis circumstantiis: ex climate, vivendi ratione, habitudinibus acquisitis“ explicari possunt (*Zschokke,* Historia 32; *Schanz,* Apologie I 709 sqq). Diversitas linguarum autem unitati generis humani non amplius serio opponi potest (*Schanz,* Apologie I 730 sqq), quia „philologia comparativa plura vincula affinitatis earum iam demonstravit, quae communem aliquam originem prodit“ (*Zschokke*, Historia 32). — ε) Ex uno pari non tot milia hominum descendere potuerunt. At vana est assertio. „Si enim quodlibet par coniugum, scribit Pesch (De Deo creante 76), sex filios gigneret, post 450 annos adessent plus quam 2000 milliones hominum. Ergo post tot milia annorum certe sine ullo miraculo nunc possunt adesse 1500 milliones. . . . Ceterum in hac re omnes computationes sunt plane incertae, quia sub aliis et aliis conditionibus valde differt fecunditas, quae sine dubio prioribus temporibus maior fuit, quam nunc esse solet. Neque certo constat, quantum fuerit tempus, per quod humanum genus usque ad hodiernum numerum accreverit.“ Haec etiam valent, si diluvium anthropologice universale fuisse retinemus (cf. pag. 23 sq 36 sqq 57 sq; Comment. 178 sqq).

2. Natura hominis. Homo ex corpore materiali et corruptibili atque ex spiritu immateriali, libero, incorruptibili constat. Corpus humanum esse materiale loci pag. 525 citati et experientia docent; illud propter compositionem suam esse corruptibile philosophi tradunt et sacri libri reversionem hominum in pulverem referentes confirmant. Cum de hac re nemo dubitet, de spiritu tantum loquemur.

a) Spiritus hominis est immaterialis. Nomen *spiritus*, רוּחַ, iuxta usum loquendi biblicum etiam materiale quid significare potest: halitum narium et oris, auram et ventum, animam brutorum (Gn 6, 17; 7, 15; Eccl 3, 21; cf. pag. 427 sq). Propterea probare debemus spiritum hominis esse immaterialem, i. e. substantiam simplicem, quoad essentiam, exsistentiam et operationem a materia independentem. Quod probamus primo ex Gn 2, 7: *et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (cf. pag. 525). Spiraculum, נְשָׁמָה, quod Deus in faciem vel potius in nares corporis ex limo terrae formati inflavit, est halitus qui in naribus praesertim deprehenditur (Comment. 48; *Strack,* Genesis[2] 11); vocatur halitus *vitae,* quatenus signum et effectus (Comment. 48) est vitae (cf. pag. 432). Deum cum signo

et effectu vitae etiam vitam ipsam necnon principium vitae (cf. pag. 432) homini contulisse patet. Ex unione principii vitae et corporis factum est animal vivum, נֶפֶשׁ חַיָּה. His phrasibus quidem in se spectatis immaterialitas spiritus humani demonstrari nequit. Nam halitum spiritus vitae, נִשְׁמַת־רוּחַ חַיִּים, hagiographus in Gn 7, 22 brutis quoque adiudicat quae idcirco in Gn 1, 20 sqq; 2, 19 animalia viva, נֶפֶשׁ חַיָּה, nominantur. Si tamen in contextu eas consideramus, immaterialitatem spiritus humani ex eis inferre possumus, quemadmodum Dillmann (Genesis 54), Hummelauer (Genesis 127 sq), Hoberg (Genesis 25) cum antiquioribus exegetis affirmant. Bruta enim quoad corpus et spiritum vitalem *de humo,* ergo de materia formata narrantur (Gn 2, 19); in creatione hominis vero distinguitur: corpus *de limo terrae,* ergo ex materia formatum, spiritus vitae autem immediate *a Deo* inflatus, i. e. creatus et cum corpore coniunctus dicitur (Gn 2, 7). Ex hac ratione, qua corpus et spiritus hominis sibi ac brutis opponuntur, concludere possumus spiritum hominis non esse materialem uti spiritum brutorum (cf. *Stöckl,* Grundzüge 302). „In Genesi non exhibentur animalia Dei halitu ad vitam excitata sed solus homo, scribit Hummelauer (Genesis 127 sq), atque ita eiusdem prae illis eminentia demonstratur . . . eius item spiritualis natura, non e terra i. e. materia petita." Hanc conclusionem rectam esse argumentum sequens manifestat.

Spiritum hominis esse immaterialem probamus secundo ex plurimis illis locis Vet. Test., in quibus homines cognoscentes et volentes exhibentur. Omnes concedunt, in libris sacris homines ut cognoscentes et volentes proponi, quare citatio locorum superflua est. Quo concesso concludimus. Essentia principii actionum ex essentia ipsarum actionum dignoscitur; atqui cognitio et volitio sunt actiones simplices, a materia independentes: ergo principium cognoscendi et volendi etiam simplex, a materia independens est. Itaque homines qui teste Scriptura cognoscentes et volentes sunt, simplex, a materia independens principium vitale seu spiritum immaterialem habent. — Syllogismus quem huic argumento inseruimus, in philosophia et theologia systematica diffuse exponitur.

Nonnulli ad probandam immaterialitatem spiritus humani citant Gn 6, 3; Ps 48, 13; Eccl 12, 7; Tob 4, 3; Ez 37, 5 sqq; Dn 3, 86; Sap 15, 11. At hi loci in se spectati immaterialitatem principii vitalis hominum non comprobant, quia nomen *spiritus* et *animae* etiam materiale quid significare potest, et in Tob 4, 3; Dn 3, 86 non hagiographus loquitur; cum locis supra adductis tamen comparati vim probandi accipiunt.

Vocabula *animae,* ψυχῆς, נפש, et *spiritus,* πνεύματος, רוח, in Scriptura halitum, i. e. signum et effectum vitae, necnon principium vitae tum brutorum tum hominum significant; saepius tamen *anima* principium vitae irrationale brutorum, *spiritus* vero principium vitae rationale hominum denotat: *anima,* נפש, etiam ens concretum cui principium vitae inest, significat. Videas Gesenius (Thesaurus), Buhl (Handwörterbuch), Fürst (Handwörterbuch). — In membris parallelis de homine *anima* et *spiritus* simul praedicantur, e. g. ὅτι ἠγνόησεν τὸν πλάσαντα αὐτὸν καὶ τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν ἐνεργοῦσαν καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν (Sap 15, 11). In aliis locis principium vitale hominis mox *anima* mox *spiritus* appellatur. Ex hac tamen loquendi ratione non sequitur hominem ex corpore et anima et spiritu, ergo ex tribus partibus compositum esse; nam ipse Deus per scriptores inspiratos (cf. pag. 9 sqq) testatur hominem in creatione ex uno corpore atque uno principio vitali compositum esse (Gn 2, 7; 5, 3) et in morte hominis corpus in pulverem resolvi, spiritum vero ad se reverti: *et (antequam) revertatur pulvis in terram suam unde erat,* inquit, *et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (Eccl 12, 7). Ergo homo ex duobus tantum partibus constat. Eadem pars hominis vocatur *anima,* quatenus est principium vitae sensitivae et vegetativae; vocatur *spiritus,* quatenus est principium vitae intellectualis (cf. pag. 531): saepe tamen anima et spiritus promiscue adhibentur (cf. *Mandelkern,* Concordantiae).

b) Spiritus hominis est liber, non tantum libertate contradictionis et specificationis (cf. pag. 520), sed etiam libertate contrarietatis qua scilicet bonum aut malum velle potest. Libertas spiritus humani in omnibus illis locis supponitur, ubi Deus hominibus aliquid faciendum aut omittendum praecipit, oboedientibus praemia et inoboedientibus poenas persolvere dicitur. Deus enim sapiens (pag. 461) atque iustus (pag. 448 sqq) neque unum neque alterum faceret, si hominem non liberum creasset. Iam protoparentibus Deus praeceptum imposuit eosque inoboedientes gravissime punivit (Gn 2, 17; 3, 3 9 sqq); alia exempla remunerationis ac punitionis pag. 451 enumeravimus. — Sed formaliter quoque libertas spiritus humani docetur. Ad Cain Dominus dixit: *Nonne si bene egeris, recipies* (scil. veniam) vel iuxta Hebraicum laetus eris: *sin autem male, statim* (deest *statim* in Hebraico) *in foribus* seu ad ianuam *peccatum* cubans *aderit? sed sub te erit appetitus eius* vel potius „et ad te erit appetitus eius“ וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ, *et tu dominaberis illius,* i. e. potes ac debes peccatum superare (Gn 4, 7). In his verbis facultas eligendi inter bonum et malum clare exprimitur (cf. Comment. 102 sq). Adhuc clarior est sequens locus: *Deus ab initio constituit,* ἐποίησεν, *hominem, et reliquit,* ἀφῆκεν, *illum in manu consilii sui,* ἐν χειρὶ διαβουλίου αὐτοῦ i. e. in potestate arbitrii sui (*Zöckler,* Apokryphen 287; etiam textus Hebraicus ita intellegi potest, cf. *Knabenbauer,* Ecclesiasticus xxxi). *Adiecit mandata et praecepta sua* (haec sententia in Graeco deest; textum

Hebraicum Knabenbauer l. c. vertit: „et dedit eum in manu appetitus sui"): *si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere,* *ἐὰν θέλῃς, συντηρήσεις ἐντολάς, καὶ πίστιν ποίησαι εὐδοκίας.* *Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum* (deest *bonum et malum* in Hebraico et Graeco): *quod placuerit ei, dabitur illi* (Eccli 15, 14—18). „Hoc loco asseri liberum hominis arbitrium, liberam voluntatem veteres quidem protestantes haud raro negarunt . . . sed recentiores affirmari verbis planissimis docent.... Et quomodo Deus hominem liberae voluntati reliquerit, optime proponitur hebr. et graece et syr. v. 15 *ἐὰν θέλῃς, συντηρήσεις ἐντολάς,* si volueris, servabis mandata, *καὶ πίστιν ποιῆσαι* (Swete *ποίησαι*) *εὐδοκίας,* et fidelem te exhibere, fidem, fidelitatem exhibere beneplacito tuo relinquitur, res est beneplaciti" (*Knabenbauer,* Ecclesiasticus 183; cf. *Reuß,* Das Alte Testament VI 269; *Zöckler,* Apokryphen 287). Similis est Eccli 31, 10 sq: *qui* (legas *quis, τίς,* מי) *potuit transgredi, et non est transgressus:* et *facere mala, et non fecit:* (legas *fecit?*) *ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (deest *in Domino* in Hebraico et Graeco), *et eleemosynas* (Hebraice *laudem*) *illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum* (*omnis* et *sanctorum* deest in Hebraico et Graeco). In hac sententia libertatem contrarietatis formaliter doceri manifestum est. Etiam in Dt 26, 17; *30, 11—19;* Ios 24, 15 22; Ps 83, 11; 118, 112; Is 1, 19 sq; 56, 4 sq; Ir 3, 1; Ez 18, 31; Zach 1, 3 eadem veritas formaliter expressa est.

Dillmann-Kittel (Handbuch 301 sqq) investigant, quomodo libertas hominis cum concursu Dei naturali (cf. pag. 522) conciliari possit. Egger (Dogm. spec. 189) declarationem communem theologorum sic breviter comprehendit: „Adverte in primis, Deum concurrere ad actiones creaturarum modo cuiusque naturae accommodo; videlicet causis necessariis praebet concursum determinatum ad unum, causis liberis concursum indifferentem, vi cuius possunt velle, non velle, hoc vel illud velle. Concursus ergo libertatem non tollit, sed eius exercitium adiuvat et possibile reddit. Praeterea peccatum dupliciter spectari debet: materialiter, quatenus est actus physicus, et formaliter, quatenus est actus moralis. Primo modo actus peccaminosus est bonus, secundo modo malus. Atqui Deus utique est causa actus physice spectati, quia quidquid realitatis ei inest, a causa prima est; Deus autem non est causa eiusdem actus moraliter spectati, quia illum reprobat et vetat, et peccatum proprie loquendo non habet causam efficientem, sed deficientem." Hanc quaestionem philosophi ex professo tractant; videas ea quoque quae pag. 456 sq scripta sunt.

c) Spiritus hominis est incorruptibilis seu immortalis. Nemini dubium est spiritum humanum, utpote substantiam sim-

plicem, quoad essentiam et exsistentiam et operationem a materia independentem (cf. pag. 531), corpore in pulverem resoluto adhuc exsistere atque operari posse, si conservatio (pag. 521) et concursus (pag. 522) Dei ei non denegetur; hoc solum igitur quaeritur, utrum Deus spiritum humanum in morte a corpore humano solutum annihilare an conservare velit. Scriptura Vet. Test. in variis locis tradit spiritum hominis etiam post suam a corpore solutionem a Deo vivum conservari. — Haec erat fides patriarcharum. Iacob ad Pharaonem dixit: *Dies peregrinationis meae,* יְמֵי מְגוּרַי i. e. tempus annorum peregrinationis meae, *centum triginta annorum sunt . . . et non pervenerunt usque ad dies* annorum vitae *patrum meorum quibus peregrinati sunt,* בִּימֵי מְגוּרֵיהֶם i. e. in tempore peregrinationis eorum (Gn 47, 9). Hac sententia Iacob non solum profiteri voluit patriarchas huc illuc vagatos esse, uti Dillmann (Genesis 441) putat, sed etiam eos in hoc mundo se peregrinos in patriam alterius mundi properantes considerasse, quemadmodum S. Paulus sententiam authentice (cf. pag. 12 et Exegeticam 69) interpretatur. *Iuxta fidem,* inquit (Hebr 11, 13—16), *defuncti sunt omnes isti* (Abraham, Sara, Isaac, Iacob; cf. v. 8 sqq) . . . *confitentes, quia* vel potius quod, *ὅτι, peregrini, et hospites, ξένοι καὶ παρεπίδημοί, sunt super terram.* His verbis S. Paulus ad Gn 23, 4; 49, 7 respicit (Bisping, Kübel-Riggenbach, Weiß ad Hebr 11, 13) et deinde prosequitur: *Qui enim haec dicunt,* scil. se in terra aliqua peregrinos et hospites esse, hac phrasi *significant se patriam* alibi habere illamque cum desiderio *inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt,* i. e. Chaldaeae (pag. 61), *habebant utique tempus revertendi* et hoc modo desiderium suum explendi. At patriarchae non terrestris sed caelestis patriae desiderio tenebantur: *nunc autem meliorem appetunt, id est caelestem.* Iam antea (Hebr 11, 9 sq) Apostolus scripsit: *Fide* Abraham *demoratus est, παρῴκησεν, in Terra promissionis, tamquam in aliena, in casulis, ἐν σκηναῖς, habitando cum Isaac, et Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cuius artifex, et conditor Deus,* videlicet civitatem caelestem. Patriarchae igitur credebant et profitebantur spiritum hominis a corpore solutum non annihilari sed in firmam urbem patriam reverti a Deo ipsis praeparatam. Videas commentatores epistulae supra citatos.

Quam fidem patriarcharum Deus in Ex 3, 6 rectam confirmavit. Istum locum Christus ipse authentice (cf. pag. 12) declaravit: *non legistis,* inquit, *quod dictum est a Deo dicente vobis:*

Ego sum, ἐγώ εἰμι, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium (Mt 22, 31 sq; Mc 12, 26 sq; Lc 20, 37 sq). Sadducaei, contra quos Christus argumentatur, teste Iosepho Flavio (Antiq. 18, 2) asserebant cum corpore simul et spiritum exstingui; hoc assertum Christus argumentatione sequenti refutat. Postquam Abraham et Isaac et Iacob iam mortui erant, Deus ex rubo ad Moysen loquens affirmavit: *Ego sum, ἐγώ εἰμι. Deus Abraham* etc. Deus autem Deus eorum tantum dici potest qui exsistunt et vivunt, nam exsistentibus et viventibus dumtaxat sese communicare, bona largiri, promissa servare potest (*Knabenbauer,* Matthaeus II 266, cum Origene). Ergo concludendum est Abraham et Isaac et Iacob adhuc exsistere et vivere, et quidem quoad spiritum, quia corpus eorum mortuum et sepultum narratur; Sadducaeos asserentes cum corpore etiam spiritum exstingui Christus multum errare dixit: *Vos ergo multum erratis* (Mc 12, 27). Christum ex Ex 3, 6 immortalitatem spiritus humani deducere non solum antiquiores interpretes cum Origene, S. Hieronymo, S. Thoma tradunt, verum etiam recentissimi docent: e. g. Bisping, Gutjahr, Knabenbauer, Pölzl catholici; Meyer-Weiß, Nösgen, Zahn protestantes.

Immortalitas spiritus humani in sequentibus quoque phrasibus hagiographi inspirati continetur: *ire ad patres suos* (Gn 15, 15), *congregari ad populum suum* (Gn 25, 8) vel cognatos suos (cf. Comment. 278), *dormire cum patribus suis* (Dt 31, 16), *congregari ad patres suos* (Iud 2, 10). Nam hae phrases non significant mori, quia mors separatim exprimitur (Gn 25, 8 17; 35, 29; 49, 32; Nm 20, 26; Dt 32, 50), neque sepeliri in sepulchro maiorum, tum quia sepultura separatim narratur (Gn 15, 15; 25, 9; 35, 29; 3 Rg 2, 10; 11, 43 et alibi) tum quia phrases de iis quoque enuntiantur, qui non in sepulchro maiorum sepulti sunt (Dt 31, 16; 3 Rg 2, 10; 16, 24 coll. 28; 4 Rg 21, 18) vel in sepulchro, ubi unus tantum conditus erat (e. g. 3 Rg 11, 43). Cum igitur istae phrases nulla ratione quoad corpus intellegi possint, eas de spiritu intellegere debemus, quem Scriptura hoc modo loquendi immortalem profitetur (cf. *Dillmann,* Genesis 311). — Etiam illa verba Iacobi *Descendam ad filium meum lugens in infernum* (Gn 37, 35) necessario de immortalitate spiritus intellegenda sunt, quia Iacob filium suum Ioseph quoad corpus a bestia devoratum credidit (v. 33).

Celebris est Eccl 12, 7: *et (antequam) revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus,* וְתָרוּחַ, *redeat ad Deum, qui*

dedit illum. Nöldeke cum Luzzato hunc v. delere volebat eo quod tam secure spiritum ad Deum redire doceat (cf. *Volck,* Koheleth 144); reliqui tamen omnes v. genuinum iudicant. Quod ad interpretationem pertinet, Hitzig-Nowack (Koheleth 306), Siegfried (Koheleth 76), Wildeboer (Koheleth 165) omnino negant in isto loco personalem exsistentiam spiritus humani post solutionem eius a corpore doceri; iuxta Hitzig-Nowack spiritus hominis ab Ecclesiaste ad spiritum Dei in mundum diffusum, ad animam mundi reverti asseritur, cuius particula est. Ut sententiam suam probent, ad Ps 103, 29 et Ib 34, 14 sq ubi de brutis similia leguntur, atque ad Eccl 3, 19 sqq appellant. Quibus argumentis opponimus: *α)* In locis pag. 534 sq citatis immortalitas spiritus humani certo docetur, quod etiam Wildeboer (l. c.) et alii concedunt (falso tamen cultum manium supponentes, cf. pag. 413). Atqui Deus per hagiographos loquens (pag. 9 sqq) sibi contradicere nequit (pag. 409 416). Ergo Eccl 12, 7 de personali exsistentia spiritus humani a corpore soluti, non vero de reversione eius ad animam mundi intellegendus est. Ceterum pag. 430 conferas. *β)* In Eccl 3, 19 sqq hagiographus immortalitatem spiritus humani addubitare videtur. *Idcirco unus interitus,* vel potius sors, מִקְרֶה, *est hominis, et iumentorum,* inquit, *et aequa utriusque conditio,* מִקְרֶה: *sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia,* וְרוּחַ אֶחָד לַכֹּל i. e. et spiritus unus est omnibus, *et nihil habet homo iumento amplius: cuncta subiacent vanitati,* [20] *et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.* [21] *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Verumtamen haec verba quibus differentia inter bruta et homines negatur, de specie externa iuxta quam sors brutorum et hominum reapse eadem apparet, accipere debemus. Alioquin Deus (pag. 8 sqq) per scriptorem inspiratum libri Ecclesiastae loquens iis contradiceret quae per alios hagiographos asserit, videlicet: spiritum brutorum de terra, spiritum vero hominis immediate a Deo esse (pag. 530); homines intellectu et voluntate (pag. 531) brutis praeeminere; spiritum humanum post mortem hominis adhuc exsistere ac vivere (pag. 534 sq). Immo in ipso contextu proximo libri Ecclesiastae sibi contrarius esset. Nam in v. 17 affirmat iustum et impium a Deo iuste iudicandum esse (cf. pag. 448) quod teste experientia (v. 16) ante mortem non fit, ideoque post eam fiet: quare iustus et impius spiritus post mortem adhuc exsistere debet. Quae cum ita sint, cum principium vitale hominis

iuxta v. 17 post mortem adhuc exsistat; cum v. 19 sq de specie externa intellegendi sint: vocem *spiritus,* רוּחַ, in v. 21 non ipsum principium vitale quod sensibus percipi nequit, sed halitum, signum et effectum vitae (pag. 530), accipimus qui in bestiis et hominibus revera idem dici potest. Videas *Gietmann,* Ecclesiastes 168—186 ubi variae interpretum sententiae afferuntur; *Volk,* Koheleth 121.

Superfluum est alios locos (e. g. Ps 16, 15; 48, 16; Prv 14, 32; Tob 2, 18; 4, 3; Sap 2, 1—3, 5; 4, 7—18; 5, 1—24; 2 Mach 6, 26; 7, 1—41; 12, 43—46) adducere, quia Stade (Theologie 183 sq) cum multis aliis concedit iuxta plurimos locos biblicos homines post mortem adhuc exsistere et vivere. Qualis ista vita post mortem in Vet. Test. describatur, in art. 3 examinabimus ubi de consummatione loquemur.

Interpretes systemati evolutionis vel Hegelianismo (pag. 16 430) addicti consequenter personalem exsistentiam spirituum humanorum a corpore solutorum admittere nequeunt, ideoque locos illos biblicos (cf. pag. 534 sqq) de falsa persuasione hominum, quae reliquiae cultus manium fuerit, interpretantur. Attamen systema evolutionis omnino falsum est, quod philosophi comprobant; primos homines cultores manium fuisse Stade cum aliis asserit quidem sed argumentis confirmare nequit (cf. pag. 413); Deus ipse, qui nec falli nec fallere potest (pag. 409), istam fidem hominum tam immediate (pag. 534), quam mediate per scriptores inspiratos (pag. 535) approbavit, quare vera esse debet. — Posset quis dicere ex locis pag. 534 sqq citatis hoc solum evinci spiritum humanum non simul cum corpore exstingui sed post suam a corpore solutionem per tempus forsitan longissimum exsistere, praemiis aut poenis affici, demum exstingui. Verum haec opinio cum iustitia Dei (pag. 448 sqq) conciliari nequit. „Pone enim, bene notat Egger (Dogm. spec. 257), animas post tempus, esto longissimum, annihilandas fore: profecto persuasio futurae annihilationis damnatis maximae consolationi, iustis vero qui Deo fruuntur, maximo tormento futura esset. Concipi igitur posset momentum aliquod, ubi feliciores se existimare deberent damnati quam sancti, et sanctissimi quique infelicissimi essent. Quis autem non videat, hoc cum iustitia divina conciliari non posse?“

3. Imago Dei. Dixit Deus: *Faciamus Hominem ad imaginem, et similitudinem nostram,* בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ i. e. in imagine nostra ad similitudinem nostram: *et praesit,* וְיִרְדּוּ i. e. et praesi*nt* (ita reliqui testes critici omnes, ob singularem collectivum אָדָם; cf. pag. 524) *piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae* (cum Syro legendum videtur: „caeli, et domesticis et cunctis feris terrae“; cf. Comment. 19 et *Kittel,* Biblia Hebraica), *omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem,* refert hagiographus, *ad imaginem suam,* בְּצַלְמוֹ (hanc phrasim LXX soli omittunt): *ad imaginem Dei,* בְּצֶלֶם אֱלֹהִים, *creavit illum* (Gn 1, 26 sq). Hanc veritatem repetit hagiographus: *In die, qua creavit Deus*

hominem, ad similitudinem Dei, בִּדְמוּת אֱלֹהִים, *fecit illum* (Gn 5, 1): et adiungit: *Vixit autem Adam . . . et genuit ad imaginem et similitudinem suam,* כְּצַלְמוֹ כִּדְמוּתוֹ (Gn 5, 3). Hanc veritatem repetit ipse Deus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei,* בְּצֶלֶם אֱלֹהִים, *factus est homo* (Gn 9, 6). Etiam Sapiens testatur: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, et ad imaginem similitudinis suae, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος, fecit illum* (Sap 2, 23). *Deus . . . secundum imaginem suam fecit illum (hominem). . . . Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est, καὶ καταχυρεύειν, bestiarum et volatilium* (Eccli 17, 1 4; graece 17, 3 sq).

Imago et *similitudo* voces synonymae idem significantes sunt, quia in Gn 1, 27; 9, 6 *imago* tantum atque Gn 5, 1 *similitudo* tantum scribitur; quaedam vero differentia inter eas inveniri potest. *Imago,* צֶלֶם (forsitan a צָלַם *obscurus fuit*) quaelibet effigies seu forma expressa alicuius rei, etiam minus bona et adumbrata dumtaxat appellari meretur; e contrario *similitudo,* דְּמוּת (a דָּמָה *similis fuit*) bona imago est, effigies rem originalem vel personam bene exprimens: ergo *imago* et *similitudo* idem sonat atque effigies eaque respondens (cf. *Gesenius,* Thesaurus; *Fürst,* Handwörterbuch; *Buhl,* Handwörterbuch). — Etiam בְּ *in, iuxta, sicut,* et כְּ *sic, ut, secundum* synonyma accipienda sunt. Nam Gn 1, 26 scribitur בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ, sed Gn 5, 3 כְּצַלְמוֹ בִּדְמוּתוֹ (ca 45 manuscripta exhibent utique textum ad Gn 1, 26 conformatum; cf. *Kittel,* Biblia Hebraica), atque Gn 1, 27; 5, 1; 9, 6 solum בְּ legitur. — Eum qui *ad* imaginem et similitudinem alicuius creatus asseritur, in veritate *esse* imaginem et similitudinem eius clare demonstrat Gn 5, 3: *et genuit* scil. Adam *ad imaginem et similitudinem suam.*

Nonnulli Patres per *imaginem* proprietates naturales et per *similitudinem* dona supernaturalia hominis significata censuerunt. In veritate tamen istae voces synonymae sunt (cf. supra), et verba Gn 5, 3 mox citata opinionem Patrum omnino improbabilem reddunt. Est sensus accommodatus quo Patres lubentes utuntur (cf. Exegeticam 111). — Plures theologi affirmarunt phrasim „*ad* imaginem et similitudinem" innuere quod homo sit velut imago et quasi similitudo, i. e. imperfecta effigies Dei. At etiam hanc opinionem verba Gn 5, 3 mox citata minus rectam monstrant. Hominem esse imperfectam Dei effigiem verum quidem sed ista phrasi non expressum est (Comment. 19).

Quatenus homo *imago Dei* sit ex iis elucet quae hucusque de Deo et homine dicta sunt. Cum Deus purus spiritus sit (pag. 426 sqq), similitudo hominis cum Deo principaliter in spiritu humano

invenitur. Spiritus humanus est immaterialis (pag. 530) et immortalis (pag. 533) uti Deus, habet intellectum et voluntatem (pag. 531) uti Deus, delectatur vero ac bono uti Deus (pag. 452 460). Videas Dillmann (Genesis 32), Hummelauer (Genesis 109), Hoberg (Genesis 16) cum Patribus. Secundario ista similitudo etiam in corpore humano reperitur. Habitu enim erecto, specie pulchra, facie et lingua spiritum manifestante, motu imperioso divinum quoddam revelatur (Comment. 20; *Dillmann,* Genesis 32 sq, cum antiquioribus ac recentioribus). — Dominium animalium quo homo gaudet, non est ipsa imago Dei, ut Holzinger (Genesis 12) putat, sed consequentia eius. Nam hoc dominium iuxta Gn 1, 28 homini ad imaginem Dei creato separatim conceditur (*Dillmann,* Genesis 32) et in Gn 1, 26 ab imagine secernitur.

Gunkel (Genesis 102 sq) cum antiquis anthropomorphitis asserit hominem principaliter corpore imaginem Dei esse. Hunc errorem antiquum cum Dillmann (Genesis 32) aliisque iam pag. 428 sq refutavimus. — Mulier quoque imago Dei est, quia humanum corpus et spiritum habet (pag. 525) et Gn 1, 27 ad imaginem Dei creata narratur (*Dillmann,* Genesis 34). Non contradicit S. Paulus (1 Cor 11, 7) qui illud dumtaxat testatur imaginem Dei magis in viro quam in muliere elucere, quatenus vir principium et finis et dominus mulieris, sicut Deus principium et finis et dominus mundi est (Comment. 20; *Bisping* ad 1 Cor 11, 7 sqq).

4. Felix status originalis hominum in libro Genesis describitur. a) Homines erant voluntati Dei conformes quoad essentiam et naturam, proprietates atque operationes: ergo iusti et sancti. Post creationem hominum *vidit Deus cuncta quae fecerat: et* ecce *erant valde bona* (Gn 1, 31). Bonum autem sensu absoluto seu metaphysico est id quod voluntati Dei conforme est (cf. *Stöckl,* Grundzüge 202). Ergo homines a Deo creati erant voluntati divinae conformes. Hanc conclusionem confirmat Ecclesiastes (7, 30; hebr. 7, 29) qui ad Gn 1 respiciens (cf. *Wildeboer,* Koheleth 149) pronuntiat: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum,* יָשָׁר, qua sententia plenam hominum conformitatem cum voluntate divina, vel iustitiam et sanctitatem testatur (cf. *Gesenius,* Thesaurus 641; *Volck,* Koheleth 132). — De bonitate, iustitia et sanctitate conferas quae pag. 443 sq 451 453 scripta sunt.

b) Habitabant in loco amoeno, i. e. in horto terrae Eden (pag. 24 sqq) arboribus cuiuslibet generis consito, quem fluvius humectabat (Gn 2, 8—15; Comment. 49—56).

c) Necessitati moriendi non subiecti erant. Deus ad hominem in paradiso positum dixit: *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. in quocumque enim die,* בְּיוֹם בְּ i. e. nam

quando, *comederis ex eo, morte morieris,* מוֹת תָּמוּת i. e. certo morieris (Gn 2, 17). Quod praeceptum divinum cum poena addita Eva repetiit (Gn 3, 3). Ex verbis Dei recte inferimus spiritum a corpore non solvendum et corpus in pulverem non redigendum fuisse, si Adam et Eva praeceptum observassent; aliis verbis, homines necessitati moriendi non subiectos fuisse. Hoc Sapiens confirmat, contestans: *Deus mortem non fecit* (Sap 1, 13); *Deus creavit hominem inexterminabilem, ἐπ' ἀφθαρσίᾳ* (Sap 2, 23). Lignum vitae corpori humano, quod propter compositionem dissolvendum erat, vitam conservasset (Gn 2, 9 coll. 3, 22); utrum ista vis ligni vitae supernaturalis an naturalis fuerit disputatur (cf. Comment. 51).

Koch (Das zwanzigste Jahrhundert 1906, 281) cum Lagrange (Revue Biblique 1897, 365 sqq) opinatur *lignum vitae* probabiliter symbolum dumtaxat immortalitatis esse. At contextus (cf. Gn 2, 16 sq; 3, 1 sqq 22) necnon consensus Patrum et interpretum catholicorum commonstrant tam *lignum vitae* quam *lignum scientiae boni et mali* veram arborem fuisse (*Hummelauer,* Genesis 131; *Hoberg,* Genesis 27).

d) Homines scientia eminenti praediti erant. Legimus Gn 2, 19 sq: *Formatis igitur* (vel potius formaverat autem), *Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae, et universis volatilibus caeli, adduxit* voluntate seu iussione *ea ad Adam, ut videret* scil. Adam *quid vocaret ea,* quale nomen daret eis: *omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia caeli, et omnes bestias terrae.* Si nomina ab ipso Deo vel per hominem approbante Deo creaturis imponuntur, naturam creaturarum exprimunt (cf. Gn 1, 5 8 10; 2, 23; 3, 20): ergo Adam, cuius nominationes Deus ratas habuit, naturam animantium perspexerat, ideoque eximia scientia instructus erat (S. Augustinus, S. Chrysostomus, Lapide, Zschokke aliique; cf. Comment. 59 sq). Sapiens autem de Adam atque Eva testatur: *disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis* (Eccli 17, 5 sq); textus Hebraicus huius capitis nondum inventus est, in Graeco legitur: *ἐπιστήμην συνέσεως ἐνέπλησεν αὐτοὺς καὶ ἀγαθὰ καὶ κακὰ ὑπέδειξεν αὐτοῖς* (Eccli 17, 6; graec. 17, 7). Iuxta utramque versionem Adam et Eva scientia impleti erant, scientia eminebant.

e) Gaudebant appetitu bene ordinato. *Erat autem uterque nudus,* inquit hagiographus (Gn 2, 25), *Adam scilicet et uxor eius: et non erubescebant* invicem. Ex hoc loco plurimi viri docti (S. Augustinus, S. Chrysostomus, Egger, Hoberg, Hummelauer,

Hurter, Simar et alii; cf. Comment. 65 sq) recte deducunt homines appetitu optime ordinato donatos fuisse.

Contra eos qui dicunt protoparentes fuisse infantes diversitatem sexus non advertentes ideoque ob nuditatem non erubescentes, iam S. Ephrem, quocum Hummelauer (Genesis 149) consentit, notavit opinionem eorum cum sacro textu conciliari non posse. De infantibus enim non scriptum esset: *ut operaretur, et custodiret illum* scil. paradisum (Gn 2, 15); *Adam et uxor eius* (Gn 2, 25); *erat uterque nudus: et non erubescebant* (Gn 2, 25). Infans neque animalibus (Gn 2, 20) et mulieri (Gn 2, 23) nomina imponere neque promulgationem legis (Gn 2, 16 sq) capere potuisset.

f) Homines in pace placidissima vivebant. *Dixitque Deus: Ecce dedi* vel do, נָתַתִּי, *vobis omnem herbam afferentem semen super* omnem *terram, et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: et cunctis animantibus terrae, omnique volucri caeli, et universis quae moventur in terra, et in quibus est anima vivens* dedi omne viride herbae (Comment. 22), *ut habeant ad vescendum* (Gn 1, 29 sq coll. 9, 3). Si usum loquendi et contextum spectamus, ex his locis sequitur voluntatem Dei fuisse, ut homines et bruta in statu paradisiaco vegetabilia tantum manducarent et in pace placidissima viverent. Ita sentiunt Boehmer, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Kaulen cum plerisque veteribus (Comment. 22) quos Minocchi (Genesi 14) sequitur. De ista pace etiam scriptores Graecorum et Latinorum aliarumque gentium loquuntur (Comment. 91; *Dillmann,* Genesis 36 47 64). Rationes quibus Hoberg, Hummelauer, Selbst, Strack illam explicationem impugnant, facile diluuntur (cf. Comment. 22); gravissimam tantum adducimus. Nobis valde mirum, immo quasi incredibile videtur bestias carnivoras tempore paradisiaco vegetabilia dumtaxat comedisse itaque pacem perfectam observasse, quare Kaulen cum S. Thoma id non verisimile iudicat (Comment. 22); at Dillmann et Gunkel bene notant Isaiam (11, 6—9; 65, 25) idem de tempore pacis futurae prophetare (Comment. 22). „L'asserzione dell'agiografo, che nei primi tempi della creazione l'uomo e gli animali terrestri si cibassero con regime vegetariano sarebbe confermata nella Bibbia da quelle descrizioni del futuro messianico — concepito come una palingenesi o recreazione del mondo e come un ritorno al primitivo stato di innocenza — nelle quali i Profeti hanno poeticamente raffigurata la conversione degli animali feroci e sanguinari al regime vegetariano (*Minocchi,* Genesi 14, ex Dillmann et Gunkel).

g) Protoparentibus cum Deo familiaritas erat. Hagiographus narrat: *Et cum audissent vocem,* קוֹל i. e. fragorem quem gressus ambulantis edunt (S. Ephrem, Dillmann, Gunkel, Holzinger,

Strack; cf. Comment. 72), *Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi,* i. e. in fruticeto vel inter arbores densissimas. *Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso: et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me* (Gn 3, 8—10). Sensus obvius horum versuum est Dominum forma visibili in paradiso apparuisse et cum hominibus conversatum esse (Kaulen, Lapide, Selbst; similiter Dillmann, Gunkel; cf. Comment. 72), homines autem ante transgressionem praecepti Deo advenienti laetos occurrisse (Dillmann, Gunkel; cf. Comment. 72 sq): quibus familiaritas inter Deum et homines exsistens clare docetur. „A litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi quà eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere" (*Leo XIII,* Provid. 43; cf. Exegeticam 103), qualis in isto loco nulla apparet (conferas pag. 387 ad 464 et praesertim 469—472). Si autem quis istos versus non litterali proprio sed improprio sensu accipere voluerit, nihilominus in eis familiaritatem et amicitiam testatam inveniet qua homines cum Deo coniuncti erant.

5. Peccatum protoparentum. a) Protoparentes praeceptum divinum transgressi sunt. *a)* Deus *in medio paradisi,* quod non iuxta computationem mathematicam sed iuxta aestimationem moralem accipiendum est (Comment. 51), praeter *lignum vitae* (pag. 540) etiam *lignum scientiae boni et mali* plantaverat (Gn 2, 9). Haec arbor vera (pag. 540) scientiam boni et mali non tam theoreticam quam practicam attulit. Per praemium pro oboedientia datum homines cognovissent quam bona esset observantia mandatorum Dei; per poenam pro inoboedientia inflictam experti sunt quam mala esset transgressio eorum (S. Augustinus, Lapide, Hummelauer; cf. Comment. 51). Comestionem fructuum huius arboris Deus praecepto gravissimo prohibuit (pag. 539 sq). Protoparentes prohibiti sunt, quominus a fructibus *ligni scientiae* comederent non ideo quod isti fructus venenati et mortiferi essent, uti nonnulli suspicabantur (cf. *Dillmann,* Genesis 65), sed ut monstrare possent, utrum Dei an alterius voluntatem sequi; utrum oboedientia cum Deo coniungi an inoboedientia ab eo seiungi; utrum bonum et vitam an malum et mortem eligere; utrum statum paradisiacum pro se ac posteris suis conservare an perdere vellent (Lapide, Selbst, Zschokke; cf. Comment. 56). Propter hunc finem gravissimum etiam praeceptum gravissimum evasit, licet materia praecepti levis esset.

β) Eva a serpente tentata est (Gn 3, 1—5). *Serpens* ille tentans fuit serpens naturalis, non phantasticus, a spiritu malo adhibitus. Fuit serpens verus seu naturalis. Nam Gn 3, 1 14 inter animantia terrae, utique vera non phantastica, numeratur; in Gn 3, 1 a Deo factus non a diabolo formatus nominatur; in Gn 3, 14 serpentibus veris non phantasticis poena infligitur. Quibus de causis plerique Patres et Doctores Ecclesiae, Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hurter, Lapide, Schöpfer, Simar, Strack (cf. Comment. 66) verum seu naturalem serpentem intellegunt; pauci tantum interpretes antiquiores quibuscum Hoberg et Hummelauer consentiunt, serpentem phantasticum accipiunt, quin opinionem suam demonstrare possint. — Fuit serpens a spiritu malo adhibitus. Etenim serpens loquitur et ratiocinatur, vult Evam et Adamum ad violationem praecepti divini deducere (Gn 3, 1 4 sq); inter serpentem et mulierem inimicitiae a Deo annuntiantur (Gn 3, 15). Atqui *inimicitiae,* אֵיבָה, in ceteris locis omnibus ubi recurrit, voluntatem contrariam vel animum adversantem personarum significat (Comment. 78); loqui atque ratiocinari personae seu spiritus immateriales dumtaxat possunt (pag. 531): ergo in serpente spiritus latere debuit isque malus, quia protoparentes ad transgrediendum praeceptum divinum excitavit. Quam conclusionem contextus remotus confirmat. Sapiens (Sap 2, 24) testatur: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (cf. Rom 5, 12); qui diabolus a Christo (Io 8, 44) *homicida ab initio . . . mendax, et pater eius* scil. mendacii vel mendacis, et ab Ioanne (Apc 12, 9; 20, 2) *serpens antiquus* (cf. 2 Cor 11, 3 14; Rom 16, 20) appellatur. Quare Patres et Doctores Ecclesiae, interpretes catholici necnon Strack (Genesis [2] 19) censent serpentem a spiritu malo adhibitum fuisse. Dillmann, Gunkel, Holzinger (cf. Comment. 67) negant quidem diabolum in serpente latuisse, et narrationem biblicam fabulam declarant qua bruta loquentia et agentia producuntur ac si ratione praedita essent; sed loci mox citati comprobant peccatum et mortem revera per spiritum malum seu per diabolum in mundum intrasse qui propter modum tentationis *ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος* nominatur (cf. Zöckler ad Sap 2, 24; Belser, Bisping, Weiß ad Io 8, 44; Bisping, Kübel ad Apc 12, 9; 20, 2), et narratio biblica fabula esse nequit, quia scriptor inspiratus nullo modo indicat se fabulam referre velle (cf. pag. 10 sqq). Videas plura in fine huius paragraphi.

Spiritus malus modo externo protoparentes tentavit, quia appetitus sensitivus eorum optime ordinatus erat, et phantasia

diabolo nondum patebat; per serpentem eos tentavit, quia hoc animal propter calliditatem suam (Gn 3, 1) maxime idoneum videbatur (Comment. 67). Eva aspectum serpentis non exhorruit neque metuit, quia a Deo dominium animalium acceperat (pag. 539), et primo tempore omnia animantia in pace placidissima vivebant (pag. 541); non admirabatur, quod brutum loqueretur. Animalia bruta neque cogitare neque generatim loquendo sonos articulatos efficere posse omnes docti sciunt; item ex philosophia patet Deum vel spiritum bonum aut malum ex ore bruti sonos articulatos edere iisque cogitationes suas manifestare posse. Quod omnes docti sciunt, etiam Eva propter eximiam suam scientiam (pag. 540) cognoscere ideoque concludere debuit ex ore serpentis spiritum quendam loqui (cf. pag. 125; Comment. 67).

γ) Spiritus malus mulierem minus doctam minusque fortem quam virum (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer; cf. Comment. 67) aggressus est; quae seducta de fructibus *ligni scientiae* comedit atque Adamum ad comedendum permovit. Interrogatione *Cur praecepit vobis* vel potius „num revera dixit", אַף כִּי־אָמַר, *Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?* (Gn 3, 1) voluit serpens sapientiam (iuxta Graecum et Latinum) vel bonitatem (iuxta Hebraicum) Dei in suspicionem vocare et appetitum libertatis absolutae *(de omni ligno)* suggerere. Mulier propter eximiam suam scientiam (pag. 540) iudicare debuerat Deum omnia sapienter et bene facere, ideoque spiritum ex serpente contraria suggerentem malum esse; nihilominus ab eo non se avertit sed ei respondet: iam ex parte capta est (Holzammer, Selbst; cf. Comment. 68). Diabolus mulierem de bonitate Dei dubitantem, Deo non amplius firmiter adhaerentem sibi autem fidentem conspiciens audacter veracitatem Dei negat: *Nequaquam* inquiens *morte moriemini* (Gn 3, 4); immo Deum invidiae accusat et asserit eum comestionem de fructibus ligni scientiae eo prohibuisse quod sciret comedentes ex eis Deo magis similes fore quoad naturam et scientiam: *Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: et eritis sicut dii,* בֵּאלֹהִים i. e. sicut Deus (pag. 372 sqq), *scientes bonum et malum* (Gn 3, 5; cf. Comment. 70). Mulier Dei veracitatem et bonitatem addubitans, libertatem absolutam appetens, voluntati divinae non amplius firmiter inhaerens interne iam peccavit atque appetitum hucusque bene ordinatum (pag. 540) turbavit. Propterea fructus ligni scientiae ei mox apparebant boni ad vescendum, pulchri ad videndum, desiderabiles ad intellegendum

(Gn 3, 6, iuxta Hebraicum, Strack; cf. Comment. 70). Seducta igitur mulier a serpente (Gn 3, 13; 2 Cor 11, 3; 1 Tim 2, 14) *tulit de fructu illius (ligni scientiae), et comedit: deditque viro suo, qui comedit* (Gn 3, 6) non seductus a serpente (1 Tim 2, 14) sed propter nimium erga uxorem amorem (cf. Gn 3, 17; Comment. 83; *S. Augustinus,* Civ. 14, 11, et multi cum eo).

δ) Peccatum protoparentum gravissimum fuit, et quidem propter statum: nam scientia eximia (pag. 540) et appetitu bene ordinato (pag. 540 sq) praediti in summa felicitate cum Deo conversabantur (pag. 541 sq); nihilominus amicum et benefactorem suum offendunt. Propter mandatum: quod observatu facillimum erat, quia protoparentes ex omnibus arboribus, una sola excepta, comedere poterant (Gn 2, 16 sq; 3, 2 sq), sed etiam severe comminatione mortis inculcatum fuit (Gn 2, 17; 3, 3); nihilominus illud transgrediuntur. Propter actum: Eva et Adam plena cum scientia et libertate et advertentia peccarunt; diabolus pro malignitate sua verba formalia in memoriam mulieris revocavit quibus Deus mandatum et poenam promulgaverat (Gn 3, 2 sqq), nihilominus mandatum transgressi sunt; quanto maior autem scientia et libertas tanto gravius peccatum est. Propter varietatem: peccarunt ambo superbia, inoboedientia, ingratitudine, gula; peccavit insuper Eva infidelitate et malo exemplo, Adam autem inordinato affectu (cf. Comment. 71).

b) Protoparentes peccantes graviter puniti sunt. *Et aperti sunt oculi amborum,* narrat hagiographus (Gn 3, 7): non tamen eo modo quo ipsi speraverant sed quo serpens intellexerat. Viderunt enim Deum esse veracem, diabolum autem mendacem; viderunt quantum bonum amisissent et in quantum malum incidissent; viderunt quam bona fuisset oboedientia et quam mala esset inoboedientia (S. Augustinus, S. Chrysostomus, Lapide, Selbst, Zschokke; cf. Comment. 71). Prima poena est inoboedientia carnis. Hagiographus prosequitur: *cumque cognovissent,* וַיֵּדְעוּ i. e. sentirent seu experientia scirent (*Fürst,* Handwörterbuch), *se esse nudos* (cf. pag. 540), *consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata* seu praecinctoria. In statu innocentiae mens hominis sub Deo, inferiores vires sub mente, corpus sub anima et omnia exteriora sub homine fuerunt. Postquam autem mens hominis per peccatum a Deo aversa est, amisit virtutem continendi inferiores vires, corpus et exteriora (*S. Thomas* ad Rom 5, 12): inoboedientia carnis est poena inoboedientiae mentis (S. Augustinus, Zschokke; cf. Comment. 72).

Secunda poena fuit laceratio vinculi amicitiae inter Deum et homines exsistentis, tertia vero obscuratio intellectus. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi* (Gn 3, 8; cf. pag. 542). Eo quod Domino non amplius occurrant (cf. pag. 542), vinculum amicitiae disruptum ostendunt (*Dillmann,* Genesis 75); eo quod oculis Dei latere volunt, intellectum obscuratum monstrant (Comment. 72 sq).

Quarta poena fuit mors quam Deus mandatum transgredientibus comminatus erat (pag. 539 sq). Gunkel et Hummelauer sentiunt Deum mortem quam pro *die* comestionis comminatus fuerat, distulisse itaque mitigasse; at Dillmann et Holzinger recte notant בְּיוֹם etiam *quando* vel *postquam* significare (Comment. 57; cf. lexicon). *Revertaris in terram,* ait iudex ad Adam peccantem, *de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (Gn 3, 19). Et per Sapientem testatur: *Deus mortem non fecit* (Sap 1, 13), *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap 2, 24).

Quinta poena cum quarta coniuncta sunt labores et dolores. *Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae* (cf. pag. 545), *et comedisti de ligno, ex quo, praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo,* בַּעֲבוּרֶךָ i. e. tua causa, propter peccatum tuum: *in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris* etc. (Gn 3, 17—19). Adam laborare debuerat etiam si non peccasset (Gn 2, 15), sed iste labor sine taedio ac doloribus fuisset (S. Chrysostomus, S. Thomas, Lapide, Zschokke; cf. Comment. 55 sq 84); *spinas* et *tribulos* seu carduos terra iam antea protulit (cf. pag. 497), sed novum hic nuntiatur quod terra culta quoque eos proferat: abhinc Adam *in sudore vultus sui,* quod est signum et consequentia laboris, *herbam terrae,* i. e. gramina, olera, cerealia, et *panem,* לֶחֶם i. e. quemlibet cibum, comedere debuit (Comment. 84 sq). Mulier non tantum illarum poenarum particeps est quibus Adam et cum eo omnes homines afficiuntur, sed etiam speciatim plectitur (Dillmann, Hummelauer, Strack; cf. Comment. 82), quia prima mandatum transgressa est et virum ad peccandum attraxit. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo* valde, אַרְבֶּה הַרְבָּה, *aerumnas tuas* vel labores tuos, *et conceptus tuos,* i. e. labores conceptuum seu graviditatum tuarum (ἐν διὰ δυοῖν iuxta Buhl, Hoberg, Holzinger, Hummelauer, Lapide, quibus tamen Delitzsch, Dillmann, Gesenius-Kautzsch, Strack contradicunt;

cf. Comment. 82 sq): *in dolore paries filios* (cf. Is 13, 8; 21, 3; Mich 4, 9 sq), *et sub viri potestate eris,* וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ i. e. et ad virum tuum conversio tua, *et ipse dominabitur tui* (Gn 3, 16). Mulier coniunctionis cum viro appetitum habebit, quamvis multa sustinere debeat; ab initio mulier socia viri fuit, post peccatum serva eius facta est (Dillmann, Gunkel, Holzinger; cf. Comment. 82).

Sexta poena fuit amissio iustitiae originalis. *Et ait* Dominus Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (Gn 3, 22; cf. pag. 468). Haec sententia per ironiam et sarcasmum dicta est (S. Ephrem, Lapide, Hummelauer contra Dillmann; cf. Comment. 87) et talem sensum habet: homo fructum vetitum edens Deo magis similis fieri voluit sed reapse dissimilis factus est. Videas plura in Comment. 86 sqq. Ante peccatum homines non solum quoad essentiam verum etiam quoad operationem sic erant ut Deus eos voluit: erant recti, iusti et sancti (cf. pag. 539); post peccatum similitudo quoad operationem defuit.

Ex Novo Testamento (cf. Theolog. bibl. Nov. Test.) patet Adamum et Evam peccantes gratiam sanctificantem amisisse itaque Deo dissimiles factos esse; ex Vetere tamen Testamento haec veritas demonstrari nequit, quia nullo loco Vet. Test. probari potest protoparentes gratia sanctificante ornatos fuisse. Multi quidem theologi antiquiores ac recentiores provocant ad Gn 1, 26 atque Eccl 7, 30 et asserunt: illud *et similitudinem nostram* (Gn 1, 26) iuxta interpretationem Patrum sanctitatem supernaturalem significat, et quod *fecerit Deus hominem rectum* (Eccl 7, 30) in sensu biblico indicat hominem iustitiam et gratiam supernaturalem habuisse. Sed ambae assertiones cum principiis hermeneuticis pugnant. Ne quis putet me in hac causa nimis liberalem esse, verba Pesch (De Deo creante 82 sq) transcribo. „Ita argumentantur ex eo, quod homo dicitur creatus ad imaginem et similitudinem Dei (Gn 1, 26), quam imaginem multi Patres explicant de gratia sanctificante. Sed imprimis verba illa Genesis, quamvis possint referri ad supernaturalem similitudinem, tamen sufficienter explicantur de naturali similitudine; unde ut efficax argumentum afferri nequeunt ad asserendam Adamo gratiam sanctificantem. Quod autem SS. Patres attinet, videndum est, utrum ex illis verbis probent gratiam sanctificantem, an potius, hac doctrina aliunde supposita, dicant Adamum etiam secundum gratiam fuisse imaginem Dei. Hoc ultimum omnino verum est, at non ostendit illi textui inesse vim probandi hanc rem." Conferas quae pag. 482 scripsimus. Pesch pag. 83 prosequitur: „Aliud argumentum petunt ex verbis Ecclesiastis.... Dicunt enim illud ‚*rectum*' significare gratiam sanctificantem, cum in S. Scriptura vocabulum יָשָׁר ubique significet rectitudinem moralem et supernaturalem (citant Ps 7, 11; 10, 3; 32, 1; 35, 11; 72, 1; 111, 2; 139, 14; Ib 1, 8 etc.). At non apparet, quomodo ille textus non habeat verum et perfectum sensum, etiamsi Adamus non habuit gratiam sanctificantem; et difficile foret ostendere illis locis Psalmorum etc. sermonem esse de gratia sanctificante (cf. *Kleutgen,* Theol. d. Vorz. III 351). Si vero SS. Patres dicunt Adamum fuisse *rectum* per gratiam sanctificantem, nondum dicunt ex ipso verbo *recti* hanc gratiam probari posse."

Septima poena fuit eiectio e paradiso. Sententiae sarcasmo plenae (pag. 547) Dominus sequentem adiunxit (Gn 3, 22): *nunc ergo ne forte* (deest *forte* in Hebraico) *mittat manum suam, et sumat de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum* emittamus eum (quod ex v. 23 supplendum est). Haec est consequentia antecedentium. Secundum voluntatem Dei fructus arboris vitae arcebant mortem, conservabant vitam (pag. 540); Adam et Eva autem debebant mori (pag. 546): ut igitur mortis sententia et efficientia ligni vitae simul stare possent, Deus hominem e paradiso eiecit. Eiectio fuit actus misericordiae divinae, quatenus „non expediebat homini, ut in miseria huius vitae diutius permaneret" (*Zschokke,* Historia 37); fuit tamen etiam actus iustitiae divinae, quo protoparentes graviter puniti sunt. Non volentes sed coacti paradisum reliquerunt quod in Gn 3, 23 sq innuitur. Nam verba *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est* praeceptum exeundi continent; sequentia autem *Eiecitque Adam* vim quandam significant (Comment. 88; *Dillmann,* Genesis 83).

Hucusque de fructibus ligni vitae protoparentes non comederant, quia integra aetate florentes illo esu adhuc non indigebant (*Dillmann,* Genesis 83). — Dillmann, Gunkel, Holzinger (cf. Comment. 88) phrasim *sciens bonum et malum* serio, sine ironia prolatam atque hominem scientia acquisita (cf. pag. 542) Deo similem factum esse contendunt; sententiam autem *nunc ergo ne forte mittat manum ... et vivat in aeternum* ita interpretantur ac si Deus ex invidia impedire voluerit, ne homo alteram quoque proprietatem divinam arriperet, scilicet immortalitatem. Verumtamen homo fructum vetitum edens eximiam suam scientiam (pag. 540) perdidit et mox mentem obscuratam ostendit (pag. 546), ergo Deo non similior sed dissimilior factus est; quod vero de invidia ac timore Dei asserunt, cum essentia et attributis divinis, praesertim cum bonitate et omnipotentia (cf. pag. 387—464) gravissime pugnant.

Protoparentes paenitentiam egerunt et salvati sunt. Consentientibus Strack et Zschokke (cf. Comment. 71) pudor et timor protoparentum peccantium (Gn 3, 7 10) monstrant eos in malo non obstinatos fuisse. Adam autem post promulgationem sententiae iudicis uxorem suam *Hevam,* חַוָּה i. e. vitam, nominavit itaque ostendit se plena fide verbis Dei (Gn 3, 15 sq) inhaerere. Audierat quidem se atque uxorem suam mori debere, perspectum habuit Deum graviter offensum esse; nihilominus fidem et spem manifestat genus humanum non defecturum, e contrario uxorem filios et filias parituram esse. Peccatores in malo non obstinatos sed fide et spe Deo inhaerentes ad paenitentiam et salutem pervenisse iam a priore probabilissimum est. Adamum reapse salvatum esse Sapiens

(10, 1 sq) testatur: *Haec* scil. sapientia divina *illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus,* ergo alium adiutorem non haberet (*Zöckler,* Apokryphen 377), *custodivit, et eduxit illum a delicto suo.* *Αὕτη πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου μόνον κτισθέντα διεφύλαξεν καὶ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου.* Idem de Eva supponere possumus (cf. Comment. 90).

c) Istae poenae ac peccatum protoparentum in posteros eorum transeunt. In posteros protoparentum poenas transire sacrae litterae Vet. Test. aperte docent, quod locis quibusdam selectis probamus. Transit appetitus inordinatus: *sensus enim,* ait Dominus, *et cogitatio humani cordis in malum prona sunt,* כִּי יֵצֶר לֵב הָאָדָם רַע i. e. quia cogitatio (sensus et affectus) cordis hominis mala est, *ab adolescentia sua* (Gn 8, 21). Cum *fecerit Deus hominem rectum* (Eccl 7, 30; cf. pag. 539), homo autem iam *ab adolescentia sua,* i. e. ex quo ad usum rationis pervenit atque inter bonum et malum discernere potest (*Dillmann,* Genesis 151), *in malum* pronus sit; concludere debemus peccatum Adae etiam propagini eius nocuisse, quod Strack (Genesis[2] 31) quoque contra plerosque protestantes recentiores tuetur. Holzinger (Genesis 83) cum Dillmann (l. c.) negat in hoc v. peccatum originale insinuari, concedit tamen iuxta hunc v. omnes homines ad malum pronos esse iam ab adolescentia. Nunc quaerimus: quomodo declarari potest quod homo a Deo *rectus* atque *valde bonus* (Gn 1, 31) creatus nihilominus iam *ab adolescentia sua,* ex quo inter bonum et malum discernere potest, *in malum* pronus sit, si peccatum Adae posteris non nocuit? (Comment. 154 sq). Ex isto appetitu inordinato improbitas hominum provenit quam Scriptura (e. g. Gn 6, 5; Ps 13, 1 sqq; 129, 3; 142, 2; cf. et Prv 20, 9; Eccl 7, 21; Is 53, 6) exponit. — Transit obscuratio mentis. *Cogitationes, λογισμοί, enim mortalium timidae, δειλοί* i. e. incertae, *et incertae, ἐπισφαλεῖς* i. e. lubricae, *providentiae, ἐπίνοιαι* i. e. studia, *nostrae. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio, τὸ γεῶδες σκῆνος* (= corpus terrestre), *deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile aestimamus, εἰκάζομεν, quae in terra sunt: et quae in prospectu sunt, καὶ τὰ ἐν χερσίν, invenimus cum labore. Quae autem in caelis sunt quis investigabit, ἐξιχνίασεν;* (Sap 9, 14—16). Qui status praesens longe alius est ac primitivus (cf. pag. 540) et continuatio poenae protoparentibus nostris inflictae (cf. pag. 546) conspicitur. — Transeunt mors et labores. Haec veritas in Vet. Test. graphice describitur. Notissimum est illud horrendum

(*Strack,* Genesis[2] 23) *et mortuus est* quod Gn 5, 5 sqq saepe repetitur atque sententiam mortis (Gn 2, 17) firmam esse demonstrat. De laboribus et doloribus autem hominum legimus: *Cuncti dies eius doloribus et aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit* (Eccl 2, 23). *Occupatio, ἀσχολία, magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae, in matrem omnium* (Eccli 40, 1). Conferas Ib 5, 7; 7, 1; 14, 1.

Sed transit etiam peccatum protoparentum in posteros eorum. Locus classicus pro hac assertione est Ps 50, 7. Vulgata iuxta LXX vertit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, ἐν ἀνομίαις συνελήμφθεν· et in peccatis concepit me, καὶ ἐν ἁμαρτίαις ἐκίσσησέν με, mater mea.* In textu originali autem scribitur: הֵן־בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי i. e. ecce in crimine natus sum, et in peccato concepit me mater mea. Auctor Psalmi est David (cf. pag. 209; *Hoberg*, Psalmen 180; *Thalhofer*, Psalmen 312; *Wolter*, Psallite II 296); ab auctore neque coniugium neque conceptionem et nativitatem in se spectatam peccaminosam dici omnes interpretes conveniunt (cf. *Baethgen,* Psalmen 148; *Duhm,* Psalmen 145; *Keßler*, Psalmen 113): nihilominus Psalmista se in peccato natum, immo conceptum vocat. Quomodo hoc assertum declarari potest? Duae tantum prostant declarationes: Psalmista aut de peccato parentum (fornicatione vel adulterio) aut de peccato suo loquitur. Baethgen (Psalmen 148) affirmat Psalmistam de fornicatione vel adulterio parentum loqui; at contra hanc sententiam iam S. Augustinus (Enarr. in Ps 50, n. 10) recte scripsit: „Numquid David de adulterio natus erat, de Iesse, viro iusto, et coniuge eius?“ Ex nullo enim loco Scripturae probari potest Davidem non legitimum filium Iesse et uxoris eius fuisse, ut omnes concedunt. Refutata affirmatione Baethgeni hoc solum relinquitur, ut David de suo peccato loquatur: non de peccato actuali, quemadmodum evidens est, sed de peccato quod in conceptione contraxit et quocum natus est. „Quid est, interrogat S. Augustinus (l. c.), quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?“ Propterea recentissimi commentatores Psalmorum catholici (Hoberg, Thalhofer, Wolter) cum plurimis antiquioribus locum de peccato originali interpretantur.

„Censet quidem Palmieri, notat Pesch (De Deo creante 120), in hoc Psalmo per peccatum et iniquitatem per se significari concupiscentiam; sed cum neque עָוֹן neque חֵטְא umquam in vetere testamento significent concupiscentiam, haec explicatio non est valde probabilis“, immo

propter usum loquendi biblicum (cf. Exegeticam 31 sqq) est valde improbabilis. — Alii (cf. *Gesenius*, Thesaurus 465; *Duhm*, Psalmen 146; *Keßler*, Psalmen 113) putarunt Psalmistam hoc tantum dicere velle: ego ab hominibus peccatoribus originem traho et ideo ab infante ad peccandum pronus sum. At verba: „ecce in crimine natus sum, et in peccato concepit me mater mea" non habent sensum generalem parentes Psalmistae fuisse peccatores, quod Baethgen (Psalmen 148) bene intellexit, neque peccatum speciale eorum insinuare possunt (pag. 550): sensus obvius verborum est Psalmistam peccato inquinatum tam natum quam conceptum esse. — Ceterum Pesch (l. c.) vere scribit: „In vetere testamento peccatum originale non eadem quidem claritate docetur qua in novo, sed nihilominus satis indicatur. . . . Concedendum est nisi ope traditionis ex Psalmo ipso non posse efficax argumentum deduci, quia aliae explicationes vi verborum non excluduntur", saltem non peremptorie. Qui doctrina Nov. Test. imbutus est, in Ps 50, 7 facile peccatum originale indicatum inveniet; qui vero illam nescit, de sensu loci dubitare potest. Conferas quae pag. 465 sqq de pluralitate personarum divinarum diximus.

Idem quod David professus est, in libro Iob (14, 4) quoque traditur (cf. *Dillmann*, Hiob 122). Vulgata vertit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* LXX vero reddunt: *τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐθείς·* (trahunt etiam primum membrum versus 5 falso ad versum 4 construentes *ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς*). Textus originalis demum est: מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא לֹא אֶחָד i. e. quis dabit mundum de immundo? non unus; *vel* utinam veniret mundus de immundo! non unus (scil. venit). Bene scribit Knabenbauer (Iob 191 sq): „Interpretes fere omnes etiam recentiores originis notam in versu deprehendunt . . . si ipsa iam origo hominis est immunda, si vitam trahit ex stirpe immunda, si ipse ex fonte immundo quasi in hanc vitam effluit et proin ipsa natura in suis iam primordiis sit labe infecta, quid fortius, efficacius, aptius dici poterat ad institutum illud, quod hoc loco Iobus prosequitur? . . . Textus doctrinam de vitiata hominis origine vel de peccato originali satis clare continet, unde merito tot Patres . . . et interpretes catholici, immo et multi ex protestantibus illam hoc loco doceri contendunt. Vitium enim tanta cum amplitudine et generalitate naturae et origini inesse dicitur, ut illam corruptionem non ex singulorum hominum peccatis exortam esse censendum sit, sed ut aliquod ipsius naturae peccatum subesse non obscure indicetur."

Si protoparentes mandatum divinum observassent, posteri eorum immortales, immunes ab inordinato appetitu, ornati gratia sanctificante (cf. pag. 547) nati essent (*Pesch*, De Deo creante 111) et in statum felicem protoparentum (cf. pag. 539) intrassent; quia vero protoparentes mandatum divinum transgressi sunt, ideoque poenis affecti (pag. 545) et gratia sancti-

ficante privati sunt, etiam posteri eorum iisdem poenis afficiuntur (pag. 549) atque gratia sanctificante privati concipiuntur et nascuntur. Et haec privatio gratiae sanctificantis est illud peccatum in quo David se natum et conceptum profitetur; haec est labes vel macula qua stirps humana ita infecta est, ut ex ea ne unus quidem mundus venire possit, si non Deus a macula communi eum praeservaverit, quemadmodum Iob asseverat. „Sicut peccatum actuale est peccatum personae, quia per voluntatem personae peccantis committitur, inquit S. Thomas (ad Rom 5, 12), ita peccatum originale est peccatum naturae, quod per voluntatem principii humanae naturae commissum est.... Sicut per generationem humana natura trahitur, ita etiam per generationem traducitur defectus humanae naturae, qui est consecutus ex peccato primi parentis. Est autem hic defectus carentia originalis iustitiae quae erat primo homini divinitus collata, non solum ut erat persona quaedam singularis sed etiam ut erat principium humanae naturae, ut scilicet eam simul cum natura in posteros traduceret ... Adam peccans vitiavit humanam naturam ... natura vitiata inficit personam, dum scil. genito imputatur ad culpam naturae vitium propter voluntatem primi parentis." — De hac re in Theol. bibl. Nov. Test. plura dicturi sumus.

Inter protestantes recentiores quoque sunt qui communem immunditiam hominum generatione traductam agnoscant (cf. *Keßler,* Psalmen 113; *Strack,* Genesis[2] 31; *Volck*, Hiob 40); non eodem tamen modo rem intellegunt. „Inter protestantes, scribit Pesch (De Deo creante 119 sq, nota), de hac re tot fere sunt sententiae quot capita.... Nonnulli censent peccatum originale esse inclinationem ad peccatum generatione traductam.... Alii volunt peccatum originale in eo esse quod omnes homines ad similitudinem Adami peccent." Protestantes Hegelianismo (pag. 16 430) addicti consequenter peccatum originale negare debent.

d) Christus et Maria a peccato originali immunes sunt. Dixit Dominus Deus ad serpentem: *Inimicitias,* וְאֵיבָה, *ponam inter te et mulierem, et* inter, וּבֵין, *semen tuum et semen illius: ipsa* vel potius ipsum (scil. semen illius) *conteret,* הִיא יְשׁוּפְךָ, *caput tuum, et tu insidiaberis,* וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ, *calcaneo eius* (Gn 3, 15). Hac sententia Deus annuntiat inter serpentem et mulierem necnon inter semen serpentis et semen mulieris inimicitias futuras esse; annuntiat fore ut semen mulieris caput serpentis conterat, serpens vero calcaneum seminis mulieris vulneret.

Nullum dubium est, quin *ipsum* (scil. semen) non *ipsa* (scil. mulier) vertendum sit: hoc demonstrant antiquissimae versiones, Graeca, Itala, Syriaca; hoc demonstrat Pentateuchus Samaritanus; hoc demonstrat usus loquendi Hebraicus. Plures quidem theologi antiquiores asserebant textum Hebraicum esse ambiguum, posse *ipsum* atque *ipsa* verti; at hoc assertum evidenter falsum est. Non negamus in Pentateucho הוּא etiam *ipsa* significare; non negamus in Pentateucho formam masculinam verbi (יְשׁוּפְךָ) quandoque pro feminina adhiberi: notamus vero suffixum verbi ־ֶנּוּ (quod in תְּשׁוּפֶנּוּ occurrit) semper cum masculino, numquam cum feminino coniunctum

esse, ita ut הוּא propter hoc suffixum ad masculinum זֶרַע *semen*, non ad femininum אִשָּׁה *mulierem* referri debeat. Videas Comment. 76 sq ubi hanc quaestionem diffuse tractavimus. — Loco *ipsum conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius* in textu originali scriptum est: הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב i. e. ipsum percutiet te et quidem quoad caput, et tu percuties eum et quidem quoad calcaneum (cf. *Gesenius-Kautzsch*, Grammatik 375 sq). Verbum שׁוּף generatim *terere, percutere* significat atque iuxta diversum subiectum et obiectum vario modo intellegi debet: si de actione hominis in caput serpentis adhibetur, idem est ac *conterere;* si de actione serpentis in calcaneum hominis, idem ac *pungere* vel *vulnerare*. Ita Syrus verbum interpretatus est. Videas plura in Comment. 77 sq.

Deus igitur inter *serpentem* et *mulierem* necnon inter *semen serpentis* et *semen mulieris* inimicitias, i. e. animum adversantem, affectum contrarium, odium et bellum, praenuntiat easque permanentes, quia sine exceptione ac restrictione loquitur; Deus praenuntiat a *semine mulieris* caput serpentis conterendum, et *a serpente* calcaneum seminis mulieris vulnerandum esse. — Serpens quem Deus alloquitur, est serpens Evam seducens, ergo serpens naturalis a diabolo adhibitus (pag. 543); semen serpentis naturalis sunt serpentes alii, semen vero diaboli sunt spiritus mali qui diaboli exemplum imitantes illi similes facti sunt, sicut filii parentibus. Mulier quam Deus nominat sensu obvio Eva a serpente deducta esse videtur; semen mulieris omnes homines ab Eva descendentes, cuncti viventes (Gn 3, 20) esse videntur. — Ergo sensus obvius sententiae divinae apparet: inter serpentem naturalem et diabolum atque Evam necnon inter serpentes naturales et spiritus malos atque omnes homines *inimicitiae* permanentes, i. e. perpetuus affectus contrarius, erunt; serpens seducens ab omnibus hominibus conteretur seu perfecte superabitur, et omnes homines a serpente seducente vulnerabuntur.

Inter serpentem *naturalem* et semen eius atque Evam et semen eius inimicitias, mutuum horrorem, odium et bellum esse constat; homines caput serpentis naturalis conterere et serpentem naturalem e contrario hominibus insidiari eosque vulnerare observatio rerum, saltem generatim loquendo, docet. Verumtamen, inter *diabolum* atque Evam, quae in ipso statu iustitiae originalis (pag. 539) cum diabolo consensit, post peccatum et sententiam iudicis permanentes inimicitias seu perpetuum voluntatum dissensum fuisse non valde

probabile est; inter *semen diaboli,* i. e. spiritus malos, et semen Evae, i. e. omnes homines, permanentes inimicitias seu perpetuum voluntatum dissensum neque fuisse neque esse certum est. Nam Cain (Gn 4, 5 sqq), Cainitae (Gn 4, 17 sqq coll. 4, 26), homines e Cainitis ac Sethitis mixti (Gn 6, 2 sqq) cum spiritibus malis consentiebant ideoque aquis diluvii deleti sunt (Gn 6, 7 12 sqq); immo neque omnes homines boni permanenter et in levioribus rebus a spiritibus malis dissentiunt, quemadmodum historia testatur. Diabolum omnibus hominibus insidiari plurimosque vulnerare sacrae Litterae et experientia testantur; at omnes homines ab Eva descendentes caput serpentis antiqui conterere, i. e. diabolum perfecte superare, contestantibus sacris Litteris et experientia omnino falsum est.

Praenuntiatio Dei autem, qui nec falli nec fallere potest (pag. 409), necessario impleri debet, quapropter semen mulieris sit oportet quod caput serpentis revera contrivit, diabolum perfecte superavit. Quodsi ad contextum remotum, ad Novum praesertim Testamentum recurramus et impletionem prophetiae divinae respiciamus, invenimus diabolum a Christo perfecte devictum atque Christum a diabolo in passione vulneratum esse (Lc 4, 13): Christus igitur est semen mulieris caput serpentis conterens et a serpente vulneratus. Mulier vero cuius semen Christus nominatur (Gal 4, 4), est beatissima virgo Maria (Lc 1, 26 sqq; Mt 1, 18 sqq). Atqui inter semen mulieris caput serpentis conterens et mulierem cuius semen est, ex una parte atque diabolum et spiritus malos ex altera parte permanentes *inimicitiae* seu perpetuus voluntatum dissensus ab ipso Deo annuntiatur (pag. 552). Ergo Christus et Maria neque personali neque originali peccato inquinati esse potuerunt, quia utrumque peccatum consensum voluntatis humanae cum voluntate diaboli ad transgressionem mandati Dei incitantis in se continet. „Inter notas peccati autem, scribit Egger (Dogm. spec. 298), prima omnium est voluntaria transgressio mandati divini; haec igitur in peccato originali quoque reperiri debet, aliter tamen ac in peccatis actualibus.“ Plura de hac re in Theol. bibl. Nov. Test. dicturi sumus. — Pius IX. in bulla *Ineffabilis Deus* sequentia tradit: „Patres Ecclesiaeque Scriptores enarrantes verba quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam et nostri generis spem mirifice erexit inquiens *Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius,*

docuere: divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam beatissimam eius matrem Virginem Mariam ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas."

Textus Vulgatae quoad litteram a textu critice vero discrepat, quoad rem vel sensum tamen cum eo optime conciliari potest. In utroque enim textu mysterium redemptionis praenuntiatur: in textu critice vero redemptor, in textu Vulgatae autem mater eius clarius prophetatur (Bibelkritik 91). Pius IX. in bulla *Ineffabilis Deus* ita docet: „Sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit: sic sanctissima Virgo, arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta, una cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit." — Verba praenuntiationis divinae, quatenus serpentem naturalem respiciunt, de Eva et hominibus ab ea descendentibus; quatenus vero ad diabolum respiciunt, imperfecte de Eva et genere humano, perfecte autem de Christo et matre eius interpretamur, quia usus loquendi et contextus hanc interpretationem postulant. Eodem modo iam S. Epiphanius (Haer. III 2, 18) textum intellexit. „Nusquam, ait, eiusmodi semen mulieris inveniri potest: unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum huius stirpe serpens ille et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus exercet.... Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam (Evam videlicet) universa nequeunt, sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe quae ab sola Virgine Maria sine ulla viri consuetudine propagata est, reapse ac penitus impletur." Videas Comment. 78—82 ubi variae istius loci explicationes examinantur. — Mulier cuius filius caput serpentis perfecte contrivit, iuxta sententiam divinam peccato originali non maculata (pag. 554), ergo a primo illo momento quo spiritus cum corpore coniunctus est, gratia sanctificante ornata erat in qua omnes homines concepti et nati essent, si Adam non peccasset (pag. 551). Et in hoc consistit *Immaculata conceptio B. M. V.* Deum etiam post peccatum Adae hominem quendam in conceptione a peccato naturae (pag. 552) praeservare seu gratia sanctificante (pag. 547) ornare posse constat (pag. 447 sq); cum matrem redemptoris reapse a peccato originali praeservasse verba eius enuntiant. Sed vis probandi non tam in *ipsa conteret caput tuum* quam in *inimicitias ponam inter te et mulierem* sita est. — Qui revelationem supernaturalem, inspirationem, prophetias et miracula negant (pag. 7 sq) atque systema evolutionis naturalis amplectuntur (pag. 16 430) peccatum originale et immaculatam conceptionem Mariae quoque negare debent; at suppositiones eorum falsae sunt, uti in locis citatis iam diximus.

6. Relatio inter narrationem biblicam et narrationes gentium existens. a) Narrationi biblicae narrationes gentium, praesertim Babyloniorum similes sunt. Etenim in cosmogonia Babyloniorum homines a deo ex limo, sanguine divino madefacto, formati dicuntur; iuxta mythum classicum Prometheus homines ex limo formavit et igne

diis ablato animavit; etiam de formatione mulieris ex viro apud gentes de androgynis fabulantes nonnulla vestigia reperiuntur. Paradisus quoque commemoratur: in carmine epico Gilgameš (cf. pag. 46) de *insula beatorum* legimus; in inscriptionibus cuneatis nomina *Gu-edin-na*, *nar-edin-na*, *kiš-edin-na*, *gannâti* reperiuntur quae nominibus עֵדֶן atque גַּן (cf. pag. 24) similia sunt; Babylonia olim *tintira* (nemus vitae) et regio adiacens *karduniaš* (hortus dei Duniaš) vocabatur; multi populi Asiae et Europae de horto vel monte deorum fabulabantur. Arbor vitae apud populos plerosque occurrit. Apud Babylonios imagines arboris vitae (Fig. 93)

Fig. 93. Arbor vitae et animalia alata. Caelatura ex Nimrud (Phot. Mansell). (Londini, Mus. Brit.)

inventae sunt; in scriptis eorum legimus de cedro in luco Irnini ad quem Gilgameš et Eabani perrexerunt, de arbore mira in horto ad mare plantato ad quem Gilgameš pervenit, de palma in nemore Eae in Eridu ubi Adapa creatus est, de verbena *šību iṣṣaḫir amelu* (senex homo iterum iuvenis redditur) quam Gilgameš in insula beatorum acceperat et in patria Erech (pag. 54) plantare voluit sed revertens per serpentem amisit, de herba vitae quam dii dare possunt. Etiam aqua vitae apud Babylonios commemoratur. De statu paradisiaco, de aurea aetate, pace inter hominem et bruta, esu vegetabilium scriptores Graecorum et Latinorum aliarum-

que gentium loquuntur. In carmine epico Gilgameš haec narrantur: Eabani iuxta imaginem dei creatus non erat vestitus, vivebat cum brutis et vescebatur herbis; alius homo illi mulierem adduxit quacum Eabani in Erech vivebat; quia tamen haec mulier seducens erat causa malorum Eabani ei maledixit. Serpentem seducentem non solum Babylonii in imaginibus repraesentarunt et in nomine fluvii *AN. MUŠ. TIN. TIR. DUB* (deus serpens vitae habitaculum destruens) memoriae tradiderunt, verum etiam Indi et Sinenses proferunt. Modus tentationis quoque in celebri illo cylindro sigillario expressus videtur in quo arbor, ex una parte vir ex altera mulier atque post eam serpens monstratur (cf. Fig. 2, pag. 5); apud Mexicanos imago exstat in qua mulier cum serpente loquens et gemelli contendentes finguntur. Memoria immortalitatis perditae in mytho Adapae conservatur. Adapa immortalis fieri potuisset, si panem vitae manducasset et aquam vitae bibisset; quia tamen utrumque recusavit, mortalis mansit. Videas Comment. 91 sq, ubi fontes istarum narrationum accurate citantur.

b) Affinitas narrationis biblicae et narrationum gentium evidens est. Propter quam affinitatem nonnulli protestantes (Frd. Delitzsch, Jensen, Schrader-Zimmern, Stade, Wellhausen; cf. Comment. 92) putarunt narrationem biblicam ex mythis Babyloniorum haustam esse, aut tempore exilii (*Delitzsch,* Paradies 93 sq) aut Manasse regnante (*Stade*, Geschichte Israels I 631 sq); sed Gunkel (Genesis 35) et Holzinger (Genesis 44) hanc opinionem repudiant, quia argumentis confirmari nequit. Gunkel (Genesis 33 sqq) et sectatores eius censent traditiones mythologicas de paradiso tractantes omnibus populis communes fuisse atque ex hac communi traditione mythologica narrationem biblicam fluxisse. At haec quoque sententia improbabilis, immo impossibilis est.

Nam primo quidem traditiones gentium elementis phantasticis, mythicis, polytheisticis refertae sunt quae in narratione biblica omnino desunt. Ne dicant Hebraeos naturali evolutione narrationes gentium de istis elementis purgasse atque spiritu puri monotheismi animasse. Nullus enim populus, uti iam diximus (pag. 48), ne maxime excultus quidem, naturali evolutione ex polytheismo ad monotheismum se elevavit; quomodo igitur Israelitae minus exculti cum gentibus conversantes qui traditiones phantasticas, mythicas, polytheisticas retinebant, istas traditiones de elementis phantasticis, mythicis et praesertim polytheisticis naturali evolutione purgare et spiritu puri monotheismi

animare potuerunt? Nemo hucusque ad hanc quaestionem respondere potuit (pag. 506 sq). Conclusio ad quam experientia et logica nos compellunt, haec est. Quod populi magis exculti naturali evolutione non praestiterunt, etiam populus minus excultus naturali evolutione non praestitit; atqui nullus populorum magis excultorum naturali evolutione ad enarrationem status originalis de elementis phantasticis, mythicis, polytheisticis purgatam atque spiritu puri monotheismi animatam se elevavit: ergo neque populus minus excultus naturali evolutione ad puram narrationem biblicam pervenit. Secundo, hagiographus proprio nomine loquitur et veram historiam proponere vult, quemadmodum usus loquendi et contextus comprobant. „Nemo umquam negare debuerat, scribit Gunkel (Genesis 36), nostram narrationem veram historiam esse velle"; similiter Holzinger (Genesis 37). Scriptores inspirati autem ea sola fideliter conscribere voluerunt et „apte infallibili veritate" expresserunt quae Deus voluit (pag. 9). Ergo Deus ipse, qui nec falli nec fallere potest, veram historiam proponere voluit, non mythum neque opinionem popularem neque symbolum vel allegoriam: narrationem neque in genere neque in specie allegoricam esse Holzinger (Genesis 37) diserte notat. Quae cum ita sint, narratio biblica ex traditione mythologica gentium hausta esse nequit, quia alioquin ipsa quoque mythologica et non historica esset.

c) Si narrationes gentium cum narratione biblica comparamus non solum evidentes similitudines (pag. 557) verum etiam evidentes dissimilitudines invenimus. In cosmogonia Babylonia homines utique ex limo, sanguine divino madefacto, formati dicuntur; idem tamen de brutis quoque affirmatur: in narratione biblica autem inter creationem brutorum et hominum differentia essentialis constituitur. Praeterea tam in cosmogonia Babylonia quam in mytho Promethei polytheistica, in mytho gentili de androgynis absurda cum veris miscentur. Quod ad paradisum attinet, haec notamus: primo, *insula beatorum* in mari, paradisus biblicus in terra; insula ista ad ostia, paradisus hic ad fontes est; in insula beatorum mortui, in paradiso commorantes in corpore habitant. Secundo, a nominibus similibus ad rem eandem non concludendum esse logici docent. Ex voce *tintira* nihil ad paradisum pertinens logice colligi posse ipse Frd. Delitzsch confitetur. Vox *karduniaš* significat quidem illum locum deo Duniaš sacrum, non vero eum simul amoenum et a deo inhabitatum fuisse. Tertio, ex verbis *cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem* (Gn 3, 8) plures protestantes quidem inferunt Deum iuxta sententiam scriptoris in paradiso habitasse, ideoque mythologicum hortum vel montem deorum in paradisum biblicum transformatum esse; sed ista illatio seu conclusio falsa, immo ridicula est. Nam ex eo quod quis ad auram post meridiem in horto vel villa quadam deambulat, iuxta logicam et experientiam non sequitur eum in eo horto vel villa habitare. Plurimi homines in villa Borghese aliisque villis Romanis ad auram post meridiem deambulant, sed ibi non habitant (cf. pag. 423). Quid arbor vitae

et aqua vitae apud gentes certo significaverint, hucusque erui non potuit. Verbena *sîbu issaḫir amelu* ex nomine suo non immortalitatem sed vigorem iuvenilem dedit et ubique, non tantum in insula beatorum, plantari potuit; idem de arbore et aqua vitae gentium dicendum videtur. Ergo inter ipsas et arborem vitae paradisi differentia essentialis deprehenditur. Mythum Eabani prototypon historiae Adae esse etiam protestantes recentiores negant, quia inter utramque narrationem iuxta Stade (cf. Comment. 93) talis differentia exsistit qualis inter volutabrum ruris et purum fontem montis est. Serpentem a Babyloniis aliisque gentibus cultum fuisse iam pag. 317 sq vidimus; serpentem seducentem ab eis cultum fuisse omni argumento caret. Nunc enim doctissimi viri (Barth, Budde, Cornill, Dillmann, Döller, Eberhard, Halévy, Holzinger, Jensen, Jeremias, König, Ménant, Nikel, Öttli, Oppert, Tiele, Wildeboer; cf. Comment. 94) consentiunt in celebri illo cylindro sigillario tentationem protoparentum minime repraesentari. Nam duae figurae in scabellis sedent; ambae unam manum extendunt et quidem ad arborem, non ad fructus; ambae sunt vestitae et tegumentis capitis ornatae quorum unum cornutum est (cf. Fig. 2, pag. 5): tegumentum cornutum autem apud Babylonios unice diis tribuitur. Idcirco Jensen (Christl. Welt 1902, XII 488) sentit duas figuras designare duos deos ad arborem vitae sedentes quam serpens custodiat (Comment. 94). Denique etiam quoad immortalitatem perditam inter mythum Adapae et historiam Adae graves differentiae sunt: Adapa erravit, Adam peccavit; Adapa non manducavit, Adam manducavit; Adapa non vocatur primus homo, Adam primus homo fuit ideoque pro toto genere humano immortalitatem perdidit. — Continua et plena narratio de statu primitivo hominum quae narrationi biblicae in omnibus similis esset, apud populos varios nondum inventa est (*Bezold,* Keilinschriften 38; *Dillmann,* Genesis 49; *Schrader-Zimmern,* Keilinschriften 520; cf. Comment. 91 94).

d) Consideratis his omnibus similitudines ac dissimilitudines inter narrationem biblicam et narrationes gentium sic declarandae sunt ut statuamus hagiographum ex traditionibus generis humani originalem narrationem Adae Deo movente atque illustrante selegisse et conscripsisse. Adamum paradisum, ligna et fluvium eius, formationem mulieris, statum primitivum ac felicem; serpentem, tentationem, transgressionem mandati divini et sequelas eius bene memoria tenuisse et posteris narrasse psychologice certum est. Vixerunt autem primi homines per plura saecula (pag. 34 sqq), quare narrationem traditam pure conservare potuerunt. Post confusionem linguarum et dispersionem gentium homines narrationem primitivam suis locis et temporibus, suis cogitationibus et conditionibus conformarunt ita ut nunc apud populos varios variae traditiones inveniantur (cf. *Dillmann*, Genesis 49). Ex variis his traditionibus scriptor inspiratus Deo illustrante puram narrationem originalem selegit (cf. pag. 10) eamque depravatis narrationibus opposuit (cf. Comment. 95).

e) Anno 1803 catholicus Zimmer (Theolog. christ. spec. et theor. II 47) scripsit: „Ad declaratas doctrinas Catholicorum non pertinet, caput ter-

tium Genes. mere historicum esse; et idcirco nihil declaratae doctrinae Catholicorum adversum dicitur, dum affirmatur, hoc tertium caput complecti mythum, sub cuius imaginibus poetarum simillimis, id est ab auctoris phantasia productis haec duo vera facta referuntur: primi homines peccarunt agendo contra legem Dei, et hinc 2 in poenam peccati iacturam primae beatae conditionis fecerunt, prolapsi in deteriorem sortem." Antiquam hanc opinionem moderni interpretes liberales recoxerunt. *Lagrange* (Revue Biblique 1897, 365 sqq) asserit tentationem et peccatum protoparentum esse facta historica, arborem scientiae et serpentem aliasque circumstantias symbolice explicari posse; eandem sententiam *Minocchi* (Genesi 43 sqq) defendit, sed *a divinis suspensus* est (Genesi IV sq). Reapse sententia Zimmeri a Lagrange recocta et a Minocchi divendita cum catholica inspirationis notione conciliari non potest. Gunkel (Genesis 36) recte observat ex usu loquendi et contextu tam certum esse hagiographum veram historiam narrare voluisse, ut nemo umquam hoc negare debuisset; „theologis tamen in hac causa adhuc omne possibile esse" (laus insignis!). Si autem hagiographus veram historiam narrare voluit, ipse Deus eum inspirans veram historiam nobis proponit, non symbolum vel allegoriam, quemadmodum pag. 11 scripsimus. Videas pag. 558 et Comment. 96.

§ 45. De angelis.

1. De exsistentia. Praeter homines aliae quoque creaturae rationales, i. e. intellectu et voluntate praeditae exsistunt, tam bonae quam malae.

a) Malas creaturas rationales exsistere Deus iam Gn 3, 1 sqq docet. Ex serpente enim spiritus quidam locutus est, uti pag. 543 demonstravimus, et quidem malus, quia protoparentes ad transgressionem mandati divini perduxit (cf. pag. 543). Ille spiritus malus autem non est solus sed habet socios malos qui a Deo *semen eius* vocantur (cf. pag. 553). Ergo Deus tum indirecte per hagiographum historiam tentationis narrantem tum directe per sententiam suam iudiciariam docet, malas creaturas rationales exsistere quae non sunt homines (cf. pag. 528).

De his spiritibus malis Deus per scriptores inspiratos in aliis quoque libris loquitur. Dt 32, 17: *Immolaverunt daemoniis,* לַשֵּׁדִים, *et non Deo.* Ps 105, 37: *Et immolaverunt filios suos, et filias suas daemoniis,* לַשֵּׁדִים. Nomen שֵׁדִים (proprie = domini) spiritus malos significat (*Fürst,* Handwörterbuch; *Gesenius,* Thesaurus) quos homines colebant, quemadmodum Deus ipse per S. Paulum asseverat (1 Cor 10, 20; cf. *Bisping* ad h. l.). Zimmern quidem affirmat (cf. *Buhl,* Handwörterbuch) nomen שֵׁדִים ex assyr. *šêdu* derivatum esse quod „deum taurum" denotet (cf. Fig. 94); sed opinionem eius Buhl (l. c.) ut certam proponere non audet. — In libro Iob (1, 6 ad 2, 7) *Satan,* הַשָּׂטָן, spiritum malum significare inter omnes constat. De eodem *Satan* etiam apud Zachariam (3, 1 sq), in 1 Par

21, 1 atque Eccli 21, 30 (graece 27) legimus. — Secundum 1 Rg 16, 14 sqq *spiritus nequam*, רוּחַ־רָעָה, regem Saul exagitabat (cf. pag. 182, notam). — In libro Tobiae (3, 8; 6, 8 14 sqq; 8, 3; 12, 14) *daemonium*, *δαιμόνιον*, idem esse ac spiritum malum contextus ostendit. Denique Sapiens (Sap 2, 24) testatur: *Invidia autem diaboli*, *διαβόλου*, *mors introivit in orbem terrarum*, *εἰς τὸν κόσμον*, quibus verbis hagiographus manifeste ad Gn 3, 1 sqq respicit (*Zöckler*, Apokryphen 365).

. Hic difficultas quaedam solvenda est. Scribitur 1 Par 21, 1: *Consurrexit autem Satan contra Israel: et concitavit David ut numeraret Israel;* e contrario 2 Rg 24, 1: *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israel et Iudam.* Plures protestantes recentiores (*Benzinger*, 1 Chronik 62; *Bertheau*, 1 Chronik 176; *Budde*, 2 Samuel 328; *Kittel*, 1 Chronik 80; *Nowack*, 2 Samuel 257; *Thenius-Löhr*, 2 Samuel 210) opinantur scriptorem antiquum narrasse, quomodo *Iahve* Davidem ad peccaminosam (pag. 199 sq) numerationem populi excitaverit; scriptorem recentiorem vero ob emendatam Dei notionem pro *Iahve* substituisse *Satan*. Verumtamen per scriptorem libri Regum et scriptorem libri Paralipomenon i d e m Deus inspirans loquitur (pag. 8 sqq) qui sibi contradicere nequit (pag. 409) et insuper clarissimis verbis asserit a se neminem in peccatum induci (pag. 455 sqq). Ergo in 2 Rg 24, 1 Deus auctor peccati Davidis dici nequit. Ad hanc conclusionem, considerato contextu remoto (cf. Exegeticam 42 sqq), etiam Klostermann (2 Samuel 254) et Öttli (1 Chronik 60) cum Ewald ac Wellhausen deducti sunt. Quapropter cum viris mox citatis censeo ante *commovitque David* subiectum *Satan* per negligentiam librariorum excidisse. — Alia est solutio Hummelaueri (2 Regum 446) scribentis: „Subiectum grammaticale est *furor Domini*, qui re idem utique est cum ipso Domino . . . non quasi Dominus id iusserit, secus enim non fuisset peccatum, sed quatenus Domino ascribitur id quod eo permittente factum est.“ Conferas pag. 454 sqq.

Fig. 94.
Colossicus taurus alatus.
(Londini, Mus. Brit.)

Non citavimus locos sequentes: Lv 17, 7 (cf. 2 Par 11, 15) *et nequaquam ultra immolabunt hostias suas daemonibus*, לִשְׂעִירִם i. e. hircis (cf. pag. 412); Ps 77, 49 *Misit in eos . . . immissiones per angelos malos*, מַלְאֲכֵי רָעִים, nam hi angeli fuerunt boni, sed vocantur mali, quia mala afferebant (*Thalhofer*, Psalmen 460; *Wolter*, Psallite III 102; commentatores protestantes); Ps 90, 5 sq *non timebis . . . ab incursu, et daemonio meridiano*, quia מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם vertendum est: „a pestilentia quae vastat meridie“; Ps 95, 5 *Quoniam omnes dii Gentium daemonia* (cf. pag. 402); Ps 108, 6 *Constitue super eum peccatorem: et diabolus*, שָׂטָן, *stet a dextris eius*, hic enim uti 2 Rg 19, 22 et 3 Rg 5, 4 שָׂטָן ob parallelismum et contextum hominem accusantem designat (*Thalhofer*, Psalmen 630, aliique commentatores); Prv 17, 11 *Semper iurgia quaerit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum*, quia hic locus de angelo bono, immo de homine per principem misso intellegi potest (cf. commentatores).

Non citavimus Is 14, 12—16 *Quomodo cecidisti de caelo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes?* [13] *qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* [14] *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* [15] *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci:* [16] *qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna* etc. Haec sententia namque de rege Babylonis pronuntiatur, quemadmodum totus contextus (13, 1—14, 23) evidenter demonstrat. Knabenbauer (Isaias I 323 sq) scribit: „Hoc loco intellegi generatim regem babylonium qui imperium babylonium et fastum in se uno repraesentare et exhibere a vate proponitur, res est ex contextu satis explorata et agnita quoque a S. Hier. Cyr. Euseb. Theod. Thom. et plerisque interpretibus. . . . Sed praeterea vix non omnes in hac superbiae et elationis loquela et in abiectione in profundissimum barathrum diaboli figuram, elationem, punitionem expressam cernunt. . . . Bene advertit Sanct.: ‚communiter interpretes haec de rege Babylonis accipiunt historico sensu; allegorico tamen de diabolo‘. . . . Et revera qui hunc locum ex serie interpretantur, primo et per se de rege babylonico explicant; dein vero addunt, uti v. g. S. Cyr.: ‚adaptare autem quis poterit et valde merito haec, quae dicta sunt historice, capiti eius qui omnia comminuit, draconis inquam principis malorum‘ . . . similiter notat Mald. theologos hunc locum ad luciferum malorum angelorum principem transferre, et Est. omnes fere de principe daemoniorum exponere, qui haud dubie vel literalis vel saltem mysticus sit huius loci sensus. Sed sensus literalis certe non est de diabolo; in ruina autem regis babylonici agnoscere typum casus diaboli, cum notione typi non potest conciliari (cf. *Cornely*, Introd. I 530 sq); unde sensus quoque mysticus quomodo eruatur non intellegitur; neque dici potest cum Lap. graphice hoc loco depingi casum diaboli et sub eo quasi typo intellegi ad literam casum regis babylonici; nam primo et per se casum diaboli describi, a contextu alienum est; dein hunc diaboli casum considerari quasi typum ruinae regni babylonici, etiam a notione typi usitata nimium recedit et videtur esse incredibile.“ Conferas Exegeticam 12 sqq et videbis istum locum neque sensu reali (symbolico aut typico: allegorico stricte sumpto, tropologico, anagogico) de diabolo accipi posse; sensu allegorico late sumpto, i. e. sensu accommodato reali quem interpres rebus in Scriptura narratis praeter intentionem Dei inspirantis supponit (cf. Exegeticam 18 sqq), utique spiritui malo „adaptari“ potest, ut S. Cyrillus optime notat (cf. supra), at talis sensus non est sensus biblicus (cf. Exegeticam 20). Quod multi Patres et interpretes antiquiores locum de diabolo explicaverint, nihil refert, quia explicationem suam non qua sensum Ecclesiae proponebant (cf. pag. 25). Relegas quoque quae pag. 547 ex Pesch exscripsimus; hic simile quid accidit. Si quis autem omni modo antiquam illam interpretationem retinere voluerit, cum Knabenbauer (Isaias I 324 sq) sic dicat: „Oppugnationi et rebellioni adversus Deum eiusque regnum subest vis diabolica; diabolus est uti primus rebellionis incitator, ita eius motor ac rector continuus. Unde qui regnum Dei oppugnant, discipulos se diaboli exhibent qui quod a magistro edocti sunt et dicunt et agunt. Quare iuremerito cernere licet in verbis his superbia et arrogantia plenis et in hac rebellione adversus Deum doctrinam diaboli suo discipulo instillatam. Ex discipuli proinde rebellione discenda est ipsius magistri contra Deum rebellio; in modo agendi et loquendi discipuli cernitur ipse modus diaboli imitatione expressus. Hoc sensu nexus adstrui potest inter verba

regis babylonici et diaboli superbiam et contra Deum rebellionem, et ni fallimur adstrui debet."

Eadem quae de Is 14, 12—16 observavimus, etiam de Ez 28, 12—17 valent. Haec dicit Dominus Deus: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore,* [13] *in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. . . .* [14] *Tu cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti.* [15] *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te.* [16] *In multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti: et eieci te de monte Dei, et perdidi te o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.* [17] *Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te ut cernerent te.* Hanc sententiam divinam sensu litterali de rege Tyri accipiendam esse, in v. 11 diserte notatur; eam neque sensu reali (symbolico aut typico) de spiritu malo intellegi posse rationes pag. 562 adductae probant: eam sensu allegorico-accommodato diabolo „adaptari" posse nemo negat. Et si quis voluerit, ad hunc quoque locum dicere potest quae Knabenbauer (Ezechiel 294) scribit: „Ex altera parte dici potest doctrinam illam (de peccato et lapsu et poena angelorum) etsi hoc loco non enuntietur et doceatur per se, tamen in modo et colore dicendi supponi. Iuremerito enim dicere poteris, vati nunquam in mentem venturum fuisse, ut tali uteretur cum cherub comparatione, nisi de lapsu et castigatione praeclari alicuius angeli fuisset edoctus. Hac vero re supposita modus loquendi et figura et appellatio facile declaratur . . . nisi scivisset aliunde unum ex angelis sublimioribus superbia peccasse et ex summa quadam pulchritudine in summam miseriam esse deturbatum, non appellasset regem tyrium cherub, non eum descripsisset in gloria et pulchritudine constitutum in Eden, in horto Dei, neque eum qui e sede sua deiicitur et dignitate spoliatus in miseriam abiicitur, iterum vocasset cherub. Huic appellationi non satisfit, si qui ad solam Adami historiam allusum esse contendunt; ex illa quippe re nequit explicari illa cum cherub comparatio, etsi alia forte satis commode expediantur."

Denique non citavimus: Is 34, 14 (cf. pag. 411); Hab 3, 5 *ante faciem eius ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes eius,* nam textus originalis sic reddi debet: „ante faciem eius it pestilentia, דָּבֶר, et egreditur ardor, רֶשֶׁף, post pedes eius"; Bar 4, 7 35, quia nescimus quale nomen in textu originali positum fuerit: in versionibus ibi quoque *daemonia* ponuntur ubi textus originalis non de spiritibus malis loquitur (cf. pag. 488); 3 Rg 21, 13 *filiis diaboli . . . viri diabolici,* in Hebraico enim filii et viri Belial = homines nequam (pag. 166) vocantur. — Ne quis eo scandalizetur quod tot locos citare noluimus, legat quae pag. 370 396 praemonuimus.

b) Bonas creaturas rationales praeter homines exsistere plurimi loci Vet. Test. comprobant, ex quibus celebriores seligimus. Exsistentiam talium creaturarum Deus per scriptorem inspiratum iam Gn 3, 24 docet: *et collocavit* Deus, inquit hagiographus, *ante paradisum voluptatis,* מִקֶּדֶם לְגַן־עֵדֶן i. e. ab oriente horti Eden, ubi protoparentes eiecti probabiliter habitabant (Comment. 90), *Cherubim,* הַכְּרֻבִים, *et flammeum gladium, atque versatilem,* וְאֵת לַהַט הַחֶרֶב הַמִּתְהַפֶּכֶת i. e. flammam gladii se vertentis, *ad custodiendam viam ligni vitae.*

Ex his verbis elucet Cherubim esse creaturas uni Deo (pag. 398 sqq) oboedientes, ergo bonas (pag. 444 452 sq 516 sq). Eos creaturas rationales esse idem Deus per Ezechielem testatur, quatenus eos actiones rationales exercentes (10, 7) et undique oculis repletos describit (10, 12) quod est symbolum scientiae perfectae (cf. *Kautzsch-Guthe,* Bibelwörterbuch 107; *Orelli,* Ezechiel 41; vide Apc 4, 6 et Bisping h. l.); quatenus regem Tyri *plenum sapientia* semel iterumque (28, 14 16) cum cherub protegente comparat (cf. *Knabenbauer-Hagen,* Lexicon biblicum I 872).

Cherubim in Ps 17, 11; 2 Rg 22, 11; Ez 9, 3; 10, 1 sqq; 11, 22 satellites Dei repraesentantur atque Ez 10, 12 sic describuntur: *Et omne corpus earum, et colla, et manus, et pennae, et circuli plena erant oculis, in circuitu quattuor rotarum* (cf. Fig. 95; *Knabenbauer* et *Orelli* ad h. l.). — Dillmann (Genesis 83), Strack (Genesis 15) aliique opinantur Cherubim esse nubes et nimbos in personas constitutos et confictos. At audax haec personificatio nullo argumento logice valido confirmari potest, neque probabile est nubes et nimbos custodes paradisi fuisse. Fürst (Handwörterbuch I 627) putat animalia volucribus rapacibus similia (grypas) paradisum et arborem vitae custodisse; etiam Gunkel et Holzinger (ad Gn 3, 24) asserunt custodes paradisi animalia ex mythologia sumpta fuisse. Sed animalia ad arborem vitae stantia (cf. Fig. 93, pag. 556) vel leones et tauros alatos (cf. Fig. 94, pag. 561) *kirubi* vel *karibâti* nominatos fuisse, quod plures cum Lenormant affirmarunt (cf. *Nikel,* Genesis 160; *Buhl,* Handwörterbuch 326 sq), nullo argumento confirmari potest, ut Schrader-Zimmern (Keilinschriften 529 sq) profitentur et Kautzsch-Guthe (Bibelwörterbuch 107) insinuant. Neque id probatum est quod Schrader-Zimmern quasi certum putant, scilicet ideam Cherubim ex illis alatis tauris et leonibus abstractam esse; nam Cherubim volabant (Ps 17, 11; Ez 1 et 10) quod leonibus et tauris impossibile est (ita *Dillmann,* Genesis 83; cf. et *Nikel,* Genesis 159). Ceterum iam pag. 557 demonstravimus narrationem biblicam non ex mythis gentium dependere. De *flamma gladii se vertentis* videas Comment. 89. — Imagines Cherubim in tabernaculo et templo fuerunt, et quidem statuae (Ex 25, 18 sqq; 37, 8 sq; Nm 7, 89; 3 Rg 6, 23 sqq; 8, 6 sq; 1 Par 28, 18; 2 Par 3, 10 sqq; 5, 7 sq), imagines intextae (Ex 26, 1 sqq), imagines insculptae (3 Rg 6, 29 32 35; 7, 29 36). De statuis Cherubim quae supra arcam foederis erant (Fig. 96) in Ex 25, 18—22 Deus haec praecepit: *Duos quoque Cherubim aureos, et productiles facies, ex utraque parte oraculi.* [19] *Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero.* [20] *Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca,* [21] *in qua pones testimonium quod dabo tibi.* [22] *Inde praecipiam, et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quae mandabo per te filiis Israel.* Propter v. 22 Deus in libris posterioribus (Ps 79, 2; 98, 1; 1 Rg 4, 4; 2 Rg 6, 2; Is 37, 16; 4 Rg 19, 15; 1 Par 13, 6) *sedens super Cherubim* nominatur.

Fig. 95.
Cherub iuxta Ezechielem.
(Iuxta Codicem Cosmae Indicopleustis.)

Praeter homines alias quoque creaturas rationales easque bonas exsistere quae simpliciter *angeli* vocantur (vide n. 2), etiam in aliis locis clare docetur. Angeli iustum Lot e Sodomis eduxerunt (Gn 19, 1 sqq), angelos Iacob vidit (Gn 28, 12; 32, 1), angelus populum Israel in terram promissam introduxit (Ex 32, 34; 33, 2), angeli cum aliis creaturis a Psalmista (102, 20; 148, 2) ad laudem Dei invitantur, angeli *(filii Dei)* iubilantes creatorem laudarunt (Ib 38, 7; cf. pag. 513), angelus urbem Ierusalem ac populum Israel pestilentia percussit (2 Rg 24, 16 sq; 1 Par 21, 15 sq), angelus *Raphael* comes Tobiae fuit (cf. pag. 257 sqq), angelos *Seraphim* Isaias (6, 2 sq; cf. pag. 453) sanctitatem Dei celebrantes audivit ac vidit, angelus exercitum Assyriorum percussit (Is 37, 36; 4 Rg 19, 35; 2 Par 32, 21), angelus Eliam cibo potuque recreavit (3 Rg 19, 5 sqq) et nuntiis Ochoziae occurrere iussit (4 Rg 1, 3), angelus flammam ignis fornacis excussit (Dn 3, 49 sq), angelus ora leonum conclusit (Dn 6, 22), angeli Deo assistentes et ministrantes a Daniele visi sunt (Dn 7, 10), angelus *Gabriel* Danielem docuit (Dn 9, 21 sqq), angelus *Michael* pro populo Dei certavit (Dn 10, 12—11, 1) atque certabit (Dn 12, 1), angelus per Habacuc Danieli cibos attulit (Dn 14, 32 sqq; cf. pag. 318), angeli Iudam Machabaeum adiuverunt (2 Mach 10, 29 sq; 11, 6; cf. pag. 357). In omnibus his locis hagiographos de creaturis Dei rationabilibus ac bonis loqui usus loquendi et contextus ostendit.



Fig. 96. Cherubim supra arcam foederis.

Illos locos biblicos in quibus *angelus Dei* vel *angelus Domini* non spiritum caelestem a Deo distinctum sed secundam Trinitatis personam (pag. 469 sqq) aut certo aut probabiliter significat, non adduximus.

2. De nominibus. a) Nomina spirituum malorum sequentia sunt: *serpens*, quia spiritus malus per serpentem protoparentes ad peccatum perduxit (pag. 543); שֵׁדִים, *δαιμόνια, daemonia,* quatenus spiritus mali ab hominibus ut domini colebantur (pag. 488); *satan,* שָׂטָן i. e. adversarius (a שָׂטַן *insidiatus, persecutus, adversatus est*),

quia spiritus mali Deo adversantur, hominibus insidiantur, eos persequuntur (pag. 561; *Gesenius,* Thesaurus 1327 sq); *spiritus nequam* (pag. 561); *diabolus, διάβολος* i. e. calumniator, accusator (*Passow,* Handwörterbuch) eo quod spiritus malus homines apud Deum accusare et calumniari dicatur (Ib 1 2; Zach 3); *Asmodaeus* i. e. malus spiritus vel destructor (cf. pag. 257). Quomodo *lucifer* et *cherub* appellari possit, pag. 562 sq exposuimus. — *'Asa'sel* non fuisse spiritum malum pag. 412 sq demonstratum est.

b) Spiritus boni nomine generali *angeli,* מַלְאָכִים, vocantur: מַלְאָךְ (ab inusitato לָאַךְ *misit, legavit*) et *ἄγγελος* generatim nuntium seu legatum significat tam hominum (e. g. 1 Rg 11, 3; 2 Rg 11, 19) quam Dei. Legati seu angeli Dei appellantur sacerdotes (Eccl 5, 5; Mal 2, 7), prophetae (Agg 1, 13; Mal 3, 1), populus Israel (Is 42, 19), praesertim autem spiritus boni (cf. pag. 563), quia *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis* (Hebr 1, 14). — Vocantur etiam *'Elohim* (pag. 373) et *filii Dei* (pag. 33). — Nomina specialia sunt: *Cherubim,* כְּרוּבִים, cuius nominis etymologia ab omnibus incerta dicitur. Probabiliter nomen Hebraicum sicut Graecum *γρύψ* cum Persico *giriften* (cf. *Buhl,* Handwörterbuch) vel cum sanscr. *gribh* (cf. *Kautzsch-Guthe,* Bibelwörterbuch 107) = *prendere, tenere* cohaeret; Cherubim custodes esse ex Ez 28, 14 16 (cf. pag. 563) constat, eos scientia eminere pag. 564 monstravimus. *Seraphim,* שְׂרָפִים. Etiam huius nominis etymologia incerta est. Fürst (Handwörterbuch) cum Gesenio (Thesaurus) nomen ab inusitato שָׂרַךְ *altus, excelsus fuit* derivat et sententiam suam ex Arabo probat, ita ut *Seraphim* idem sit ac celsi, nobiles, principes; Gesenius ad librum Danielis appellat in quo Michael *unus de principibus* (10, 13) et *princeps magnus* (12, 1) appellatur. Plerique alii tamen vocabulum a שָׂרַף *combussit, cremavit* deductum esse putant, ita ut *Seraphim* sint comburentes vel cremantes; cum hac etymologia congruere videtur quod unus de Seraphim calculo labia polluta Isaiae mundavit (Is 6, 5 sq), et omnes Seraphim summam Dei sanctitatem (cf. pag. 452 sq) triplici *sanctus* celebraverunt. Quod alii putarunt (cf. *Knabenbauer,* Isaias I 127), scil. Seraphim idem esse ac splendidos vel lucentes vel ardentes, vix admitti poterit, quia haec significatio verbo שָׂרַף non subest (cf. *Gesenius,* Thesaurus). — Nomina individualia sunt: *Raphael,* רָפָאֵל i. e. sanat Deus, compositum ex רָפָא *sanavit* et אֵל *Deus* (cf. Tob 3, 25 sqq; 12, 15; pag. 257; *Fürst,* Handwörterbuch). *Gabriel,* גַּבְרִיאֵל i. e. vir Dei, compositum

ex גֶּבֶר *vir* et אֵל *Deus* cum iod compaginis ut in מַלְכִּי צֶדֶק (*Gesenius,* Thesaurus); hoc nomine vocatur ille angelus qui Danieli vaticinia attulit ac declaravit (Dn 8, 16; 9, 21 sqq) quemadmodum prophetae אִישׁ אֱלֹהִים *vir Dei* nominabantur (*Fürst,* Handwörterbuch I 240). *Michael,* מִיכָאֵל i. e. quis ut Deus, compositum ex מִי *quis,* כְּ *ut,* אֵל *Deus,* est angelus qui potestate a Deo sibi tradita populum Dei adiuvat (Dn 10, 13 21; 12, 1).

Apud Isaiam (63, 8 sq) *angelus faciei* Domini commemoratur: *et factus est eis salvator.* [9] *In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei eius salvavit eos.* Sed Duhm (Jesaia 436), Kittel (Biblia Hebraica), Marti (Jesaja 393) cum Budde et Cheyne ob auctoritatem versionis Graecae et ob parallelismum membrorum textum Hebraicum (quem Vulgata reddit) recte sic distinguunt, punctant et vertunt: „et factus est eis salvator [9] in omni tribulatione eorum. Non nuntius (צַר punctetur *zir* non *zar*) et angelus, facies eius salvavit eos"; καὶ ἐγένετο αὐτοῖς εἰς σωτηρίαν [9] ἐκ πάσης θλίψεως αὐτῶν. Οὐ πρέσβυς οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ' αὐτὸς ἔσωσεν αὐτούς (cf. *Swete,* The Old Testament). *Facies* Domini ipsum Dominum significat (cf. pag. 428 sqq). Marti (Jesaja 393 sq) concedit *faciem* Iahve ipsum *Iahve* significare, vult tamen nihilominus inter ea distinctionem quandam statuere. Cum *Dominus* atque *facies* Domini sint unum et idem quoad essentiam (pag. 429), distinctio a Marti postulata quoad personas tantum exsistere potest: de *facie Domini* ea valent quae pag. 469 sqq de *angelo Domini* κατ' ἐξοχήν docuimus. — In apocrypho libro 4 Esdrae (cf. Vulgatam Clementiam, in fine) tria alia nomina occurrunt, videlicet *Uriel* i. e. ignis, אוּר, Dei (4 Esr 4, 1), *Ieremiel* i. e. excelsus, רָם, Dei (4 Esr 4, 36), *Salathiel* vel potius Še'altiel, שְׁאַלְתִּיאֵל i. e. petitio, שְׁאֵלָה, Dei (4 Esr 5, 16): haec tamen nomina ab Ecclesia catholica non agnoscuntur.

3. De natura et proprietatibus. a) Quod ad naturam attinet, angeli non sunt dii sed creaturae, quia praeter *Iahve* alii dii non exsistunt (pag. 398 sqq), sed omnia extra Deum exsistentia ab ipso creata sunt (pag. 488), et angeli diserte inter creaturas *Iahve* enumerantur (pag. 565). Sunt creaturae rationales, i. e. intellectu et voluntate praediti, quod ex operationibus eorum (pag. 565) consequitur; ut creaturae rationales, i. e. intellegentes et volentes, sunt necessario spiritus immateriales (pag. 531).

Quaestio, utrum angeli corpus subtile habeant an non, ex Vet. Test. solvi nequit. Etenim nullus locus prostat qui angelis corpus subtile deneget, nullus qui eis corpus ascribat. Ut probent angelos esse puros spiritus, ne subtile quidem corpus habentes, citant nonnulli Ps 103, 4: *Qui facis angelos tuos, spiritus: et ministros tuos ignem urentem;* *ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πῦρ φλέγον·* עֹשֶׂה מַלְאָכָיו רוּחוֹת מְשָׁרְתָיו אֵשׁ לֹהֵט. Quem locum sic exponunt: Deus illos quorum natura pure spiritualis est, nuntios et ministros suos facit. At haec expositio omnino falsa est. Nam *spiritus,* רוּחוֹת, etiam rem materialem signi-

ficare potest (cf. pag. 427) et in hoc loco reapse significare debet, uti membrum parallelum *ignis urens* vel flammans, אֵשׁ לֹהֵט, ostendit. Sensus verus istius loci est: Deus facit angelos suos in ventos et ministros suos in ignem flammantem. Ita S. Paulus (Hebr 1, 7) locum intellegit, qui sensus etiam textui Hebraico subesse potest (*Baethgen,* Psalmen 307; *Keßler,* Psalmen 218). Quatenus angeli et ministri Dei in ventos et ignem flammantem fiant, Targum (cf. *Baethgen* l. c.) breviter et bene sic explicat: „Qui facit nuncios suos veloces sicut ventum, ministros suos fortes sicut ignem flammantem." Videas et Bisping (ad Hebr 1, 7).

Plurimi interpretes recentiores (e. g. *Duhm,* Psalmen 241; *Hoberg,* Psalmen 375; *Thalhofer,* Psalmen 593; *Wolter,* Psallite IV 51) quibus etiam Baethgen (l. c.) et Keßler (l. c.) favent, textum Hebraicum modo sequenti interpretantur: Deus facit ventos in angelos suos et ignem flammantem (= fulgur) in ministrum suum. Haec interpretatio optime quidem ad contextum Psalmi quadrat, sed cum verbis S. Pauli *Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in saeculum saeculi* etc. (Hebr 1, 7 sq) difficile conciliari poterit, quare priorem praeferimus. In neutra tamen interpretatione angeli puri spiritus esse docentur, uti manifestum est. — Ex eo quod angeli apparuisse et disparuisse, de caelo venisse et per aera volasse narrantur (pag. 565), sequitur quidem eos non habere corpus quale anima humana ante mortem ac resurrectionem inhabitat; non sequitur vero eos neque subtile corpus habere.

E contrario ut demonstrent angelos corpus saltem subtile habere, ad Gn 6, 2 4 provocant ubi legimus: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant . . . postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt etc.* Plures antiquiores (Iosephus, Philo, Iustinus, Irenaeus, Clemens Alex., Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius etc.) necnon recentiores (Frc. Delitzsch, Dillmann, Gunkel, Holzinger; cf. Comment. 128) *filios Dei* utique angelos intellegunt, cum hi Ib 1, 6; 2, 1; 38, 7; Ps 28, 1; 88, 7; Dn 3, 92 ita nominentur, at opinio eorum falsa est. Nam angeli in libris historicis, qualis liber Genesis est, numquam filii Dei vocantur; numquam in Scriptura matrimonia inire et liberos procreare dicuntur: in libris historicis homines pii appellantur filii Dei; homines soli uxores sumere atque gignere scribuntur (Comment. 127 sqq). Quo usu loquendi considerato etiam in Gn 6, 2 4 *filii Dei* non angeli sed homines pii, i. e. Sethitae intellegendi sunt, quemadmodum Iulius Africanus, Ephrem, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alex., Theodoretus, Lapide, Hummelauer, Hoberg, Schöpfer, Selbst, Zschokke necnon Strack cum protestantibus antiquioribus locum

interpretantur (cf. Comment. 128). Ergo ex Gn 6, 2 4 demonstrari nequit angelos corpus habere. — Frustra quoque ad id provocant quod angeli visi et auditi sint, quod ambulaverint et manducaverint (pag. 565). Nam Scriptura idem etiam de *Iahve* narrat (Gn 18, 1 sqq); cf. Comment. 282 sqq) nihilominus eum simplicissimum esse docet (pag. 426 sqq).

Stade (Theologie 236 260 291 305 326 sq 334) cum aliis rationalistis affirmat angelos nihil aliud esse quam deos depositos (depotenzierte Götter); aliis verbis angelos aut bonos aut malos esse vires naturae aut utiles aut noxias quae ut personae fingantur (cf. pag. 407 sqq). Frd. Delitzsch (Babel und Bibel I 41 sqq) asserit ideam angelorum ex Babylonia desumptam esse et optat, ut daemones „in noctem collium Babyloniorum, ex quibus ascenderint, in aeternum relabantur". Patroni harum sententiarum dictitant *Cherubim* esse personificationes nubium et nimborum (pag. 564), *Seraphim* autem personificationes serpentium ignitorum = fulgurum (*Buhl,* Handwörterbuch; *Dillmann-Kittel,* Jesaja 55 sq; *Duhm,* Jesaia 44 sq; *Marti,* Jesaja 64 sq; *Orelli,* Jesaja 28; cf. etiam *Minocchi,* Isaia 24). Quibus sententiis sequentia opponimus: primo, in locis pag. 560 sqq citatis scriptor a Deo inspiratus proprio nomine loquitur, suas non aliorum sententias proponit, ergo falsum dicere nequit (pag. 9 sqq). Atqui angelos ita describit ut iuxta usum loquendi et contextum qua creaturae rationales reapse exsistentes repraesententur; quapropter falsum esse nequit angelos reapse qua creaturas rationales seu personas (pag. 431), non vero qua personificationes virium naturalium exsistere. Secundo, idea angelorum bonorum et malorum ex traditionibus et opinionibus Babyloniorum hausta atque naturali evolutione transformata esse nequit. Nam omnes traditiones Babyloniorum polytheisticae sunt (pag. 557), ex quo polytheismo Hebraei naturali evolutione ad ideam angelorum stricte monotheisticam se elevare non potuerunt (pag. 558). Si quis dicat hagiographum, Deo movente et illustrante et assistente (pag. 9) ex deturbatis Babyloniorum aliarumque gentium traditionibus puram traditionem originalem de angelis elegisse et litteris consignasse, nihil contradicendum est (cf. pag. 559); simul tamen attendatur id quod tali modo per hagiographum nobis proponitur, verum esse debere (pag. 10). Tertio, quid de *Cherubim* sentiendum sit, pag. 564 iam exposuimus. De *Seraphim* protestans Gesenius (Thesaurus 1341 sq) profitetur: „Ex recentioribus fuerunt, qui Seraphis Iesaiae *serpentis* (שְׂרָפִים) significatum adhiberent iisque propterea etiam *serpentis alati* figuram tribuerent, provocantes ad cultum divinum serpentibus in nonnullis Aegypti urbibus praestitum . . . sed haec opinio, cui ipse aliquantisper favi, nunc mihi prorsus abiicienda videtur reputanti nimirum, a) שָׂרָף non *serpentem*, sed *venenatum* serpentem significare, qualem nunquam coluerunt Aegyptii quemque Iovae ministrum et apparitorem cogitare, absonum esset; b) apud Iesaiam ne minimum quidem vestigium reperiri, ex quo colligatur Seraphim speciem ab humana diversam et ullam cum serpentibus similitudinem habuisse." Isaias (6, 2 sq 6 sq) enim refert: *Seraphim stabant super illud* vel potius illum, scil. Dominum: *sex alae uni, et sex alae alteri: duabus velabant faciem eius* vel potius suam, *et duabus velabant pedes eius* vel potius suos, *et duabus volabant.* [3] *Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* . . . [6] *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.*

7 *Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Revera iuxta hanc descriptionem scriptoris inspirati quae falsa esse nequit, Seraphim cum serpentibus alatis vel ignitis = fulguribus nullam omnino similitudinem habent.

b) Quoad proprietates angeli hominibus superiores describuntur. *Minuisti eum,* scil. hominem *paulominus ab angelis,* מֵאֱלֹהִים, exclamat Psalmista (8, 6). Baethgen, Keßler, Thalhofer, Wolter (ad Ps 8, 6) putant מֵאֱלֹהִים cum Aquila, Symmacho, Theodotione, S. Hieronymo *παρὰ θεόν* vertendum atque de Deo intellegendum esse; Duhm et Hoberg (ad Ps 8, 6) tamen cum versione Graeca et Syriaca necnon cum Targum *παρ' ἀγγέλους* vertunt (cf. pag. 373), quae versio auctoritate S. Pauli (Hebr 2, 5—7) commendatur qui Ps 8, 6 de angelis, non de Deo interpretatur. Cum igitur homines angelis inferiores affirmentur, eo ipso angeli hominibus superiores sunt.

Superant autem homines scientia. In 2 Rg 14, 17 20; 19, 27 sapientia Davidis ab hominibus cum sapientia *Angeli Dei* in Ez 28, 14 16 vero rex Tyri *plenus sapientia* ab ipso Deo cum cherub comparatur (cf. pag. 563). Ex quibus comparationibus inferre debemus scientiam angelorum maiorem esse quam hominum. Superant eos bonitate (cf. pag. 443 sq); Achis rex ad Davidem dixit: *Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei* (1 Rg 29, 9). Superant eos potentia. Angeli Sodomitas caecitate percusserunt (Gn 19, 11), angelus de exercitu Assyriorum 185 000 caecidit (Is 37, 36; cf. pag. 270), angelus tres pueros in fornace illaesos servavit (Dn 3, 49), angelus prophetam Habacuc ex Iudaea Babylonem portavit et inde in Iudaeam transtulit (Dn 14, 35 38; cf. pag. 318), angeli Iudae Machabaeo victorias pararunt (2 Mach 10, 29 sqq; 11, 8 sqq; cf. pag. 357).

Angelos immortales esse (cf. pag. 533 sq) ex natura eorum (cf. pag. 567) atque iustitia divina (cf. pag. 537, notam) inferimus; eos etiam loqui posse Scriptura testatur: Seraphim ab Isaia visi et auditi loquebantur; angeli qui hominibus apparebant, saepius cum eis etiam locuti sunt (cf. pag. 565). Quatenus autem angeli quoad immortalitatem et linguam hominibus superiores sint (cf. Ps 8, 6) ex Vet. Test. erui non potest.

4. De creatione et peccato. a) Quando angeli creati sint, Scriptura diserte non docet; valde tamen probabile est eos *in principio* creatos esse, quando Deus *caelum creavit* (cf. pag. 495). — b) Angelos nonnullos peccasse et peccato suo malos effectos esse sequitur ex iis quae supra demonstravimus. Si enim reapse mali spiritus exsistunt (pag. 560), omnes creaturae autem a Deo bonae

creatae sunt (pag. 513 sq): necessario concludendum est illos spiritus abusu voluntatis suae seu peccato malos effectos esse.

Citant ad peccatum angelorum probandum Ib 4, 18 *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem:* LXX accuratius εἰ κατὰ παίδων αὐτοῦ οὐ πιστεύει, κατὰ δὲ ἀγγέλων αὐτοῦ σκολιόν τι ἐπενόησεν. Hac sententia Eliphaz Themaniten de ministris seu angelis Dei loqui omnes commentatores libri concedunt; sensus vero sententiae non tam clarus est, quemadmodum ex interpretatione Knabenbaueri (Iob 80) apparet: „Sed de quibus angelis hoc dicit? apostatas intellegunt veteres interpretes... recentiores quidam angelos bonos.... Sed hoc ultimum non placet, cum angeli boni sint nunc de facto immutabiles in bono ... describuntur enim angeli tamquam in ipsa probationis conditione aliquando constituti, in qua multi sint prolapsi, unde Deus dicitur illis non fidere, quia et natura deficere possunt et multi revera defecerunt.... Et quia in illo statu considerantur h. l. in quo erant aliquando, scil. in statu probationis, servi Dei et angeli dicuntur, quamvis ipso peccato daemones sint effecti; quare argumentum ... prolatum, h. l. angelos prolapsos non intellegi, quia servi Domini dicantur, infirmum prorsus est et invalidum." — Quasi idem de Ib 15, 15 dicendum est ubi Eliphaz istam sententiam aliis verbis repetit: *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, et caeli non sunt mundi in conspectu eius.* „Sanctos vocat angelos, ait Knabenbauer (Iob 203), eosdem caelites, caeli incolas... dum alii... ipsos caelos et stellas intellegant... alii demum utramque acceptionem proferunt." — Itaque sententia Themanitae in se considerata non multum valet; si autem cum argumento supra formato conferatur, claresci atque convalescit.

Peccatum angelorum fuit superbia. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio,* dixit Tobias ad filium suum (Tob 4, 14). Quodsi omnis perditio in superbia initium sumpsit, peccatum spirituum malorum quibus bonitatem originalem perdiderunt, superbia fuerit necesse est. Versio Graeca cum Vulgata non convenit quidem; sed Vulgata libri Tobiae versio praeferenda est, uti pag. 254 probavimus. — Eadem veritas in Is 14, 12—14 exprimitur, si cum Knabenbauer concedamus prophetam saltem implicite de diabolo loqui (cf. pag. 562).

Ob rationem pag. 370 expositam viri dogmatici Eccli 10, 14 sq citare possunt: *Initium superbiae hominis, apostatare a Deo:* [15] *quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius. quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem.* In theologia biblica vero hic locus omittendus est, quia textus Graecus et Hebraicus de peccato angelorum accipi nequit. Ecce: ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἀνθρώπου ἀφισταμένου ἀπὸ κυρίου, καὶ ἀπὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὸν ἀπέστη ἡ καρδία αὐτοῦ. ὅτι ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἁμαρτία, καὶ ὁ κρατῶν αὐτῆς ἐξομβρήσει βδέλυγμα. Textum Hebraicum Peters (Ecclesiasticus 29) sic reddit: „Initium superbiae homo potens factus, et ab eo qui fecit illum recedit cor eius. Quoniam receptaculum superbiae peccatum, et fons eius ebulliet nefas."

Plures antiquiores ac recentiores affirmarunt angelos luxuria peccasse, et ad probandam hanc opinionem verba Gn 6, 2 sqq relata adducunt. At

iste locus non de angelis sed de Sethitis intellegendus est (cf. pag. 568). — Quando angeli superbia peccaverint, Scriptura non tradit. Certum vero est eos ante protoparentes peccasse, quia Eva per spiritum malum seducta est (cf. pag. 543).

5. De numero. Angelorum bonorum magnum, immo maximum numerum esse ex variis locis discimus. Iacob e Mesopotamia in Chanaan revertens angelos sibi occurrentes videns dixit: *Castra Dei sunt haec* (Gn 32, 1 sq), ergo multos viderat. Moyses filiis Israel benedicens ait: *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia* (Dt 33, 2). Lectionem מֵרִבְבֹת קֹדֶשׁ i. e. e myriadibus sanctis, plures interpretes (Bertholet, Dillmann, Hummelauer, Steuernagel cum Böttcher et Herder) dubitantes corruptam dicunt et vario modo emendant; sed propter auctoritatem textus Masorethici atque versionem antiquarum cum Öttli (Deuteronomium 112) istam lectionem genuinam iudicemus oportet. Hebraicum autem רִבָּבָה uti Graecum *μυριάς* non solum decem milia verum etiam numerum maximum significat (*Gesenius,* Thesaurus 1255). Psalmista (67, 18) testatur: *Currus Dei,* i. e. exercitus caelestis (cf. 4 Rg 6, 17; *Baethgen,* Psalmen 203) *decem millibus multiplex,* רִבֹּתַיִם i. e. duae myriades (*Gesenius,* Thesaurus 1255), *millia laetantium* (cf. commentarios h. l.), quibus verbis non definitus sed maximus numerus angelorum indicatur, quod etiam in locum sequentem valet, ut omnes interpretes concedunt: *millia millium,* אֶלֶף אַלְפִּים, *χίλιαι χιλιάδες, ministrabant ei, et decies millies centena millia,* וְרִבּוֹ רִבְבָן, *καὶ μύριαι μυριάδες, assistebant ei* (Dn 7, 10; cf. 3 Rg 22, 19). — Numerum angelorum malorum libri Vet. Test. non indicant.

6. De ordine. Cum Iosue in agro urbis Iericho morabatur, vidit virum cum gladio evaginato contra se stantem interrogavitque eum, quis esset. Ille autem respondit: *sum princeps exercitus Domini* (Ios 5, 14), i. e. angelorum bonorum (pag. 381). Commentatores catholici et protestantes consentiunt hunc principem non ipsum Iahven sed angelum fuisse (cf. Dn 10, 21) atque eius exercitum angelicum sicut exercitum humanum bene compositum ordinatumque esse. — In 3 Rg 22, 19; Dn 7, 10 plurimi angeli, in Is 6, 2 Seraphim Domino assistere describuntur, in Tob 12, 15 autem Raphael affirmat: *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ex quibus discimus septem angelos singulari prorsus modo solio Domini assistentes esse in quo inter spiritus caelestes eminent. Et Gabriel ad Danielem de Michaele dixit: *et ecce Michael unus de principibus primis,*

אַחַד הַשָּׂרִים הָרִאשֹׁנִים, *venit in adiutorium meum* (Dn 10, 13). *In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus,* הַשַּׂר הַגָּדוֹל, *ὁ ἄρχων ὁ μέγας*. Ergo inter angelos sunt principes minores et maiores; Michael ad principes primos pertinet, immo *princeps magnus* per eminentiam est (cf. *Hitzig,* Daniel 183).

Fuerunt qui dicerent doctrinam de *primis septem angelis* e traditionibus religiosis Babyloniorum et Persarum haustam esse. At Zöckler (Apokryphen 180) cum Fuller notat, hanc doctrinam ad elementa originalia religionis Iahve pertinere et doctrinam de septem *Amschaspand* Persarum ideam similem sed non eandem esse posse. Et revera, iuxta religionem Persarum *Ormuzd* (pag. 404 406) sex spiritus bonos adiutores supremos habet qui *Amschaspand* vel *Ameshaspenta* (= immortales sancti) vocantur; quodsi ipse Ormuzd eis annumeratur, septem spiritus supremi inveniuntur (cf. Herders Konversations-Lexikon I 375). Iuxta doctrinam biblicam vero *Iahve* septem spiritus supremos, solio suo assistentes, habet quibus nunquam annumeratur.

7. De relatione angelorum ad homines. a) Angeli boni Deo mandante homines bonos adiuvant et custodiunt. Haec assertio non solum in illis locis continetur quos pag. 565 citavimus, sed etiam diserte proponitur. Psalmista docet: *Immittet,* παρεμβαλεῖ, חֹנֶה i. e. castrametatur, *angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos* (33, 8). *Quoniam angelis suis mandavit* (Dominus) *de te* (o homo): *ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (90, 11 sq). Iuxta haec verba homines Deum timentes (Ps 33) et in Domino sperantes (Ps 90) per angelos custodiuntur; de iis qui Deum non timent neque in Domino sperant, Psalmista non loquitur.

Ista fide imbutus Abraham ad servum suum dixit: *Dominus Deus caeli, . . . ipse mittet Angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo* (Gn 24, 7), atque Iudith (13, 20) professa est: *Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus eius et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem* (cf. pag. 279). -- Non citamus Gn 16, 7 sqq; 48, 15 sqq, quia illi loci non de spiritu creato sed de ipso Domino intellegendi sunt (cf. pag. 469).

Homines mali ab angelis bonis puniti narrantur. Angelus bonus (si non Iahve ipse) fuit, qui primogenita Aegyptiorum occidit (cf. pag. 477); de angelis bonis mala afferentibus Psalmista loquitur (cf. pag. 561); angeli boni fuerunt, qui Heliodorum castigarunt (cf. pag. 351). Conferas et Zach 1, 8 sqq.

Ex angelis bonis Deus pro qualibet gente principem, custodem et adiutorem constituit. Apud Danielem princeps regni Persarum (10, 13 20), princeps Graecorum (10, 20), princeps Iudaeorum (10, 21; 12, 1) commemoratur; Sapiens autem generatim asserit: *In unamquamque gentem praeposuit rectorem,* ἑκάστῳ ἔθνει κατέστησεν ἡγούμενον (Eccli 17, 14; graece 17). „Quis est talis *rector?*“ inter-

rogat Knabenbauer (Ecclesiasticus 199) et respondet: „iam Rabanus monet: rectores quos proposuit Deus in unaquaque gente angelos possumus intellegere quos deputavit ad custodiam singularum gentium iuxta illud Deuteronomii: statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei (32, 8 LXX) . . . Atque ita nostrum locum . . . merito de angelis explicaveris.“ Ita Zöckler (Apokryphen 290) quoque eum explicat.

Meinhold (Daniel 323) cum aliis putat angelos gentibus singulis praepositos nihil aliud esse quam deos gentium degradatos. At videas quae pag. 569 huic opinioni opposita sunt. — Ex locis citatis patet supremos quoque angelorum ordines a Deo ad homines mitti. Nam ad paradisum collocati sunt Cherubim, et ad Isaiam missus est unus ex Seraphim; Raphael, unus de septem principibus primis Tobiam comitatus est, et missionem Gabrielis necnon Michaelis Daniel propheta descripsit.

b) Angeli mali Deo permittente homines infestant. De hac re in Vet. Test. paucos quidem sed gravissimos locos invenimus. Spiritus malus Evam seduxit totumque genus humanum in peccatum, mortem et miseriam praecipitavit (pag. 543 sqq), spiritus mali homines plurimos in polytheismum coniecerunt (pag. 488), daemones magos Aegyptios contra Moysen et populum electum adiuvabant (pag. 97), Satan Iobum tentavit et Saulem exagitabat et Davidem ad numerationem populi instigavit (pag. 561), daemonium Asmodaeus viros septem Sarae occidit (Tob 3, 8; 6, 14 sqq).

ARTICULUS II.

DE REDEMPTIONE MUNDI.

In paragrapho priore promissiones redemptoris venturi ordine chronologico afferemus, in altera ex eis consequentias logicas deducemus.

§ 46. Promissiones redemptoris venturi.

1. Primam redemptoris promissionem seu protoevangelium, quod in sententia Dei iudicis *Inimicitias ponam* etc. (Gn 3, 15) continetur, iam pag. 552 sqq explicavimus. Hanc praenuntiationem generalem Deus per prophetas suos magis magisque determinavit ac declaravit.

2. Noe filiis Sem et Iapheth benedicens ait: *Benedictus* erit vel sit *Dominus Deus Sem,* בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם . . . *Dilatet Deus Iapheth,* יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת, *et habitet in tabernaculis Sem* (Gn 9, 26 sq). Noe praenuntiat, optat et precatur, ut benedicatur seu celebretur *Iahve 'Elohim Semi:* ens summum nominat 'Elohim Semi, quatenus a Semo et posteris eius colitur, agnoscitur ac veneratur (pag. 380 sq);

praenuntiat illud laudandum ut Iahve, i. e. ut Deum se revelantem (pag. 381). Sensus igitur est: Sem ac posteri eius notitiam et cultum Dei veri semper retineant atque retinebunt, Deus autem Semitas donis revelationis suae illustret atque illustrabit et propterea ab ipsis Semitis aliisque hominibus benedicetur seu laudabitur qua Deus hominibus benigne se manifestans. Sequitur enim: *Dilatet Deus Iapheth,* i. e. latas terrae regiones Deus Iaphetho et posteris eius concedat atque concedet, *et habitet* Iapheth cum posteris suis (Dillmann, Gunkel, Holzinger, Hummelauer, Lapide, Strack; cf. Comment. 166) *in tabernaculis Sem,* i. e. Iaphethitae possideant ac possidebunt habitationes et bona Semitarum, inter quae notitia et cultus veri Dei praecipua sunt. — In hac benedictione Semi et Iaphethi secundum vaticinium Messianum contineri S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Delitzsch, Hoberg, Hummelauer, Schöpfer, Strack, Zschokke aliique plurimi (Comment. 167) docuerunt. — Loco בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם scribunt Grätz, Gunkel, Kittel בָּרֵךְ יְהוָה אָהֳלֵי שֵׁם i. e. benedic, Iahve, tabernacula Sem; contra Holzinger cum Budde corrigit בְּרִיךְ יְהוָה שֵׁם i. e. benedictus Domini Sem (cf. Comment. 165). Attamen lectionem Masorethicam omnes testes critici confirmant necnon ratio interna commendat, quatenus lectio tradita difficilior est atque a vv. 25 27 deflectit, ad quos reliquae lectiones conformantur: lectio enim difficilior et cum locis parallelis non plene congruens lectioni faciliori et plene congruenti praeferenda est (Bibelkritik 178).

3. Praedictio redemptoris tertia in benedictione Abrahae, Isaaco, Iacobo impertita enuntiatur. Ad Abraham Deus dixit: *atque IN TE benedicentur universae cognationes terrae,* וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה (Gn 12, 3). Eadem Deus Iacobo locutus est, addens tamen in fine וּבְזַרְעֶךָ *et in semine tuo* (Gn 28, 14). Abrahae Deus iterum dixit: *et BENEDICENDAE sint in illo omnes nationes terrae,* וְנִבְרְכוּ־בוֹ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ (Gn 18, 18), ac denique ei iuravit: *et BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terrae,* וְהִתְבָּרֲכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ (Gn 22, 18) quae verba Isaaco repetiit (Gn 26, 4). Hos locos non solum Septuaginta, Patres et interpretes Ecclesiae verum etiam Apostoli (Act 3, 25 sq; Gal 3, 8 14 16) passive de salute Messiana interpretantur, ut sit sensus: tu et posteri tui, praesertim Christus, eritis fons bonorum pro omnibus hominibus (cf. Lapide, Hummelauer, Hoberg ad Gn 12, 3). Hanc interpretationem possibilem esse Holzinger (h. l.) candide fatetur; Dillmann (h. l.) insuper concedit talem sententiam bene in con-

textum quadrare et niphʿal in 12, 3; 18, 18; 28, 14 passive sumi posse (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 137), opponit tamen in 22, 18 et 26, 4 hithpaʿel haberi: ergo verbum in omnibus quinque locis reflexive sumendum esse. Respondemus: etiam hithpaʿel passive accipi potest (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 149) et a Septuaginta interpretibus reapse passive acceptum et redditum est; si quis autem tam niphʿal quam hithpaʿel reflexive sumere atque „se benedicere, sibi benedictionem procurare" (Hoberg) vel „se benedictos sentire, benedictionem accipere" (Strack), scil. in Abraham et semine eius, declarare voluerit (cf. Comment. 224), sensus non mutatur (*Delitzsch,* Weissagungen 35 sq). Gunkel (ad Gn 12, 3) interpretationi nostrae opponit textum non de rebus futuris sed praesentibus loqui, et sententiam sic universalem in v. 3ᵇ contrariam esse sententiae in v. 3ᵃ studium partium redolenti. At Gunkel supponit quidem sed more suo non probat textum de rebus praesentibus et impletis loqui, Apostoli (Act 3, 25 sq; Gal 3, 8 14 16) eum de rebus futuris in Messia implendis authentice interpretantur (cf. pag. 12; Exegeticam 69); verba v. 3ᵃ *Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi* iuxta usum loquendi et contextum (cf. pag. 448 sqq) studium partium non redolent.

4. Iacob filiis suis ventura annuntians (Gn 49, 1) ad Iudam inter alia dixit (Gn 49, 10): *NON AUFERETUR sceptrum de Iuda,* לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה, *et dux de femore eius,* וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו, *donec veniat qui mittendus est,* עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה, *et ipse erit expectatio gentium,* וְלוֹ יִקְהַת עַמִּים. *Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ* (alii *ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται:* cf. *Brooke,* The Old Testament in Greek), *καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν.* Vox שֵׁבֶט baculum vel scipionem significat quem duces, principes, reges insigne potestatis suae stantes et ambulantes manu tenebant (cf. Fig. 56, pag. 251), sedentes autem inter pedes suos, בֵּין רַגְלָיו, collocatum habebant, ut in imaginibus Assyriorum et Persarum videmus (*Dillmann,* Genesis 462); etiam מְחֹקֵק (= participium poʿel verbi חָקַק *cecidit*) scipionem significare potest, quod ex textu Hebraico Nm 21, 18; Ps 60, 9 hebr. elucet (cf. *Gesenius,* Thesaurus 514; *Buhl,* Handwörterbuch 228). Quapropter duas priores sententias parallelas cum plerisque exegetis recentioribus sic vertimus: „non recedet (סוּר) baculus de Iuda et scipio e medio pedum eius"; sine imagine „non auferetur de Iuda principatus", *donec,* עַד כִּי, *veniat* שִׁילֹה *et ipsi,* וְלוֹ, erit יִקְהַת *gentium.* In textu Masorethico שִׁילֹה scriptum est et שִׁילוֹ legendum notatur; at ca 40 manu-

scripta et Samaritanus שלה habent, quod Buhl (Handwörterbuch 751), Gunkel (Genesis 435), Kittel (Biblia Hebraica) aliique (cf. *Holzinger*, Genesis 258) שֶׁלֹּה sive שֶׁלּוֹ punctant atque ex ·שֶׁ = אֲשֶׁר (cf. pag. 383; *Gesenius-Kautzsch*, Grammatik 111 451) et לֹה = לוֹ (*Gesenius-Kautzsch*, Grammatik 254 sq) compositum asserunt. Sensus igitur tertiae sententiae est: *donec veniat* ille cui, אֲשֶׁר לוֹ, erunt (copula in Hebraico saepe omittitur) scil. baculus et scipio. Hanc interpretationem non solum lectio manuscriptorum LXX, Symmachi et Theodotionis *ᾧ ἀπόκειται* et versio Syriaca, verum etiam Ez 21, 27, hebr. 32 confirmat. Propheta enim effatur: *et hoc non factum est donec veniret cuius est iudicium,* גַּם־זֹאת לֹא הָיָה עַד־בֹּא אֲשֶׁר־לוֹ הַמִּשְׁפָּט. Cum tertia sententia sic explicata optime congruit sententia quarta: „et ipsi erit oboedientia vel exspectatio gentium“, non tantum tribuum Israel. Interpretes Graeci, Syrus et Latinus *expectatio* reddentes loco יִקְהַת *oboedientia* legerunt תִּקְוַת. Lectio Masorethica bene quidem in contextum quadrat; quia tamen quoad שלה auctoritatem versionum secuti sumus, eam in hac quoque voce sequamur. Sensus essentialiter idem est: postquam principatus ab Iuda recesserit seu ablatus fuerit, ille veniet cui principatus debetur et cui gentes spe atque oboedientia adhaerebunt. Usque ad tempus Hasmonaeorum seu Machabaeorum Iuda principatum tenuisse videtur (cf. pag. 307 313); quando vero Machabaei principes eligebantur (pag. 354 sqq), praesertim quando Simon anno 141 a. Chr. *dux* et summus sacerdos *in aeternum* constitutus est, *donec surgat propheta fidelis* (pag. 361): principatus ab Iuda recessit, ideoque redemptor mundi exspectandus erat. Iacob praenuntiavit Messiam venturum esse, postquam principatus ab Iuda ablatus fuerit: non dixit redemptorem statim post mutationem regiminis venturum esse. Conferas Gn 2, 17: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* (pag. 546). — In istis verbis Iacobi prophetiam Messiae contineri omnes interpretes antiquiores, Iudaei et Christiani, tenuerunt quibus Gunkel et Holzinger (ad Gn 49, 10) cum Wellhausen aliisque recentioribus assentiunt.

Praeter interpretationem a nobis propositam multae aliae circumferuntur quas apud Dillmann (Genesis 462 sqq) vel in meo Comment. ad Gn 49, 10 invenies. Hic brevitatis gratia celebriores dumtaxat affero. Vulgata habet *qui mittendus* est ac si שָׁלוּחַ vel שִׁלֹחַ scriptum esset; forsitan S. Hieronymus ad sensum transtulit, quod et alibi fecit. Hummelauer (Genesis 596) putat pro שִׁילֹה scribendum esse שֵׁלָה i. e. petitio = petitus vel pax = pacificus

(cf. *Fürst,* Handwörterbuch 449); ante eum iam Iudaei quidam dixerant (cf. *Hummelauer,* Genesis 595) nomen Messiae esse שִׁלֹה i. e. pax = pacificus (cf. *Fürst,* Handwörterbuch 450). Hoberg (Genesis 400 sq) textum sic mutat עַד כִּי־יָבֹא אֲשֶׁר לוֹ וְקִוַּת עַמִּים et vertit: „donec ille veniat in quem gentes sperabunt". At hae interpretationes auctoritatem versionum antiquarum atque Ezechielis contrariam habent (pag. 577). Strack (Genesis[2] 168) cum aliis urbem *Silo* (cf. Tab. III) intellegit et vertit: „donec veniat in Silo", quam interpretationem Gunkel (Genesis 435) ineptam vocat, neque Dillmann (Genesis 463) approbat, quia non bene in contextum quadrat (cf. Comment. ad Gn 49, 10). — Coniunctio *donec,* עַד כִּי, potest significare: aut aliquid usque ad terminum quendam sed non ultra perdurare (e. g. 2 Rg 23, 10) aut aliquid usque ad terminum atque etiam ultra eum permanere (e. g. Gn 26, 13). Strack et Hoberg in Gn 49, 10 quoque alteram hanc significationem retinent declarantes: Iuda principatum habebit, usque dum ipse in Silo veniat (Strack) vel usque dum Messias veniat (Hoberg) verum etiam postea, scilicet per Messiam, regem gentium omnium. At cum hac sententia difficile conciliari poterit quod principatus reapse ab Iuda ad Hasmonaeos et postea ad Idumaeos (pag. 366 sq) transiit; propterea iuxta priorem coniunctionis significationem vaticinium Iacobi explicavimus.

5. Balaam propheta qui ea tantum proferre potuit quae Deus iusserat (cf. pag. 126) regi Moabitarum praedixit: *Videbo eum,* אֶרְאֶנּוּ i. e. video eam, *sed non modo: intuebor illum,* אֲשׁוּרֶנּוּ i. e. intueor eam, *sed non prope. ORIETUR,* דָּרַךְ i. e. processit (vel זָרַח i. e. emicuit; cf. *Baentsch,* Numeri 616) *STELLA ex Iacob, et consurget,* וְקָם i. e. et surrexit, *virga,* שֵׁבֶט i. e. sceptrum (cf. pag. 576) *de Israel: et percutiet,* וּמָחַץ i. e. et percussit, *duces,* פַּאֲתֵי i. e. tempora (capitis) *Moab, vastabitque,* וְקַרְקַר i. e. et vastavit, *omnes filios Seth* vel potius filios tumultus, בְּנֵי־שֵׁת (Nm 24, 17). — Suffixa verborum ad *stellam,* כּוֹכָב *m.*, respiciunt (*Dillmann,* Numeri 159; *Strack,* Numeri 439), quare non *eum* sed *eam* vertendum erat; perfecta sunt perfecta prophetica: propheta in visione conspexit quae nuntiat (*Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 311; *Dillmann,* Numeri 159; *Strack,* Numeri 439). Stella et sceptrum sunt symbola regis gloriosi (cf. Is 14, 12; Gn 49, 10; *Dillmann,* Numeri 159 sq); פַּאֲתֵי plerique interpretes recentiores tempora intellegunt, sed Strack (Numeri 439) cum Gesenio (Thesaurus 1086) utrumque latus (dualis constructus) interpretatur; pro

וְקַרְקַר *et vastavit* (a קיר) quod Strack (l. c.) cum Delitzsch (Weissagungen 52) retinet, alii plerique recentiores iuxta Samaritanum et Ir 48, 45 וְקָדְקֹד *et verticem* emendant et vertunt: „et percussit tempora Moab et verticem omnium filiorum Seth". Baentsch (Numeri 617), Delitzsch (Weissagungen 52), Holzinger (Numeri 122) cum Duhm et Kautzsch vocem בְּנֵי־שֵׁת *filiorum Seth* nomen proprium accipiunt notantes se nescire qualis gens isto nomine significetur; Hummelauer (Numeri 297) Ammonitas intellegit, at haec opinio cum falsa lectione Nm 22, 5 *filiorum Ammon* (cf. pag. 123 sq) cohaeret: propheta Ieremias (48, 45) loco בְּנֵי־שֵׁת *filiorum Seth* scripsit בְּנֵי שָׁאוֹן *filiorum tumultus*, ergo שֵׁת = שָׁאֵת (a שָׁאָה in niph'al = tumultuatus est) accepit (cf. *Buhl,* Handwörterbuch 792; *Strack,* Numeri 439). Hic intellectus omnino retinendus videtur; nam si plerique exegetae illud וְקַרְקַר iuxta Ieremiam in וְקָדְקֹד mutant, consequenter etiam שֵׁת aut in שָׁאוֹן mutare aut saltem ut שָׁאֵת declarare debent. *Filii tumultus* eosdem denotat ac *Moab* (*Dillmann,* Numeri 160) sicut etiam *Iacob* eosdem indicat ac *Israel.*

Quis est autem iste rex gloriosus quem Balaam Moabitas tumultuantes percutientem vidit? Vix dubium esse potest, quin sensu verbali proximo (cf. Exegeticam 11) David, typus Christi, praenuntiatus sit: David rex gloriosus fuit (cf. pag. 188 sqq) et Moabitas ob gravissimam causam revera crudeliter tractavit (cf. pag. 191 sq; *Baentsch,* Numeri 616; *Dillmann,* Numeri 161; *Strack,* Numeri 439). Sensu verbali remoto (cf. Exegeticam 11) autem Christus, antitypus Davidis, praesignatur. Haec est unanimis sententia Iudaeorum et Christianorum interpretum (cf. *Dillmann,* Numeri 161) quam non solum Hummelauer (Numeri 300 sqq) verum etiam protestantes Holzinger (Numeri 121) et Strack (Numeri 439) cum Delitzsch (Weissagungen 53) retinent. Iure merito. Nam Ieremias propheta (48, 45) postquam David iam mortuus est et gloria regni Davidici obsolescere coepit, iussu Domini Moabitis nuntiavit: *ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Seon, et devorabit* vel potius devoravit *partem* seu tempus *Moab, et verticem filiorum tumultus,* וַתֹּאכַל פְּאַת מוֹאָב וְקָדְקֹד בְּנֵי שָׁאוֹן, ergo vaticinium Balaam adhuc implendum ostendit (cf. *Delitzsch,* Weissagungen 53). Christus autem in Apocalypsi (22, 16) asserens: *Ego sum radix, et genus David, stella splendida, et matutina,* intellectum Iudaeorum confirmavit (cf. *Holzinger,* Numeri 121). Quodsi Dillmann (Numeri 161) nobis obicit praedictionem Messiae in ore vatis gentilis inconvenientem esse, non attendebat Balaam ea tantum

loqui potuisse quae Deus ipsi mandaverat (cf. pag. 578). — De stella Magorum in Theol. bibl. Nov. Test. loquemur.

6. Moyses ad populum Israel haec locutus est (Dt 18, 14—20): *Gentes istae, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es.* [15] *PROPHETAM de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies,* [16] *ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* [17] *Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti.* [18] *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi.* [19] *qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* [20] *Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.* Certum omnino est his verbis Moysi Christum praenuntiatum esse. Nam ita locum Iudaei et Samaritani intellexerunt (cf. Io 1, 45; 4, 25; 5, 46; 6, 14; 7, 40), ita eum S. Petrus (Act 3, 22 sq) et S. Stephanus (Act 7, 37) interpretatus est: quae interpretatio in Ecclesia christiana usque ad recentiora tempora consensu unanimi retinebatur. Nunc Bertholet, Dillmann, Steuernagel (ad Dt 18, 15 sqq) explicationem Messianam uti contextui contrariam reiciunt; at Delitzsch (Weissagungen 46 sqq) et Öttli (Deuteronomium 72) necnon catholici omnes eam defendunt, idque recte, quia interpretatio ab ipso Apostolo Petro data cum veritate congruere debet (cf. *Theol. fund.*, de auctorit. apostol.) neque contextui contraria est. E contextu enim utique elucet Moysen directe et immediate de instituto prophetarum locutum esse; indirecte et mediate autem Christum quoque annuntiavit qui instituti prophetarum est complementum, decus et lumen (cf. *Hummelauer* et *Öttli* ad Dt 18, 15 sqq).

Nota est antiqua controversia inter viros doctos agitata, utrum Dt 18, 15 sqq directe an indirecte de Christo accipiendum sit. Caietanus, Estius, Patritius, Delitzsch cum Tertulliano, Cypriano, Athanasio, Cyrillo Alexandrino et Hierosolymitano, Epiphanio, Augustino, Chrysostomo aliisque (cf. *Hummelauer,* Deuteronomium 373 sq) locum directe et immediate de Christo solo explicant. At haec explicatio revera contextui contraria est. Nam Moyses in v. 14 de institutione divina loquitur quae impediat quominus Israelitae in terra promissa *augures et divinos* audiant; in v. 20 autem etiam *falsos* prophetas commemorat: ergo locus non de solo Christo intellegendus est, tum quia huic v. 20 accommodari nequit, tum quia alioquin Israelitae per multa saecula non praemuniti fuissent, quominus augures et divinos audirent (v. 14). Sensus vv. 15 et 18 propter

contextum sequens est: quotiescumque necessarium fuerit, Dominus Israelitis de medio fratrum suorum prophetam suscitabit, ne vates gentium consulant. Delitzsch (Weissagungen 49) ipse confitetur hanc explicationem plausibilem esse, suam vero argumentis peremptoriis confirmari non posse. Propterea Cornely, Hummelauer, Knabenbauer, Öttli, Reinke necnon antiquiores Tostatus, Lyranus, Bonfrerius, Lapide, Tirinus, Iansenius, Calmetus cum S. Hieronymo (in Is 8, 19) illum *prophetam* intellegunt „prophetas Vet. Test. omnes incluso Christo, quae sententia non tam est alia a Patrum opinione supra laudata, sed eandem complet et evolvit.... Singularem נביא omnino designare posse prophetas universim, primum patet per se, dein e Dn 9, 24 ubi reapse eadem vox eundem sensum habet, tandem e contextu" (*Hummelauer,* Deuteronomium 374; cf. *Bertholet, Dillmann, Öttli, Steuernagel* ad Dt 18, 15 sqq). Quomodo textus directe institutum prophetarum praenuntians indirecte etiam Christum praedixerit, Hummelauer (Deuteronomium 377) bene declarat. „Prophetarum seriem, ait, clausum iri uno aliquo propheta ceteris omnibus excellentiore, seu Messiam fore prophetarum nobilissimum, ex solo textu seorsim a prioribus vaticiniis considerato non efficitur. Sed cum e Gn 3, 15; 49, 10; Nm 24, 17 iam tum constaret futurum aliquando magnum quemdam triumphatorem et principem, obvia erat conclusio eius tempore instituta omnia populo electo divinitus concessa in statu fore florentissimo: regnum, sacerdotium, prophetiam. Ergo Messias propheta in nostro textu continetur, si is cum prioribus vaticiniis conferatur; multoque distinctius idem ibi deprehendebatur a Iudaeis posterioribus, qui a suis prophetis edocti fuerant Messiam fore excellentissimum omnium principem, sacerdotem, prophetam. Textus hic procedente tempore a Iudaeis plenius intellegebatur quam primum fuerat intellectus."

7. Salvator mundi in illis Psalmis prophetatur qui Messiani vocantur. Psalmi directe Messiani, i. e. tales qui de solo Messia intellegi possunt, enumerantur 2 21 44 109 quibus plerique interpretes catholici 15 71 adiungunt; Psalmi indirecte vel typice Messiani, i. e. tales qui sensu proximo de homine ut typo, sensu remoto autem de Messia ut antitypo (cf. pag. 579) accipi debent, sunt 8 18? 34? 39 40 67 68 77? 96 101 108 116 117. Ita Ecker (Porta Sion 216*); videas et Hoberg (Psalmen XII), Thalhofer (Psalmen 19). Argumentum Psalmorum singulorum pag. 203 sqq succincte expositum est, hic necessariae brevitatis causa pauca tantum e Psalmis directe Messianis addimus; qui plura desiderat, commentarios ab Hoberg, Keßler, Minocchi, Thalhofer, Wolter editos inspiciat.

In Ps 2 Messias appellatur *rex* (v. 6) atque *Deus* (pag. 477) gentes rebellantes et non resipiscentes confringens. — In Ps 15 mors, descensus ad inferos, resurrectio Domini praenuntiantur (cf. Act 2, 25—31; 13, 35 sqq; *Thalhofer,* Psalmen 114; *Hoberg,* Psalmen 39 sq; *Keßler,* Psalmen 34; *Minocchi,* I Salmi 41 sq). — In Ps 21 passio Domini graphice describitur (*Keßler,* Psalmen 52 sq). *Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum,*

et abiectio plebis (v. 7). *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum* (v. 8 sq). *Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (v. 17[b] sqq). Videas Hoberg (Psalmen 65 sq 69), Keßler (Psalmen 49), Minocchi (I Salmi 63), Thalhofer (Psalmen 155 158), qui demonstrant lectionem Vulgatae *foderunt* genuinam, Masorethicam autem *sicut leo* insulsam et corruptam esse quod Baethgen (Psalmen 64) quoque asserit et probat. — In Ps 44 coniunctio Christi Dei (pag. 477 sq) pulcherrimi (pag. 425) cum Ecclesia sua enarratur. — In Ps 71 regnum Messiae universale celebratur (*Hoberg*, Psalmen 249; *Thalhofer*, Psalmen 409 sqq; cf. *Keßler*, Psalmen 157, et *Minocchi*, I Salmi 216, qui contra Baethgen et Duhm characterem Messianum bene defendunt. — In Ps 109 denique Christus *Deus*, sedens ad dextram Patris, *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* nominatur (cf. pag. 478 sq; *Delitzsch*, Weissagungen 74; *Minocchi*, I Salmi 340 sq).

Quatenus Christus *sacerdos secundum ordinem Melchisedech* vocetur, S. Paulus in epistula ad Hebraeos (7, 1—10) exponit. — Minocchi (I Salmi 341 sq) cum protestantibus criticis modernis cumque catholicis Bickell et Lagrange certum dicit Ps 109 non a Davide esse. E contrario catholici Thalhofer (Psalmen 634), Wolter (Psallite IV 216), Bisping (ad Mt 22, 41 sqq) et protestans Nösgen (Die Evangelien[2] 152) recte defendunt Psalmum reapse a Davide compositum esse. Nam Christus Pharisaeos interrogavit: *Quomodo dicunt Scribae Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde filius eius est?* (Mc 12, 35—37; Mt 22, 41—45; Lc 20, 41—44). Bis Christus proprio nomine loquens asserit: *ipse David dicit.* Si David in veritate Psalmum non composuisset, assertio Christi falsa esset; Christus autem, verus Deus (pag. 477 sqq) ideoque essentialiter verax (pag. 460), nihil a veritate alienum asserere potest, etiam quoad criticam litterariam: ergo assertio *ipse David dicit* vera esse debet. Obiciunt, Christum opinionibus falsis temporis se accommodasse; at in textu trium evangelistarum nullum omnino vestigium accommodationis invenitur, usus loquendi et contextus e contrario manifestant Christum suam ipsius sententiam pronuntiasse, quare etiam protestantes Meyer-Weiß (Matthäus[8] 378, nota) accommodationem adesse negant. Obiciunt, Christum quaestionem criticae litterariae solvere noluisse; sed contextus contrarium docet. Nam Christus bis proprio nomine affirmans Davidem ista verba dixisse, reapse quaestionem solvit quis fuerit auctor istorum verborum quibuscum reliqua Psalmi insolubiliter cohaerent, ut omnes concedunt. Insuper tota vis argumentationis Christi ab eo dependet, quemadmodum Nösgen (l. c.) recte observat, quod David revera versus a Christo citatos protulit. Si enim non David sed alius

scriptor inspiratus affirmasset Christum esse Dominum suum, ex ista affirmatione non sequeretur Christum esse *Dominum Davidis,* uti Christus concludit. Minocchi (I Salmi 342) asserit quidem Psalmistam divinitus inspiratum „in nomine et in persona Israelis et distinctius (piú precisamente) Davidis" loqui, ergo argumentationem Christi valere; verumtamen assertum suum demonstrare nequit, quia evidenter pugnat cum testimonio Christi: αὐτὸς Δαυεὶδ εἶπεν, αὐτὸς Δαυεὶδ λέγει, *ipse David dicit.* Lagrange scribit: „La dimostrazione di Gesú era in parte un argumento *ad hominem.* Affinché essa conservi tutta la sua forza contro gli avversari, non è affatto necessario che David abbia composto realmente questo salmo; basta che con attribuirlo a lui gli Scribi e i Farisei abbiano riconosciuto che il Messia doveva essere piú grande di lui" (Revue biblique 1905, I 49) quam declarationem Minocchi (l. c.) adoptat. Meyer-Weiß (Matthäus [8] 378, nota) tamen talem „*ludum* dialecticum" repudiant, utpote contextui contrarium; videas et Nösgen (Die Evangelien[2] 152). Nonnumquam interpretes protestantes scribunt magis catholice quam catholici interpretes liberales seu moderni (cf. pag. 503 sq 558 560).

8. Devictis inimicis omnibus sed ante nativitatem Salomonis David Domino templum aedificare volebat, pro qua bona voluntate Dominus servo suo Davidi thronum seu regnum sempiternum promisit (cf. pag. 193). Per Nathan prophetam enim ei nuntiavit: [12] *Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius.* [13] *ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum.* [14] *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum,* i. e. poenis humanis, levibus ac mollibus eum castigabo. [15] *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea* vel potius tua. [16] *Et fidelis* vel potius stabilis, וְנֶאֱמַן, *erit domus tua, et regnum tuum usque in aeternum,* עַד־עוֹלָם, *ante faciem tuam* vel potius meam (cf. *Kittel,* Biblia Hebraica), *et thronus tuus erit firmus iugiter,* נָכוֹן עַד־עוֹלָם (2 Rg 7, 12—16; cf. Ps 88, 4 sq 27—38; 131, 11 sqq). Hunc textum consulto verbis Hummelaueri (2 Regum 321 sq) utentes explicamus: „Veteres auctores, imprimis apologetae, ita urgent Christum eo vaticinio designari, ut Salomonem excludere videantur et aliquando excludant. . . . Verum etiam Salomonem designari patet quum ex sensu obvio tum ex Salomone vaticinium hoc 3 Rg 8, 15—21 ad se ipsum applicante, neque a quoquam interprete iam in dubium vocatur. . . . Verum non solum Salomonem intellegi ex ipso vaticinio colligitur, sicut neque solum templum. Etenim v. 13 thronus aedificatoris domus asseritur stabiliendus in aeternum, sensusque obvius est ipsum aedificatorem in illo aeternum esse sessurum paternoque in

illo Dei affectu fruiturum (v. 14).... Vaticinium etiam Christum respicere patet ex citatione Hebr 1, 5 *Cui enim dixit aliquando Angelorum: ... Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?* ... Non solum Salomonem et Christum intellegi sed generationes etiam intermedias inde patet quod eae vere sint *semen* David, quod eae in *domo* David aeternum duratura (v. 16) necessario includantur, quod secus thronus seminis David non posset dici sempiternus inde a Salomone (v. 13). Tandem in illis generationibus, et plenius quidem quam in ipso Salomone, verificantur v. 14 sq.... Quidam utique auctores ambigere videntur, intellegaturne promissio de Christo sensu litterali an mystico.... Sed cur ad sensum mysticum recurramus, nulla ratio apparet: intellegitur totum semen per modum unius et unico sensu, a Salomone ad Christum. Non tamen singula in singulis eius seminis membris aeque sunt impleta, sed aliqua nonnisi in Christo plenam veritatem habent." — Similiter iam Delitzsch (Weissagungen 67 sqq) locum explicaverat optime notans Zachariam (6, 12) post mortem Salomonis prophetiam Nathan repetere ut tempore futuro per Messiam implendam (vide n. 16). Budde (2 Samuel 235) cum Smith prorsus verisimile ducit iam scriptorem 1 Par 17, 11 sqq locum de Messia accepisse.

9. Salomon coniunctionem deitatis cum humanitate, praesertim in Christo et cum beatissima Virgine Maria, in Cantico Canticorum allegorice describit (cf. pag. 216 sq). — Psalmus 71 (hebr. 72) non a Salomone sed a Davide compositus est (pag. 210).

10. Plures prophetiae redemptoris venturi in libro Isaiae, evangelistae Vet. Test., continentur. Primus locus insignis est 7, 14: *Ecce virgo,* הָעַלְמָה (Septuaginta *ἡ παρθένος*; Aquila, Symmachus, Theodotion *ἡ νεᾶνις*) *concipiet et pariet filium,* הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן i. e. (erit) gravida et pariens filium, *et vocabitur nomen eius,* וְקָרְאָת שְׁמוֹ (= וְקָרֵאת, cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 204 468), *Emmanuel,* עִמָּנוּ אֵל i. e. Nobiscum Deus. Idem Dominus qui per Isaiam hanc prophetiam enuntiavit, per Matthaeum eam authentice declaravit (cf. pag. 479). Postquam enim evangelista narravit Mariam sine virili consortio de Spiritu Sancto redemptorem concepisse (Mt 1, 18 ad 21; cf. Lc 1, 26—38), adiungit hoc totum factum esse ut prophetia Isaiae *impleretur* (Mt 1, 22 sq). Evangelista igitur divinitus inspiratus illud הָעַלְמָה ea significatione intellexit atque interpretatus est qua *παρθένος* in Nov. Test. constanter (cf. Lc 1, 26 sqq; Mt 25, 1 7 11; Act 21, 9; 1 Cor 7, 25 28 34—38; 2 Cor 11, 2; Apc 14, 4) adhibetur, videlicet virginis illibatae. Propterea

sensus prophetiae est: virgo illibata erit gravida atque eadem virgo illibata erit pariens; propheta conceptum et partum virginalem praenuntiat. Hunc esse verum prophetiae sensum etiam ex usu loquendi et contextu Vet. Test. demonstrare possumus.

Ex usu loquendi. „Verum quidem est, inquit Knabenbauer (Isaias I 169 sqq), quod iam S. Hier. advertit, vocem omnino propriam ad virginem illibatam designandam apud Hebraeos esse בְּתוּלָה; at dubium esse non potest quin et עַלְמָה virginem eamque iuvenem ac teneram designet et hoc loco unice designare possit. Utrumque erit paucis demonstrandum. Dici עַלְמָה de puella virgine, de puella quae sit famae intemeratae, innupta et quae pro virgine saltem ab omnibus habeatur, omnes probant loci, in quibus vox usurpatur. Ita Gn 24, 43, cum servus Abraham pro filio Isaac non nisi virginem illibatam ut sponsam deducere vellet; ita Ex 2, 8 de sorore Moysis quae erat puella innupta; ita Ps 67, 12, cum in publicis choris qui religionis causa instituebantur, ad sacra carmina canenda sane non admitterentur nisi puellae famae vitaeque integerrimae i. e. virgines; et si Cant 6, 7 legitur: *Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus,* quaenam sint adolescentulae, עֲלָמוֹת, dubitari nequit, cum ab iis quae rem uxoriam expertae sint, a reginis et concubinis, tam sollicite distinguantur. Aeque certum est etiam Prv 30, 19 eam puellam dici עַלְמָה quae in communi hominum opinione tamquam virgo habetur et tamquam talis quae virum non sit experta." De ultimo hoc loco Knabenbauer diffuse loquitur; deinde prosequitur: „Unde ex usu vocis constat significari puellam innuptam, virginem eamque iuvenem, dum בְּתוּלָה omnem virginem, etiam superadultam et vetulam dicit. Si de usu vocis constat, non erit multum laborandum ex quonam etymo vox derivetur. Multis quidem arrisit etymologia a S. Hier. proposita a verbo עלם *abscondere:* ‚ergo *alma* non solum puella et virgo, — sed cum ἐπικάσει virgo abscondita dicitur et secreta, quae nunquam virorum patuerit aspectibus sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque Punica quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo *alma* appellatur'.... Verum haec etymologia tamen parum certa videtur. Nam עַלְמָה certe est nomen femin. ab עֶלֶם *puer, adolescens* ... Eadem vox in cognatis quoque dialectis invenitur et apud Arabes quidem notionem habet pueri adolescentis qui ab infantia usque ad aetatem iuvenilem eo nomine designatur.... Tamen nullo modo in eorum partes concedendum esse arbitramur, qui vocis etymon ex Arabico petentes explicant de puella pubere, nubili, libidinem sentiente, quorum antesignanus est post rabbinos aliquos Gesenius in comment. ad Is locum hunc et in Thes. p. 1037; sim. quoque Fürst C. et L., Knobel aliique. Verum hunc sensum non esse praecipuum et primarium ne in Arabico quidem iam eo conficitur, quia vox illa in Arabico quoque puerum designat ab infantia usque ad iuventutem.... Sed quidquid sit de vocis etymo, significatio petenda est ex usu; usus enim est suprema lex, et quo usu vox adhibetur, hoc demum et hoc unice valet.... Usus autem e sacris litteris est indubius. Neque parvi aestimandum est, a Graecis interpretibus hoc Isaiae loco vocem esse selectam quae virginem eamque solam designet. In qua versione ἰδοὺ ἡ παρθένος certae traditionis vestigium facile deprehenderis. Quare hanc vocis de *virgine* explicationem iuremerito tuentur catholici interpretes omnes, quos singulos adscribere infinitum est; multi quoque ex heterodoxis linguae hebr. scientia insignes eandem fortiter propugnant et defendunt ver-

sionem.“ Ex heterodoxis Knabenbauer citat: Munsterum, Forsterum, Iunium, Calovium, Piscatorem, Rosenmüllerum, Vitringam, Leigh, Gataker, Schulz-Bauer, Doederlein, Hengstenberg, Drechsler, Steudel, Michaelis, Eichhorn, Paulus, Staehelin, Ewald, Riggenbach, Maurer, Umbreit, Hofmann, Tholuck, Naegelsbach, Kueper, Schultz, Orelli, Delitzsch, Cheyne, Bredenkamp.

Ex contextu. „Nam, uti SS. Patres et interpretes monent, ait iterum Knabenbauer (Isaias I 174 176) post solemnem promissionem *ipse Dominus dabit signum,* cum Achaz signum oblatum esset quodcumque vel in caelo vel in terra vel in inferno patrandum, non potest sequi res quotidiana. Audiamus S. Chrys.: ‚Si autem *virgo* non fuisset, signum non erat. *Signum* enim rerum seriem excedere debet et naturae consuetudinem superare itemque novum et inexspectatum esse, ita ut id insigne sit singulis qui vident et audiunt. . . . Itaque si sermo esset de muliere secundum naturae legem pariente, cur signum vocaret quod quotidie fieri solet?‘ . . . Ad quod statim addo ipsum prophetam de ea re insuper nos clare voluisse edocere, dum mox 8, 3 nobis ostendat, quomodo de conceptu communi atque ordinario loquatur: *et accessi ad prophetissam, et concepit.* Utrumque loquendi modum inter se sedulo compara; iam magnum non potes non deprehendere discrimen. Ergo ex ipsis verbis aliud et aliud nobis indicasse prophetam iure inferimus.“ Ita Knabenbauer qui de Is 7, 14 valde diffuse tractat.

Minocchi (Le Profezie d'Isaia 28 sq) accurate scribit: „Anche una discussione sulla parola *ha-ʿalmáh,* che i razionalisti traducono *giovane donna,* e i cattolici *Vergine,* sembra quasi inutile, avendo la parola ebraica il senso proprio e precipuo di *giovane donna vergine.* Se la voce *ʿalmáh* non include per sé che la *giovane donna* rimanga *vergine* durante e dopo il parto, non lo esclude però; ed Isaia poté quindi usarla, sia che avesse coscienza della perpetua verginità della Madre di Emmanuel, sia che il mistero della perpetua verginità di Maria gli sfuggisse, non essendo necessario che i profeti intendessero per primi tutto il valore dogmatico dei loro vaticinii.“ Hanc explicationem Genocchi (Studi religiosi 1907, 776) ut nimis conservantem et ex „preoccupazione apologetica“ prodeuntem vituperat scribens: „La verità, che il Minocchi conosce bene, è che *almah* del testo non significa propriamente *vergine* come *betulah,* e che παρθένος dei Settanta non è una traduzione lessicalmente esatta. Essi hanno dato una determinazione religiosa e tradizionale a una parola per sé indeterminata. E io non so perché noi prolunghiamo con tanto ardore dogmatico la vecchia battaglia di *tutti* i cattolici contro *tutti* i protestanti, quasi che cadesse il cattolicismo se *almah* non fosse sinonimo di *betulah.* Eppure non lo è; e non solo il cattolicismo resta, ma resta integra tutta la teologia e l'apologetica fondata su quella profezia, non potendo cadere alcun dubbio sul modo ognora e gradatamente piú chiaro col quale gli Ebrei l'hanno intesa. Del che rendono testimonio i Settanta ed altri solidi documenti.“ His sententiis Genocchi non solum manifestavit se adhuc magis liberalem esse quam notissimum Minocchi, directorem ephemeridis „Studi religiosi“, verum etiam errores varios proposuit. Etenim non est verum quod „prolunghiamo . . . la vecchia battaglia di tutti i cattolici contro *tutti* i protestanti“, nam Knabenbauer plus quam 20 heterodoxos linguae Hebraicae scientia insignes enumerat qui cum catholicis in hac re consentiunt (cf. supra). Non est verum quod „la verità . . . è che *almah* del testo non significa propriamente *vergine* come *betulah,* e che παρθένος dei Settanta non è una traduzione lessicalmente esatta“. Nam עלמה cum articulo (i. e. העלמה) in toto Vet. Test. ter dum-

taxat occurrit, scil. Gn 24, 43; Ex 2, 8; Is 7, 14 (cf. *Mandelkern*, Concordantiae); atqui in Gn 24, 43 et Ex 2, 8 contextus nos cogit, ut virginem illibatam intellegamus (cf. pag. 585): ergo etiam apud Isaiam eadem vox eandem significationem habeat oportet. Neque in Ps 46, 1; 68, 26; Ct 1, 3 hebr.; 6, 8 hebr.; 1 Par 15, 20, immo ne in Prv 30, 19 (coll. v. 20) quidem vox עלמה (sine articulo) puellam significat quae cum viro rem habuit (cf. pag. 585; *Strack*, Sprüche 99, cum Michaelis): ubique notio virginis illibatae retineri potest quae ex Gn 24, 43; Ex 2, 8 constat et a Minocchi recte „il senso proprio e precipuo" appellatur. Non est igitur verum quod *ʿalma* et *bᵉthula* non sint synonyma; utraque vox virginem illibatam significat: *bᵉthula* quamlibet, etiam vetulam, *ʿalma* autem iuvenem (cf. pag. 585). Neque verum est vocem *haʿalma* per se indeterminatam esse, quia in Gn 24, 43 et Ex 2, 8 reapse illibatam, ergo determinatam virginem significat (cf. supra). Quod denique ad intellectum Hebraeorum atque determinationem religiosam et traditionalem Septuaginta interpretum attinet, sequens dilemma proponimus. Intellectus religiosus et traditionalis Hebraeorum in LXX expressus fuit aut verus aut non verus. Si fuit verus, העלמה reapse idem significat ac ἡ παρθένος i. e. virginem illibatam (pag. 584); si fuit non verus, Dominus ipse per evangelistam Matthaeum voci notionem subiecit quam cum ea non coniunxerat, quando per Isaiam prophetam ad Achaz locutus est. Genocchi prophetiam Isaiae secundum Gesenius (Thesaurus 1037), Fürst (Handwörterbuch II 153), Buhl (Handwörterbuch 540), Dillmann-Kittel (Jesaja 72 sq), Duhm (Jesaia 53), Marti (Jesaja 76) sic intellegere videtur: „ecce iuvenilis quaedam uxor praegnans mox filium paritura est eumque Emmanuelem nominabit." Sed Marti diserte notat *Emmanuelem* non esse Messiam, et *haʿalma* non esse virginem Mariam, declarationes Messianicas esse falsas ideoque etiam declarationem a Matthaeo evangelista datam esse falsam: haec cum catholica inspirationis notione conciliari nequeunt (cf. pag. 9 sqq). Liber catholici Isenbiehl (Neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel, Göttingen 1778) in quo declaratio Messianica impugnatur, brevi Pii VI 20 Sept. 1779 in indicem librorum prohibitorum relatus est ubi nunc quoque exstat.

De prophetia Emmanuelem nuntiante in alio opere maiore loquemur. Interim commentarii a Corluy, Knabenbauer, Minocchi, Orelli ad hunc locum conscripti revolvi possunt.

Uti Balaam a Domino illustratus in visione prophetica stellam ortam et sceptrum erectum, i. e. regem, gloriosum de hostibus tumultuantibus triumphantem viderat (cf. pag. 578), sic Isaias *virginem* gravidam et parturientem conspexit filiumque eius *Emmanuel* vocari audivit (7, 14). In altero vaticinio propheta Messiam natum describit: *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis* (Is 9, 6; cf. pag. 479 sq). In tertio vaticinio Messiam e domo David humiliata prodeuntem, plenum veritate et gratia praedicit. *Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus*

scientiae, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (Is 11, 1 ad 3ª). Isaiam in his versibus de Messia loqui non solum catholici Knabenbauer et Minocchi verum etiam protestantes Dillmann-Kittel, Duhm, Marti, Orelli agnoscunt.

Denique propheta Messiam sub nomine *servi Domini*, עֶבֶד יְהוָה, quoad operationem, missionem, vicariam passionem, glorificationem quattuor carminibus (42, 1—4; 49, 1—6; 50, 4—9; 52, 13—53, 12) sic exponit, ut eas non tam narrari quam geri videamus. Nomine *servi Domini*, *'ebed Iahve*, in quattuor istis carminibus salvatorem mundi designari non tantum contextus et unanimis interpretum orthodoxorum consensus, sed etiam Deus ipse auctoritate sua confirmat. Nam per Matthaeum evangelistam testatur: *Iesus autem sciens recessit inde et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes: et praecepit eis ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae. Ponam spiritum meum super eum, et iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: et in nomine eius Gentes sperabunt* (Mt 12, 15—21). His verbis Deus primum canticum Isaiae (42, 1—4) de *servo Domini* in Christo impletum dicit. — Idem Deus per Matthaeum narrat: *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes: et eiiciebat spiritus verbo: et omnes male habentes curavit: ut impleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: et aegrotationes nostras portavit* (Mt 8, 16 sq coll. Is 53, 4) et per Petrum addit: *qui (Christus) peccatum non fecit... qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum* (1 Petr 2, 22 24 coll. Is 53, 4 9). Immediate ante passionem suam Christus apostolis nuntiavit: *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est* (Lc 22, 37 coll. Is 53, 12); Marcus autem refert: *Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, et alium a sinistris eius. Et impleta est scriptura, quae dicit: Et cum iniquis reputatus est* (Mc 15, 27 sq coll. Is 53, 12). In his locis quartum carmen Isaiae (52, 13—53, 12) de *servo Domini* in Christo impletum asseritur. Cum primo et quarto autem secundum et tertium intime cohaerent, ut omnes interpretes concedunt, quare illa quoque de Christo explicanda sunt.

Explicationem singulorum versuum quattuor carminum hic necessariae brevitatis causa omittere debeo sed in maiore opere proponam. Interim

lectorem ad commentarios a Knabenbauer, Minocchi, Orelli vulgatos relego. Minocchi opiniones protestantium fideliter ac breviter recenset atque ipse explicationes prorsus catholicas tuetur. — De *ʿebed Iahve* novissime scripsit Feldmann (Der Knecht Gottes in Isaias, Kap. 40—55, Freiburg 1907). Affert sententias interpretum qui nomine *servi Domini* totum populum Israel vel Israelem idealem vel Israelem pium vel institutum prophetarum vel personam individualem (Ieremiam, regem Ussia, Serubbabel, Eleazar, Ioiachin, Scheschbassar, Cyrum, Messiam) significatam iudicabant; deinde demonstrat *servum Domini* esse Messiam.

11. Michaeas prophetat e Bethlehem pacificum Israelis pastorem egressurum esse. *ET TU BETHLEHEM Ephrata,* ait, *parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.... Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terrae. Et erit iste pax* (Mich 5, 2 4 5ª; hebr. 5, 1 3 4ª). Textus Masorethicus וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה iuxta praecepta grammaticalia sic tantum verti potest: „et tu Bethlehem Ephratha parva es ut sis in milibus Iuda“, ita ut appareat sensus: Bethlehem propter parvitatem suam inter praefecturas Iuda numeratam fuisse; sed urbes non propter parvitatem sed magnitudinem quandam sedes familiarum eligebantur, quod omnes concedunt. Idcirco Knabenbauer (Michaeas 440) explicat: „minor quam ut censearis inter chiliarchias vel praefecturas Iuda“, immo Gesenius (Thesaurus 106) textum ita vertit. Verumtamen talis versio et explicatio falsa est, tum quia non לִהְיוֹת sed מִהְיוֹת comparativum exprimit (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 436 sq) tum quia Bethlehem revera inter praefecturas Iuda fuit (cf. 1 Rg 20, 6 29; Mt 2, 6; *Hitzig-Steiner,* Micha 221; *Nowack,* Micha 210). Hitzig-Steiner, Marti, Nowack (ad Mich 5, 1) recte illud לִהְיוֹת quod in Vulgata deest, ex linea altera in lineam priorem venisse censent ideoque delent (cf. et *Kittel,* Biblia Hebraica); quo facto textum Masorethicum vertimus: „et tu Bethlehem Ephratha, minima in milibus Iuda (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 437 sq), ex te mihi egredietur“ etc.

Septuaginta vertunt: Καὶ σύ, Βηθλέεμ (sic *Swete*) οἶκος Ἐφράθα, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα κτλ. Ex qua versione Marti (Micha 287) cum Roorda, Wellhausen, aliis deducit textum originalem fuisse בית אפרתה et postea declarationis gratia בית־לחם additum fuisse atque ex בית־לחם בית אפרתה lectionem Masorethicam fluxisse. Sed iam Gn 48, 7 legimus: *et sepelivi eam iuxta viam Ephratae, quae alio nomine appellatur Bethlehem,* אפרת הוא בית לחם i. e. Ephrathae, ipsa est Bethlehem, quare textum Masorethicum et Latinum probabiliorem iudicamus. *Ephrath* vel *Ephrátha* = fertilitas atque *Bethlehem* = domus panis synonyma adhibentur (cf. Gn 48, 7; Ruth

1, 2; 4, 11; 1 Rg 17, 12); primitus *Ephrátha* territorium vel regionem, *Bethlehem* vero urbem in ea regione sitam significasse videtur (cf. *Nowack,* Micha 210), nam ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς ab Herode congregati textum prophetae sic retulerunt: Καὶ σύ, Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, ergo Ephratham regionem urbis acceperunt (cf. *Bisping* ad Mt 2, 6). Ephratha adiungitur, ut Bethlehem in tribu Iuda a Bethlehem in tribu Zabulon (Ios 19, 15) distinguatur (*Orelli,* Micha 114).

אֲלָפִים *millia* etiam familiam (מִשְׁפָּחָה) significat „quarum plures unam tribum (שֵׁבֶט, מַטֶּה) constituebant. Haec significatio vel a communi societatis notione repetita est“ (cf. אָלַף = assuevit, copulavit, sociavit; in hiph'il = milia fecit) „vel a numero millenario, quandoquidem millena fere capita singulae familiae comprehendebant. . . . Solent enim orientales populos et exercitus per decurias, centurias et chiliades disponere. . . . Unaquaeque familia sedem suam primariam et quasi praefecturam in oppido maiore habuisse videtur“ (*Gesenius,* Thesaurus 106; cf. et *Buhl,* Handwörterbuch). Sensus igitur prophetiae est: e minima inter praefecturas Iuda ille egredietur pastor Israelis qui aeternus est (*Knabenbauer,* Michaeas 442), rex universalis erit (*Nowack,* Micha 212) cunctisque pacem afferet (*Orelli,* Micha 115). „Qualis sit Dominator, inquit Knabenbauer (Michaeas 442), origine demum caelesti et aeterna declaratur. Is enim, qui in tempore ex Bethlehem prodibit, non ibi vitae initium sortitur, verum *egressiones eius ab olim, a diebus aeternitatis* sunt. . . . Messiam esse divina natura praeditum non poterat penitus ignorari, cum iam Ps 2, 7 dicatur ‚filius meus es tu' et Is 9, 6 Messias vocetur ‚pater aeternitatis, Deus fortis'; addi quoque potest Ps 44, 7; 109, 3. Sed si *filius Dei* et *Deus* agnoscebatur, origines eius tamquam nativitas a Patre considerari debebant.“ Phrasis *ab initio, a diebus aeternitatis,* מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם, tam tempus priscum (Is 51, 9; cf. pag. 390 sqq) quam aeternitatem sensu stricto (Prv 8, 23; cf. pag. 473 sqq) significare potest; propter contextum remotum quo Messias Deus verus proponitur (cf. pag. 477 sqq), altera haec significatio in Mich 5, 2 retinenda est (cf. pag. 391 sqq).

In vaticinio Michaeae reapse locum nativitatis Messiae designari usus loquendi ostendit. Ita etiam sacerdotes et legisperiti Iudaeorum vaticinium intellexerunt; nam interrogati ab Herode *ubi* Christus nasceretur, responderunt (Mt 2, 5 sq): *In Bethlehem Iudae: Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda* etc. Quod dicunt *nequaquam minima es in principibus* seu in principalibus urbibus *Iuda,* Michaeae non contrarium est: Bethlehem enim materialiter erat minima, de qua parvitate propheta loquitur; spiritualiter tamen erat maxima, quam magnitudinem a Michaea insinuatam sacerdotes et legisperiti diserte exponunt. — Itaque Messias non solum de stirpe verum etiam de *urbe David* (pag. 179), pastoris ac regis Israel, oriundus praenuntiatur.

12. Apud Ieremiam legimus: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen iustum*, צֶמַח צַדִּיק, *et regnabit rex, et sapiens erit: et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*, יְהוָה צִדְקֵנוּ i. e. Iahve iustitia nostra (Ir 23, 5 sq). In hoc loco regimen sapiens et iustum Messiae, germinis David, describi quod populo electo salutem et iustitiam afferet, catholici et acatholici consentiunt (cf. *Knabenbauer,* Ieremias 288 sqq; *Duhm,* Jeremia 181; *Giesebrecht,* Jeremia 127; *Orelli,* Jeremia 305). Ex nomine Messiae *Iahve iustitia nostra* cum plurimis antiquioribus divinam eius naturam colligimus (cf. *Orelli* l. c.), licet ipse Orelli id renuat neque Knabenbauer (Ieremias 290 sq) plene consentiat.

„Multi quidem id adeo certum et exploratum habent, ut nulla alia re opus esse ducant nisi solis verbis recitatis: vocatur, ergo est Messias *Iahve iustitia nostra;* sed Iahve nomen est incommunicabile Deitatis, ergo! refert Knabenbauer (l. c.) et reponit: At illis perpendendus est locus alter 33, 16 hebr., quo idem nomen urbi Ierusalem imponitur. . . . Quod si ex aequo ad nostram appellationem applicaveris, hanc habebis sententiam: in diebus Messiae et eius opere et dono id nobis continget, ut Iahve sit iustitia nostra. . . . Quam eius divinitatem si aliunde certo probaveris, tum poteris, ut in simili nomine *Emmanuel,* ad hoc quoque nomen reverti et explicare quomodo sensu plenissimo et fecundissimo et maxime vero et singulari ei conveniat et miro modo omnes exprimat thesauros in Messia contentos, thesauros divinitatis *(Iahve)* et thesauros in nostrum commodum perpetuo derivandos (*iustitia nostra;* ‚ipse hominum iustitia est, sanctitas, salus; iustos nos gratia sua efficit' . . . Calm.). Demum etiam hoc confirmationis gratia addere poteris, singulare aliquid eo nomine exprimi, quia *Iahve* forma plena, non apocopata, uti in nominibus solet, ei inditur."

Alius locus celebris Ieremiae (31, 22) est: *quia creavit*, בָּרָא, *Dominus novum super terram*, בָּאָרֶץ: *FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM*, נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר; Septuaginta quidem vertunt: *ὅτι ἔκτισεν κύριος σωτηρίαν εἰς καταφύτευσιν καινήν, ἐν σωτηρίᾳ περιελεύσονται ἄνθρωποι*, sed Aquila et Symmachus textum Masorethicum exhibent. Interpretes illud *novum* a Domino factum declarantes valde dissentiunt. Giesebrecht (Jeremia 170) et Orelli (Jeremia 337) cum pluribus aliis putant *novum* in eo consistere quod tempore Messianico non vir feminam sed femina virum tueatur; Hitzig (Jeremia 250) vertit: „femina ambiet virum", et insinuatum videt quod populus Israel *(femina)* Dominum *(virum)* quaesiturus sit; Duhm (Jeremia 251) has expositiones repudians cum Ewald vertit: „femina in virum mutatur", et sententiam glossam cavillantem lectoris cuiusdam esse censet!

Giesebrecht (l. c.) bene notat nullam harum explicationum plene satisfacere. Propterea cum S. Athanasio, S. Hieronymo, S. Thoma. Maldonato, Lapide, Estio, Loch, Mayer, Scholz, Schneedorfer, Knabenbauer (Ieremias 388) aliisque multis catholicis locum de mysterio incarnationis interpretamur. „Quid sit *novum* illud, ait Knabenbauer (Ieremias 386), cuius excellentia tali verborum apparatu inducitur, non poterit esse dubium, si verba *Femina* etc. exegeris ad normam illam quam in suis oraculis proposuerunt Isaias (7, 14) et Michaeas (5, 3), scil. si statueris illis verbis indicari ipsam Mariae conceptionem; proinde Messiam esse appariturum in terra palaestinensi, unde ut ad eam terram et ad eius salutis participationem se conferant, admonentur.... *Femina circumdabit virum* . . . haec verba explicantur et illustrantur illis: *Ecce virgo concipiens et pariens Emmanuel:* virgo enim in utero gerens Messiam est utique sensu planissimo femina circumdans virum." Breviter et clare Schneedorfer (Das Buch Jeremias, Wien 1903, 229) ista verba prophetae exponit scribens: „*Femina circumdabit virum.* Si hoc inauditum miraculum nova creatio esse debet, nihil aliud esse potest quam quod femina per actionem creatricem, sine virili procreatione, puerum conceptura et in utero gestatura sit."

13. Per Ezechielem Dominus praedixit: *ET SUSCITABO SUPER EAS PASTOREM UNUM, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem* (34, 23). *Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea* (37, 24). Dominum non de David primo a mortuis resuscitando sed de altero David, servo Domini, loqui qui *pastor unus erit omnium* atque efficiet ut mandata divina observentur, interpretes catholici et acatholici profitentur. Has praedictiones vaticinio Ieremiae de regimine germinis David (cf. pag. 591) necnon prophetiae Isaiae de operatione servi Domini (cf. pag. 588) valde similes esse apparet. — De Ez 44, 2 infra n. 18 loquemur.

14. Daniel refert: *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus quasi filius hominis,* כְּבַר אֱנָשׁ, *veniebat, et usque ad antiquum dierum* (cf. pag. 393) *pervenit: et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum eius, quod non corrumpetur* (7, 13 sq, Aramaice scripti; cf. pag. 319). Ille quem Daniel in visione *cum nubibus quasi filium hominis* ad antiquum dierum venire et ab eo

universalem potestatem non auferendam universaleque regnum non corrumpendum accipere conspexit, Messias est qui iam ab aliis prophetis Deus (pag. 581) atque homo (pag. 584), rex universalis (pag. 577) et aeternus (pag. 590) descriptus erat. Christus enim se vocans *Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa, et maiestate* (Mt 24, 30; 26, 64; Mc 13, 26; 14, 62; Lc 21, 27) ad Danielem respexit, quod ipse Hitzig (Daniel 114) quoque concedit et citatio libri Danielis in Mt 24, 15 evincit; Ioannes autem in Apocalypsi (1, 13; 14, 14) Christum diserte *similem filio hominis* nominans evidenter in Dn 7, 13 sq Messiam intellexit. Eadem ratione plerique interpretes Iudaeorum et Christianorum locum interpretati sunt; excipiuntur paucissimi, e. g. Aben Ezra, Hitzig, Hofmann, Marti, Meinhold.

„Hic Messiam induci, scribit Knabenbauer (Daniel 196), ex iis quae alii prophetae iam ante Danielem tradiderunt dubium esse nequit. Ei enim soli praeter Iahve gentes dantur in hereditatem; ei soli regnum et potestas in orbem universum adscribitur.... Hic vero nobis proponitur quasi *filius hominis*, cernitur in natura humana quam postmodum assumpturus erat. Ex hoc loco illud nomen est depromptum quo Christus toties in evangeliis se ipsum nominat filium hominis, quae itaque est designatio Messiae. Venit *cum nubibus* caeli, i. e. eo modo quo Deus ipse in s. litteris apparere dicitur ... apparet venire cum nubibus caeli attribui divinitati, cum in sacris litteris toties apparitio Dei in nube fieri dicatur. Unde is qui quasi filius hominis venire dicitur, simul uti in natura humana nobis ostenditur, ita in natura quoque divina clare exhibetur.... Hoc nostro loco non describitur eius ad iudicium adventus, sed quomodo angelorum comitatu magnifico cum pompa adducatur ad Deum Patrem qui inimicis devictis ei tradit regnum plane gloriosum.“

Marti (Daniel 52 sq) cum Aben Ezra, Hitzig, Hofmann, Meinhold aliisque illum qui *quasi filius hominis* veniebat, non Messiam sed populum sanctorum intellegit eo quod visio in vv. 18 22 27 ita declaretur. Sed Knabenbauer (Daniel 198), quocum protestans Behrmann (Daniel 48) consentit, apposite observat: „In visione filius hominis regnum accepit; in explicatione ponuntur sancti Altissimi, i. e. sanctus Dei populus, populus Messiae, non quod in ipso filio hominis nihil aliud quam populus Deo adducatur... sed quia sicut rex, ita quoque rex Messias non concipitur nisi cum iis quorum est salvator et rex; ei dat Deus regnum et per eum et ab eo accipiunt sancti regnum, i. e. gloriam et beatitatem. Messias et populus eius sanctus Deo intimo nexu coniunguntur et a prophetis exhibentur; ita iam Gn 49, 10 Messias describitur ut is cui est obedientia prompta populorum.... In v. 13 14 *filium hominis* esse Messiam etiam eo patet quia omnes populi, tribus et linguae ei servire dicuntur; sed quomodo concipi posset populo Messiano omnes populos et tribus servire, cum constans sit prophetarum doctrina omnes gentes tamquam hereditatem dari Messiae? Bene autem ad solatium et gaudium vatis omniumque fidelium in explicatione effert angelus etiam servos Dei regni et gloriae fore participes.“ — Christus et Ioannes evangelista explicationem in istis versibus datam scire debuerunt, nihilominus *filium hominis* Messiam intellexerunt (vide supra). Marti (Daniel 53) quidem asserit non certum esse

quod Christus semetipsum filium hominis appellaverit, sed evangelistas forsitan hoc nomen Christo attribuisse; Meinhold (Daniel 301) intellegentiam in Nov. Test. traditam vocat subiectivam quae interpretem Vet. Test. non obliget; at neutra sententia cum vera inspirationis notione conciliari potest (cf. pag. 9 12).

Aliud Danielis vaticinium, celeberrimum simul et intricatissimum, sequens est. Gabriel ad Danielem inter alia dixit: [24] *Septuaginta hebdomades,* שָׁבֻעִים, *abbreviatae sunt,* נֶחְתַּךְ i. e. definitae sunt, *super populum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummetur praevaricatio,* לְכַלֹּא (vel לְכַלּוֹת = לְכַלּוֹת; cf. *Kittel*, Biblia Hebraica) הַפֶּשַׁע, *et finem accipiat peccatum,* וּלְהָתֵם חַטָּאת (cf. *Kittel* l. c.), *et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur,* וְלַחְתֹּם i. e. et obsignetur, *visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum,* וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים i. e. et ungatur sanctum sanctorum. [25] *Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis,* מִן־מֹצָא דָבָר, *ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem,* עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד, *hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum.* [26] *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus,* מָשִׁיחַ: *et non erit eius populus, qui eum negaturus est,* loco horum 9 verborum in Hebraico simpliciter habetur וְאֵין לוֹ i. e. et non erit ei, in Graeca *καὶ οὐκ ἔσται. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* [27] *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (Dn 9, 24 sqq).

Quantis difficultatibus criticis, philologicis, chronologicis hoc vaticinium involutum; quam diversis modis explicatum sit, comparatio commentariorum a Behrmann, Hitzig, Knabenbauer, Marti, Meinhold editorum abunde manifestat. Knabenbauer (Daniel 231 ad 275) de hoc vaticinio 44 paginas conscripsit; in opere maiore quod vulgaturus sum, omnes omnino difficultates ac sententias doctorum disseram: hic tamen eam dumtaxat sententiam propono quae probabilior videtur.

Vaticinium est Messianicum. „Interpretatio Messiana, scribit Knabenbauer (Daniel 263), commendatur... consensu fere unanimi interpretum christianorum. Atque interpretes quoque catholici a tempore Dionysii carthusiani usque ad nostra tempora vestigiis maiorum fideliter haeserunt Messianam interpretationem propugnantes.“ Interpretatio Messianica etiam usu loquendi et con-

textu suadetur. *Hebdomades,* שָׁבֻעִים, non spatia 7 dierum neque 7 mensium sed 7 annorum esse plerique concedunt. *Sermonem* illum quo permissum est ut Ierusalem iterum aedificaretur, non decretum Cyri (1 Esr 1, 2—4; 6, 3—5) vel Darii I Hystaspis (1 Esr 6, 6—12) accipere possumus, quia in istis aedificatio templi, non urbis permittitur; sed neque decretum secundum Artaxerxis (465—422) quo rex anno 20 regni sui, i. e. 445 a. Chr., Nehemiae aedificationem murorum permisit (2 Esr 2, 7 sq), intellegere possumus, quia alioquin contradictiones chronologicae exoriuntur: quapropter decretum primum Artaxerxis accipimus quod anno 7 regni sui, i. e. 458 a. Chr., Esdrae tradidit (1 Esr 7, 11—26; cf. pag. 337). In isto decreto aedificatio urbis Ierusalem non quidem explicite sed implicite permissa est, quatenus Artaxerxes Esdrae plenam potestatem „res religiosas et civiles ordinandi" concessit: Esdrae „permittitur, ut quidquid sibi et fratribus placuerit, faciat iuxta voluntatem Dei, v. 18; praecipitur ei, ut constituat iudices et praesides, ut doceat imperitos, v. 25. Sed quomodo respublica ita institui potest, nisi praeter templum etiam urbs e ruinis surgat?" (*Knabenbauer,* Daniel 249). Esdram plena potestate sibi concessa ad aedificandam urbem usum esse litteris demonstrare possumus quas hostes Iudaeorum ad Artaxerxen miserunt. Iam pag. 324 cum Öttli aliisque notavimus litteras quae ob contextum psychologicum in 1 Esr 4, 7 sqq inseruntur, chronologice post 1 Esr 10, 44 et ante 2 Esr 1, 1 collocandas esse. His litteris autem hostes Iudaeorum Artaxerxi referunt eos civitatem aedificare murosque exstruere; „monent regem iam non recepturum tributum et vectigal urbe aedificata, immo ipsum amissurum omnem possessionem trans Euphraten: urbem enim illam semper exstitisse rebellem. Et rex accusatione illa et minis ita revera est instigatus ut rescriberet: *Prohibeatis viros illos ut urbs illa non aedificetur, donec si forte a me iussum fuerit.* Neque dicit tamen eos egisse contra potestatem a se factam neque eos propter inceptam aedificationem punit, sed solum praecipit, ut prohibeantur, ut aedificatio sistatur" (*Knabenbauer,* Daniel 249).

Knabenbauer (Daniel 249 sq) etiam aliud argumentum non spernendum affert; scribit enim: „Huic prorsus congruit quod Neh 1, 3 sq et 2, 3 de Nehemia legitur. Anno enim vigesimo regis Artaxerxis mense casleu Hanani cum aliis ex Iudaea veniunt ad Nehemiam, qui eos interrogat de Ierusalem. Illi respondent: murus Ierusalem dissipatus est, et portae eius combustae sunt igni. *Cumque audissem verba huiuscemodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis: ieiunabam, et orabam ante faciem Dei caeli. Et dixi* etc.

Ex qua narratione sequitur urbis aedificationem fuisse inceptam, sed ab inimicis non solum Iudaeos esse prohibitos, sed etiam quae iam aedificata erant fuisse destructa. Si enim nihil laboratum est in urbe aedificanda, sed ruinae remanserunt eodem statu in quem anno 586 per Chaldaeos erant relictae, cur Nehemias viros illos ex Iudaea advenientes interrogat de Ierusalem? Quaestio fuisset valde otiosa. Verum cum audit murum esse dissipatum, portas igni combustas, vim fundit lacrimarum, luget diebus multis, ieiunat, orat Deum, tristis est ita ut rex causam tristitiae exquirat, 2, 2 3. Iam vero urbem a Chaldaeis ante plurimos annos esse destructam et combustam Nehemias scivit antequam illi advenirent; calamitatem itaque recenter factam et aliam a priore illa deflet et luget; nuntium alium et aliud responsum exspectaverat, nuntium scil. urbem iam esse aedificatam vel saltem prospere rem agi. Sed spe sua deiicitur; inde acerbe luget. Quomodo enim probabile est Nehemiam anno ca 445 subito in lacrimas prorumpere, cum ei dicatur quod ante annos ca 140 factum sit et quod a puero factum esse scivit? Eum autem flere de calamitate recenter facta, contra spem facta, quid magis ad animi naturam consentaneum esse potest? Hisce igitur evinci videtur iam ante annum 20 Artaxerxis, igitur anno eius septimo potestatem urbis aedificandae esse datam." Hanc expositionem Knabenbaueri ea confirmant quae Nehemias in 2 Esr 2, 12—16 de nocturna et clandestina sua inspectione muri Ierusalem narrat.

Ergo a primo decreto Artaxerxis anno 458 a. Chr. promulgato usque ad *Christum ducem* erunt $7 + 62 = 69$ hebdomadae (pag. 594), i. e. 483 anni. Si ab anno 458 a. Chr. deducimus 483, pervenimus usque ad annum 25 p. Chr. aerae vulgaris. *Dux* autem vel pastor seu rex (pag. 592) a Deo in terram missus *unctus* est (cf. Ps 2, 2; pag. 477), quando ab Ioanne baptizatus est (*Bisping* ad Mt 3, 13 sqq, cum aliis), i. e. cum erat *quasi annorum triginta* (Lc 3, 23). At differentia 5 annorum nihil officit. Nam ex una parte aera vulgaris non certa est (cf. Theol. bibl. Nov. Test.), ex altera parte numeri prophetiarum non mathematice accurati sed summatim comprehensi apparent (cf. pag. 323). — Numerus 69 hebdomadarum in 7 et 62 hebdomadas distribuitur. Decurrentibus 7 hebdomadis urbs in *angustia temporum* aedificanda nuntiatur. „Proin ca annum 408 aedificatio erat completa. Id ex rerum gestarum monumentis non satis potest demonstrari, cum testimonia certa desint. At quae exsistunt, ita fuisse suadent. Esdras in Iudaeam reversus est ca annum 457; post annos 13 advenit Nehemias qui per annos 12 dux erat in terra Iuda (Neh 5, 14; 13, 6); dein rediit ad regem Artaxerxen, sed post aliquod tempus quod non accuratius determinatur *(in fine dierum)* iterum reversus est in Iudaeam. Eum diutius abfuisse ex variis abusibus qui irrepserant, concludi potest. Per id igitur tempus non sine magna rerum difficultate urbs paulatim est restituta" (*Knabenbauer,* Daniel 253 sq; cf. pag. 337 595). — Post hebdomadas 62 ab urbe aedificata numerandas Christus occidendus prophetatur, quod reapse

accidit. Uti Iacob (cf. pag. 577) ita Gabriel non dicit statim post terminum indicatum prophetiam implendam esse. Ad ista verba וְאֵין לוֹ, *καὶ οὐκ ἔσται*, *et non erit ei*, varii varia supplent. Ego cum Vulgata suppleo *populus*, sequens ו causale accipio et verto: *et non erit ei* populus, nam *civitatem, et sanctuarium dissipabit populus* Romanus *cum duce venturo* Tito: *et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio*, i. e. excidium populi Iudaici perpetuum erit. Neque heic Gabriel asserit hoc excidium populi statim post necem Christi futurum esse. — Ultima, i. e. 70 hebdomada *multis pactum confirmabit*, praedixit Gabriel. Revera infra 7 annos a baptismo Christi numerandos Ecclesia fundata et confirmata atque ab Iudaeis ad gentes transiit. Videas dispositionem Actuum Apostolorum in mea editione Bibliae Sacrae vel Novi Testamenti Graeco-Latini. *In dimidio hebdomadis*, non mathematice computando (cf. pag. 596), sacrificia Vet. Test. morte Christi abolita sunt. De *abominatione desolationis stante in loco sancto* Christus locutus est (Mt 24, 15).

„Cum itaque in oraculis ante Danielem toties declarata sit instauratio Messiana nomine foederis vel pacti, et cum ipse Daniel iam antea bona Messiana adscripserit hebdomadae septuagesimae, omnino certum est corroborare foedus de illo foedere Messiano, de largitione bonorum Messianorum, de fundatione regni Messiani esse intellegendum.... Clare praedicitur tum cessatura esse sacrificia vetera, quando bona Messiana venerint.... Morte itaque Christi evacuata sunt et significatione spoliata sacrificia vetera; iure cessabant illo sacrificio oblato quo peccata vere expiantur.... Aliud est utrum statim etiam ritus illi externi auferantur necne. Vaticinium id tangit quod rem constituit. Postquam illi ritus significatione sua destituti sunt, mox revera etiam externe cessabant.... Abominationes... non solum illa intellegi possunt scelera quibus tempore belli Iudaici ipsi Iudaei zelotae qui dicebantur locum templi foedarunt, verum etiam profanationes illae a Romanis invectae, dum signa militaria et idolorum imagines in loco olim sacro collocarentur“ (*Knabenbauer*, Daniel 259 sqq).

Versibus 25—27 ita declaratis etiam v. 24 clarescit. Hebdomadae 70 adhuc pro populo electo definitae seu decisae sunt, quibus decursis peccata omnis generis tollentur, iustitia (pag. 588) sempiterna adducetur, prophetiae Messiam et regnum eius respicientes implebuntur itaque confirmabuntur, Ecclesia Christi fundabitur. „Istud *sanctum sanctorum* a Deo unctum, ait Knabenbauer (Daniel 239 sq), est ipsa Christi Ecclesia, corpus Christi mysticum cum capite ipso qui est Christus; est ipse Christus, quatenus Ecclesiam tamquam corpus suum mysticum efformat.... Ecclesia igitur quae est sponsa Christi, est revera sanctissimum Dei templum, in quo Deus inhabitat, quod unctum est Spiritu Dei,

et sanctitas illa et unctio et inhabitatio Dei quae modo perfectissimo et substantialiter exsistit in Christo capite, per modum accidentalem et participationis pro ratione creaturae in seipsa subsistentis etiam habetur in membris Christi, in Ecclesia. Atque tale templum Dei sanctissimum revera institutum est in hebdomada septuagesima."

Quae cum ita sint, apparet quid in vaticinio Danielis praecipue tradatur. Gabriel tempus determinat quod usque ad baptismum ac mortem Christi, usque ad abolitionem Veteris atque institutionem Novi Testamenti decurrere debeat.

15. Apud Aggaeum (2, 7—10; hebr. 2, 6—9) legimus: *Quia haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est,* עוֹד אַחַת מְעַט הִיא i. e. adhuc semel (LXX, Hebr 12, 26 sq; *Bisping* h. l.), modicum est, i. e. „post modicum tempus" (*Knabenbauer,* Aggaeus 188) *et ego commovebo caelum, et terram, et mare, et aridam.* [8] *Et movebo omnes Gentes,* וְאֶת־כָּל־הַגּוֹיִם: *ET VENIET DESIDERATUS cunctis Gentibus,* וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם i. e. *καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν· et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* [9] *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* [10] *Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae,* גָּדוֹל יִהְיֶה כְּבוֹד הַבַּיִת הָאַחֲרוֹן מִן־הָרִאשׁוֹן i. e. *ἡ ἐσχάτη ὑπὲρ τὴν πρώτην, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem,* שָׁלוֹם, *dicit Dominus exercituum.*

Hoc vaticinium Messianicum esse omnes interpretes catholici et ipse protestans Orelli (Haggai 161 sq) docent. Quando Deus Testamentum Vetus in monte Sinai instituit, caelum et terram, mare et aridam commovit (Ex 7, 14—12, 30; 14, 15—31; 15, 22 ad 17, 7; 19, 16—18; Iud 5, 4 sq; Ps 67, 8 sq; *Bisping* ad Hebr 12, 26 sq; *Knabenbauer,* Aggaeus 188, cum S. Hieronymo); similiter *adhuc semel* se caelum et terram, mare et aridam commoturum praedicit. Ex his verbis S. Paulus abrogationem Vet. Test. atque institutionem et permanentiam Nov. Test. probat, scribens *Quod autem, Adhuc semel, dicit: declarat mobilium translationem tamquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia* (Hebr 12, 27; *Bisping* h. l.). Gentes a Deo commoti *desideratum* vel desiderium suum, חֶמְדָּה, i. e. res praestantes seu pretiosas suas, *τὰ ἐκλεκτά,* in Ierusalem et ad templum afferent quod iam Isaias praedixerat (60, 5 sq): *Tunc videbis, et afflues* vel potius lucebis gaudio, *mirabitur et dilatabitur cor tuum quando conversa fuerit ad te multitudo* vel potius opulentia *maris, fortitudo* vel potius divi-

tiae *Gentium venerit tibi: Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domini annunciantes.* Quid gentes in Ierusalem et ad templum convenientes a Deo accepturi sint Dominus ultima sua sententia exponit concludens: *in loco isto dabo pacem.* His verbis salutem Messianicam de Ierusalem egressuram nuntiari dubium esse nequit. Promiserat enim Dominus *omnes gentes* in Messia benedicendas fore (pag. 575); annuntiaverat Messiam *principem pacis* (Ps 71; Is 9, 6 sq; Mich 5, 5; cf. pag. 589) futurum esse: si ergo nunc asseverat se pacem promissam in *loco isto,* i. e. in Ierusalem et templo eius daturum esse, inferamus oportet Messiam in Ierusalem et templo appariturum, Novum Testamentum in Ierusalem instituendum esse (cf. Is 2, 2—5; Mich 4, 1—5): *de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Tum adventu gentium et donariis earum tum praesertim pace Messianica ab eo egrediente novissima gloria templi maior erit quam prima.

In v. 6 textus Hebraicus quem Vulgata (v. 7) reddit corruptus videtur. Marti (Haggai 386) cum Wellhausen et Nowack אחת *semel* delent; sed אחת Septuaginta exhibent, et S. Paulus argumentationem suam in verbis ἔτι ἅπαξ fundavit: argumentatio igitur corrueret, si ἅπαξ deleretur, quare hoc vocabulum retinendum est (cf. pag. 9 sqq). Ego מעט *modicum* delendum censeo, quia in Graeco et Syriaco et Hebr 12, 26 sq deest, et inter Aggaeum et Christum plusquam 500 anni interiacent (cf. pag. 322 324) qui pro hominibus non *modicum* sunt. — Argumentatio S. Pauli (Hebr 12, 26—28) talis est. Dominus dicit: *Adhuc semel: et ego movebo* etc. Dicit: *Adhuc semel.* Prima commotio caeli et terrae symbolum institutionis Vet. Test. fuit, ergo secunda commotio promissa symbolum institutionis Novi Test., ideoque abrogationis Vet. Test. erit. Dicit: *Adhuc semel.* Reapse nullibi tertia commotio prophetatur, quare concludere debemus Nov. Test. permansurum esse (cf. *Bisping* ad Hebr 12, 26 sqq). — Qualem commotionem caeli et terrae Dominus prophetaverit, inter exegetas non constat. Cum plerisque catholicis (cf. *Knabenbauer,* Aggaeus 190) illam commotionem intellegimus quae „Christi nativitate, baptismo, morte facta sit, et quidem *caeli* descensu scil. angelorum, stella Magorum, voce caelitus delapsa"; *terrae* „solis obtenebratione, terrae motu, petris scissis"; *maris,* quatenus se calcandum praebuit et iussu Domini oboedivit (*Knabenbauer* l. c.). — De commotione gentium idem Knabenbauer (Aggaeus 191) cum aliis bene observat: „Commotionem iure intelleges saltem ex parte eam qua Isaias (2, 12 sq et cap. 13—24) et Daniel (2, 24) regna esse collapsura significarunt, antequam vel ut regnum Messiae adveniat... sed in tam amplo oraculo etiam de illa gentium commotione erit cogitandum qua iam ante Aggaeum populos magno impetu venturos esse significabatur ad regnum Messiae vel ad montem Sion vel ad urbem Ierusalem (cf. Is 2, 2 sq; 14, 1; 49, 17 sq; 60, 4—16 etc.; Mich 4, 1 etc.)." — Illud חמדת *desideratum* est singularis collectivus ideoque cum plurali verbi ובאו coniungitur (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 470 sq). Septuaginta iuxta rationem scribendi Graecam vertunt καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτά. Marti et Nowack (ad Agg 2, 8) pluralem חמדת pro singulari substituere volunt quod non necessarium est.

Desideratum, חמדה, τὰ ἐκλεκτά, cum Knabenbauer, Marti, Nowack, Orelli, pluribus aliis res pretiosas gentium explicavimus; Hitzig (Haggai 328) personas electas earum intellegit; plurimi antiquiores interpretes et recentiores theologi *Desideratum Gentium* Messiam accipiunt, qui sensus plurali verbi excluditur. Ne quis putet nos in hac re liberalioribus ideis indulgere ascribo quae conservans Knabenbauer (Aggaeus 192 sqq) annotat. „Aegre hoc loco ab illa sententia recedo, inquit, quam multi catholici tanto cum studio et conatu defendere tentant, scil. textum hebraeum eum in modum vel posse vel etiam debere verti, ut vertit S. Hier. et in Vulg. legitur ... video eam a tot viris doctis et piis tanto cum conatu defendi, ita ut qui eam relinquat, fere impietatis insimulandus esse videatur. ... Equidem fateor me rei veritate plane cogi neque mihi ulla ratione posse persuadere textum hebr. uti est in eum sensum posse verti. ... Quod autem unius personae designationem penitus excludit, est numerus pluralis in באו *veniunt*. Nunquam enim apud Hebraeos nomen singulare cum plurali numero iungitur, nisi illud sit collectivum, i. e. multitudinem quandam et turbam exprimat. ... Quod alii volunt: *Desiderium* ut nomen Messiae plurima in se complecti, esse enim Messiam omnium rerum desiderabilium culmen ac fontem, multum quidem iuvat ad ascesin, nihil vero ad grammaticam. Nam non quodvis nomen amplae significationis pluralem admittit numerum, sed id solum quod turba aliqua ex multis collecta constat, ut v. c. populus, urbs, dominatio (= domini), vir Iudaeae (= viri), insidiator (= insidiatores), semen sanctum (= posteri), grex etc. ... Quae cum ita sint, textu hebr. retento alia versio quam quae supra data est, fieri nequit. Non autem esse suspicionem corruptionis movendam, iam docet versio τῶν LXX: καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν, docent Syrus quoque et Chald. qui eundem textum hebr. supponunt et speciatim pro plurali באו explicitum ferunt testimonium eodem modo ac pro singulari חמדת." Ita Knabenbauer. — Nowack (Haggai 307) asserit Messiam in nullo alio loco Vet. Test. *Desideratum Gentium* nominari. Hoc non verum est. Licet enim versio Gn 49, 10 *ipse erit expectatio gentium* incerta sit (cf. pag. 577), tamen iam Isaias (42, 4; 51, 5; 60, 9) de Christo (cf. pag. 588) praedixit: *et legem eius insulae expectabunt*, qua assertione implicite continetur Christum esse *desiderium* gentium. — Interpretes a sententia Patrum recedere posse pag. 25 diximus. „Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur", docet Leo XIII (Provid. 41 sq), sed statim subiungit: „Neque ideo tamen viam sibi putet (interpres) obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat" (cf. Exegeticam 64). Et Pius X die 11 Ianuarii 1906 ad Episcopum Le Camus scripsit: „In quella guisa, infatti, che si deve condennare la temerità di coloro che, preoccupandosi molto più di seguire il gusto della novità che l'insegnamento della Chiesa, non esitano a ricorrere a dei processi critici di una eccessiva libertà, conviene parimenti disapprovare l'attitudine di coloro che non osano, in alcun modo, romperla coll'esegesi scritturale vigente fino a ieri, anche quando, salva l'integrità della fede, il saggio progresso degli studi li invita coraggiosamente a farlo" (cf. *Peters*, Papst Pius X. und das Bibelstudium, Paderborn 1906, 50). Integritatem fidei salvam manere, immo vaticinium Aggaei Messianicum esse, etiam si in eo *desideratum gentium* non de Messia interpretemur, pag. 599 conspicitur. — Ceterum ob rationem pag. 370 allatam in theologia systematica versio Vulgatae *Desideratus Gentium* ut argumentum scripturisticum citari potest.

Sensus versus 9 *Meum est argentum, et meum est aurum,* non est: si templum novum divitiis carebit, cogitate me argento et auro non indigere; neque: si templum ornatum vellem, argentum et aurum mihi non deesset; sensus potius est: divitiae gentium ad templum venient (v. 8), nam argentum et aurum earum meum est ita ut de eo disponere possim. — In Vulgata gloria templi primi cum gloria templi novissimi comparatur; in textu Hebraico et Graeco autem gloria prima cum gloria novissima eiusdem templi confertur, quae collatio cum 2, 4 *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* optime congruit. Plerique recentiores cum Lapide consentiunt scribente: „Loquitur enim de templo Salomonis et Zorobabelis quasi de una et eadem Dei domo, quia una alteri successit eidemque loco inaedificata est." Si textui Hebraico et Graeco inhaeremus, quaestio superflua evadit quae animos textum Vulgatae explicantium torquebat, scil. utrum gloria templi secundi, i. e. Zorobabelis, an templi tertii, i. e. Herodis intellegenda sit. — Knabenbauer (Aggaeus 199) refert: „Alii gloriam templi maiorem etiam eo vindicare volunt, quod contendunt templum ab Herode instauratum fuisse magnificentius Salomonico, quem in finem multa afferuntur ex Iosepho (Ant. 15, 14; De bello Iud. 6, 6)", sed addit: „censemus de tali gloria quae ab Herode, vano et superbo rege, non pro Dei gloria sed pro sua ipsius ambitione et fastu templo sit collata, Dominum non esse dignatum loqui. Neque aliquam partem gloriae a propheta annuntiatae opus erit repetere ex muneribus illis templo collatis, de quibus 2 Mach 3, 2." — Quater notatur: *dicit Dominus exercituum* (cf. pag. 381), non solum ut attentio acuetur verum etiam ut fides augeatur et spes confirmetur; Deus cui omnia parent, ea quae promittit, etiam implere potest.

16. Zacharias iuxta Ir 23, 5; 33, 15 (cf. pag. 591) atque Is 4, 2; 11, 1 coll. 53, 2 (cf. *Orelli,* Sacharja 179) Messiam *ORIENTEM* vel potius *germen,* צֶמַח, scil. Davidis nominat (3, 8; 6, 12; cf. Hitzig-Steiner, Knabenbauer, Marti, Nowack, Orelli ad h. l.) atque eius ingressum triumphalem simulque humilem et pacificum in urbem regiam describit. *Exulta satis* vel potius valde, מְאֹד, *filia Sion,* inquit (9, 9), *iubila filia Ierusalem: ECCE REX TUUS* (cf. pag. 592) *veniet tibi* (cf. pag. 479, in fine) *iustus, et salvator,* צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא i. e. iustus et victor ipse (Vulgata *ipse* ad sequentia trahit): *ipse pauper,* עָנִי, *et ascendens,* וְרֹכֵב i. e. et vectus, *super asinam* vel potius asinum, חֲמוֹר, *et* quidem *super pullum filium asinae* vel asinarum, אֲתֹנוֹת. Prophetam de Messia venturo loqui omnes interpretes consentiunt (cf. Hitzig-Steiner, Knabenbauer, Marti, Nowack, Orelli ad h. l.). Quid צַדִּיק *iustus* significet, pag. 448 sqq declaravimus. נוֹשָׁע (participium niphʿal ab יָשַׁע) idem est ac liberatus vel adiutus a Deo indeque victoriam reportans (*Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch); Septuaginta, Syrus, Chaldaeus, Hieronymus מוֹשִׁיעַ (participium hiphʿil ab יָשַׁע) i. e. *salvans* seu *salvator* legerunt, quam lectionem Kittel (Biblia Hebraica) probabiliorem censet. Non vehitur superbo (Eccl 10, 7; Is 2, 8) et bellico (Is 30, 16) equo sed patiente (Gn 49, 14) asino tempore pacis hominibus inserviente

(cf. *Hitzig-Steiner,* Sacharja 379). Qualis sit asinus, propheta epexegetice (וְ = et quidem; cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 492) describit: erit asinus iuvenis, *pullus,* עַיִר, *filius asinae* vel asinarum (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 406). Urbs regia Davidis igitur exsultare debet, quia successor Davidi promissus (pag. 583) ad utilitatem eius (pag. 479, in fine) triumphator eam ingredietur, et quidem iuste subditos regens eosque salvos faciens; quia ex humili condicione egrediens (pag. 589) patiens et pacificus erit. — Hoc vaticinium Christus non tantum spiritualiter (Mt 12, 17 sqq; cf. pag. 588) sed etiam litteraliter (Mt 21, 4 sqq; Io 12, 14 sq) implevit.

Idem Zacharias praedixit quoque Messiam ab Iudaeis triginta argenteis appretiandum fore. Pastor bonus (cf. 9, 1—11, 14) ad Iudaeos: *Si bonum est in oculis vestris,* inquit, *afferte mercedem meam: et si non, quiescite* vel potius omittite, חֲדָלוּ. *Et appenderunt,* i. e. appendentes solverunt *mercedem meam triginta argenteos,* scil. siclos (= ca 72 *M;* cf. pag. 201). *Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium* vel figulum, הַיּוֹצֵר, *decórum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et proieci illos in domum Domini ad statuarium,* הַיּוֹצֵר (11, 12 sq). Orelli (Sacharja 200) putat haec omnia in rerum veritate evenisse, quae tamen opinio demonstrari nequit; melius Knabenbauer (Zacharias 351) asserit: „Haec omnia vates in visione peragit, experitur; ea autem symbola sunt quibus res futurae exhibentur." Quomodo prophetia, ante impletionem obscura, intellegenda sit impletio manifestat. Christus, verus pastor bonus, ab Iudaeis triginta argenteis appretiatus est (Mt 26, 15); Iudas vile istud pretium in templo proiecit; sacerdotes pretium sanguinis non in thesaurum templi sed figulo dederunt, agrum eius in sepulturam peregrinorum Iudaeorum ementes (Mt 27, 3—8). *Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati* pastoris, *quem appretiaverunt a filiis Israel: et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus* (Mt 27, 9 sq).

Antiquis temporibus argentum signatum nondum exsistebat, ideoque frusta argenti appendebantur (Comment. 339). Triginta argentei pretium servi vel ancillae erant (Ex 21, 32), quare per ironiam *decórum pretium* vocatur. — Pro הַיּוֹצֵר *figulus* multi recentiores הָאוֹצָר *thesaurus* legere volunt. At Bisping (in Mt 27, 9 sq) optime notat hanc vocem non bene in contextum quadrare; nam textu sic mutato Dominus diceret: „pretium est quidem vile, nihilominus illud in thesaurum meum mitte". Insuper tunc prophetia non impleta esset, quia triginta argentei non in thesaurum missi sunt (cf. Mt 27, 6). Multo melius hic sensus in con-

textum quadrat: „tam vile pretium proiice abs te pro figulo“; quomodo ultima verba accipienda sint, impletio prophetiae nobis ostendit. Triginta argenteos non Dominus in templo proiecit sed Iudas; eos non Dominus sed sacerdotes figulo dederunt: at Iudas et sacerdotes providente Domino, ut idem Bisping (l. c.) observat, de argenteis sic disposuerunt ut prophetia impleretur. — Ad verba Domini *quo appretiatus sum ab eis*, Knabenbauer (Zacharias 352) scribit: „Vatem in visione Dei sustinere personam etiam eo innuitur, quia pretio vati soluto Deus se appretiatum esse profitetur; neque infirmum inde argumentum colligi poterit pro Messia qui sit Deo aequalis in natura divina.“ Pro יקרתי *appretiatus sum* non est legendum יקרת *appretiatus es*, quia testes critici pro priore stant lectione. — Quomodo Matthaeus locum apud Zachariam scriptum uti locum Ieremiae citare potuerit, commentatores evangelii Matthaei exponunt. Bisping (in Mt 27, 9 sq) et Pölzl (Leidens- und Verklärungsgeschichte 235), quibuscum consentio, censent locum suo tempore reapse apud Ieremiam scriptum fuisse, inde a Zacharia sumptum, postea in Ieremia omissum esse. Ambo citant S. Hieronymum testantem: „Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenae sectae mihi Hebraeus obtulit Ieremiae apocryphum, in quo haec ad verbum scripta reperi.“

17. In libro Malachiae denique praedictio sacrificii et praecursoris Messiae litteris consignata est. Praedictio sacrificii. *Non est mihi voluntas,* חֵפֶץ i. e. delectatio, *in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus,* וּמִנְחָה, *non* benevole *suscipiam,* לֹא־אֶרְצֶה, *de manu vestra.* [11] *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda,* מְקֻטָּר מֻגָּשׁ לְשְׁמִי וּמִנְחָה טְהוֹרָה i. e. suffitum oblatum nomini meo et oblatio munda: *quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum* (1, 10[b] sq). Septuaginta vertunt: *οὐκ ἔστιν μου θέλημα ἐν ὑμῖν, λέγει κύριος παντοκράτωρ, καὶ θυσίαν οὐ προσδέξομαι ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν.* [11] *Διότι ἀπ᾽ ἀνατολῶν ἡλίου καὶ ἕως,* וְעַד, *δυσμῶν τὸ ὄνομά μου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσιν, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσάγεται τῷ ὀνόματί μου καὶ θυσία καθαρά· διότι μέγα τὸ ὄνομά μου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, λέγει κύριος παντοκράτωρ.*

Quod ad textum attinet, Marti (Maleachi 464) in v. 10[b] verba *dicit Dominus exercituum* serius addita putat; Kittel (Biblia Hebraica) in v. 11 ultimam sententiam *quia magnum est . . . dicit Dominus exercituum* dubitans serius additam censet: at testes critici tam illa verba quam hanc sententiam genuina commonstrant. Deinde plures duplici participio hoph'al מְקֻטָּר (a קָטַר) atque מֻגָּשׁ (a נָגַשׁ) offensi sunt; Marti et Nowack מֻגָּשׁ necnon ו ante מִנְחָה ut glossas serius adiectas delent: sed utrumque retinendum est, quia versione Graeca et Syra et Latina confirmatur, atque lectio difficilior iuxta principia critica (cf. Bibelkritik 178) generatim genuina iudicatur. Etiam ratio philologica id suadet. Si enim מֻגָּשׁ et ו

delemus, מִנְחָה *fem.* subiectum et מְקֻטָּר *masc.* praedicatum est; licet talis constructio irregularis possibilis sit (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 470 sqq), tamen sine ratione non supponenda est. Gesenius (Thesaurus), Hitzig-Steiner (Maleachi 418), Orelli (Maleachi 214) cum versione Graeca et Syriaca participium מְקֻטָּר ut substantivum accipiunt et *suffimentum* declarant. Denique מִנְחָה quodlibet donum numini oblatum, praesertim vero fertum, i. e. sacrificium incruentum significat (Gn 4, 3 sq; Comment. 100 sq; *Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch).

His verbis Malachias non de praesenti sed de futuro suffimento et quidem de oblatione seu *mincha* loquitur. Participium מֻגָּשׁ *oblatum* tam praesens quam futurum tempus significare potest; quale revera indicet e contextu colligendum est (*Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 358 sq). In v. 11 autem illud necessario futurum accipere debemus. Nam *Dominus exercituum,* יְהוָה צְבָאוֹת (cf. pag. 381), affirmat *nomen suum,* i. e. naturam suam quatenus hominibus manifesta est et ab eis cognoscitur (pag. 384 sq), in gentibus *magnum* esse, i. e. laudibus efferri (גָּדַל, cf. pag. 386), et quidem *ab ortu solis usque ad occasum,* i. e. toto terrae ambitu quem sol perlustrat (*Knabenbauer,* Malachias 433): hoc aetate Malachiae non accidit, ut omnes interpretes confitentur, ergo vaticinium tempus futurum respicit. Deinde Dominus exercituum testatur nomini suo, i. e. naturae ipsius Iahve ab hominibus cognitae (cf. supra), in *omni loco* suffimentum et quidem oblationem, mincha, offerri: hoc fatentibus cunctis vivente Malachia non evenit, ergo vaticinium tempus futurum respicit. Denique Dominus exercituum asserit nomini suo ubique in gentibus oblationem *mundam* offerri: at omnes concedere debent ante Christum oblationes gentium minime mundas fuisse, ergo vaticinium tempus futurum respicit.

Futurum istud sacrificium a Malachia praedictum non sacrificium crucis sed sacrificium Missae intellegamus oportet, tum quia non sacrificium crucis sed sacrificium Missae in *omni loco* offertur, tum quia tempore sacrificii crucis *nomen Iahve* nondum in gentibus magnificabatur (cf. Rom 1, 18 sqq): Dominus autem affirmat sibi oblationem mundam in omni loco offerri, *quia* iam magnum i. e. celebratum est nomen suum in gentibus (cf. pag. 603). — Ex quo sequitur sacrificium Missae verum et proprium sacrificium esse. Opponitur enim a Domino veris et propriis sacrificiis Iudaeorum atque describitur terminis technicis קָטַר et נָגַשׁ et מִנְחָה qui verum et proprium sacrificium significant, quemadmodum omnes interpretes

profitentur. — Secundum ea quae pag. 604 scripsimus, מְקֻטָּר *suffimentum* substantivum idque subiectum generale, מְנָשׂ *oblatum* scil. erit (pag. 604) praedicatum accipimus; subiectum generale sequenti subiecto speciali וּמִנְחָה *et* quidem (cf. *Gesenius-Kautzsch,* Grammatik 492) *oblatio* magis explicatur. מְקֻטָּר *suffimentum* generatim sacrificium Deo crematum significare ex Buhl (Handwörterbuch), Gesenius (Thesaurus), Nowack (Maleachi 398) discimus.

Ob rationes criticas et philologicas tam מגש quam מקטר retinendum est; ceterum sensus non mutatur, si מגש atque ־ explicativum deletur. — Knabenbauer (Malachias 440) ut Hitzig-Steiner et Orelli illud מקטר *suffitum* sensu strictiore suffimentum seu sacrificium incensi (Rauchopfer) intellegit (cf. *Buhl,* Handwörterbuch) itaque declarat: „Nam ubique et frequenter in cultu liturgico thus adoletur, et adoletur in oblatione Missae sollemniore. Id casu ac fortuito fieri dicet nemo. Ergo revera prophetia ad litteram impletur. Si autem talis est impletio, cur eandem esse praedictionem asserere dubitabis? . . . Exinde tamen minime consequitur incensum habere rationem veri sacrificii in N. T.; neque enim in V. T. thus ferto additum erat sacrificium distinctum, et cum in oraculo nostro ita coniunctum cum *minchah* efferatur, de sacrificio thuris cogitari nequit." Planior tamen est interpretatio a nobis proposita (vide supra). — Idem Knabenbauer (Malachias 432 sq) ut Hitzig-Steiner et Orelli *mincha* sensu strictiore qua fertum seu sacrificium incruentum accipit itaque intellectum suum probat: „Versu enim 7 Deus conquestus est de cibo polluto, qui cibus omnia sacrificia complectitur; iam in subsequentibus prius sermonem fecit de sacrificiorum cruentorum genere (v. 8) eaque reprehendit; nunc ad incruenta quoque sermonem transfert, et ita id quod v. 7 indicaverat, per singulas suas partes est expositum." — Vulgata vertit: *in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda;* ponit igitur inter *sacrificatur, offertur* illud *et* quod ante *oblatio* omittit: sed textus Masorethicus versione Graeca confirmatur. Illud מקטר recte de sacrificio generatim interpretatur (vide supra).

Concilium Trid. (Sess. XXII, c. 1) de sacrificio Missae docet: „Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit." Et Knabenbauer (Malachias 439) bene ascribit: „Omnibus quae a propheta praedicuntur, optime respondet sacrificium Missae in Ecclesia catholica. Est scil. cultus sacrificialis externus *ab ortu solis usque ad occasum,* i. e. per universum orbem Deo inter gentes et a gentibus, i. e. ab iis exhibitus qui potissimum natione non sint Iudaei; immo in Ecclesia per orbem dilatata etiam eo sensu offertur a solis ortu usque ad occasum, ut nulla sit diei pars qua non in hoc vel altero hemisphaerio sacrificium offeratur. . . . Est oblatio *munda* . . . quia victimam continet sanctissimam, pretiosissimam, ideoque Deo est summe placens et accepta; congrue designatur per *minchah,* cum sit sacrificium incruentum et sub specie panis et vini oblatum merito referatur ad sacrificium farinaceum, ad fertum, qualia ex lege Mosaica farina, polenta aut libis constantia cum oleo, sale, thure in altari offerebantur et cremabantur." — Protestantes sacrificium Missae negantes diverso modo vaticinium Malachiae explicant. Antiquiores (Lutherus, Hengstenberg, Keil, Delitzsch aliique; cf. *Orelli,* Maleachi 214; *Knabenbauer,* Malachias 441) de futuro quidem sacrificio illud intellegunt sed spirituali

(cf. Rom 12, 1). At hic intellectus tam contextui Malachiae (cf. pag. 604) quam testimonio S. Pauli (cf. 1 Cor 10, 14 sqq; Hebr 13, 10) contrarius nunc ab omnibus repudiatur. Recentiores (*Hitzig-Steiner,* Maleachi 419; *Marti,* Maleachi 464; *Nowack,* Maleachi 397; *Orelli,* Maleachi 214) locum de praesenti sacrificio interpretantur, asserentes in toto contextu nihil insinuare participia vel participium ut futurum accipiendum esse. At contrarium verum est. Ipsa verba versus 11 nos cogunt ut participium ut futurum accipiamus (cf. pag. 604), quod interpretationes recentiorum protestantium clare ostendunt. Orelli (l. c.) cum Ewald cultum proselytorum intellegit; sed Hitzig-Steiner, Marti, Nowack recte opponunt Malachia praedicante nondum in *omni loco* proselytos fuisse. Hitzig-Steiner, Marti, Nowack cum Wellhausen et antiquioribus (cf. *Orelli* l. c.; *Knabenbauer*, Malachias 435), sacrificia gentium diis earum oblata intellegunt dictitantes Malachiam pronuntiare quod sacrificia diis gentium, Ormuzd, Iovi etc. oblata stricte loquendo ipsi Iahve offerantur. Sed hanc assertionem non solum Knabenbauer (l. c.) cum Bellarmino verum etiam Orelli (l. c.) recte repudiat. Nam propheta qui matrimonia inter Iudaeos et gentes *abominationes* et *contaminationes* nominat (2, 11), certo sacrificia gentium non *munda* vocat; et Dominus exercituum qui affirmat sibi ubique mundum sacrificium offerri, *quia* natura *Iahve* in gentibus cognita est ac colitur (cf. pag. 604), minime sacrificia eorum innuere potuit qui ipsum *Iahve* nondum cognoscebant vel saltem non colebant. Illa gentium „oblatio nullo modo dici potest *munda*, scribit Knabenbauer (l. c.), nec Deo vero offerebant; quae enim gentes immolant, *daemoniis* immolant, non Deo, dicit Apostolus (1 Cor 10, 20). Porro teste Apostolo eodem gentes cognoverunt quidem Deum, at non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed creaturae potius quam creatori servierunt (Rom 1, 21—25)." Ergo verba Malachiae de futuro sacrificio explicari debent, et quidem de sacrificio Missae, quemadmodum pag. 604 demonstravimus. — „Hoc solo vaticinio sectae protestantium qui dicuntur prostratae iacent et a vera Ecclesia, per prophetas descripta, exclusae et separatae" (*Knabenbauer,* Malachias 440 sq).

In libro Malachiae praedictio praecursoris Messiae quoque litteris consignata est. *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis* (3, 1; cf. pag. 471). *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum* (4, 5 sq; hebr. 3, 23 sq). His sententiis prophetam nuntiasse adventui priori et altero Christi a Domino praecursorem praemittendum fore, dubium esse nequit, si Mt 11, 10 14; 17, 11 sq; Mc 1, 2; 9, 11 sq; Lc 1, 17; 7, 27 conferimus. Nam Christus ipse declaravit: *Hic,* i. e. Ioannes baptista, *est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te . . . et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est* (Mt 11, 10 14). *Elias quidem venturus est, et restituet omnia. dico autem vobis, quia Elias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo*

quaecumque voluerunt (Mt 17, 11 sq). Videas Bisping, Knabenbauer, Pölzl hos locos evangelistarum commentantes.

18. Pauca de typis Messianicis adicio. Typi Messianici sunt personae vel res quae ob alios quidem fines creatae sed a Deo ita gubernatae sunt ut venturum Messiam eiusque regnum praenuntiarent (cf. Exegeticam 12 sqq). In maiore meo opere omnes enumerabo; hic celebriores dumtaxat annoto.

a) Typus Christi est *Adam* (Rom 5, 14), typus Mariae est *Eva* quod „Patres mirabili consensu proponunt" (*Corluy,* Spicilegium I 369). α) Similes equidem sunt, sed in contrarium, Adam et Christus: uterque caput et origo, ille peccati, hic gratiae; ille mortis, hic vitae; ille damnationis, hic salutis et gloriae. Adam peccando posteritatem suam perdidit, Christus moriendo genus humanum reparavit; corpus Adae de terra non maledicta formatum est, corpus Christi de Virgine immaculata; de latere Adae dormientis sumpta est mulier, ex latere Christi mortui fluxerunt sacramenta quibus formatur Ecclesia (cf. meam expositionem epistolae ad Romanos 181 sq). β) Similes quoque sunt, etiam in contrarium, Eva et Maria. Ab illa omnes vitam corporalem seu naturalem, ab hac spiritualem seu supernaturalem accipiunt; per Evam omnes peccatores constituuntur, per Mariam autem iusti, si volunt; Eva cum Adamo primo, Maria cum Adamo secundo ista operatur. Illa incredulitate et inoboedientia peccavit, haec fide et oboedientia promeruit; illa punitur, haec benedicitur (Selbst, Lapide, Corluy; cf. Comment. meum in Genesim 86).

b) Typus baptismatis christiani est *diluvium* (1 Petr 3, 21), typus Ecclesiae christianae est *arca Noe* (consensus unanimis Patrum). Etenim α) per aquam diluvii octo animae in arcam ingressi sunt (Gn 7, 7) et in illa servabantur, per aquam baptismatis homines in Ecclesiam ingrediuntur et in illa salvantur (Mc 16, 16); Noe cum familia sua Deo praecipienti credidit et oboedivit (Gn 6, 14 sqq) itaque salvus factus est per aquam (Hebr 11, 7), Christiani quoque Deo praecipienti credere et oboedire debent, ut salvi fiant per baptismum (Mt 28, 19 sq; Mc 16, 16); diluvium peccatores delevit et novum genus produxit (Gn 7, 23), etiam baptisma peccatorem delet et novam creaturam prodire facit (Rom 6, 4 sqq). Videas Bisping, Burger, Kühl ad 1 Petr 3, 21 et Comment. meum in Genesim 178. β) Arca fuit contemptibile quidem lignum sed a Deo gubernatum (Sap 10, 4), Ecclesia quoque contemptibilis videtur (1 Cor 1, 17 ad 31) sed a Deo gubernatur (Mt 28, 20); una porta in arca fuit (Gn 6, 16), per unam ianuam in Ecclesiam intrare debent omnes, scil. per baptisma (Mt 28, 19; Mc 16, 16); impetus aquarum arcam in sublime tulerunt (Gn 7, 18), persecutiones quae in Psalmis cum aquis comparantur, Ecclesiam sublimiorem reddunt (Comment. 178).

c) Typus Christi est *Melchisedech*, quam veritatem S. Paulus testatur atque declarat. Melchisedech fuit rex et sacerdos ut Christus (Hebr 5, 6 10; 7, 1), fuit rex iustitiae et pacis ut Christus (Hebr 7, 2), fuit mediator inter Deum et homines ut Christus (Hebr 5, 1—10), fuit panem et vinum offerens ut Christus (cf. Hebr 7, 11 sqq; 1 Cor 11, 23 sqq), fuit *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in aeternum* (Hebr 7, 3). Ultima haec verba iuxta usum loquendi profanum et sacrum non significant Melchisedechum reapse non habuisse patrem, matrem, genealogiam, initium dierum et finem vitae, sed significant haec omnia nobis ignota esse. Eo ipso autem quod Deus, auctor principalis S. Scripturae, Melchisedechum talem induxit, Christum praefigurare voluit qui ut homo

sine patre atque ut Deus sine matre, sine initio et fine dierum, sine genealogia est (cf. commentarios in Hebr 5 et 7). Denique Melchisedech fuit maior Abraha et sacerdotio Levitico ut Christus (Hebr 7, 4 sqq). Videas Comment. meum in Genesim 253 sq.

d) Uxores Abrahae, Sara et Agar, cum filiis suis sunt typi *Novi et Veteris Testamenti* (cf. Gal 4, 22 sqq et commentarios h. l.); agnus paschalis et serpens a Moyse erectus sunt typi *Christi crucifixi* (cf. Io 19, 36 et 3, 14 sq; commentarios h. l.); Ionas est typus *Christi sepulti*, quod Christus ipse declarat (Mt 12, 40). *Sicut enim fuit Ionas*, inquit, *in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus, et tribus noctibus.*

e) Ad verba Ezechielis (44, 2 sq) *Et dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portae vestibuli ingredietur, et per viam eius egredietur* consulto explicationem Knabenbaueri (Ezechiel 462 sqq) appono. „Cur porta (orientalis atrii exterioris) clausa sit, ei angelus nomine Iahve explicat . . . per eam portam gloria Domini redierat in templum, 43, 2.... Eo ingressu ita scil. sacra effecta est, ut ad Dei maiestatem agnoscendam et venerandam omnibus fieret inaccessa et iam nemini aperiretur. Ne principi quidem aperienda erat. Ei solum licet sedere, i. e. commorari in vestibulo, ut ibi epulas sacrificales celebret coram Domino: ad quod vestibulum intrabit non per portam orientalem exteriorem quae semper clausa manere debeat, sed ex atrio ipso exteriore, in quod aedificium portae et vestibulum protenditur. In atrium igitur exterius princeps cum reliquis ingredi debebit per portam aquilonarem vel australem, cum alia non adsit. Similiter si egreditur, viam capere debet a vestibulo in atrium exterius, e quo per duas illas portas exitus patet in urbem.... Sententia haec de porta per quam nemo intrabit, quia Dominus per eam ingressus est, celebris est apud SS. Patres et scriptores ecclesiasticos.... Atque profecto ratio quae affertur, cur ea porta nemini pervia esse debeat, ea est adeoque in universum profertur, ut ad aulam virginalem matris Messiae congruo modo et ex pari causa valere iuremerito dici possit vel etiam debeat. Unde in ea porta non quidem vaticinium de virginitate Mariae agnoscemus neque typum proprie dictum interpretabimur, at ex paritate rationis vel ex axiomate enuntiato rite concludemus eam quae Deum mundo peperit, ex Dei instituto et voluntate virginem perpetuo esse debuisse. Dignitas igitur illius in quam Spiritus sanctus supervenit, et quam virtus Altissimi obumbravit, et quae lumen aeternum mundo effudit, talis esse perhibetur exemplo portae huius et hoc praecepto divino de claustro perpetuo, ut ea ab omni consortio longissime abesse debuerit idque quam maxime saltem decuerit.... Et S. Hier. quidem varias dat explanationes sed tandem concludit: ‚pulchre quidam portam clausam per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, Mariam virginem intellegunt quae et ante partum et post partum virgo permansit' . . . rectius non tam accommodatio dicatur quam sensus consequens." De sensu consequente in Exegetica 16 110 sq scripsimus.

§ 47. Consequentiae ex promissionibus deducendae.

1. Protoparentes pro semetipsis atque toto genere humano iustitiam originalem (cf. pag. 539) peccando (cf. pag. 542 sqq) amiserunt omnesque in statum peccati (cf. pag. 550 sq) praecipitarunt.

„Dominator Dominus Deus autem, *misericors et clemens, patiens et multae miserationis* ac fidelis, custodiens caritatem *in millia,* auferens *iniquitatem, et scelera, atque peccata*“ (Ex 34, 6 sq; cf. pag. 444) iam protoparentibus *semen* promisit quod genus humanum redimeret, cum semine serpentis bellum gereret, serpentem ipsum devinceret sed ab eo vulneraretur (cf. pag. 552 sqq). Hoc vaticinium generale Deus posteris protoparentum tam immediate quam mediate per prophetas repetebat et magis magisque determinabat.

Praedixit redemptorem generis humani egressurum esse de familia Semi (§ 46, 2), de familia Abrahae, Isaac et Iacob (§ 46, 3), de tribu Iuda (§ 46, 4), de domo David (§ 46, 8 10 12 13 16), de urbe David (§ 46, 11); praedixit eum venturum esse, postquam sceptrum de Iuda ablatum (§ 46, 4), domus David humiliata (§ 46, 10), hebdomada 69 post promulgatum decretum urbis Ierusalem aedificandae completa fuerit (§ 46, 14). Descripsit salvatorem mundi regem gloriosum de hostibus tumultuantibus triumphantem (§ 46, 5 7); pastorem omnium (§ 46, 7 14), praesertim Israelis (§ 46, 11); regem sapienter et iuste gubernantem, salutem et *iustitiam* afferentem (§ 46, 12), efficientem ut *mandata divina observentur* (§ 46, 13), in aeternum regnantem (§ 46, 14), triumphaliter in Ierusalem ingredientem (§ 46, 16) ibique Novum ac permanens Testamentum instituentem (§ 46, 15). Praenuntiavit eum *prophetam* (§ 46, 6), atque *Deum* plenum gratiae et veritatis (§ 46, 7 10 14) necnon *sacerdotem* in aeternum secundum ordinem Melchisedech (§ 46, 7 17); praenuntiavit eius conceptum et partum virginalem (§ 46, 10 12), venditionem (§ 46, 16), vicariam passionem ac mortem (§ 46, 7 10), resurrectionem et exaltationem ad dexteram Patris (§ 46, 7 10), coniunctionem cum Ecclesia sua (§ 46, 7 9). Vaticinatus est demum institutum prophetarum usque ad Christum permansurum (§ 46, 6) et Messiae praecursorem praemittendum fore (§ 46, 17).

2. *Fides* in redemptorem promissum, spe et caritate *formata,* homines Veteris Testamenti e statu peccati eduxit atque in statum iustitiae transtulit. *Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad iustitiam,* ait hagiographus (Gn 15, 6), וְהֶאֱמִן בַּיהוָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה i. e. et credidit Domino, et imputavit illud ei iustitiam. Hic locus celeberrimus in Novo Testamento (Rom 4, 3 sqq; Gal 3, 6 sqq; Iac 2, 21 sqq) authentice explicatur (cf. Exegeticam 69). Abram ex fide, per spem et caritatem formata, *iustus* (cf. pag. 451) seu amicus Dei factus est. Abram *credidit,* i. e. propter auctoritatem

Dei loquentis pro certo habuit prolem suam fore numerosissimam (Gn 15, 5), credidit in se benedicendas esse universas cognationes terrae (Gn 12, 3), credidit saltem implicite in Christum semen promissum (cf. pag. 554); simul etiam in Domino promittente *speravit* atque Dominum praecipientem oboediendo *dilexit*, uti tota eius historia demonstrat: et illud credere simulque sperare et diligere Deus illi *imputavit* iustitiam; aliis verbis, ob istam fidem Deus ex gratia Abrae *iustitiam veram* donavit, nam Deus propter omniscientiam (pag. 432 sqq) et veracitatem (pag. 460) suam neminem iustum seu amicum suum reputare potest qui non reapse talis est (Comment. 257 sq). Ex hoc modo iustificationis Abrae, quem S. Paulus (Rom 4, 1) *προπάτορα ἡμῶν, progenitorem nostrum*, i. e. auctorem populi electi appellat (cf. meum comment. in epist. ad Romanos 127 sqq), quem Deus ad notitiam et cultum suum conservandum elegit (pag. 61 sqq), colligere possumus ac debemus quomodo homines ante et post Abraham viventes e peccato ad iustitiam translati, iustificati seu *redempti* sint. Per eandem fidem, spe et caritate formatam qua nos iustificamur, etiam homines Veteris Testamenti iustitiam consequebantur: nos credimus in Christum, quatenus redemptionem generis humani iam perfecit; illi credebant in eundem Christum, quatenus redemptionem perfecturus erat (cf. comment. in epist. ad Romanos 130 140 152). Adamum per sapientiam divinam, i. e. per redemptorem promissum (cf. pag. 472 sqq) *a delicto suo* eductum esse Sapiens (Sap 10, 1 sq; cf. pag. 549) diserte notat itaque redemptionem posterorum eius saltem implicite significat.

3. Quatenus *sacrificia* et *sacramenta* Vet. Test. iustitiam conferre potuerint, in Archaeologia biblica diffuse exponitur. Videas Kortleitner (Archaeologiae biblicae summarium 135 sqq 141 sqq 160 sqq). Nos breviter dumtaxat (cf. pag. 3 6) annotamus sacrificia et sacramenta Vet. Test. non ex opere operato sed ex opere operantis seu „ex virtute fidei passionis Christi“ (*S. Thomas* 3, q. 70, a. 4) peccatum delesse atque iustitiam internam contulisse.

4. Iustitiam adeptam homines observatione mandatorum divinorum (cf. pag. 516 sq) conservare debebant.

5. Ut homines in redemptorem venturum crederent et sperarent eumque diligerent; ut ita iustitiam internam acquirerent et observatione mandatorum divinorum eam conservarent: Deus *prophetas*, נְבִיאִים, excitavit. Nomen נָבִיא *propheta* probabiliter a נָבָא (assyr. *nabû* = vocare, annuntiare) derivandum est (*Buhl*, Hand-

wörterbuch) quod in kal inusitato *ebullire, copiose effundere* significat; adhibetur in formis passivis niphʿal et hithpaʿel tantum, „quoniam alienis magis quam suis viribus moveri et affici credebantur vates divini“ (*Gesenius,* Thesaurus): fuerunt prophetae *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι* (2 Petr 1, 21), non sua sed alterius sensa ac decreta annuntiantes seu interpretantes. Dominus ad Moysen dixit: *Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia quae mando tibi: et ille loquetur ad Pharaonem* (Ex 7, 1 sq). Et iterum: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi. qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam* (Dt 18, 18 sq; cf. pag. 580).

Spiritu igitur divino acti (2 Petr 1, 21) prophetae proloquebantur: sive homines instituendo, convincendo, exhortando (1 Cor 14, 24 sq 31) sive peccatores castigando (2 Rg 12, 1 sqq) sive bona (Ez 37, 4) aut mala (Ir 25, 13) annuntiando, sive comminando (Is 1, 1 sqq) aut consolando (Is 40, 1 sqq) vel carmina dicendo (1 Rg 10, 10 sqq; cf. Lc 1, 67 sqq). Praedictio futurorum non quidem necessario sed nihilominus plerumque cum munere prophetico coniuncta erat. Omnes prophetae veri fuerunt familiares Dei, quatenus consiliorum eius participes fiebant et in promulgatione illorum ab eo dirigebantur, quapropter *viri Dei* (4 Rg 4, 16 21) et *servi Dei* (4 Rg 17, 13 23) nominabantur.

Quid protestantes revelationem supernaturalem et vaticinia (pag. 8), immo Deum personalem (pag. 16 430) negantes de prophetis sentiant Leo XIII (Provid. 27 29) exposuit (cf. pag. 8). — De singulis prophetis pag. 227 sqq egimus. Diffusiora in operibus introductoriis, e. g. Cornely (Introductio II 2, 267 sqq), Kaulen (Einleitung II 170 sqq) necnon in introductione commentariis librorum prophetarum praemissa, e. g. Knabenbauer (Isaias etc.) traduntur et hic omittenda sunt, quemadmodum pag. 6 diximus. In opere maiore ego quoque de prophetis diffusiora traditurus sum.

ARTICULUS III.

DE CONSUMMATIONE MUNDI.

Sacrae Litterae Vet. Test. consummationem seu novissima, *τὰ ἔσχατα,* אַחֲרִית (Eccli 7, 40; hebr. 7, 36), tum singulorum hominum tum totius mundi nobis proponunt.

§ 48. De consummatione singulorum hominum.

Novissima singulorum hominum sunt mors, iudicium particulare, caelum aut infernus, purgatorium, de quibus singulatim tractandum est.

1. De morte. a) Omnes homines mori debent. Sententia illa a Domino Deo capiti generis humani promulgata: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* (Gn 2, 17; cf. pag. 539 sq); *. . . revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris* (Gn 3, 19; cf. pag. 546) ad omnia membra quoque generis humani spectat (cf. pag. 549). Hagiographi in Genesi et in libris subsequentibus saepe horrendum illud *Et mortuus est* (cf. pag. 550) repetunt; Iosue (23, 14) et David (3 Rg 2, 2) mortem *viam universae terrae,* דֶּרֶךְ כָּל־הָאָרֶץ, nominant i. e. viam quam omnes in terra viventes (locus pro habitantibus in eo; cf. Exegeticam 4) ingredi debent, atque Iob (30, 23) eandem mortem *domum conventus pro omni vivente,* בֵּית מוֹעֵד לְכָל־חָי, appellat. Psalmista (88, 49) interrogat: *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi,* i. e. de potestate sepulchri? (videas commentatores); Ecclesiastes (12, 1 sq 7) cuilibet homini inculcat: *Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent, antequam . . . revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (cf. pag. 535 sq); Ecclesiasticus denique asseverat: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur* (25, 33), *ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας, καὶ δι' αὐτὴν ἀποθνήσκομεν πάντες* (25, 24), מֵאִשָּׁה תְּחִלַּת עָוֹן וּבְגָלָלָהּ נָמוּתוּ יָמֵד (25, 24).

Ab hac lege generali Henoch et Elias excepti esse videntur. De *Henoch* hagiographus narrat: *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit: quia tulit eum Deus* (Gn 5, 23 sq). Hic loquendi modus, ab isto *et mortuus est* discrepans, innuit pium Henoch sine morte a terra in alium locum translatum fuisse (cf. Eccli 44, 16; 49, 16; Hebr 11, 5; Dillmann et Hummelauer ad Gn 5, 24; Comment. 119 124). De *Elia* autem legimus: *ecce currus igneus, et equi ignei . . . et ascendit Elias per turbinem in caelum* (4 Rg 2, 11; cf. Eccli 48, 13; 1 Mach 2, 58): ergo ipse quoque sine morte in locum amoenum translatus est (cf. pag. 235). Bene; sed quid ex his locis sequitur? Sequitur Henoch et Eliam hucusque non mortuos esse, non sequitur vero eos in futuro quoque a generali lege mortis exceptos fore. Bousset protestans (ad Apc 11, 3) notat Patres Ecclesiae, duobus tantum exceptis, docere Henoch et Eliam esse istos testes quos antichristus in fine dierum occisurus est (Apc 11, 7): ergo etiam Henoch et Elias morientur.

b) Post mortem homines neque mereri neque demereri possunt. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter,* בְּכֹחֲךָ i. e. pro facultate tua, *ὡς ἡ δύναμίς σου, operare,* inquit Ecclesiastes (9, 10): *quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Volck (Koheleth 136) et Wildeboer (Ko-

heleth 154) recte asserunt haec verba eundem sensum habere atque illa Domini Iesu: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari* (Io 9, 4). Idem sentit Gietmann (Ecclesiastes 283 sq). Cum Ecclesiaste consonat Ecclesiasticus hominem exhortans: *usque ad mortem certa pro iustitia* (4, 33); *Ante mortem benefac amico tuo* etc. (14, 13 sqq). Ratio interna harum monitionum esse nequit, quod homo post mortem absolute nihil operari possit, quia anima cum facultatibus suis naturalibus et operationibus congruentibus permanet (pag. 533 sqq); quare loci citati sic intellegendi sunt, ut operatio meritoria post mortem impossibilis nuntietur.

In theologia biblica omittimus Eccl 9, 5: *mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*, quia contextus monstrat hagiographum non de merito hominum loqui, ait enim: *melior est canis vivus leone mortuo. Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero . . . mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum. Amor quoque, et odium, et invidiae simul perierunt, nec habent partem in hoc saeculo, et in opere, quod sub sole geritur* (Eccl 9, 4—6). Omittimus Eccl 11, 3: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Nam Gietmann (Ecclesiastes 304) recte observat: „Quod autem non pauci et veteres interpretes et recentiores ‚lapsum arboris' ad mortem hominis referendum arbitrati sunt, id certe huic loco alienum est, quamquam licet hinc congruam similitudinem ad subitam mortem illustrandam mutuari." Hagiographus mala ventura (11, 2^b) cum imbre super terram cadente (11, 3^a) et cum arbore lapsa (11, 3^b) comparat (cf. commentarios). Omittimus Eccli 18, 22: *Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem iustificari;* nam textus Graecus talis est: μὴ ἐμποδισθῇς τοῦ ἀποδοῦναι εὐχὴν εὐκαίρως καὶ μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι, cuius sensum Knabenbauer (Ecclesiasticus 211) sic exponit: „Ne impediare quominus reddas, persolvas votum tempore opportuno, suo tempore votum redde; noli exspectare donec morte a voto persolvendo libereris et absolvaris."

c) Spiritus immortales (cf. pag. 533 sqq) hominum in Vet. Test. defunctorum in *infernum* seu orcum, εἰς ᾅδου, שְׁאוֹל, descendebant. *Descendam ad filium meum,* inquit Iacob (Gn 37, 35), *lugens in infernum,* שְׁאֹלָה, εἰς ᾅδου. Conferas Gn 42, 38; 44, 29 31; Nm 16, 30 33; Ps 9, 18; 29, 4; 30, 18; 48, 15; 54, 16; 85, 13; 87, 4; 88, 49; Prv 23, 14; Ib 7, 9; 14, 13; 17, 13 16; 21, 13; 24, 19; 1 Rg 2, 6; 3 Rg 2, 6 9; Is 14, 11 15; Ez 31, 15 sqq; 32, 27. — Nomen שְׁאוֹל Israelitis proprium est et apud populos ceteros non reperitur (*Buhl,* Handwörterbuch). Quod ad etymon attinet, Gesenius (Thesaurus) et Fürst (Handwörterbuch) cum Böttcher et Ewald שְׁאוֹל a verbo שָׁאַל = שָׁעַל *fodit, excavit* derivant, ita ut proprie „cavum subterraneum" significet; hanc etymologiam Dt 32, 22; Ps 85, 13; 138, 8; Prv 15, 24; Ib 11, 8; Am 9, 2;

Is 14, 9; 57, 9; Ez 32, 21 confirmare videntur; nam in his locis שְׁאוֹל locus in profundo terrae situs describitur. Alii plerique „orcum a *poscendo* dictum putabant, refert Gesenius (Thesaurus), quippe qui continuo poscat et insatiabilis sit (Prv 30, 16; *orcus rapax*, Catull. 2, 28 29)“; derivabant igitur vocabulum a שָׁאַל *poposcit*, quae opinio minus probabilis videtur. — Septuaginta pro שְׁאוֹל semel (2 Rg 22, 6) *θάνατος*, ceteroquin semper *ᾅδης* posuerunt.

De statu spirituum humanorum in inferno commorantium Israelitae non satis claras habebant ideas quod ex Prv 15, 11 pag. 435 citato ac declarato elucet. Iob (10, 21 sq) orcum ut terram caliginis et umbrae densissimae describit in qua nullus ordo sit. Hanc opinionem Iobi (cf. pag. 226) cum veritate non convenire Isaias (14, 9 sqq) ostendit. Etiam auctores inspirati seu Deus eos inspirans statum inferni obscure tantum et variis imaginibus exponunt. Inferno „et valles (Prv 9, 18) et portae vectesque tribuuntur a poetis (Is 38, 10; Ib 17, 16)... alibi orcus omnes devorare (Prv 1, 12), insatiabilis (Prv 30, 16; Is 5, 14), durus et immitis (Ct 8, 7) esse dicitur. Per prosopopoeiam ei tribuuntur laquei (Ps 18, 6; 2 Rg 22, 6) quibus hominibus insidietur“ (*Gesenius*, Thesaurus 1348).

Assertum Ecclesiastae (9, 10): *nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos*, בִּשְׁאוֹל, *quo tu properas*, a recentioribus interpretibus protestantibus sic explicatur ut dicant iuxta sententiam hagiographi in orco animas defunctorum nullam omnino actionem exercere. At hic sensus scriptoris inspirati esse nequit, quia alioquin Deus hagiographos inspirans sibi contrarius esset. Si enim Deus nos docet spiritum humanum post mortem permanere (pag. 533 sqq); si asseverat: *Corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (Sap 9, 15): inferamus oportet spiritum e deprimente inhabitatione terrena egressum et ab aggravante corpore corruptibili solutum non solum operari verum etiam liberius et facilius actiones exercere posse. Deus igitur per Ecclesiasten animabus in orco degentium non omnes actiones sed actiones huius vitae, huius *peregrinationis* (Gn 47, 9), praesertim opera meritoria denegat (cf. pag. 613 et *Lapide* ad Eccl 9, 10). — Psalmista (6, 6; cf. 113, 17) ait: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur* (pag. 386) *tibi?* Similiter Ezechias dixit (Is 38, 18): *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem* vel potius fidelitatem

(pag. 458 sq) *tuam* (cf. Eccli 17, 26). Psalmista et Ezechias affirmat „a mortuis gloriam Dei et laudem apud alios iam non posse celebrari et propagari, opus Dei inter homines iam non promoveri; proinde cum Deus vitae ipsum restituerit, etiam velle ut vitae munere ad id utatur quod viventes solum pro re et gloria Dei praestare possunt. Quare contextu severe examinato dicere poteris perperam hunc textum allegari ab iis qui volunt Hebraeos sibi mortuos finxisse quasi mente et cogitatione spoliatos.... Brevi, eodem sensu mortuis laus Dei negatur, quo Christus dicit: *venit nox, quando nemo potest operari* (Io 9, 4).... Pariter ii qui ad vitae terminum pervenerunt, iam non praestolantur veritatem i. e. fidem et fidelitatem Dei in promissis adimplendis et beneficiis largiendis, quippe qui neque boni quidquam neque mali mereri et Dei promissionum ac misericordiae beneficia excipere, spectare aut promereri queant“ (*Knabenbauer,* Isaias II 48). Quod spiritus hominum illorum qui iam in aggravante corpore corruptibili et in deprimente inhabitatione terrena (pag. 614) Deum colebant et laudabant, soluti ac liberati ab omni impedimento eum adhuc magis colant et laudent sana ratio dictitat.

Status spirituum in inferno commorantium sacris Litteris testantibus prorsus diversus est, ut in sequentibus videbimus.

2. De iudicio particulari. Iudicium particulare est actus quo Deus singulis hominibus post mortem praemia aut poenas distribuit. Tale Scripturae Vet. Test. tam formaliter quam virtualiter docent. Formaliter. Ecclesiastes monet: *scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium* (11, 9); *cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato* vel potius occulto, עַל כָּל־נֶעְלָם, *sive bonum, sive malum sit* (12, 14). Quando hoc fiat Deus ipse per Ecclesiasticum (11, 28) revelat: *facile est coram Deo, ἔναντι κυρίου, in die obitus, ἐν ἡμέρᾳ τελευτῆς, retribuere unicuique, ἀποδοῦναι ἀνθρώπῳ, secundum vias suas,* i. e. iuxta vitae rationem (pag. 437).

Wildeboer (Koheleth 161 168) asserit Ecclesiasten de iudicio divino in hac vita peragendo loqui; sed experientia quotidiana ad quam Ecclesiastes diserte provocat, contrarium testatur: *Est et alia vanitas,* inquit (8, 14), *quae fit super terram. sunt iusti, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. sed et hoc vanissimum iudico.* Ne igitur Ecclesiasten cum semetipso pugnantem statuamus, sententias 11, 9 et 12, 14 enuntiatas de iudicio in altera vita intellegamus oportet, uti Volck (Koheleth 141 151) bene vidit. Qui tamen interpres opinatur iudicium non in orco, שאול, sed post sublatum statum orci futurum esse; sed opinio declarationi Dei

per Ecclesiasticum (11, 28) datae contradicit. Wildeboer et Volck Eccl 9, 5 sq 10 falso (cf. pag. 614) de absentia actionum omnium hominis mortui accipiunt itaque ad falsas consequentias compelluntur.

Scripturae Vet. Test. etiam virtualiter iudicium particulare docent. Deus in plurimis locis testatur se unicuique iuxta meritum praemia aut poenas distribuere (pag. 448 sqq); atqui ante mortem teste experientia multi nequaquam iuxta meritum suum tractantur (videas e. g. Ps 16, 14; 72, 3 sqq; Eccl 8, 14): ergo post mortem quacum tempus merendi aut demerendi concluditur (pag. 612), Deus unicuique iuxta meritum praemia aut poenas distribuet.

3. De caelo. a) Nomine caeli hic non locum (cf. pag. 495) sed statum intellegimus in quo sancti (cf. pag. 452 sq) a Deo praemiis congruentibus afficiuntur. Talem statum exsistere virtualiter iis continetur quae mox de iudicio particulari audivimus; formaliter eum sequentes loci biblici tradunt. Is 25, 8: *Praecipitabit* vel devorabit, בִּלַּע, *mortem in sempiternum,* לָנֶצַח: *et auferet* vel absterget, יָמַח, *Dominus Deus,* אֲדֹנָי יְהוִה, *lacrymam ab omni facie, et opproprium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est* (cf. 1 Cor 15, 54; Apc 7, 17; 21, 4). Iterum Is 49, 10: *Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos aestus et sol: quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos* vel potius ducet eos, יְנַהֲלֵם (cf. Apc 7, 16 sq). His sententiis propheta absentiam malorum omnium atque dolorum poetice describit; in locum eorum bona et gaudia aeterna succedent, ait enim Is 60, 19 sq: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui* (cf. Apc 21, 23; 22, 5). Et iterum Is 65, 18 sq: *Sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, et populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem, et gaudebo in populo meo: et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris.* Isaiam in locis citatis de praemiis nunquam finiendis bonorum loqui contextus ostendit, eum de praemiis non praesentis sed futurae vitae sermocinari experientia atque testimonium Apocalypsis S. Ioannis confirmant. Ad singulos locos commentarios a Knabenbauer et Orelli editos conferre poteris. — Felicitatem iustorum in altera vita etiam Sapiens (Sap 5, 1 5 16 sq) enarrat: *Tunc stabunt iusti in magna constantia,* ἐν παρρησίᾳ πολλῇ,

adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum... [5] *ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est....* [16] *Iusti autem in perpetuum vivent,* ζῶσιν, *et apud Dominum,* ἐν κυρίῳ i. e. in societate cum Domino (*Zöckler,* Apokryphen 369), *est merces eorum, et cogitatio illorum,* φροντὶς αὐτῶν i. e. cura seu curatio eorum, *apud Altissimum.* [17] *Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei,* τοῦ κάλλους, *de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.*

Usus loquendi et contextus comprobant Isaiam et Sapientem de praemiis sanctorum loqui quae sensu pleno in altera vita eis distribuentur et quae *ultra* non finientur, ergo *aeterna* sensu stricto (cf. pag. 390 sq) erunt. Sed prophetae res futuras saepe ita praenuntiant, ut proxime venturis eas adiungant quae post longum intervallum sequentur (cf. Exegeticam 46 sq). Propterea difficile dictu est, qualia praemia sancti Vet. Test. ante mortem Christi in *inferno,* שְׁאוֹל, et qualia post mortem et resurrectionem et ascensionem redemptoris receperint. Deus in Vet. Test. has res non satis clare revelavit (cf. pag. 614). Unum tamen certum est, videlicet sanctos Vet. Test. iam *in die obitus* sui retributionem congruentem recepisse (cf. pag. 615). Ergo falsa est opinio plurium recentiorum sanctos Vet. Test. in inferno seu limbo patrum vitam sine laetitia ac voluptate peregisse, quia ita non praemiati sed puniti fuissent, post mortem miserabiliores exsistentes quam antea. Verior est sententia quam Egger (Dogm. spec. 971) cum multis aliis sustinet scribens: „Et quamquam sancti Ant. Test. nondum ingrederentur in caelum, tamen, ut observat Cornelius a Lapide (ad Eccli 11, 28), introibant in sinum Abrahae sive in limbum patrum ibique consummati in gratia, liberi ab omni metu et miseria certique de gloria caelesti fruebantur Dei contemplatione et mutuo tot patriarcharum, prophetarum, martyrum et sanctorum suavissimo aspectu et colloquio, exspectantes Christum qui caelum eis reseraret eosque Dei visione beatifica donaret.“ In limbo patrum iusti Vet. Test. non erant in statu *visionis beatificae* (cf. Theol. bibl. Nov. Test.) quem statum sensu stricto caelum appellamus; erant autem in statu aliorum gaudiorum ac praemiorum (pag. 616) quem statum sensu lato caelum vocamus. — Isaias praemia iustorum prophetans simul iam ad statum post resurrectionem carnis et iudicium universale (vide § 49) respicit, quod contextus locorum manifestat. Idem de Dn 12, 2 dicendum est.

Praeter locos pag. 616 sq citatos theologi antiquiores plures alios e Vet. Test. adducunt quibus exsistentiam caeli (pag. 616) comprobent. At isti loci nullam aut relativam tantum vim probandi habent. Examinemus breviter locos singulos. Gn 15, 1: *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Septuaginta textum Hebraicum accuratius reddunt: ἐγὼ ὑπερασπίζω σου· ὁ μισθός σου πολὺς ἔσται σφόδρα. Sensus textus Hebraici et Graeci non est: „ego ipse Deus praemium tuum ero", nam in his textibus illud *et* deest; habentur igitur duae sententiae perfectae cum proprio subiecto, nimirum: „ego protector tuus sum", „merces tua erit magna valde", i. e. plurima bona tibi erunt. Ita Abraham verba Domini intellexit eum interrogans: *Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis* (Gn 15, 2); ita ea intellegunt Dillmann, Hummelauer, Strack aliique (Comment. 255 sq). Vulgata vero hunc sensum insinuat: „Ego ipse qui sum Deus, bonorum omnium oceanus, ero merces, praemium et beatitudo tua obiectiva" (*Lapide* ad Gn 15, 1), qui sensus in theologia systematica supponi potest; quomodo haec assertio accipienda sit pag. 370 declaravimus. — In Ps 14, 1—3 et 83, 2—5 tabernaculum in monte Sion describitur, in Ps 26, 13 *terra viventium* inferno, שאול, opponitur, in Ps 139, 14 confessio vel laus nominis divini in hac vita promittitur, in Ps 143, 15 populus Dei beatus nominatur, in Zach 9, 10 sq regnum Messianicum prophetatur (cf. *Thalhofer*, Psalmen; *Knabenbauer*, Zacharias): de ipso caelo proprie in his locis nihil invenitur. — Ps 16, 15 et 72, 25 sq de caelo accipi possunt (cf. *Thalhofer*, Psalmen; *Keßler*, Psalmen). — Eccli 24, 45 in textu Graeco deest (Hebraicus nondum inventus est) et sensus eius non patet; Knabenbauer (Ecclesiasticus 273) verba ad laudes patrum (Eccli 46, 1—50, 23) transfert.

Ad notissimum locum Is 64, 4: *A saeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quae praeparasti expectantibus te,* Knabenbauer (Isaias II 472 sq) scribit: „Deum supplex implorat vates, quia solus salutem afferre potest eamque ultra omnem exspectationem maiorem: v. 4 *a saeculo* . . . ministerium sensuum non sufficit ad ea cognoscenda quae solus Deus constituit dare iis qui in ipso totam fiduciam collocant. Hisce ergo quam magna sit salus et quantopere excedat omnia quae homo sibi animo fingere vel a rerum naturalium similitudine discere possit, egregie describitur. . . . In textu hebr. ratio redditur, cur magna illa ultra exspectationem a Deo sint speranda hunc in modum: *et a saeculo non audierunt neque perceperunt neque oculus vidit Deum praeter te qui faciat pro sperante in ipsum,* i. e. solus Iahve se Deum vivum et verum praestitit. . . . Iam quae Deus faciat pro iis qui ei confidunt, subiungitur v. 5: *Occurristi laetanti, et facienti iustitiam* . . . ei scil. qui cum gaudio iustitiam facit, Deus promptissimum affert auxilium, ei se ipsum obviam fert, ei nunquam deest, verum semper ei adstat eumque comitatur." De salute Messianica generatim sumpta S. Paulus (1 Cor 2, 9) hunc locum interpretatur; eum etiam „de illis bonis quibus beati in caelo fruentur" apte intellegi posse Cornely (in 1 Cor 2, 9) fatetur.

Immo plures theologi iam in Vet. Test. magis minusve clare *lumen gloriae* insinuatum reperiunt. „Lumen gloriae iuxta communem theologorum explicationem nihil aliud est quam quaedam vis intellegendi supernaturalis, omni vi naturali eminentior, superaddita intellectui beatorum et per modum habitus informans mentem eamque elevans ad intuitivam visionem Dei, sicuti in se est" (*Egger,* Dogm. spec. 1016). Ad comprobandum hoc lumen gloriae citant Ps 15, 10 *adimplebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem;* Ps 16, 15 *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua;*

Ps 41, 2 sq *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus . . . quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Ps 47, 9 *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in aeternum;* Ps 55, 13 *ut placeam coram Deo in lumine viventium;* Ps 83, 5—8 *Beati, qui habitant in domo tua Domine . . . in valle lacrymarum in loco quem posuit . . . videbitur Deus deorum in Sion.* Verumtamen valde dubium est, utrum Psalmista in uno horum locorum, e. g. Ps 16, 15, de statu futurae vitae loquatur an non (cf. commentarios a Baethgen, Hoberg, Keßler, Thalhofer compositos); in pluribus manifeste ad statum vitae praesentis respicit. — Ad Ps 35, 9 sq pag. 462 sq citatum Thalhofer (Psalmen 228) refert antiquos interpretes hunc locum de visione Dei per lumen gloriae declarasse atque in v. 9 Trinitatem indicatam invenisse (*apud te* = apud Patrem, *fons vitae* = Filius, *in lumine tuo* = in Spiritu sancto), quin tamen sententiam eorum approbet. Forsitan hic repeti potest quod pag. 481 cum Pesch et pag. 482 cum Knabenbauer notavimus: si lumen gloriae iam aliunde, scil. ex Novo Test. notum est, illud in Ps 35, 10 insinuatum videre possumus.

b) Praemia iustorum in caelo inaequalia sunt. Haec veritas virtualiter in iustitia Dei continetur qua Deus unicuique sanctorum iuxta meritum suum praemia distribuit (pag. 448); formaliter a Daniele traditur. *Qui autem docti fuerint,* וְהַמַּשְׂכִּילִים i. e. et intelligentes, *fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos,* וּמַצְדִּיקֵי הָרַבִּים i. e. et qui iustos faciunt multos, *quasi stellae in perpetuas aeternitates,* לְעוֹלָם וָעֶד i. e. in aevum et perpetuum (Dn 12, 3). Propheta duas hominum piorum classes distinguit: tales qui ipsi intelligentes seu sapientes, i. e. iusti sunt (cf. pag. 216, supra; Dn 12, 10; Ps 13, 2; *Meinhold,* Daniel 337; *Knabenbauer,* Daniel 318) et tales qui multos alios quoque iustos faciunt. Priores fulgebunt sicut splendor a sole super firmamentum diffusus, posteriores sicut stellae ipsae. „In altero membro maius quid significari, ait Knabenbauer (Daniel 319), ex eo quoque videtur, quia aspectus stellarum multo est iucundior animosque hominum multo maiore perfundere solet voluptate quam aspectus solius firmamenti super nos expansi."

Marti (Daniel 90) cum Maldonato, Lapide, Tirino et aliis illos *qui docti fuerint* eosdem esse censet atque illos *qui ad iustitiam erudiunt multos,* ergo parallelismum synonymum adesse putat; etiam Meinhold (l. c.) concedit hanc opinionem plausibilem esse: sed Dn 12, 10 nostram sententiam commendare videtur. Ceterum iuxta opinionem Maldonati et sectatorum eius quoque speciale praemium illis adiudicatur qui alios iustos faciunt. — Illud *qui ad iustitiam erudiunt multos* non solum de doctrina verum etiam de bono exemplo, de practica institutione eaque praecipue accipiendum est: *qui autem fecerit et docuerit,* ait Dominus (Mt 5, 19), *hic magnus vocabitur in regno caelorum.* „Qui igitur quovis modo allaborant, ut alii ad eum statum perveniant in quo Deus homines esse vult, illi splendebunt sicut stellae *in aeternum et semper,* ergo in omnem aeternitatem, qua vocum coacervatione vera aeternitas declaratur" (*Knabenbauer,*

Daniel 318). — Daniel gloriam iustorum post resurrectionem (cf. 12, 2 et § 49) venturam prophetat.

Nonnulli theologi ad inaequalem praemiorum distributionem comprobandam etiam Ps 17, 21—25; 18, 12; 118, 112; Prv 11, 18; Sap 5, 16 sq; Eccli 31, 8—11 afferunt. Attamen, in his locis hagiographi de distributione praemiorum quidem sed non de inaequali loquuntur. — Theologi quidam locos biblicos simpliciter ex Concordantiis biblicis vel aliis libris transcribunt quin Scripturam revolvant atque contextum inspiciant, quae ratio agendi certo non scientifica est.

c) Sancti in caelo conversantes amant fratres in terra degentes et pro eis orant. In 2 Mach 15, 11—16 de *digno fide somnio* legimus quod Iudas Israelitis exposuit. Vidit autem *Oniam, qui fuerat summus sacerdos . . . manus protendentem, orare pro omni populo Iudaeorum: Post hoc apparuisse et alium virum aetate, et gloria mirabilem, et magni decóris habitudine circa illum: Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel* (ultima 3 verba in Graeco desunt): *hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei.* Melanchthon (Apolog. Confess. Aug., art. 21) scribit: „De sanctis etsi concedimus, quod, sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere, ita in caelis orent pro Ecclesia in genere, tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus exstat in Scripturis praeter illud somnium sumptum ex libro Machabaeorum posteriore." Verum est intercessionem sanctorum in caelo commorantium 2 Mach 15 sqq tantum formaliter tradi; sed hic quoque liber inspiratus est (*Trid.*, Sess. IV): quod autem Deus in uno loco certo tradit, infallibilis et immutabilis veritas est (cf. pag. 396, supra). Verum est intercessionem Oniae et Ieremiae in somnio monstratam esse; sed scriptor inspiratus somnium *fide dignum* vocat (v. 11), ergo illud approbat (cf. pag. 11).

4. De inferno stricte sumpto seu de gehenna (cf. pag. 267). a) Nomine gehennae statum intellegimus in quo iniusti a Deo poenis convenientibus affliguntur. Etiam hic status virtualiter iis continetur quae de iudicio particulari pag. 615 sq scripta sunt. Sed formaliter quoque in Vet. Test. docetur. *Convertantur,* יָשׁוּבוּ i. e. ibunt, *peccatores in infernum,* לִשְׁאוֹלָה, *omnes Gentes quae obliviscuntur Deum* (Ps 9, 18; cf. Ps 30, 18; 48, 15). Uti contextus ostendit, Psalmista de punitione eorum disserit qui mandata divina non observant, qui Deum non agnoscunt neque colunt; hi omnes in *inferno,* שְׁאוֹל, poenis congruentibus affligentur: ergo peccatores post mortem et iudicium (pag. 615) in statum tormentorum devenient. Multo clarius Do-

minus per Isaiam (66, 24; cf. 50, 11; Iudith 16, 20 sq; Eccli 7, 19) poenas gehennae annuntiat. *Et egredientur*, inquit, *et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis,* וְהָיוּ דֵרָאוֹן i. e. et erunt abominatio, *omni carni.* His verbis poenas gehennae describi ipse Christus apud Marcum (9, 42—47; cf. Mt 13, 42; Lc 16, 24) declarat, neque Duhm et Orelli negant (videas etiam Dillmann et Marti). Quomodo singula verba explicanda sint libri Nov. Test. (cf. Theol. bibl. Nov. Test.) revelant.

„Non describi poenam hisce in terris luendam, observat Knabenbauer (Isaias II 522 sq) neque temporale exhiberi supplicium ipsa natura rei et cruciatuum declaratur. Nam in valle prope Ierusalem cadavera rebellium continuo ardere et cultores Dei adoratione in templo facta ad incendia illa cum voluptate spectanda . . . egredi et illa cadavera cum detestatione et abominatione contemplari, res est per se ab omni impletione litterali remotissima. Proinde symbolo noto et involucro a sui temporis conditione deprompto vates altius quoddam documentum et monumentum vindictae Dei adumbrat, scil. ad duos tandem ordines totum genus humanum iri redactum, quando caeli novi futuri sint et terra nova: alterum fore in civitate Dei et in sacro Dei habitaculo coram *facie* eius adoratione et laude Dei occupatum et communione gloriae Dei beatum, alterum autem extra regnum Dei vermi traditum nunquam morienti, ignibus ardentem perpetuis corpore et animo luere supplicia conditione miserrima et foedissima.... Hisce agi de aeterna impiorum sorte plerique interpretes rite explicant. . . . Alii tamen primo et per se describi volunt cladem Iudaeorum urbe a Romanis capta, dein demum extensione quadam ac similitudine illam cladem eiusque descriptionem transferri ad supplicia damnatorum . . . at illam cladem non posse intellegi tum ex verbis eorumque amplitudine et re descripta colligitur tum ex summa totius prophetiae quam hic vates brevi comprehensam proponit."

Status suppliciorum a Daniele (12, 2) quoque asseritur quod protestantes Behrmann, Hitzig, Marti, Meinhold in commentariis huius loci ultro concedunt. *Et multi de his,* ait, *qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam,* אֵלֶּה לְחַיֵּי עוֹלָם, *et alii in opprobrium ut videant semper,* וְאֵלֶּה לַחֲרָפוֹת לְדִרְאוֹן עוֹלָם i. e. et alii in opprobrium, in contumeliam sempiternam. De hoc loco in § 49, n. 1 iterum tractaturi sumus. — Ad statum poenarum post mortem probandum etiam Sap 5, 18 sqq; 6, 7 sqq et praecipue Eccli 21, 10 sq; 41, 13 afferri possunt. *Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebrae, et poenae, καὶ ἐπ' ἐσχάτῳ αὐτῆς βόθρος ᾅδου* (Eccli 21, 10 sq). *Omnia, quae de terra sunt, in terram convertentur: sic impii a maledicto in perditionem, ἀπὸ κατάρας εἰς ἀπωλίαν* (Eccli 41, 13); Hebraice מֵהֹהּ אֶל־תֹּהּ, sed videas quae pag. 349 de textu Hebraico dicta sunt.

Quidam theologi antiquiores etiam sequentes locos biblicos adducunt, quibus gehennam exsistentem demonstrent: Nm 16, 31 sqq; Dt 4, 23 sq; 32, 21 sq 40 sqq; Ps 6, 6 sq; 10, 6 sq; 20, 9 sqq; 48, 14 sq; 54, 16; 91, 8 sq; 93, 17; 138, 9; 139, 9 sqq; Prv 1, 26 sqq; 7, 27; 9, 18; 15, 11 24; 23, 14; 27, 20; 30, 15 sq; Ct 8, 6; Eccl 9, 10 12; 11, 3; Ib 4, 20; 10, 20 sqq; 11, 8; 20, 18; 21, 13; 26, 5 sq; Am 9, 2; Os 13, 14; Is 1, 24; 5, 14; 14, 9 sqq; 24, 21 sqq; 28, 15 18; 30, 33; 34, 8 sqq; 65, 2 sqq 11 sqq; Hab 2, 5; Ir 17, 4; 51, 39 sq; Bar 2, 17; 3, 11; Ez 26, 19 sqq; 31, 15 sqq; 32, 27; Dn 3, 88; Sap 16, 13 sqq; Eccli 17, 26; 24, 45; 51, 3 sqq. Verumtamen in his locis aut iudicium divinum in genere aut mors aut infernus, שאול, in genere (cf. pag. 613) non autem infernus stricte dictus seu gehenna describitur. Videamus pauca exempla. Nm 16, 31 sqq Core, Dathan, Abiron cum tabernaculis suis vivi in *infernum* descendisse narrantur; at infernum non stricte dictum accipiendum esse ex eo elucet quod et parvuli eorum innocentes absorpti sunt (cf. *Hummelauer*, Numeri 137, cum S. Augustino et Bonfrerio). — Iobi (10, 21 sq) verba *Antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine: Terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* nullo modo de gehenna intellegi posse certum est. Nam Iob qui tam acriter innocentiam suam defenderat (cf. pag. 224 sq), minime sperabat se in locum et statum peccatorum descensurum esse (cf. *Knabenbauer*, Iob 153). — De Eccl 11, 3 videas pag. 613 et de Eccli 24, 45 conferas pag. 618. — Videtur quod antiquitus vir quidam doctus ex Concordantiis verbalibus illos locos exscripserit in quibus vocabula *iudicii* et *inferni* repererat, quin examinaret qualem significationem vocabula in contextu haberent. Collectio eius deinde sine ulteriore examine locorum in alia opera assumebatur. In hac re Concordantiis etiam realibus (cf. Exegeticam 44) non fidendum esse experientia quemlibet docere potest.

b) Poenas gehennae sine fine perduraturas ergo sensu stricto aeternas esse Isaias (66, 24) clarissime tradit, quod commentatores protestantes quoque profitentur: *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* (cf. pag. 621).

c) Eas etiam inaequales esse Sapiens (6, 7 9) formaliter testatur inquiens: *potentes autem potenter tormenta patientur, δυνατοὶ δὲ δυνατῶς ἐτασθήσονται, . . . Fortioribus autem fortior instat cruciatio, τοῖς δὲ κραταιοῖς ἰσχυρὰ ἐφίσταται ἔραννα.* Idem in iustitia Dei virtualiter continetur (cf. pag. 619).

Duhm (Jesaia 458) scribit: „Triste est librum qui gloriosissimum, sublimissimum, gravissimum et piissimum in toto Vet. Test. continet, nunc tali daemoniaca dissonantia finire (Es ist traurig, daß ein Buch, das mit das Herrlichste, Erhabenste, Bedeutendste und Frömmste im ganzen A. T. enthält, jetzt mit einem solchen dämonischen Mißklang schließt)“; Marti (Jesaja 414) hoc iudicium repetit. Melius Knabenbauer (Isaias II 523) iudicat: „Concludit exhortationem ad populum, uti olim Moyses adhortatus est: proposui vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem; elige ergo vitam ut tu vivas et semen tuum (Dt 30, 19); concludit muneris sui exercitium . . . eodem modo quo S. Matthaeus refert Christum salvatorem praedicandi munus absolvisse gravissima illa sententia qua sortes pro omni aeternitate continentur: *Et ibunt hi in supplicium aeternum:*

iusti autem in vitam aeternam (Mt 25, 46)." Quomodo liber qui gloriosissimum et sublimissimum et gravissimum in toto Vet. Test. continet digne concludendus sit Deus eum inspirans optime cognovit; finivit eum comminatione poenarum aeternarum gehennae, quia ipsae hominem fortissime a peccatis cohibent et ad facienda opera bona quibus ad praemia a prophetis promissa pervenire potest, validissime instigant. *In omnibus operibus tuis,* בְּכָל־מַעֲשֶׂיךָ, *memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis* (Eccli 7, 40): hoc monitum divinum speciali ratione ad poenas gehennae transferri poterit.

5. De purgatorio. a) Purgatorium vocamus statum in quo defuncti homines iusti sed reatu peccati levis et poenae temporalis illaqueati pati debent, donec ab isto reatu solvantur. Purgatorium est status medius inter caelum et gehennam, est status essentialiter transiens, est status quoad diuturnitatem et passionum gravitatem inaequalis (cf. pag. 448). Hic status in unico dumtaxat loco Vet. Test. certe ac clare docetur, nimirum 2 Mach 12, 43—46, ubi hagiographus narrat quid Iudas Machabaeus pro iis fecerit qui in bello interfecti erant, quia praeceptum Dt 7, 25 sq promulgatum violaverant. Sumpserant enim *ἱερώματα τῶν ἀπὸ Ἰαμνίας εἰδώλων, donaria idolorum, quae apud Iamniam fuerunt* (v. 40): „possunt intellegi anathemata, dona aurea vel argentea, quae illi ex fanis Iamniae furati sint. Alii explicant de phylacteriis seu amuletis, quibus superstitiosi illi se protegi existimarint contra deos Iamnitarum" (*Knabenbauer,* Machabaeorum 408; *Zöckler,* Apokryphen 130).

43 *Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. (*44 *nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis)* 45 *et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* 46 *Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Originalis textus Graecus (pag. 362) hic est: 43 *Ποιησάμενός τε κατ' ἀνδρολογεῖον εἰς ἀργυρίου δραχμὰς δισχιλίας ἀπέστειλεν εἰς Ἱεροσόλυμα προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, πάνυ καλῶς καὶ ἀστείως πράττων, ὑπὲρ ἀναστάσεως ἀναλογιζόμενος·* 44 *εἰ μὴ γὰρ τοὺς προπεπτωκότας ἀναστῆναι προσεδόκα, περισσὸν καὶ ληρῶδες ὑπὲρ νεκρῶν εὔχεσθαι·* 45 *εἴτε ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβίας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον εὐχαριστήριον, ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια. Ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο, τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι.* Ita Swete (The Old Testament in Greek). Quem textum originalem accurate vertimus: 43 Et congerens in exercitu circa duo millia drachmas argenti

misit eas in Ierusalem ut offerretur sacrificium pro peccato, valde bene et prudenter faciens, ad resurrectionem respiciens: [44]si enim caesos non resurrecturos exspectasset, superfluum et nugatorium fuisset pro mortuis orare: [45]sive considerans mercedem gratiae pulcherrimam cum pietate dormientibus reservatam, sancta et pia haec cogitatio. Unde pro mortuis expiationem fecit, ut a peccato absolverentur.

Iudas igitur in exercitu ca 2000 drachmas argenti, i. e. ca 1200 ad 1600 *M*, vel potius iuxta Vulgatam 12000 drachmas argenti, i. e. ca 7200—9600 *M* (cf. pag. 258) collegit easque Ierosolyma misit, ut sacerdotes pro interfectis militibus *sacrificium pro peccato* seu sacrificium piaculare (Lv 4, 1—6, 7) offerrent. Ratio ob quam Iudas oblationem sacrificii piacularis mandavit, ab hagiographo haec assignatur: credebat immortalitatem animarum, immo exspectabat resurrectionem mortuorum; persuasum habebat omnibus illis qui pie obeunt, pulcherrimam mercedem gratiae praeparatam esse, sed expiatis seu purgatis tantum tribui. Propterea pro militibus qui in pugna ob peccatum commissum ceciderant, expiationem fecit, i. e. sacrificia et orationes offerri (v. 43 sq) praecepit, ut ab illo peccato solverentur et mercedem gratiae accipere possent. Hagiographus haec referens non solum rationem agendi (v. 43: *valde bene et prudenter faciens*) verum etiam rationem de mercede cogitandi (v. 45: *sancta et pia haec cogitatio*) diserte approbavit, ergo bonam et veram declaravit (cf. pag. 11).

Post ποιησάμενός τε plures addunt κατασκευάσματα, sed Swete omittit. — Ἀνδρολογεῖον vel ἀνδρολογία delectum seu conquisitionem militum significat (*Passow*, Handwörterbuch); hic in concreto milites conquisitos vel exercitum significare videtur. Secundum Biel (Thesaurus philologicus) quem plures sequuntur, ἀνδρολογία = collectio quae fit viritim, κατ' ἀνδρολογίαν = secundum collectionem quae fiebat viritim, viritim colligendo; sed haec vocabuli significatio in nullo libro profano occurrit neque in 2 Mach 12, 43 postulatur. Vulgata libere vertit. — Quod ad numerum pecuniae attinet, lectio Vulgatae probabilior videtur. Nam Iudam inter 3000 pedites et 400 equites (v. 33) non plus quam ca 1200—1600 *M* collegisse non verisimile est. — Περὶ ἁμαρτίας θυσία est sacrificium *pro peccato* vocatum seu sacrificium piaculare; in hoc contextu utique sacrificium pro peccato ab interfectis commissum denotat, quapropter Vulgata vertens *pro peccatis mortuorum* sensum bene reddit. — Sequens tamen particula *bene et religiose de resurrectione cogitans* minus accurate reddita est. In textu originali tam factum Iudae laudatur *(valde bene et prudenter faciens)* quam ratio assignatur *(ad resurrectionem respiciens)*. Pro ἀναλογιζόμενος alii habent διαλογιζομένους (cf. *Swete*, The Old Testament in Greek). — At quomodo hagiographus asserere potest: *si enim caesos non resurrecturos exspectasset, superfluum et nugatorium fuisset pro mortuis orare?* nonne orationes cum utilitate et prudentia funderentur, si corpus quidem e pulvere non suscitaretur sed anima vivens permaneret? Sine dubio. Sed

„advertendum est apud Iudaeos et primos Christianos dogmata de resurrectione carnis et de animarum immortalitate ita visa fuisse connexa, ut qui hanc admitteret illam non negaret, qui vero negaret resurrectionem, neque animas corporibus concederet esse superstites. Hoc elucet ex Mt 22, 31 sq; 1 Cor 15, 13—19 32" (*Corluy,* Spicilegium I 266). Ad verba S. Pauli *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* (1 Cor 15, 32) Cornely cum Bisping notat: „Duae doctrinae de immortalitate animi et de resurrectione carnis tam arcte inter se cohaerent, ut iidem et olim fuerint et hodie sint utriusque adversarii. Ac profecto ‚si resurrectio corporis negetur, non facile, immo difficile est sustinere immortalitatem animae; constat enim, quod anima naturaliter unitur corpori, separatur autem ab eo contra suam naturam et per accidens; unde anima exuta a corpore quamdiu est sine corpore, est imperfecta; impossibile autem est, quod illud quod est naturale et per se, sit finitum et quasi nihil, et illud quod est contra naturam et per accidens, sit infinitum: id quod locum haberet, si anima semper duraret sine corpore' (*Thom.* ad v. 19)." Ergo sententia ista 2 Mach 12, 44 hunc habet sensum: si caesos non immortales atque resurrecturos credidisset, superfluum et nugatorium fuisset pro eis orare. — Illud *ad resurrectionem respiciens* necnon *considerans mercedem gratiae pulcherrimam cum pietate dormientibus reservatam* ab hagiographo generatim quidem de omnibus pie defunctis enuntiatur, sed speciatim ad milites interfectos accommodatur. Pro εὐχαριστήριον alii habent χαρηστήριον (cf. Swete); utraque vox mercedem ut gratiam denotat. — Quod Iudas hanc mercedem considerabat, hagiographus approbat inquiens: *sancta et pia haec cogitatio,* ἡ ἐπίνοια. — Iudas igitur credebat animas defunctorum post mortem adhuc permanere et suo tempore cum corpore suscitato iterum uniendas esse, credebat *pie* defunctis mercedem magnificam praeparatam esse; sciebat autem simul milites ob peccatum commissum interfectos esse: propterea, ὅθεν, *unde,* expiationem fecit *ut a peccato isto solverentur* et mercedis repositae participes fieri possent. Est consequentia e praemissis antecedentibus. Cum scriptor inspiratus praemissa approbaverit, eo ipso etiam consequentia ab eo approbatur. — Contextus ostendit non tantum Iudam sed etiam scriptorem inspiratum cogitasse quod illi milites *pie* defuncti sint. Utrum peccatum eorum leve duxerint (quod probabilius videtur) an eos in morte peccati gravis paenituisse supposuerint, pro causa indifferens est. — *Expiatio,* ἐξιλασμός, iuxta contextum in sacrificio piaculari (v. 43) et orationibus (v. 44) constabat quae cum sacrificio piaculari coniungebantur (*Zöckler,* Apokryphen 131). — Versio Vulgatae: *Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur,* nimis libera quidem est (cf. pag. 624) sed sensum originalis Graeci recte exprimit.

Quae cum ita sint, in 2 Mach 12, 43—46 status expiationis vel purgatorium clare docetur. Hagiographus enim loquitur de *pie* defunctis ideoque non ad gehennam damnatis; de illaqueatis *peccato* et ideo ad mercedem piis reservatam seu ad caelum non admissis; de animabus quae sacrificio et orationibus a peccato et poena congruente *solvi* possunt (cf. pag. 624). — In 2 Mach 12, 43 sqq reapse purgatorium doceri Zöckler (Apokryphen 18) candide fatetur neque Reuß (Das Alte Testament VII 132) denegat.

Idem status expiationis probabiliter in Eccli 7, 37 (graece 7, 33) quoque supponitur. *Gratia dati, χάρις δόματος, in conspectu, ἔναντι, omnis viventis,* inquit Sapiens, *et mortuo non prohibeas gratiam, καὶ ἐπὶ νεκρῷ μὴ ἀποκωλύσῃς χάριν.* Textus Hebraicus talis est: תֵּן מַתָּן לְפְנֵי כָל־חָי וְגַם מֵמֵת אַל תִּמְנַע חָסֶד i. e. da datum in conspectu omnis viventis, et etiam mortuo ne deneges caritatem. Sensus est: hominem viventibus atque mortuis benefacere debere. Quomodo autem mortuis caritatem testari possimus, hagiographus non exponit, quare interpretes dissentiunt. Reuß (Das Alte Testament VI 255) et Zöckler (Apokryphen 275) putant id fieri, si supremo in defunctos officio fungimur seu „supremum honorem" eis persolvimus, quemadmodum de Tobia seniore legimus: *esurientes alebat, nudisque vestimenta praebebat, et mortuis atque occisis sepulturum solicitus exhibebat* (Tob 1, 20). Knabenbauer (Ecclesiasticus 114) scribit: „*χάρις* quae mortuis impendi potest, consistit in luctu, in sepultura (Tob 12, 12), in consolatione et protectione orphanorum, in defensione famae mortui, in honore eorum memoriae collocato et secundum 2 Mach 12, 43 in sacrificiis et precibus pro ipsis oblatis." Quinque libri Iasonis Cyrenaei, quorum epitome est secundus liber Machabaeorum, vivente adhuc Iuda, ergo ante 135 a. Chr. scripti videntur (pag. 362); eodem saeculo etiam liber Ecclesiastici compositus et translatus est (pag. 350): ergo probabile est scriptores duorum librorum de statu defunctorum easdem veritates litteris consignasse, etiamsi eos naturali tantum modo consideremus et ad inspirationem non respiciamus.

Pro purgatorio probando quidam theologi antiquiores etiam Gn 50, 1—15; Ps 37, 2; 67, 12; 1 Rg 31, 11—13; 2 Rg 1, 17 26 sq; 3, 27—37; Tob 4, 18; 12, 12; Is 4, 4; 9, 18; Mich 7, 8; Mal 3, 2 sq produxerunt. Attamen, si locos citatos revolveris atque contextum inspexeris, nihil in eis de purgatorio invenies, ne in Tob 4, 18 quidem. *Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam iusti constitue,* ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων, *et noli ex eo manducare, et bibere cum peccatoribus,* καὶ μὴ δῷς τοῖς ἁμαρτωλοῖς. Interpretes non consentiunt de qua re Tobias senior ad Tobiam iuniorem loquatur. Zöckler (Apokryphen 172 sq) cum pluribus aliis putat Tobiam filio suo mandare ut ad epula funebria (cf. Ir 16, 7; Ez 24, 17; *Iosephus Flavius,* Bell. Iud. II 1, 1) iustorum multum conferat (ἔκχεον, effunde), ad illa peccatorum vero nihil donet; Reuß (Das Alte Testament VI 401) e contrario locum de eleemosyna in sepultura iustorum pauperibus distribuenda accipit. In neutra explicatione purgatorium insinuatur. Dictum est quidem Iudaeos isto pane donato impetrare voluisse ut defuncti a peccatis et poenis solverentur; at textus libri Tobiae neque in Graeca neque in Latina versione tale quid indicat.

Virtualiter status purgationis in plurimis istis locis continetur qui iustitiam Dei extollunt (cf. pag. 448 sqq). Nam si Deus sine personarum acceptione unicuique iuxta meritum suum praemia et poenas distribuit, in

altera vita non tantum caelum et gehenna sed etiam status medius et transiens esse debet. Iusti enim qui reatu peccati levis et poenae temporalis illaqueati moriuntur, non ad gehennam damnantur, quia iusti sunt; non in caelum suscipiuntur, quia ob reatum peccati et poenae puniendi sunt: ergo ad statum medium pertinent in quo a peccato et poena *solvuntur* seu expiantur. Mirum igitur est quod multi protestantes qui Deum personalem et a mundo essentialiter distinctum adhuc agnoscunt, existentiam purgatorii negent; interpretes Hegelianismo addicti (cf. pag. 16 430) consequenter purgatorium negare debent.

b) Ex iis quae supra scripta sunt, consequenter deducimus animas in statu purgationis degentes a Deo quidem puniri sed non omni consolatione carere. Consolatio eorum est quod non amplius demereri possunt (pag. 612) ideoque a gehenna liberati sunt; consolatio est quod poenis persolutis in caelum suscipiuntur (pag. 624); consolatio est quod iam in statu expiationis caritate cum Deo coniunguntur: sunt enim *pie* defuncti (pag. 623).

§ 49. De consummatione totius mundi.

1. De resurrectione mortuorum. Resurrectionem mortuorum in 2 Mach 12, 43 sq (cf. pag. 623) aperte tradi catholici et acatholici interpretes concedunt (videas *Knabenbauer,* Machabaeorum 409; *Reuß,* Das Alte Testament VII 132; *Zöckler,* Apokryphen 130 sq). Eam secundus, tertius, quartus fratrum Machabaeorum morientes sollemniter professi sunt (2 Mach 7, 9 11 14). Hagiographum fidem illorum approbasse ex 2 Mach 12, 43 sq inferimus.

Daniel (12, 2) testatur: *Et multi de his, qui dormiunt,* וְרַבִּים מִיְּשֵׁנֵי i. e. *καὶ πολλοὶ τῶν καθευδόντων, in terrae pulvere,* אַדְמַת־עָפָר, *evigilabunt,* יָקִיצוּ: *alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper* vel potius „et alii in opprobrium, in contumeliam sempiternam“ (cf. pag. 621). Omnes interpretes catholici et acatholici (cf. Knabenbauer, Behrmann, Hitzig, Marti, Meinhold ad h. l.) consentiunt Danielem resurrectionem mortuorum et quidem bonorum et malorum docere; controversantur autem inter se utrum de resurrectione omnium an multorum dumtaxat loquatur. Si usum loquendi et contextum consideramus, probabilius apparet Danielem directe de resurrectione bonorum ac malorum Iudaeorum loqui: de horum vero resurrectione ad resurrectionem omnium omnino hominum concludere possumus.

רבים, πολλοί, hic non idem esse ac הרבים, οἱ πολλοί = πάντες (cf. Rom 5, 12 15) Hitzig (Daniel 219) bene partitivo מן probat. Meinhold (Daniel 336 sq) quidem cum Ewald מן specificans intellegit et רבים = *omnes* accipit ad Gn 6, 2; 7, 22; 9, 10; 17, 12; Lv 4, 2 appellans. Sed

Knabenbauer (Daniel 318) recte ei opponit: in Gn 7, 22; 9, 10; 17, 12 „praecedit *omnis* vel notio aequivalens et additur כל, ut designetur magis emphatice singula eo sermone comprehendi. At in nostro casu non *omnis* praecedit sed *multi!* Alia exempla quae affert . . . huc non spectant." Eiusdem sententiae Behrmann et Marti (h. l.) sunt. — ישני אדמות־עפר (= dormientes pulveris terrae) ad Gn 3, 19 alludit: *donec revertaris in terram*, אל־האדמה, *de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem*, אל־עפר, *reverteris* (cf. pag. 546). Propterea עפר saepius (Ps 22, 16 30 hebr.; Ib 19, 25; 20, 11; Is 26, 19) sepulcrum significat (cf. *Gesenius,* Thesaurus; *Buhl,* Handwörterbuch). — Phrasis *vita aeterna* hic primo occurrit et in 2 Mach 7, 14 partim repetitur. S. Hieronymus vertens *ut videant* pro לראות εἰς ὀνειδισμόν (cf. pag. 621) לראות legisse videtur (*Knabenbauer,* Daniel 318). — „Verum cur soli peccatores ex Iudaeis surgant ad poenam et non etiam persecutores et vexatores, nulla potest afferri ratio. Quare ad alios quoque praeter Iudaeos verba extendi oportet. . . . Loquitur itaque angelus directe de iis de quibus in toto contextu sermonis loquitur, scil. de iis qui vexantur et qui persequuntur; ex iis autem concludere licet ad omnium resurrectionem, quia par est pro omnibus ratio." Hoc ratiocinium Knabenbaueri (Daniel 317 sq) bonum est.

Ezechieli prophetae Deus restitutionem populi Israel symbolo ossium aridorum reviviscentium monstravit (Ez 37, 1—14). Ista ossa symbolum populi Israel restituendi fuisse Dominus ipse declarat. *Fili hominis,* inquit ad prophetam, *ossa haec universa, domus Israel est: ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus. Propterea vaticinare, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris,* i. e. de captivitate vestra, *populus meus: et inducam vos in terram Israel* (Ez 37, 11 sq). Symbolum autem quo aliquid praeteritum vel praesens vel futurum significatur (cf. Exegeticam 11 sq) debet illi quem docere volumus, iam antea notum esse sicut verba linguae in qua aliquem instituimus. Ergo populo Israel notum supponitur quod corpora humana restituantur et cum spiritu vitae (cf. pag. 525) iterum uniantur (Ez 37, 7—10). „Numquam enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, scribit S. Hieronymus (h. l.), nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur, quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat." Quae cum ita sint, resurrectio mortuorum in Ez 37, 1 sqq indirecte et implicite proponitur. Ita locum interpretantur Tertullianus (De resurrect. carnis 30), S. Hieronymus, Maldonatus, Calmetus, Knabenbauer, Vitringa, Gesenius, Hengstenberg (cf. *Knabenbauer,* Ezechiel 379; *Orelli,* Ezechiel 150).

Recentiores protestantes (*Bertholet,* Hesekiel 182 sq; *Kraetzschmar,* Ezechiel 251; *Orelli,* Ezechiel 150; *Smend,* Ezechiel 287) negant resurrectionem mortuorum in Ez 37, 1 sqq notam supponi, cum propheta Domino

interroganti: *Fili hominis putasne vivent ossa ista?* responderit: *Domine Deus, tu nosti* (Ez 37, 3). At hoc responsum neque ignorantiam neque dubium Ezechielis exprimit. Sensus responsi potest esse: tu nosti quod vivent, vel tu melius nosti quam ego, vel naturaliter non vivent, sed tu scis quid facturus sis. Ultimum sensum Knabenbauer (Ezechiel 376) amplectitur: „hominibus id fieri posse plane non videtur; totum esse penes Dei potentiam et voluntatem." Bertholet asserit sensum responsi esse: tu scis, ego nescio; sed haec assertio contra praecepta logica est. Eo enim quod alicui dicimus: „tu scis", non includitur: „ego nescio"; possumus nos quoque rem scire, ut experientia testatur. Prophetam respondere debuisse: *„Utique (Ja)"* Bertholet et Kraetzschmar affirmant quidem sed non probant nec probare possunt. Similiter ne conantur quidem refutare rationem gravem a Tertulliano et S. Hieronymo allatam (cf. pag. 628), nimirum symbolum antea iam notum esse debere. — E contrario protestans Hitzig (cf. *Orelli,* Ezechiel 149) locum directe de resurrectione Israelitarum defunctorum intellegit. Sed iam S. Hieronymus (h. l.) contra interpretes idem sentientes notavit tali interpretationi versum 11 contrarium esse.

Omnes interpretes catholici omnesque protestantes recentiores (Dillmann-Kittel, Duhm, Marti, Orelli ad Is 26, 19; Kraetzschmar, Meinhold, Smend ad Ez 37, 1 sqq) consentiunt resurrectionem bonorum Israelitarum in Is 26, 19 clare et certo tradi. Populus Israel Dominum sic alloquitur: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent:* נְבֵלָתִי יְקוּמוּן i. e. cadavera mea surgent: *expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere,* שֹׁכְנֵי עָפָר i. e. habitatores pulveris: *quia ros lucis,* טַל אוֹרֹת i. e. ros luminum aut herbarum (cf. *Buhl,* Handwörterbuch ad אוֹרָה), *ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam,* וָאֶרֶץ רְפָאִים תַּפִּיל i. e. et terra quiescentes proiciet. LXX vertunt: *Ἀναστήσονται οἱ νεκροί, καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, καὶ εὐφρανθήσονται οἱ ἐν τῇ γῇ· ἡ γὰρ δρύσος ἡ παρὰ σοῦ ἴαμα αὐτοῖς ἐστιν, ἡ δὲ γῆ τῶν ἀσεβῶν πεσεῖται.* Textus Is 26, 19 sat incertus est (cf. *Duhm,* Jesaia 164), sed in qualibet lectione resurrectio mortuorum docetur: in LXX et Vulgata resurrectio bonorum ac malorum, in Hebraico resurrectio bonorum, quin tamen resurrectio malorum denegetur. Defunctos suos populus Israel mortuos Domini appellat, quatenus pie defuncti sunt (cf. pag. 623); isti evigilabunt ac Deum laudabunt (Septuaginta, Aquila, Symmachus, Theodotion futurum non imperativum legerunt; cf. *Kittel,* Biblia Hebraica). Nam sicut ros caeli super terram decidens efficit ut herbas emittat, ita potentia Dei mortuos suos attingens efficiet ut e pulvere terrae prodire possint. Accepimus *rorem herbarum;* Knabenbauer (Isaias I 482 sq) *rorem luminum* retinet et declarat: *„ros luminum* est ros qui ad lucem et vitam vires tribuit, ad lucem vitae excitans et revocans . . . cum lux et vita intimo nexu inter se saepe copulentur." Videas Duhm ceterosque commentatores supra citatos.

Marti (Jesaja 195) cum Duhm carmen Is 26, 1—19 prophetae abiudicat atque ca 110 a. Chr. compositum censet. Nos ob rationes pag. 273 sqq adductas illud Isaiae ascribimus. Ceterum vis argumenti non minueretur, si scriptor inspiratus ca 110 a. Chr. carmen composuisset.

Verba populi Israel apud Oseam 6, 1—3 *Venite, et revertamur ad Dominum:* [2] *quia ipse cepit* vel potius laceravit, טָרָף, *et sanabit nos: percutiet* vel potius percussit, *et curabit nos.* [3] *Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius,* similiter ac prophetiae Ezechielis 37, 1 sqq (cf. *Marti,* Hosea 53; *Orelli,* Hosea 25) et Isaiae 26, 19 intellegendae sunt.

Ex Knabenbauer (Osee 84 sq) sequentia transcribimus: „Locum hunc insignem multi de Messiae resurrectione, tertia die facta, et de nostra cum illo resurrectione futura explanant . . . si apud Osee populus sanatur, vivificatur, suscitatur, id opus Messianicum peractum supponit, id Messiam expiatione facta ad vitam rediisse, et vitam aliis tribuisse dicit, cum membra non dicantur vivere nisi vita a capite accepta, proin viva membra vivum etiam caput suo ordine ac debito modo dicant. . . . Et certe non errabimus, si Dominum, quia sacrum istum numerum ternarium, qui toties in sacra historia cernitur, etiam sua resurrectione consecrare voluit, providentia sua rerum cursum et prophetae verba ita ordinasse dixerimus et direxisse, ut tertii diei et vitae in eo largiendae et suscitationis perficiendae mentio fieret. Vaticinium vero explicitum et directum verba minime exhibent." Etenim „iam veteres explicant *bidui* spatium poni, ut *cito* . . . et *facile* . . . Deum salutem allaturum esse significetur, neque recentiores abnuunt" (*Idem* 82).

Celeberrima sententia Iobi (19, 25—27) est clara in Vulgata, obscurior in versione Graeca, intricatissima in textu Hebraico. S. Hieronymus vertit: *Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum:* [26] *Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* [27] *Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo.* Ad hanc versionem respiciens S. Hieronymus (Ep 53, 8) affirmat: „Resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit." — Septuaginta autem sic transtulerunt: *Οἶδα γὰρ ὅτι ἀέναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων· ἐπὶ γῆς* [26] *ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα. Παρὰ γὰρ κυρίου ταῦτά μοι συνετελέσθη,* [27] *ἃ ἐγὼ ἐμαυτῷ συνεπίσταμαι, ἃ ὁ ὀφθαλμός μου ἑόρακεν καὶ οὐκ ἄλλος· πάντα δέ μοι συντετέλεσται ἐν κόλπῳ* (*Swete,* The Old Testament in Greek). — Hodiernus textus Hebraicus autem ita reddi potest: *Sed ego scio: redemptor meus,* גֹּאֲלִי (cf. pag. 384, 8) *vivus,* חָי, est *et ultimus,* וְאַחֲרוֹן (cf. pag. 389, infra), *super pulverem surget,* עַל־עָפָר יָקוּם. [26] *Et post cutem meam,* עוֹרִי וְאַחַר, *conciderunt* (vel *circumdederunt*) *eam,* נִקְפוּ־זֹאת, *et ex carne mea,* וּמִבְּשָׂרִי, *aspiciam Deum,* אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ.

[27] *Quem ego aspiciam mihi,* אֲחֶזֶה־לִּי, *et oculi mei vident,* רָאוּ, *et non alienus,* וְלֹא־זָר: *consumuntur renes mei,* כָּלוּ כִלְיֹתַי, *in sinu meo.*

Textum hunc Hebraicum valde corruptum esse omnes interpretes recentiores confitentur (cf. *Budde,* Iob 101 sq 106 sq). Varii viri docti (e. g. Bickell, Budde, Dillmann, Duhm, Kittel, Siegfried) eum emendare conabantur, at emendationes eorum valde incertae sunt (cf. *Budde,* Iob 106 sq). Salvo iudicio meliore censeo purum textum originalem in versione S. Hieronymi nobis conservatam esse. Etenim antiquissima manuscripta Hebraica ad saec. 9 p. Chr. pertinent (cf. *Peters,* Papyrus Nash 1 sq); S. Hieronymus autem iam post 386 a. Chr. versionem Latinam libri Iob iuxta hexapla Origenis et textum Hebraicum suae aetatis revidit atque inter 390—393 eumdem librum immediate ex Hebraico textu Latine reddidit (cf. *Bardenhewer,* Patrologie[2] 404). Nullibi tamen „aliquam textus hebr. varietatem indicat neque, quod tamen alias saepe facit, se ad sensum transtulisse insinuat, e contra Iobum apertissime de resurrectione prophetasse ait et ex sua versione sola argumenta depromit" (*Knabenbauer,* Iob 254, nota). Quare recte inferimus S. Hieronymum in manuscripto suo Hebraico eum textum qui in Vulgata expressus est, invenisse. — Illud נָקְפוּ־זֹאת *conciderunt* (vel *circumdederunt*) *eam* nullum sensum plausibilem praebere patet. Nam: qui conciderunt vel circumdederunt? deest subiectum quod etiam e contextu suppleri nequit; quid circumdederunt vel conciderunt? עוֹר est masculini, זֹאת autem feminini generis; זֹאת carnem vel corpus monstrare improbabile est, ergo deest obiectum congruum (cf. *Budde,* Iob 106). Etiam phrasis *post cutem meam* obscura est (videas notas). Pro רָאוּ legendum esse יִרְאוּ *videbunt* (*Kittel,* Biblia Hebraica) contextus ostendit (*Budde,* Iob 107 sq). — Contra versionem S. Hieronymi opponi poterit, non verisimile esse quod Iob, extra populum electum vivens (pag. 92), ad resurrectionem carnis se elevaverit. Sed Iob erat cultor unius et veri Dei (pag. 92) cuius iustitia immortalitatem animae postulat (cf. pag. 537); cum immortalitate animae autem resurrectio carnis cohaeret (cf. pag. 625): ergo Iob ad eam se elevare potuit.

E numero Patrum Iustinus, Irenaeus, Tertullianus textum non citant, forsitan quia eum non satis clarum iudicabant. — S. Chrysostomus et alii Graeci (cf. *Volck,* Hiob 53) putant Iobum restitutionem suae sanitatis et felicitatis sperasse; sed haec opinio hodie communiter ab exegetis reicitur, quia contextui contraria est. Ceterum S. Chrysostomus in Nicetae catena haec scripsisse refertur ad nostrum locum: „Utinam, inquit, Deus cutem meam resuscitet quae haec perpessa est. Hinc autem

dogma Ecclesiae docemur, quod corpus scil. . . . una cum anima resurgat ut gloria cum illa simul fruatur. Non ignarus igitur resurrectionis fuit neque, mea quidem sententia, resurrectionis corporum, nisi quis dicat liberationem ab aerumnis quibus premebatur, resurrectionem esse" (cf. *Knabenbauer,* Iob 256). — S. Clemens Romanus, Origenes, S. Cyrillus Hieros., S. Epiphanius, S. Augustinus (cf. *Dillmann,* Ijob 177) et plurimi Patres et Doctores recentiores locum de resurrectione corporum intellexerunt. „Hisce aliud accedit argumentum minime spernendum, notat Knabenbauer (Iob 257): in monumentis scil. primorum saeculorum et in catacumbis saepe cerni Iobi figuram et imaginem ut typi resurrectionis (cf. *Kraus,* Roma sotterranea 288)."

Theologi catholici necnon protestantes antiquiores (cf. *Dillmann,* Ijob 177) communiter istum locum Iobi classicum testimonium resurrectionis mortuorum citant, generatim Vulgatae inhaerentes et difficultates textus Hebraici non attendentes. Corluy (Spicilegium I 278 sqq) et Knabenbauer (Iob 247 sqq) in hodierno quoque textu Hebraico resurrectionem carnis expressam inveniunt. Knabenbauer (l. c.) v. 26 vertit: „Et postea pelle mea circumdabuntur haec et ex carne mea videbo Deum." Plerique tamen alii recentiores iudicant in hodierno textu Hebraico resurrectionem carnis non doceri. — Duhm (Hiob 102 sqq) cum plurimis protestantibus recentioribus (e. g. Böttcher, Delitzsch, Dillmann, Ewald, Gerlach, König, Zöckler; cf. *Volck,* Hiob 53) textum sic declarant ut Iob dicat animam suam a corpore solutam, in altera vita Dominum visuram esse. Secundum ipsos *post cutem meam* atque *ex carne mea* idem significant ac post mortem meam; at haec explicatio, licet absolute possibilis sit, tamen nimis dura videtur, si ad rationem scribendi in libro Iob observatam respicimus. — Budde (Iob 101 sqq) cum pluribus aliis protestantibus (e. g. Hahn, Hirzel, Hitzig, Knobel; *Volck,* Hiob 53) putat Iobum apparitionem Domini in hac vita exspectasse quae reapse accidit, quemadmodum in fine libri legimus (cf. pag. 225 sq). Hi illud *post cutem meam* atque *ex carne mea* idem denotare asserunt ac cute circumdatus et in carne mea; sed haec quoque constructio dura est. — Utriusque sententiae patroni textum Hebraicum hodiernum utpote corruptum in variis mutant. Nos S. Hieronymo fidimus qui multo antiquiora manuscripta Graeca et Hebraica in manibus habuit, uti pag. 631 diximus, eumque originalem textum Hebraicum nobis conservasse credimus. — Utrum v. 23 sq *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei?* etc. ad antecedentia an ad subsequentia trahendus sit omnino incertum est (cf. commentatores supra citatos) et in solutionem quaestionis parum influit.

Assertio Dei: *ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo* (Dt 32, 39; cf. 1 Rg 2, 6; Tob 13, 2; Sap 16, 13) similiter ac locus Os 6, 2 (cf. pag. 630) explicanda est. — Denique si Scriptura mortuos *dormire* dicit (e. g. Dt 31, 16; Ps 12, 4; Ib 3, 13; Is 14, 8; Ir 51, 39 57; 2 Rg 7, 12; 3 Rg 2, 10; 11, 43; 14, 20; Ez 31, 18) concludere debemus eos etiam evigilaturos esse. Conferas Is 26, 19 (pag. 629) atque Dn 12, 2 (pag. 627). Meinhold (Daniel 337) recte asserit resurrectionem mortuorum necessario e fide Vet. Test. sequi (cf. pag. 625); quare non mirandum est quod iam in Deuteronomio insinuatur.

Minorem vim probandi habet Is 66, 14 (Eccli 46, 14): *ossa vestra quasi herba germinabunt;* nullam prorsus Is 40, 31; Ir 23, 15; Sap 3, 1—8; Eccli 21, 11; 49, 10 quod contextus ostendit.

2. De iudicio universali atque de signis alterius adventus Domini necnon de innovatione caeli et terrae in Theol. bibl. Nov. Test. locuturi sumus. Concedunt etiam recentiores interpretes protestantes prophetas Vet. Test. iudicium universale et signa illud praecedentia describere (videas commentarios eorum in Ioelem, Isaiam, Ezechielem, Danielem, Malachiam); at sensus horum vaticiniorum in se spectatorum non tam clarus et certus est. Christus Dominus in sermone eschatologico (Mt 24, 1—25, 46; Mc 13, 1—37; Lc 21, 5—36) vaticinia Vet. Test. comprehendit, magis determinavit ac declaravit; etiam apostoli Domini de fine mundi quaedam praedixerunt ex quibus nonnulli loci Vet. Test. clarescunt. Propterea in Theol. bibl. Nov. Test. ad claras prophetias Christi et apostolorum eius illos locos Vet. Test. annotabo quorum sensus in Vet. Test. latet, in Novo autem patet.

SECTIO ALTERA.

DE VERITATIBUS PRACTICIS.

Veritates practicae seu officia observanda (cf. pag. 369) vel leges custodiendae quae in Vet. Test. continentur, in tres classes dividuntur: in leges morales, caerimoniales, civiles. Leges civiles statum socialem et politicum populi electi ordinabant; leges caerimoniales cultum Deo exhibendum quoad tempora et loca sacra, quoad ministros et actiones sacras determinabant; leges morales praescribunt quomodo homo erga Deum, semetipsum et proximum se gerere debeat (cf. pag. 132 sqq). Omnes hasce leges Oehler in opere suo (Theologie des Alten Testaments[3], Stuttgart 1891) magis minusve diffuse pertractat, sed a Dillmann-Kittel (Handbuch der alttestamentlichen Theologie 23) recte vituperatur, quia leges caerimoniales et civiles ad Archaeologiam biblicam pertinent (cf. *Kortleitner,* Archaeologiae biblicae summarium 13 sqq).

In hac altera parte saltem templum Salomonis libenter descripsissem (cf. pag. 219, notam). Quia tamen descriptio eius iuxta hodiernam materiarum distributionem ad Archaeologiam biblicam pertinet, eam hic omisi. In opere maiore eam invenies.

Quae cum ita sint, in hac sectione leges morales dumtaxat tractandae sunt quarum summa (cf. *Dillmann-Ryssel,* Exodus 226) *decalogus, ὁ δεκάλογος,* עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים (Ex 34, 28; Dt 4, 13; 10, 4), appellatur. Hunc autem in scholis catholicis ex professo atque diffuse theologi moralistae tractant. Propterea in theologia biblica de textu et origine tantum decalogi necnon de haeresibus Iudaeorum legem Mosaicam respicientibus breviter loquar. In opere maiore quattuor vel quinque tomorum quod vulgaturus sum, omnes et singulas quaestiones quoad legem Vet. Test. agitatas proponam et examinabo.

§ 50. De textu decalogi.

Textus decalogi tam in Ex 20, 1—17 quam in Dt 5, 4—21 traditur. Ut concordia ambarum relationum magis elucescat, primo textum Vulgatae synoptice proponam, praecepta singula litteris cursivis describens; deinde textum Masorethicum praeceptorum singulorum (non declarationum nec motivorum) afferam; denique textum papyri Nash adiciam.

Holzinger (Exodus 119) cum Göthe, Baentsch, Hitzig, Smend, Wellhausen (cf. *Dillmann-Ryssel,* Exodus 390) in Ex 34, 11—26 tertiam decalogi relationem invenerunt. Sed Dillmann-Ryssel (l. c.) cum Delitzsch, Kittel, König, Smith aliisque hanc inventionem vocant fabulam (Gerede) auctoritate viri Göthe (!) confirmatam quae iam eo confutetur quod singuli patroni decem ista praecepta enumerantes sibi contrarii sint.

1. Textus Vulgatae in locis nominatis librorum Exodi et Deuteronomii sequens est.

Ex 20, 1—17.	Dt 5, 4—21.
[1] Locutusque est Dominus cunctos sermones hos:	[4] Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. [5] . . . et ait:
[2] Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Aegypti, de domo servitutis.	[6] Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Aegypti de domo servitutis.
[3] *Non habebis deos alienos coram me.*	[7] *Non habebis deos alienos in conspectu meo.*
[4] *Non facies tibi sculptile,* neque omnem similitudinem quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra. [5] Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me: [6] et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea.	[8] *Non facies tibi sculptile,* nec similitudinem omnium, quae in caelo sunt desuper, et quae in terra deorsum, et quae versantur in aquis sub terra. [9] Non adorabis ea, et non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus aemulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, [10] et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus praecepta mea.

7 *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

8 *Memento ut diem sabbati sanctifices.* 9 Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. 10 Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas.

11 Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.

12 *Honora patrem tuum et matrem tuam,* ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

13 *Non occides.*

14 *Non moechaberis.*

15 *Non furtum facies.*

16 *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

17 *Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt.*

11 *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra:* quia non erit impunitus qui super re vana nomen eius assumpserit.

12 *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum,* sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus. 13 Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. 14 Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, et filius tuus, et filia, servus et ancilla, et bos, et asinus, et omne iumentum tuum, et peregrinus qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu.

15 Memento quod et ipse servieris in Aegypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento. Idcirco praecepit tibi ut observares diem Sabbati.

16 *Honora patrem tuum et matrem,* sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in Terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

17 *Non occides.*

18 *Neque moechaberis.*

19 *Furtumque non facies.*

20 *Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

21 *Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt.*

2. Iam ex textu Vulgatae patet decem praecepta seu decem verba Domini in libris Exodi et Deuteronomii relata prorsus eadem esse, quae veritas in textu Masorethico adhuc magis manifesta fit.

[לֹא־יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל־פָּנָי	I	Ex 20, 3; Dt 5, 7
[לֹא־תַעֲשֶׂה־לְךָ פֶסֶל	II	Ex 20, 4; Dt 5, 8
[לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא	III	Ex 20, 7; Dt 5, 11
[זָכוֹר (Dt שָׁמוֹר) אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת לְקַדְּשׁוֹ	IV	Ex 20, 8; Dt 5, 12
[כַּבֵּד אֶת־אָבִיךָ וְאֶת־אִמֶּךָ	V	Ex 20, 12; Dt 5, 16
[לֹא תִרְצָח	VI	Ex 20, 13; Dt 5, 17
[לֹא (Dt וְלֹא) תִנְאָף	VII	Ex 20, 14; Dt 5, 18
[לֹא (Dt וְלֹא) תִגְנֹב	VIII	Ex 20, 15; Dt 5, 19
[לֹא־(Dt ולא־)תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁקֶר (Dt שָׁוְא	IX	Ex 20, 16; Dt 5, 20
לֹא תַחְמֹד בֵּית רֵעֶךָ לֹא תַחְמֹד אֵשֶׁת רֵעֶךָ וְעַבְדּוֹ וַאֲמָתוֹ וְשׁוֹרוֹ וַחֲמֹרוֹ וְכֹל אֲשֶׁר לְרֵעֶךָ	X	*Ex 20, 17*
וְלֹא תַחְמֹד אֵשֶׁת רֵעֶךָ וְלֹא תִתְאַוֶּה בֵּית רֵעֶךָ שָׂדֵהוּ וְעַבְדּוֹ וַאֲמָתוֹ שׁוֹרוֹ וַחֲמֹרוֹ וְכֹל אֲשֶׁר לְרֵעֶךָ׃	X	*Dt 5, 21*

In 1 2 3 5 6 verbo Domini nulla adest lectio varians; in 7 8 9 10 pro לֹא in Deuteronomio וְלֹא scribitur, sed (nonnulla manuscripta, Samaritanus) Graecus et Syrus etiam in Deuteronomio לֹא sine וְ exhibent (cf. *Kittel,* Biblia Hebraica): ceterum haec differentia nullius prorsus momenti est. In 4 verbo pro זָכוֹר Dt habet שָׁמוֹר, in 9 pro שָׁקַר Dt ponit שָׁוְא. In 10 verbo plures et maiores differentiae conspiciuntur. Liber Exodi bis תַּחְבֹּד, liber Deuteronomii prius תַּחְבֹּד, deinde תַּתְאַוֶּה praebet; בֵּית et אֵשֶׁת transposita sunt; Deuteronomium addit שָׂדֵהוּ sed ante שׁוֹרוֹ omittit וְ quod tamen in manuscriptis, Graeco et Syro praemittitur (cf. *Kittel,* Biblia Hebraica).

Quilibet videt his variantibus sensum ne in accidentalibus quidem mutari; Moyses decalogum repetens nonnulla verba Domini libere citavit, quemadmodum hagiographi Nov. Test. quoque faciunt. Gravior vero difficultas esse videtur quod pro sanctificatione Sabbati in libro Deuteronomii aliud motivum assignetur atque in libro Exodi. Secundum Ex 20, 11 *idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum,* quia Dominus sex diebus operatus est et septimo die requievit; secundum Dt 5, 15 autem *idcirco praecepit tibi ut observares diem Sabbati,* quia Dominus populum suum e servitute Aegyptiaca eduxit. Sed Badino (Della questione biblica 39) bene observavit praeceptum aliquod ob d u o motiva datum esse posse. Iuxta praecepta logica tunc tantum contradictio adesset, si in alterutro loco affirmaretur ob hoc s o l u m motivum Sabbatum observari debere (cf. Exegeticam 114 sqq). Bene etiam Strack (Exodus 241) cum Delitzsch notat in libro Exodi dici, quare Sabbatum institutum, in libro Deuteronomii autem, quare praecipue observandum sit.

3. Antiquissima manuscripta Pentateuchi Hebraica hucusque nota ad saec. 9 vel 8 p. Chr. attingunt (cf. pag. 631). Anno 1902 autem Anglus N a s h a negotiatore Aegyptio fragmentum Pentateuchi papyraceum (Fig. 97) emit ac postea bibliothecae Cantabrigiensi donavit quod saec. 2 p. Chr. scriptum videtur et merito antiquissimum apographum Hebraicum decalogi necnon mandati magni (Dt 6, 4 sq) a viris doctis celebratur. Peters (Der Papyrus Nash 1 sqq) illud examinavit ac descripsit, ex cuius libro phototypiam cum declaratione atque refectione transscribo. A linea 1 usque 21 decalogus, a linea 22 usque 25 mandatum magnum exhibetur.



Fig. 97. Papyrus Nash. Camb. Univ. Libr. Ms. or. 233.
(Apographon Norberti Peters.)

1 [אָנֹכִי יְ]הוָה אֱלֹהֶיךָ אֲשֶׁר[הוֹצֵא]תִיךָ מֵאֶרֶץ מִ[צְרַיִם׃]
2 [לוֹא־יִהְיֶה לְ]ךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים [עַל־פָּנָ]י׃ לוֹא־תַעֲשֶׂה [לְךָ פֶּסֶל]
3 [וְכָל־תְּמוּנָה] אֲשֶׁר בַּשָּׁמַיִם מִמַּעַל וַאֲשֶׁר בָּאָרֶץ [מִתָּחַת]
4 [וַאֲשֶׁר בַּמַּי]ִם מִתַּחַת לָאָרֶץ׃ לוֹא־תִשְׁתַּחֲוֶה לָהֶם [וְלוֹא]
5 [תַעַבְדֵם כִּי] אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵל קַנּוֹא פֹּקֵ[ד עֲוֹן]
6 [אָבוֹת עַל־בָּנִי]ם עַל־שִׁלֵּשִׁים וְעַל־רִבֵּעִים לְשֹׂנְאָי׃ [וְעֹשֶׂה]

7 [חֶסֶד לְאַלְפִּים] לְאֹהֲבַי וּלְשֹׁמְרֵי מִצְוֹתָי׃ לוֹא תִ[שָּׂא אֶת־]
8 [שֵׁם־יְהוָה אֱ]לֹהֶיךָ לַשָּׁוְא כִּי לוֹא יְנַקֶּה יְהוָה [אֵת אֲשֶׁר]
9 [יִשָּׂא אֶת־שְׁ]מוֹ לַשָּׁוְא׃ זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת לְ[קַדְּשׁוֹ׃]
10 [שֵׁשֶׁת יָמִים] תַּעֲבֹד וְעָשִׂיתָ כָּל־מְלַאכְתֶּךָ׃ וְיוֹם [הַשְּׁבִיעִי]
11 [שַׁבָּת לַיהוָה] אֱלֹהֶיךָ לוֹא תַעֲשֶׂה כֹּה כָל־מְלָאכָה [אַתָּה]
12 [וּבִנְךָ־וּבִתֶּךָ] עַבְדְּךָ וַאֲמָתֶךָ שׁוֹרְךָ וַחֲמֹרְךָ וְכֹל־בְּהֶ[מָתֶךָ]
13 [וְגֵרְךָ אֲשֶׁר] בִּשְׁעָרֶיךָ׃ כִּי שֵׁשֶׁת־יָמִים עָשָׂה יְ[הוָה]
14 [אֶת־הַשָּׁמַי]ם וְאֶת־הָאָרֶץ אֶת־הַיָּם וְאֶת־כָּל־אֲשֶׁ[ר־בָּם]
15 וַיָּנַח בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי עַל־כֵּן בֵּרַךְ יְהוָה אֶת־[יוֹם]
16 הַשַּׁבָּתִי וַיְקַדְּשֵׁהוּ׃ כַּבֵּד אֶת־אָבִיךָ וְאֶת־אִמֶּ[ךָ לְמַעַן]
17 יַיטַב לָךְ וּלְמַעַן יַאֲרִיכִין יָמֶיךָ עַל הָאֲדָמָ֫ה [אֲשֶׁר]
18 יְהוָה אֱלֹהֶיךָ נֹתֵן לָךְ׃ לוֹא תִנְאָף׃ לוֹא תִרְצָח׃ לוֹא
19 תִגְנֹב׃ לוֹא תַעֲנֶה בְרֵעֲךָ עֵד שָׁוְא׃ לוֹא תַחְמֹד [אֵת־]
20 [אֵשֶׁת רֵעֶךָ ל]וֹא תִתְאַוֶּה אֶת־בֵּ[י]ת רֵעֶךָ שָׂדֵ[הוּ וְעַבְדּוֹ]
21 [וַאֲמָתוֹ וְשׁ]וֹרוֹ וַחֲמֹרוֹ וְכֹל אֲשֶׁר לְרֵעֶךָ׃
22 [וְאֵלֶּה הַחֻקִּ]ים וְהַמִּשְׁפָּטִים אֲשֶׁר צִוָּה מֹשֶׁה אֶת־[בְּנֵי]
23 [יִשְׂרָאֵל] בְּמִדְבַּר בְּצֵאתָם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם׃ שְׁ[נַי]
24 [יִשְׂרָא]ל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד הוּא׃ וְאָ[הַבְתָּ]
25 [אֵת יְהוָה אֱ]לֹ[הֶי]ךָ׃ [בְּכָ]ל־לְ[בָבְךָ . . . . . .]

Decem verba Domini in libro Exodi et Deuteronomii relata vario modo ut decem praecepta enumerantur. Philo, Iosephus Flavius, Gregorius Naz., Sulpicius Severus, Ambrosiaster, Synopsis S. Athanasii, Cassianus aliique (cf. *Dillmann-Ryssel*, Exodus 221 sq) illum ordinem retinent quem pag. 635 indicavimus et textus sacer commendat. — Codex Alexandrinus, S. Augustinus (Quaest. 71 ad Exodum; Epist. 119), plurimi Catholici, Luther et Lutherani (cf. *Dillmann-Ryssel* l. c.) primum et secundum verbum Domini in unum praeceptum coniungunt, decimum verbum autem in duo dividunt. — Codex Vaticanus, multi Iudaei et alii (cf. *Dillmann-Ryssel*, Exodus 223) sermonem Domini in Ex 20, 2 et Dt 5, 6 relatum ut praeceptum primum accipiunt, verbum autem primum et secundum Domini in unum praeceptum alterum coniungunt: haec enumeratio contextu non commendatur.

§ 51. De origine decalogi.

Origo decalogi in libris Vet. Test. clare ac presse describitur.

1. Scriptor inspiratus in libro Exodi testatur: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus* etc. (Ex 20, 1 sqq; cf. pag. 634). Enumeratis vero decem verbis Domini adiungit: *Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinae, montemque fumantem: et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul.... Dixit praeterea Dominus ad Moysen: Haec dices filiis Israel: Vos vidistis quod de caelo locutus sim vobis* (Ex 20, 18 22). Et in libro Deuteronomii repetit: *Facie ad faciem*

locutus est nobis (vel potius *vobis*) *in monte de medio ignis . . . et ait: Ego Dominus Deus tuus* etc. (Dt 5, 4 sqq; cf. pag. 634) itemque addit: *Haec verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis et nubis, et caliginis, voce magna, nihil addens amplius: et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi* (Dt 5, 22). Usus loquendi et contextus ostendunt scriptorem inspiratum proprio nomine loqui et suam sententiam proferre, quare narratio eius nihil a veritate alienum continere potest (cf. pag. 9 sq 118).

2. Decem ista verba Dominus duabus tabulis lapideis a se factis inscripsit (Ex 31, 18; 32, 15 sq; Dt 4, 13; 5, 22). Cumque Moyses propter peccatum populi tabulas confregisset (pag. 117), Dominus iussit ut alias duas tabulas dolaret quibus deinde ipse Dominus eadem verba iterum inscripsit (Ex 34, 1 28; Dt 10, 1—4). Has tabulas Moyses in arca testimonii posuit (Ex 25, 16; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9).

In Ex 34, 1 28 legimus: *Praecide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quae habuerunt tabulae, quas fregisti. . . . Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes: panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba foederis decem.* Subiectum ad verbum *scripsit* in v. 28 non Moyses est, ut Holzinger (Exodus 119) cum Wellhausen asserit, sed *Dominus* (*Dillmann-Ryssel,* Exodus 391; *Strack,* Exodus 273, aliique protestantes a Dillmann-Ryssel citati) quod v. 1 atque Dt 10, 3 sq comprobant. *Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum,* narrat Moyses, *ascendi in montem, habens eas in manibus. Scripsitque in tabulis iuxta id, quod prius scripserat, verba decem . . . et dedit eas mihi.* Hummelauer (Exodus 329) asserit tabulas posteriores non a Deo sed a Moyse scriptas esse; Moyses autem in Deuteronomio contrarium affirmat (quod Hummelauer omnino tacet): cui magis credendum est? Mandatum Domini in Ex 34, 27 *Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus* non ad decalogum sed mandata immediate antea posita (cf. pag. 634) referendum est (*Dillmann-Ryssel,* Exodus 391).

Iam ab antiquo tempore viri docti indagarunt, quomodo 10 verba Domini in 2 tabulis distributa fuerint. Philo, Iosephus Flavius ceterique Iudaei, S. Irenaeus et nonnulli protestantes recentiores (cf. *Dillmann-Ryssel*, Exodus 225) censent in qualibet tabula 5 praecepta scripta fuisse: in una praecepta pietatis, in altera praecepta probitatis. Cum omnino probabile sit in tabulis tantummodo verba praeceptorum, non autem declarationem vel motiva descripta fuisse, tabula prior 28, tabula altera 26 (iuxta Dt vero 27) verba Hebraica exhibuisset (cf. pag. 635; *Dillmann-Ryssel* l. c.; *Strack,* Exodus 242). — Qui putant omnia et singula verba in libro Exodi relata etiam in tabulis descripta fuisse, aliam distributionem eligere

debent. Nam textus Exodi 172 verba continet, quorum 146 ad priora 5, et solum 26 ad posteriora 5 praecepta spectant. Non est quidem dubium, quin una tabula 146 verba continere potuerit, quia tabulae *ex utraque parte scriptae* erant (Ex 32, 15); at quilibet videt proportionem bonam deesse. Propterea S. Augustinus (cf. *Dillmann-Kyssel,* Exodus 225) et alii catholici multi censent in priore tabula 3 praecepta (= 76 verba) et in altera 7 praecepta (= 96 verba) scripta fuisse. Distributio Iudaeorum et S. Irenaei probabilior videtur (cf. *Strack,* Exodus 242).

Fracassini (Rivista storico-critica delle scienze teologiche, Roma 1905, 311) confidenter asseverat: „Dopo ciò è impossibile ammettere che il Decalogo, così variabile nella forma e nella sostanza, abbia mai costituito da sè un testo di legge canonico." Antea autem pro sua assertione tria haec argumenta adducit: motivum pro observantia sabbati in Exodo aliud esse atque in Deuteronomio; iuxta Ex 34, 1 Deum, iuxta Ex 34, 28 Moysen posterioribus tabulis decalogum inscripsisse; tertiam decalogi recensionem a Moyse scriptam (Ex 34, 10—26) „grandemente" a duabus aliis recensionibus differre. Quae argumenta Fracassini e libris Holzingeri (Einleitung in den Hexateuch atque Exodus) descripsit non attendens iam protestantes interpretes ista argumenta refutasse, uti pag. 634 636 notavimus. Textus 10 verborum in Exodo et Deuteronomio non variabilis sed idem omnino est quemadmodum pag. 635 videre potes.

Si in legibus Hammurabi quaedam inveniuntur quae praeceptis legis Mosaicae valde similia sunt, non sequitur legem Mosaicam e legibus Hammurabi haustam esse, quoniam similitudo eo declarari potest quod quaedam mandata legis Vet. Test. naturali rationis lumine inveniri possint (cf. *Bisping* et *Cornely* in Rom 2, 14 sq). Inter legem Mosaicam ac leges Hammurabi inveniuntur autem etiam gravissimae dissimilitudines, praesertim quoad cultum Dei (cf. pag. 507), quare lex Mosaica e legibus Hammurabi desumpta esse non potest. Ceterum scriptor inspiratus diserte notat legem Vet. Test. a Deo positive datam esse (cf. pag. 117 638 sq) quae narratio falsa esse nequit.

§ 52. De haeresibus Iudaeorum.

Inter legislationem Mosaicam et mortem ultimi prophetae Israelitae saepissime quidem contra legem peccarunt ideoque gravissime puniti sunt (cf. pag. 117 et historiam sequentem) sed nullis haeresibus concutiebantur. Post mortem autem Malachiae (pag. 343) populus Israel pedetemptim haeresibus dilaniatus est. Iosephus Flavius (Ant. 13, 5 9; 18, 1 sq) testatur, iam Ionatha regnante (161—143 a. Chr.; cf. pag. 353) tres haereses Iudaeorum exstitisse. De his pauca addimus; plura in Archaeologia biblica traduntur (cf. *Kortleitner,* Archaeologia 172 sqq) atque in Novo Test. leguntur.

Pharisaei, פְּרוּשִׁים (a פָּרַשׁ *separavit, distinxit*) erant separati ab aliis seu singulares, videlicet „pietate et doctrina" (*Gesenius,*

Thesaurus 1132). Praeter legem scriptam etiam traditiones seniorum tenebant legique praeferebant; non solum quinque libros Moysi verum etiam reliquos libros canonis admittebant. Sanctitas eorum generatim loquendo externa, non interna; simulata, non vera fuit. — *Sadducaei,* צְדוּקִים, probabiliter a צָדוֹק, *Σαδδούκ,* summo sacerdote (cf. pag. 190 214) nominati, traditiones seniorum repudiabant; immortalitatem animae, resurrectionem carnis, exsistentiam angelorum negabant; quinque libros Moysi tantum recipiebant. Eos Pentateuchum dumtaxat recepisse Origenes (Contra Cels. 1, 49), Tertullianus (De praescr. 45), Hieronymus (in Mt 22, 31) aliique plurimi tradunt quam traditionem recentiores quidam sine ratione sufficiente reiciunt. Vita Sadducaeorum voluptatibus addicta erat. — *Esseni* vel *Essaei* religiosi Vet. Test. appellari possunt. In libris sacris non commemorantur.

Inde ab Alexandro M. (pag. 343) etiam Iudaei Graecorum, τῶν Ἑλλήνων, lingua utebantur, cultura imbuebantur, mores imitabantur. Tales Iudaei *Hellenistae,* Ἑλληνισταί (ab ἑλληνίζω *Graecos imitor*) vocantur; et Hellenismus, Ἑλληνισμός, idem est atque imitatio culturae et morum Graecorum necnon vitae modus ista imitatione acquisitus (cf. *Passow,* Handwörterbuch I 879). Per se patet Iudaeos culturam et mores Graecorum intra certos limites licite imitari potuisse, sed extra limites lege Mosaica determinatos Hellenismum haereticum fieri debuisse.

APPENDIX.

BREVIS DESCRIPTIO TERRAE SANCTAE.

In parte priore huius operis saepius notae quaedam geographicae inseruntur quas hic (cf. pag. 137) colligimus atque supplemus, breviter tamen, quia geographia biblica (cf. Exegeticam 49) nunc separatim traditur (cf. pag. 6). Describemus prius terram sanctam in genere, deinde civitatem sanctam in specie.

I. De terra sancta in genere.

1. Nomina terrae sanctae pag. 137 enumerata sunt ac declarata.

2. Quod ad fines attinet quos Dominus iam Abrahae promiserat (cf. pag. 137), terra sancta Davide et Salomone regnantibus ab Euphrate et introitu in Emath usque ad torrentem Aegypti et sinum Aelaniticum necnon a mari mediterraneo et Phoenica usque ad desertum patebat (cf. pag. 220 sqq; Tab. III, chartam minorem). — Quales fines partes duodecim tribubus

assignatae habuerint pag. 149; quales termini regnorum Iuda et Israel diversis temporibus fuerint pag. 223 sqq exposuimus (videas Tab. III).

3. Terra sancta per fossam seu locum demissum qui ab Ailath usque ad montem Hermon et ultra se extendit (*Guthe,* Bibelwörter-

Fig. 98. Ierusalem ante captivitatem Babyloniam.

buch 492; cf. Tab. II) in partem occidentalem et orientalem dividitur. In parte occidentali desertum Pharan (pag. 109) a fine australi usque ad Cades, Negeb (pag. 64) a Cades usque ad Bersabee, montana a Bersabee usque ad Ierusalem, montana ab Ierusalem usque ad Iezrael, montana ab Iezrael usque ad finem septentrionalem distingui possunt; in parte autem orientali terram

Edom, Moab, Ammon, Galaad, Hauran, Basan, Aram conspicimus (videas pag. 121 sqq atque Tab. II et III).

4. Montes praecipui praeter Libanum et Hermon sunt in parte occidentali: Carmelus (pag. 229), Tabor (pag. 155), Gelboe (pag. 186), Ebal et Garizim (pag. 174), mons Oliveti (pag. 197 223;



Fig. 99. Ierusalem post captivitatem Babyloniam.

cf. Fig. 98 et 99), montes Ierosolymitani; in parte orientali: montes Seir, montes Abarim cum Phasga et Nebo (pag. 128), montes Galaad et Basan (Tab. III).

5. Campi celeberrimi in Scriptura nominantur: Iezrael (Esdrelon), Saron, Šephela, planities seu regio circa Iordanem (Tab. III).

Inter loca deserta, i. e. non habitata sed pecoribus pascendis idonea, desertum Iuda et Pharan eminent (Tab. II et III).

6. Fluvius principalis terrae sanctae est Iordanes; fluvii minores notandi sunt Cison, Cana, Sorec, Besor in occidentali necnon Hieromax, Iaboc, Arnon, Zared, torrens Salicum in orientali parte. — Praeter mare mortuum (cf. pag. 69 sqq) et mare Cenereth etiam lacus Merom memoretur. Videas Tab. III.

II. De civitate sancta in specie.

1. Urbs principalis terrae sanctae primitus *Iebus* (Gn 10, 16; Iud 19, 10; cf. pag. 53 67 188), deinde vero *Urusalim* (tabulae Tell-el-Amarna; cf. Comment. 28) vel *Ierusalem* (Iud 19, 10; cf. pag. 188) vel *Salem* (Gn 14, 18; Comment. 247 sqq) nominabatur, cuius rex Melchisedech victori Abrahae obviam ivit (cf. pag. 67 sq).

Aedificata fuit super montes seu colles qui ab occidente, austro, oriente vallibus circumdati sunt (Fig. 98 et 99). Per vallem Tyropöon (Fig. 99) montes seu colles in orientales et occidentales dividuntur. Orientales sunt *Bezetha* (Fig. 99), ca 420 *m* longus, ca 740 *m* latus; *Moria* (Fig. 98 et 99), ca 470 *m* longus, ca 300 *m* latus; *Ophel* (Fig. 99), ca 300 *m* longus, ca 120 *m* latus. Pars altissima horum collium 770 *m* elevatur. — Occidentales vero sunt: *Sion* (Fig. 98 et 99), ca 800 *m* longus, ca 600 *m* latus; *Acra,* inter Sion et Gareb situs; *Gareb* (Fig. 98 et 99), ca 540 *m* longus, ca 400 *m* latus. Pars altissima horum montium 789 *m* elevatur.

Murus primus, ab Iebusaeis aedificatus necnon a Davide et Salomone restauratus, colles Sion, Ophel et Moria cinxit; murus secundus, a regibus Iuda ductus, collem Acra munivit (murus tertius, ab Herode Agrippa post mortem Christi inchoatus, colles Bezetha et Golgotha urbi adiunxit). Videas Fig. 98 et 99.

De collibus et muris aliisque locis urbis Ierusalem viri docti multum inter se concertant. Conferas opera pag. 19 atque in Exegetica 49 citata, praesertim: Rückert (Die Lage des Berges Sion, Freiburg 1898) et Gatt (Sion in Jerusalem, Brixen 1900). Nonnullae quaestiones in Theol. bibl. Novi Testamenti discutiendae erunt.

2. Super collem *Moria* templum Salomonis, Zorobabelis et Herodis aedificatum fuit. Herodes, Hasmonaei, Salomon substructiones erexerunt quibus factum est, ut naturalis ambitus collis *Moria* ad circuitum supra descriptum ampliaretur. In Fig. 100 litterae *ABCD* locum significant quem nunc *Ḥarâm esch-Scherîf* (sanctum circuitum) vocant; lineae curvae punctis formatae alti-



Fig. 100. Situs templi Salomonici. (Iuxta P. O. Wolff O. S. B.)

tudinem variarum partium (e. g. 700 *m*, 744 *m*), lineae rectae autem punctis formatae moderna aedificia vel vias indicant. Reliquae litterae in Fig. 100 conspicuae sequentia denotant: *O* montem Moria, *N* atrium externum, *abcd* templum Salomonis, *T* portas, *K* cameras, *I* atrium populi, *H* atrium sacerdotum, *F* altare holocaustorum, *G* mare aeneum, *P* vestibulum, *L* sanctum, *E* sanctum sanctorum, *V* cellas, *R* locum palatii Salomonis, *y* locum arcis *Baris (Antonia)*, *SW* necnon *hrfgpx* portas, *l* thronum Salomonis quem vocant (templum Turcorum). — Videas Benzinger-Bädeker (Palästina und Syrien, Leipzig 1900, 23 sqq), Schick (Die Stiftshütte, der Tempel in Jerusalem und der Tempelplatz der Jetztzeit, Berlin 1896, 55 sqq), Wolff (Der Tempel von Jerusalem und seine Maße, Graz 1887, 15 sqq), opera Archaeologiam biblicam tractantes.

INDEX LOCORUM
SACRAE SCRIPTURAE DIFUSIUS EXPLICATORUM.

Gn 1, 1 in principio creavit 488 sqq.
1, 3 sqq dixit Deus: Fiat 496 sqq.
1, 26 sq faciamus hominem 465 sq.
1, 26 sq ad imaginem nostram 537 sqq.
2, 7 spiraculum vitae 530 sq.
3, 1 cur praecepit Deus 544.
3, 15 inimicitias ponam 552 sqq.
3, 22 quasi unus ex nobis 468.
4, 7 sub te appetitus 532.
6, 2 sqq filii Dei ad filias hominum 568.
9, 26 sq benedictus Deus Sem 574 sq.
11, 6 sqq venite, descendamus 467 sq.
12, 3 in te benedicentur 575 sq.
15, 1 merces tua magna 618.
19, 24 pluit Dominus a Domino 468 sq.
47, 9 dies peregrinationis 534.
49, 1 non auferetur 576 sqq.

Ex 3, 2 rubus ardens 95.
3, 6 Deus Abraham, Isaac 534 sq.
6, 2 nomen Iahve non indicavi 377 sq.
33, 19 ostendam omne bonum 418 sq.

Nm 24, 17 orietur stella 578 sqq.

Dt 6, 4 Deus unus est 398 sq.
18, 15 prophetam de genté tua 580 sq.
26, 18 sq creavit, in laudem 517.
32, 40 sq vivo ego 431.

Ios 10, 13 steteruntque sol et luna 15 143 sqq.

Idc 18, 30 captivitatis terrae 153.

1 Rg 6, 19 eo quod arcam vidissent 168 sq.
7, 5 hauserunt aquam 169.
7, 13 cunctis diebus Samuelis 169 sq.
10, 2 sepulcrum Rachel 173 sq.
10, 12 Saul inter prophetas 184.
13, 1 Saul filius unius anni 175 sq.
16, 14 spiritus malus a Domino 182.

2 Rg 7, 12 sqq stabiliam thronum regni 583 sq.
8, 18 sacerdotes regis 193.
12, 31 populum serravit 193 sq.
18, 18 manus Absalom 198 sq.
24, 1 furor Domini contra Israel 561.

1 Par 21, 1 Satan contra Israel 561.

Tob 4, 18 super sepulturam iusti 626.

Ib 10, 4 oculi carnei 427.
14, 4 mundum de immundo 551.
19, 25 sqq circumdabor pelle mea 630 sqq.
37, 18 caeli solidissimi 497.
38, 4 sqq astra matutina 513.
42, 2 nulla te latet cogitatio 436.

Ps 2, 7 hodie genui te 477.
15, 2 bonorum non eges 464.
17, 26 cum sancto sanctus 396 sq.
18, 2 caeli enarrant 515.
35, 9 sq inebriabuntur ab ubertate 462 sq.
44, 3 speciosus forma 424 sq.
44, 7 sqq unxit te Deus 477 sq.
50, 7 in iniquitatibus conceptus 550 sq.
89, 4 mille anni ut dies 393.
101, 26 sqq ab initio 392.
103, 4 angelos tuos spiritus 567 sq.
109, 1 sqq ex utero genui te 478.
138, 1 sqq Domine probasti me 436 sq.
138, 7 sqq quo ibo a facie 420.

Prv 8, 22 sqq Dominus possedit me 473 sq.
8, 31 deliciae cum filiis hominum 446.
16, 4 universa propter semetipsum 515 sq.
19, 21 voluntas Domini permanet 394.
25, 27 scrutator maiestatis opprimetur 417 sq.

Eccl 3, 19 unus interitus 536 sq.
12, 7 spiritus redeat ad Deum 535 sq.

Sap 7, 24 sapientia mobilis 396.
7, 24 sqq candor lucis aeternae 472 sq.
11, 18 ex materia invisa 494.
12, 1 quam bonus et suavis 445.
13, 1 vani autem sunt 483 sqq.

14, 9 odio Deo impius 446.
18, 14 sqq cum quietum silentium 477.

Eccli 5, 5 non est providentia 524.
7, 37 mortuo non prohibeas gratiam 626.
18, 12 miseratio hominis 446.
24, 5 sqq ego ex ore Altissimi 475 sq.
42, 21 sqq non adiectum nec ablatum 393.
43, 29 ipse est omne 388 sq.

Is 1, 18 peccata ut coccinum 446.
6, 3 sanctus, sanctus, sanctus 482 515.
6, 10 excaeca cor populi 456.
7, 14 virgo concipiet 479 584 sqq.
9, 6 parvulus natus est 479 sq.
14, 12 sqq cecidisti lucifer 562.
26, 19 vivent mortui tui 629.
40, 12 quis mensus est 421 sq.
40, 17 gentes quasi nihilum 388.
44, 6 primus et novissimus 389.
53, 8 generationem quis enarrabit 418 480 sq.
64, 4 oculus non vidit 618.

Ir 10, 10 sqq dii pereant 513.
31, 22 femina circumdabit 591 sq.

Thren 3, 23 novi diluculo 459.

Bar 3, 25 non habet finem 418 sqq.
3, 36 sqq in terris visus est 481.

Ez 28, 12 sqq cherub extentus 563.
37, 1 sqq ossa arida reviviscentia 628.
37, 24 suscitabo pastorem 592.
44, 2 sq porta clausa 608.

Dn 7, 9 sqq antiquus dierum 393.
7, 13 sq quasi filius hominis 592 sqq.
9, 24 sqq septuaginta hebdomades 594 sqq.
12, 2 multi evigilabunt 627.
12, 3 qui docti fuerint 619 sq.

Os 6, 1 sqq die tertia suscitabit 630.

Mich 5, 2 sqq tu Bethlehem Ephrata 481 589 sq.

Agg 2, 7 sqq veniet Desideratus 598 sqq.

Zach 9, 9 veniet super asinam 601 sq.
11, 12 sq triginta argenteos 602 sq.

Mal 1, 10 sq offertur oblatio munda 603 sqq.
3, 1 mitto angelum meum 606 sq.
3, 6 Dominus non mutor 395.

2 Mach 7, 28 ex nihilo fecit 496.
8, 18 uno nutu delere 521.
12, 43 sqq pro defunctis exorare 623 sqq.
15, 11 sqq orat pro populo 620.

Mt 22, 31 sq Deus viventium 535.

Mc 12, 35 sqq ipse David dicit 582 sq.

1 Cor 10, 8 ceciderunt 23 milia 126.

2 Petr 2, 5 Noe octavus 30.
2, 5 mundo non pepercit 45.
3, 5 sqq mundus aqua periit 44 sq.

Iud 9 Michael cum diabolo disputans 129.

INDEX PERSONARUM
ET RERUM MAGIS NOTABILIUM.

Aaron 92 sqq.
'Ab, pater 384.
Abdias 265.
Abel 27 sq.
Abiathar 191.
Abimelech Sichemites 157.
Abominatio in templo 353.
Abraham 37 61 sqq; persona historica 73 sq; proavi eius 60 sq.
Acatholici verum sensum Scripturae non habent XXIX 17; usus operum eorum XXI sq 15 sq.
Achab 228 sqq.
Achaz 267 sq.
Adam typus 607.
'Adonai 382.
Adventus iudicis 633; signa eius 633.
Aegyptiologia 19.
Aelaniticus sinus 121.
Aevum 391.
Agar 68 70.
Aggaeus 325.
Ahriman 404.
Akkad 54.
Alexander M. 343 sq; successores eius 344.
Alexandria 343 345.
Amalecitae 115.
Aman 332 sqq.
Ambulare 387.
Ameshapenta vel Amschaspand 573.
Ammon 69.
Ammonitae 122.
Amorrhaei 122.
Amos 246 sq.
Amraphel 65 sqq.
Ananias 305 sqq.
Angeli cum hominibus 573 sq.
— non dii depositi 569.
— septem supremi 573.
Angelorum creatio 570.
— exsistentia 560 sqq.
— natura 567 sqq.
Angelorum nomina 565 sq.
— numerus 572.
— ordo 572 sq.
— peccatum 570 sqq.
— proprietates 570.
— suppositum coniugium 568.
Angelus consilii 471.
— Domini 469 sqq.
— faciei 567.
Anima humana 532; immaterialis 530 sqq; immortalis 533 sqq; libera 532 sq.
Animismus 406.
Annae canticum 167.
Anthropomorphismi 428sq.
Apostolorum iudicia 12.
Apparentia externa 12.
Arabia 109.
Aramaica lingua 306.
Ararat 39.
Arca foederis 190 sq.
— Noe 37 sq 44; typus 607.
Archaeologia 19.
Arcus pluvius 41.
Argumentum physicotheologicum 485.
Armenia 24 39.
Asarhaddon 255 sq.
'Asa'sel 412 sq.
Asina prophetae 125.
Asmodaeus 257 259.
Assur deus 404.
— urbs 54.
Assyria 54.
Assyriologia 19.
'Aštoreth 151 sq.
Atheismus theoreticus et practicus 486.
Azarias 305 sqq.

Babel 57 sq.
Babylonia 54.
Babyloniorum decem reges 31 sq.
Balaam 123 sqq.
Balac 123 sqq.
Baltassar 313 sq.
Ba'al 151.
Bara' 489.
Barac 154.
Baruch 296 sqq.
Basan 122.
Beatitudo 462.
Bel Babyloniorum 317 403.
Benedicere 386.
Bere'schith 489 sq.
Berosus 46 sq.
Bethel 76 227 sq.
Bethlehem 76.
Bethula 585 sqq.
Bethulia 284 sq.
Bonaccorsi 88 103 108 114 141 144.
Bonitas triplex 443 sq.
Booz 162.

Cades 120 sq.
Caeli tres 495; eorum exercitus 495.
Caelum aeternum 617; status beatitudinis 616 sqq; praemia eius inaequalia 617 sq.
— et terra 488 494.
Cain 27 sqq.
— non gens quaedam 28.
Cainan 60.
Caini signum 28 415.
Cainitae 29; eorum genealogia 29 31; non personae fictae 32.
Caleb 120.
Canticum Canticorum 216 sq 424.
Captivitas Assyria 251 sqq.
— Babylonia 293 sqq.
Carmelus 229.
Catholicismi et protestantismi confusio XXV 17.
Cedron vallis 197.
Cetura 73.
Chaldaei 61; eorum lingua 305 sq.

Cham non maledicitur 50.
Chanaan maledictus 49 sq.
Chaos 492 sqq.
Cherubim 563 sq 566.
Chobar 307.
Christi iudicia 12.
Christianorum unio 6 17.
Chronologia 19.
— regnorum 290 sqq.
Cinaei 407.
Cison 154.
Civitas sancta 644 sqq.
Codex Bassetti 287.
Confiteri 386.
Confusio linguarum 57 sq; tempus eius 24.
Cor 434 sq.
Cosmogonia biblica non ex Babylonia 506 sqq.
Cosmogoniae 305.
— gentium 305.
— omnes ex revelatione originali 511 sq.
Coturnices 111 sq 119.
Creatio 488 sqq; notio eius antiqua 495; prima et secunda 491; relatio eius altera 504; confer *Deus*.
Critica exaggerata 186 sq.
Cyrus 315 sqq 322.

Daemonia 565; eorum cultus 488.
Dagon 168.
Dakan 403.
Daniel 305 sqq; liber eius 318 sqq, genuinus 321 sq.
Danitarum idololatria 152.
Daricus 338.
Darius Medus 315 sq.
David 179 sqq.
Debbora 154.
Decalogus 116; eius textus 634 sqq, origo 638 sqq; eius praeceptorum numeratio 638, distributio 639 sqq.
Demonstratio biblica 371 395 sq.
Depositum Ecclesiae 6.
Deus 374.
— aemulans 457.
— aeternus 390 sqq.
— beatus 462 sqq.
— benignus 443 sqq.
— bonus 443 sqq.
— caritatis 445 sq.
— deambulans 423.
— fidelis 458 sq.
— immensus 419 sqq; obiectiones 422 sqq.
Deus immutabilis 393 sqq.
— incomprehensibilis 416 sqq.
— infinitus 418 sq.
— iustus 448 sqq; obiectiones 451 sq.
— longanimis 444.
— mala inferens 447.
— misericors 444 sqq.
— naturaliter cognoscibilis 482 sqq.
— obliviscens 443.
— omnipotens 447 sq; obiectiones 448.
— omnipraesens 420 sqq; obiectiones 422; speciali modo praesens 423 sq.
— omniscius 432 sqq; obiectiones 442 sq.
— patiens 444
— personalis 378 430.
— pulcher 424 sqq.
— quiescens et operans 497.
— recordans 443.
— sanctus 452 sqq; obiectiones 454 sqq.
— sapiens 461 sq.
— simplex 426 sqq.
— trinus 465 sqq.
— unus 398 sqq.
— verax 460; obiectiones 460.
— vivus 380 430 sqq.
— mundum creavit ex nihilo 488 sq, sex diebus formavit 496 sqq.
— — valde bonum 513 sq.
— — propter bonitatem suam 519.
— — ad gloriam suam 514 sqq.
— — liber 520.
— — sapiens 519 sq;
— — concurrit 522 sq.
— — conservat 520 sqq.
— — providet 523 sq.
— Hegelianorum monstrum ruminans 430.
Deuteronomium 134 sq.
Diabolus 566.
— tentator 543 sq.
Dies 498.
— hexaemeri 498 sqq.
Dii gentium 402 sqq.
— Aegyptiorum 404 sq.
— Ammonitarum 404.
— Assyriorum 403.
— Babyloniorum 403.
— Chananaeorum 404.
Dii Graecorum 404 sq.
— Moabitarum 404.
— Romanorum 404 sqq.
Diluvium 38 sqq; narrationes gentium 46 sqq; narratio biblica non ex narratione gentili 47 sq; eius tempus 24 36, typus 607.
— anthropologice universale 44 sqq.
— geographice non universale 41 sqq.
Dispersio gentium 56 sqq.
Div, dyu 374.
Documenta examinanda 4 sq.
Drachma 258.
Draco Babyloniorum 317 sqq.
Dualismus 401 487.
Dura campus 310.

Ebal 146 sq.
'Ebed Iahve 588.
Ecclesia catholica habet verum sensum Scripturae 16 sq.
— — infallibilis 1.
— — omnino destrueretur, si dogma ullum revocaret 17.
Ecclesiastes 217 sq.
Ecclesiasticus 347 sqq; eius textus 349 sq.
Edomitae 121 264.
'El 372.
— 'Eloah 373.
— 'Elohim 373 sq.
Elias 229 sqq.
— assumptus 235 sq.
— morietur 612.
'Elion 382 sq.
Eliseus 233 sqq; fons eius 235.
Emmanuel 479.
Endor 186.
Engelkemper 24 sq.
Engert XXII sq 466 492 502 sq.
Enos 29 sq.
Ens a se 390.
Epiphanes 351 sqq; mors eius 355 sq.
Esau 74 76.
Esdras 337 sqq; eius collectio librorum 342; eius liber 341 sq.
Esse ipsum 388 sq.
— participatum 388.
— totum 388.

Esseni 641.
Essentia 431.
— metaphysica 387.
— physica 387.
Esther 326 sqq; axiopistia libri eius 328 sqq.
Etham 104 sq.
Evae creatio 526 sqq.
— typus 607.
Evolutionis systema 16 430.
Exaltare 386.
Exegesis species 6.
Exercitus Dei 381 sq.
Exodus 131 sq.
Ezechias 268 sqq.
Ezechiel 307 sqq.

Fetischismus 406.
Fides Vet. Test. 609 sq.
Filii Dei 33.
— hominum 33; eorum matrimonia 33.
Finis 514.
— operantis 514.
— operis 514.
Firmamentum 497.
Foedus antiquum 116 sq.
Fons in maxilla 164 sq.
Fracassini 640.

Gabaonitae 141; eorum flagitium 153.
Gabriel 565 sq.
Galilei 145.
Garizim 146 sq.
Gedeon 155 sqq; ephod eius 156 sq.
Gehenna 267 620 sqq.
— aeterna 622.
— poenae inaequales 622.
Gelboe 186.
Generis humani aetas 23.
Genesis 130 sq.
Genocchi XXVII sqq 586 sq.
Geographia 19.
Gessen 84.
Gigantes 33.
Gigot 125.
Gilgameš 46.
Gloria Dei 515.
— — externa 519.
— — interna 519.
Go'el 384.
Goliath 180 sqq.
Gott 374.
Grando 142.
Gratia sanctificans in Vet. Test. 547.

Habacuc 277; eius translatio 318.
Hades 404 sq.
Haereses Iudaeorum 640 sq.
Hammurabi 66 sq; eius leges 640.
Ha'alma 584 sqq.
Haran 63.
Hasmonaei 353.
Hebron 65 142.
Hegel 16.
Hegeliani non probant 423 466.
— Scripturam violenter tractant 423.
Hegelianismus 16 430.
— fundamentum recentioris scholae criticae 16.
— — modernistarum XXVI.
Heli 166 sq.
Heliodorus 351.
Heliopolis 350.
Hellenismus 641.
Henoch Cainita 29.
— Sethita 30.
— morietur 612.
Herodes 365 sqq.
Heroopolis 90 104.
Heroopoliticus sinus 104.
Hexaemeron 496; eius explicationes 501 sqq.
Heyes 78 sqq.
Hinnom vallis 267 269.
Historia Vet. Test. 2 sq.
Homines imago Dei 537 sqq.
Hominum appetitus ordinatus 540 sq.
— creatio 524 sqq.
— dominium 539.
— familiaritas cum Deo 541 sq.
— immortalitas corporis 539 sq.
— natura 530 sqq.
— origo 525.
— pax 541.
— scientia 540.
— status originalis 539 sqq.
Holzhey 502.
Horeb 95 116 123 231.
Hummelauer 70 88 97 102 112 sq 142 144 sq 502.
Hyksos 79 89.
Hyperconservantes XXXI.
Hypostasis 431.

Iacob 74 sq 77; eius filii 76.
Iahel 154 sq.
Iahve 374 sqq.
— nomen proprium et essentiale 375 sqq, antiquum 376 sq.
Iahve causa omnium 389.
— deus Cinaeorum 415.
— deus localis et nationalis 407 sqq.
— deus Sinai 414.
— deus tonitruum et fulgurum 413 sq.
— finis omnium 389.
— unus ex pluribus 415.
Ianus 404 406.
Idololatria 406.
Iebus 53 67 188.
Iehova 374 sqq.
Iephte 158 sqq; votum eius 158 sqq.
Ieremias 288 sqq; eius prophetiae 298 sqq.
Ieremiel 567.
Iericho 139 sqq; eius muri corruentes 141.
Ierusalem 53 68 142 188.
Iethro 93 115.
Iezrael 156.
Ihve 374 sqq.
Imago 538.
Inerrantia Scripturae XXI sq 503.
Inspiratio Scripturae 8 sq 503.
Interpretatio Scripturae magisterio Ecclesiae, non privato iudicio tradita est 16.
Interpretes conservantes moderati 2 sq.
— — rigidi XXXI 2.
— liberales moderati 2.
— — rigidi 2.
— — acatholica opera exscribunt 15.
— pugnant 3.
Invocare 386.
Iob 91 sq; eius liber 224 sqq.
Ioel 266.
Ionas 237 sqq; historia vera 240 sqq; eius liber 245 sq; piscis 243 sq; typus 608.
Ioppe 238.
Iordanis regio 65 69.
Iosaphat 263; vallis Iosaphat 263.
Ioseph 78 sqq; veritas historiae 80 sqq.
Iosias 286 sq.
Iosue 120 137 sqq; liber 135 sq 151.
Isaac 70 72 74 sq.

Isaias 270 sqq; libri eius genuinitas 273 sqq.
Isis 404.
Ismael 68 70.
Ismaelitae 78.
Israel 76.
Israelis confessio 444.
— crudelitas 146 sq.
— cultus daemonum 409 sqq, manium 413, originalis 407 sqq.
— exitus 95 sqq.
— reditus 322.
— regnum 227 sqq.
Israelitae in Aegypto 86sq; numerus eorum 87 sqq.
— in deserto 109 sqq.
Iuda regnum 261 sqq.
Iudas Machabaeus 354sqq.
Iudices 153 sqq; eorum chronologia 169 sqq, liber 136 176.
Iudicium particulare 615sq.
— universale 633.
Iudith 277 sqq; vera historia 279 sqq.
Iuppiter 374.
Iuramentum 431.
Iustitia duplex 451.

Kadosch 384.
Karkar 232.
Koch 32 50 sq 59 64 88 103 108 114 125 141 148 167 173 179 181 183 sqq 187 502 527.

Lagrange xxv 26 28 32 48 sq 59 64 69 sq 114 502 527 560 582 sq.
Lamech Cainita 29.
— Sethita 30 49.
Lamentationes 294 sq.
Lechi 164.
Leges caerimoniales 633.
— civiles 633.
— morales 623.
Lenormant 502.
Leo XIII 1 3 6 8 sqq 15 sq 25 44 125 370 sq 437 503 542.
Levitarum vices 201.
Leviticus 132 sq.
Liber legis inventus 287.
Libertas 520.
— varia 520.
Libri sacri chronologice ordinati 369 sq.
Lignum scientiae 542.
— vitae 540.
Loisy xxv 466 492 502.
Lot 62 64 66 69.
Lumen gloriae 618 sq.
Lux 401.

Machabaeorum libri 362 sqq.
Machabaeorum principes 353 sqq.
— septem fratres 353.
Madianitae 78 123 sqq.
Magi Aegyptii 97 sqq.
Magisterium audiendum 14 sq.
— magis quam heterodoxi 17.
— fallibile et infallibile 14 sq.
Mala a Deo 447.
Malachias 343.
Mane, Thecel, Phares 314 sq.
Manifestatio Dei varia 385 sq.
Manium cultus 406.
Manna 111 sqq.
Mardochaeus 327 sqq.
Marduk 310 403 505 sq.
Mare mortuum 69 sq.
Maris divisio 106 sq.
Marrocco 3.
Mathathias 353 sq.
Mathusala 30.
Mel in ore leonis 163.
Melchisedech 67 607 sq; sacrificium eius 68.
Mesa 232 sqq; monumentum eius 233.
Messias Deus 477 sqq.
Michaeas 275 sq.
Michael 129 565 567 572 sq.
Mincha 604 sqq.
Minocchi xxii sq 467 492 sq 502 sq 527 560 582 sq 586.
Miraculorum notio 7.
— divisio 102 sq.
— horror 8 358.
— negatio 8.
— possibilitas 8.
— suppositio 8.
Misael 305 sqq.
Missae sacrificium 604 sqq.
Mivart 526 sq.
Moab 69.
Moabitae 122 sqq.
Modernistarum finis 17.
— immaturitas xxvi sqq.
— impudentia xxvi sqq.
— macula indelebilis xxvi.
Modernistarum motivum xxvii 17.
— nebulositas xxiii xxviii.
— principia xxiii sqq.
— scientia xxvi sqq.
— spiritus Kantianus xxiv.
— spiritus protestanticus xxiv sq.
— suppositiones falsae xxiv xxvi 502 sq 560.
Molae trusatiles 166.
Mons olivarum 196 sq.
Montes Dei 449 sq.
Moria 72.
Mors hominum 612 sqq; mortuorum status 612 sqq.
Mount Everest 43.
Moyses 21 sqq 31 92 sqq; eius cornua 117, genealogia 94, mors 128 sq, nomen 94, opus litterarium 129 sqq, sepulcrum 129.
Mundi conservatio 520 sqq.
— consummatio 611 sqq.
— creatio 488 sqq.
— finis 514 sqq.
— gubernatio 523 sq.
— innovatio 633.
— redemptio 574 sqq.
Mysteriorum exsistentia et notio 7.

Nabuchodonosoris insania 311 sqq.
Nahum 277.
Nash fragmentum 636 sq.
Natura 431.
Naturae cultus 406.
Naudet 85.
Nebo 128.
Negeb 64.
Nehemias 337 sqq; eius liber 342 sq.
Nemrod 54.
Ninive 54 237 sqq.
Noctis vigiliae 107.
Nod, terra 28.
Noe 30 37 sqq; eius filii non gentes 50 sq.
— benedicit et maledicit 49 sqq.
— crapula 49 sq.
Nohestan 411.
Nomen Dei ineffabile 374 sq.
— — improprie 384 sqq.
— — proprie 384.
Numeri, liber 133 sq.
— biblici 36 sq 88.

Og gigas 33; lectus eius 33.
ʿOlam 390 sq.
Onias sacerdos 350 361.
Ophir 222.
Opiniones aetatum 13.
Ormuzd 404 406.
Osee 247; matrimonia eius 247 sq 455.
Osiris 404.

Palmyra 221.
Panlogismus 430.
Pantheismus logicus 430.
Papyrus 92 sq.
— Nash 636 sq.
Paradisus 423; in narrationibus gentium 555 sqq; narratio biblica non ex eis hausta 557 sqq; eius flumina 24, situs 24 sqq.
Paralipomena 136 337 sqq.
Parallelismus membrorum 210 sqq.
Patriarchae antediluviani 34, postdiluviani 35; longaevitas 34 sqq.
Patrum auctoritas 25.
— consensus 25.
Pax originalis 541.
Peccatum originale 550 sqq.
Pentateuchi argumentum et divisio 129 sqq.
— axiopistia 23.
— genuinitas 21 sq.
— Samaritanus 252 sq.
Peregrinatio vitae 534.
Periodi geologicae 499.
— hexaemeri 498 sqq.
Persae 401 404.
Persona 431 sq.
— divina 464.
Personarum acceptio 450 sq.
Peters 3 357 502 sqq.
Pharan 109.
Pharao 79.
Pharisaei 640 sq.
Phasga 126.
Phithom 90.
Phul-Theglathphalasar 248 sq.
Pius X 2 5 44 371 438 501 503; laudat Athenaeum Seminarii Romani XXIX sq.
Plagae Aegyptiae 98 sqq 102 sqq.
Pluralis excellentiae 373.
Pluralis maiestatis 467.
Poesis Hebraeorum 210 sqq.
Polygamia 29.
Polytheismus 406 487 sq.
Propheta 227 610 sq.
Prophetiae notio 8.
— possibilitas 8.
Protestantismi et catholicismi confusio XXV 17.
Protoparentes omnium 528 sqq; obiectiones 529 sq.
Protoparentum paenitentia 548 sq.
— peccatum 542 sqq.
— poena 26 545 sqq.
— tentatio 543 sq.
Proverbia 216.
Providentia Dei 523.
Psallere 386.
Psalmi David 208 sqq.
— Machabaici 210.
— Messiani 581 sqq.
Psalmus 109 est Davidicus 582 sq.
Psalterium David 203 sqq.
Pulchritudo 425 sq.
Purgatorium 623 sqq.
Putiphar 78 sq.
Pyramides 406 sq.

Ra 404.
Rachel 76; eius sepulcrum 173 sq.
Raguel 93.
Rahab 137 sq 141.
Ramathlechi 164.
Ramesses 84 90.
Raphael 257 sqq 565 sq 572.
Rebecca 72.
Redemptio generis humani 574 sqq.
Regina Saba 222 sq.
Regum libri 301 sqq.
Religio 369.
— biblica et ecclesiastica 369.
— Vet. Test. 2 sq.
Renes 434.
Requies Dei 497.
Resurrectio mortuorum 627 sqq.
Revelationis supernaturalis notio 7, possibilitas 7.
Ruth, historia 161 sq; liber 136 185.

Sabaeismus 406.
Sabaoth 381.
Sabbatum 507 sq.
Sacrificium protoparentum 27, filiorum 27 sq.
— Missae 604 sq.
Sadducaei 641.
Sadoc 191.
Saeculum 485.
Salathiel 567.
Salmanassar 232 sqq.
Salomon 192 sq 195 214 sq; eius lacus 221.
Samaritani 252 324.
Samson 163 sqq.
Samuel 167 sqq; eius libri 136 249 sqq.
Sanctitas 451 sqq.
Sanctorum communio 620.
Sapientia divina 472 sqq.
— humana 216.
— practica 461.
— theoretica 461.
Sapientiae liber 346 sq.
Sara 62 69 72.
Sargon 251 255.
Sassabasar 323 sq.
Satan 565 sq.
Saul 172 sqq.
Schaddai 383.
Schäfers 175.
Scheol 613 sqq.
Schibboleth 161.
Schilo 576 sqq.
Scholae criticae fundamentum 16 415 430.
— conservantis fundamentum 409 416.
Scholz 261 286.
Schöpfer 221.
Scientiae profectus 3.
Scripturae argumentum 1, usus 371; vide *inerrantia*, *inspiratio*, *interpretatio*.
Selbst 89 125.
Seleucidae 360 sqq.
Semitica lingua 306.
Sennaar 54.
Sennacherib 270.
Sensus obvius 44.
— verus in Ecclesia catholica invenitur, non extra eam XXIX 17.
Sepultura Aegyptiorum 84 sq.
Seraphim 565 sq 569 sq.
Serpens aeneus 121 sq 411.
— ignitus 121.
— paradisi 543.
Servus Domini 588.
Seth 27 sq.

Sethitae 29; non personae fictae 32; eorum genealogia 29 31.
Sichem 63 150.
Similitudo 538.
Simon dux 360 sqq.
Sinai 95 116 123 231.
Sinaitica peninsula 109.
Sion 188.
Sisara 154 sq.
Sixti V bulla originalis 287.
Socoth 104.
Solis statio 143 sqq.
Sophonias 287.
Spiritus 427 sq 532.
— Sanctus 481 sq.
Statua salis 70.
Strophae 212.
Substantia 431.
Sumer 54.
Suppositum 431.
Sur 105 110.
Susanna 306 sq.
Synagoga magna 342 sq.
Synedrium 343.

Tabula gentium 52 sqq; eius auctoritas 55.
Templum Salomonis 218 sqq; eius situs 645 sq.
Tenebrae 401.
Terra sancta 641 sqq; eius distributio 149 sq, fines 137, nomina 137.
Thabor 154 sq.
Thare 61 sq; eius filii 73.
Tharsis 222.
Theologia biblica 1; eius finis 5, fontes 4, historia 17 sqq, nomen 20, obiectum 3, relatio ad alias disciplinas 6 370 sq. scientia 1, traditio 5 sq 371, utilitas 5 371.
— — Vet. Test. 1.
— — catholica 1.
— ecclesiastica 5 sq; eius pugna 5.
— supernaturalis 1; eius fontes 1.
— systematica 6.
Tiâmat 505 sq.
Tobiae historia 254 sqq, vera 260 sq.
— liber 253.
Totemismus 406.
Transitus per Iordanem 138 sq.
— per mare 106 sqq.
Trichotomismus 532.
Trinitas in Vet. Test. adumbratur 465 sqq.
Turris Babylonia 56 sq.
Typi Messiani 607 sq.

Ur 61 sq.
Urbs prima 29.
Urbes fugitivorum 150.
— Levitarum 150.
Uriel 567.
Utnapištim 46 sq.

Vallis silvestris 66.
Vercellone 438.
Via hominum 437.
Vinum 49.
Vita 432.
— aeterna 627 sq.
— spiritualis 432.
Vivum 432.
Vulgatae auctoritas 370.
— authentia 426.
— emendatio 437 sq.
Vulpes Samsonis 164.

Wahrmund XXIII 2 7.

Xerxes 326 sqq.
Xisuthros 46 sq.

Zacharias Ioiadae 266.
— propheta 325 sq.
Zapletal 167 467 502.
Zeus 374 404 sq.
Zimmer 559 sq.
Zoroaster 404.
Zorobabel 323 sq.
Zschokke 88 114 116 124 145.

32048

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS543.A2H4 C001 V001
THEOLOGICA BIBLICA SIVE SCIENTIA HISTORI

3 0311 00016 6517

WITHDRAWN

32048

BS
543
.A2H4 Hetzenauer, Michael
AUTHOR

THEOLOGIA BIBLICA SIVE
TITLE SCIENTIA HISTORIAE ET
RELIGIONIS.....

220.01 ~~2007~~ H591T
v.1

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

3 0311 00016 6517